P. VIRGILII MARONIS
O P E R A,

cum integris commentariis

SERVII, PHILARGYRII, PIERII.

A C C E D U N T

SCALIGERI ET LINDENBROGII

Notae ad

CULICEM, CIRIN, CATALECTA.

Ad Cod. MS. Regium Parisiensem recensuit

PANCRATIUS MASVICIUS.

Cum indicibus absolutissimis & figuris elegantissimis.

T O M. II.



V E N E T I I S,

Excudit Jo. BAPTISTA PASCHALIUS.

cIↃ IↃCCXXXVI.

SUPERIORUM PERMISSU, ac PRIVILEGIO.

TIB. CLAUDII DONATI

AD

TIB. CLAUDIUM MAXIMUM DONATIANUM FILIUM,

DE

P. VIRGILII MARONIS VITA.

PUB. VIRGILIUS MARO parentibus modicis fuit, & praecipue patre Marone, quem quidam opificem figulum, plures [1] Magii cujusdam viatoris, initiò mercenarium, mox ob industriam generum, tradiderunt: quem cum agricolationi, reique rusticae & gregibus praefecisset socer, [2] silvis coemundis & apibus curandis reculam auxit. Natus est Cn. Pompejo Magno, M. Licinio Crasso primum Coss. Iduum Octobrium die, in pago qui Andes dicitur, qui est a Mantua non procul. Praegnans eo mater somniavit Maia, enixam se laureum ramum, quem contacta terra confestim [3] cerneret coaluisse, & excrevisse illico in speciem maturae arboris, refertae variis pomis & floribus: ac sequenti luce cum marito rus propinquum petens, ex itinere divertit, [4] atque in subjecta fossa partu levata est. Ferunt infantem, ut fuit editus, nec vagisse, & adeo miti vultu fuisse, ut haut dubiam [5] spem

JOH. FR. GRONOVII AD VITAM P. VIRGILII MARONIS NOTAE.

1. MAGI CUJUSDAM VIATORIS. Omnino *Magii*. Non dissimulandus hic error Jos. Scaligeri, qui Magium figulum patrem facit Virgilii, & id neminem nescire ait, ad Catalecta. Sed &, si diis placet, ipso hoc a filio *mendicum* appellatum vult, eo carmine:

Arretine calix mensis decorate paternis
Ante man medici quam bene sanus erat.*

Ubi corrigit, *decor ante paternis Magi mendiri*. At quid in eo salis? immo, *decorate*, est coronate: *& vina coronant*. Dein vel caecus videat legendum; *Ante manum medici*. Et accipiendum fuisse medicum, qui eum confregerit, aut manibus excidere passus sit ita ut frangeretur. Atque inde acumen, quum medici sit sanare, hunc sanum fuisse, quamdiu non venerit in medici manum.

2. SILVIS COEMENDIS. Puto conducendis & redimendis mancipem, ut qui pecua pascebant. Sic *emere decimas* Ciceroni, de quo Pecun. vet. lib. 4. cap. 5. Alioqui legere posses *conducendis*.

3. CERNERET COALUISSE. Facile crediderim Ger. Vossio ad Vellejum hujus vitae quasi solum & fundamentum Suetonio situm, quod deinde varie interpolarunt, & ex nescio quo alio, aut cujus fidei auxerunt posteriores: multa reliquerunt tamen, ex quibus ingenium limatissimi scriptoris agnoscas. Id autem magis apparet ex eo, quod P. Daniel publicavit, exemplari. Deest in eo verbum *cerneret*, quod interjecit, qui non videbat τὸ *coaluisse* suspendi a verbo *somniavit*. Sic apud Livium ex MSS. restituimus lib. 24. 3. *Fama est aram esse in vestibulo templi, cujus cinerem nullo unquam moveri vento*. *Coaluisse*, ut hid verbum notavimus accipi Obser. in Eccles. c. 13. extremo.

4. ATQUE IN SUBJECTA FOSSA. Suetonius Ner. 48. *Aquam ex subjecta lacuna poturus manu hausit*.

5. SPEM PROSPERIROIS GENITURAE.

Fe-

ſpem proſperioris geniturae jam tum indicaret. [6] Et acceſſit aliud praeſagium. Siquidem virga populea, more regionis in puerperiis eodem ſtatim loco depacta, ita [7] brevi coaluit, ut multo ante fatas [8] populos adaequarit. Quae arbor Virgilii ex eo dicta, atque conſecrata eſt; ſumma gravidarum & fetarum religione, [9] ſuſcipientium ibi & ſolventium vota. Initio aetatis, id eſt, uſque ad ſeptimum annum, Cremonae egit: & [10] xv. anno virilem togam cepit; illis Conſulibus iterum, quibus natus erat. Evenitque, [11] ut eo ipſo die Lucretius poeta diſcederet. Sed Virgilius Cremona Mediolanum, & inde paulo poſt Neapolim tranſiit. Ubi cum literis & Graecis & Latinis vehementiſſimam operam dediſſet, tandem omni cura omnique ſtudio indulſit medicinae & mathematicae. [12] Quibus rebus cum ante alios eruditior peritiorque eſſet, ſe in Urbem contulit, ſtatimque, magiſtri ſtabuli equorum Auguſti amicitiam nactus, multos varioſque morbos incidentes equis curavit. At ille in mercedem ſingulis diebus panes Virgilio, ut uni ex ſtabulariis, dari juſſit. Interea a Crotoniatis pullus equi, mirae pulchritudinis, Caeſari dono fuit miſſus: qui omnium judicio ſpem portendebat virtutis & celeritatis immenſae. Hunc cum adſpexiſſet Maro, magiſtro ſtabuli dixit, natum eſſe ex morboſa equa, & nec viribus valiturum, nec celeritate: idque verum fuiſſe inventum eſt. Quod cum magiſter ſtabuli Auguſto recitaſſet, duplicari ipſi in mercedem panes juſſit. Cum item ex Hiſpania Auguſto canes dono mitterentur; & parentes eorum dixit Virgilius, & animum, celeritatemque futuram. Quo cognito, mandat iterum Virgilio panes duplicari. Dubitavit Auguſtus, Octavii-ne filius eſſet, an alterius: idque Maronem aperire poſſe arbitratus eſt, quia canum & equi naturam parenteſque cognorat. Amotis igitur omnibus arbitris, illum in penitiorem partem domus vocat, & ſolum rogat, an ſciat quiſnam eſſet, & quam ad felicitandos homines facultatem haberet. *Novi*, inquit Maro, *te*, *Caeſar Auguſte*, *& ferme aequam cum Dis immortalibus poteſtatem habere*, *ut quemvis felicem facias*. *Eo animo ſum*, reſpondit Caeſar, *ut*, *ſi verum pro rogatu dixeris*, *beatum te felicemque reddam*. *Utinam*, ait Maro, *interroganti tibi vera dicere queam!* Tunc Auguſtus: *Putant alii me natum Octavio: quidam ſuſpicantur*, *alio me genitum viro*. Maro ſubridens, *Facile*, inquit,

Felicis ortus, proſperi fati, benigni horoſcopi, ut ea vox Suetonio Aug. 94. Calig. 57. Vitellio 3. Veſpaſ. 25. Tito 9.

6. ET ACCESSIT ALIUD PRAESAGIUM. Aut delerem τὸ *Et*: aut tranſponerem, hoc modo: *Acceſſit & aliud praeſagium*. Suetonius Galba 12. *Acceſſit ad tanta diſcrimina mors Vindicis*.

7. BREVI CONVALUIT. Sic legendum, non, ut apud Ti. Claudium Donatum, *coaluit*. Aliter *convaleſcere*, aliter *coaleſcere* dicitur planta: & perinde ut hic, habes utrumque verbum apud Suetonium Octav. 92. Apud Senecam quoque alterum ep. 2. alterum 86.

8. POPULOS ADAEQUAVISSET. Sic Danielis Scheda. Utrum *adaequaret* vel *adaequaverit*, an hoc quoque Suetonii more, cujus habetur in Octav. 100. *Nec defuit vir praetorius*, *qui ſe effigiem cremati euntem in coelum vidiſſe juraſſet*. Ubi miror Scriverii omnes codd. *juraret*: quum nec Torrentius nec Caſaubonus ullam varietatis codicum mentionem faciant. Salmaſianus tamen *juraret*.

9. ET SUSCIPIENTIUM IBI ET SOLVENTIUM VOTA. Suetonius Octav. 97. *Negavit ſuſcepturum* (ſe vota,) *quae non eſſet ſoluturus*.

10. VIRILEM TOGAM QUAM XVII. Scribe: XV. *anno*. Nam Magnus & Craſſus prius A. V. C. 683. iterum 698. conſules fuerunt.

11. EO IPSE DIE LUCRETIUS. Hoc rejicit Giſanius in Lucretii vita.

12. QUIBUS REBUS. Haec, & totum quod ſequitur de equis, canibus, piſtore Auguſti patre, facile concedimus poſt Suetonium nata, neque aliud eſſe quam nugas nugaciſſimas.

quit, *si impune licenterque quae sentio loqui jubes*, *id dicam*. Affirmat Caesar jurejurando, nullum ejus dictum aegre laturum, immo non nisi donatum ab eo discessurum. Ad haec oculos oculis Augusti infigens Maro, *Facilius*, ait, *in ceteris animalibus qualitates parentum a mathematicis & philosophis cognosci possunt ; in homine nequaquam possibile est : sed de te conjecturam habeo similem veri*, *ut quid exercuerit pater tuus*, *scire possim*. Attente exspectabat Augustus quidnam diceret. At ille : *Quantum ego rem intelligere possum*, *pistoris filius es*, inquit. Obstupuerat Caesar, & statim quo id pacto fieri potuerit, animo volvebat. Interrumpens Virgilius : *Audi*, inquit, *quo pacto id conjicio : Cum quaedam enunciarim praedixerimque*, *quae intelligi scirique non nisi ab eruditissimis summisque viris potuissent* ; *tu*, *Princeps orbis*, *item & item panes in mercedem dari jussisti : quod quidem aut pistoris*, *aut nati pistore*, *officium erat*. Placuit Caesari facetia. *At deinceps*, inquit Caesar, *non a pistore*, *sed a rege magnanimo dona feres :* illumque plurimi fecit, & Pollioni commendavit. Corpore & statura fuit grandi, [13] aquilo colore, facie rusticana, valetudine varia. Nam plerumque ab stomacho, & faucibus, ac dolore capitis, laborabat: [14] sanguinem etiam saepius rejecit : [15] cibi vinique minimi. Fama est, eum [16] libidinis pronioris in pueros fuisse. Sed boni ita eum pueros amasse putaverunt, ut Socrates Alcibiadem, & Plato suos pueros. Verum inter omnes maxime dilexit Cebetem, & Alexandrum, quem secunda Bucolicorum ecloga Alexin appellat : donatum sibi ab Asinio Pollione. Utrumque non [17] ineruditum dimisit : Alexandrum grammaticum ; Cebetem vero & poetam. Vulgatum est, [18] consuevisse eum cum Plotia Hieria. Sed Asconius Pedianus affirmat, [19] ipsam postea majorem natu narrare solitam, invitatum quidem a Vario ad communionem sui, verum [20] pertinacissime recusasse. [21] Cetera sane vita, & ore & animo tam probum fuisse constat, ut Neapoli Parthenias vulgo appellaretur : ac, si quando Romae, quo rarissime commeabat, viseretur in publico, sectantes demonstrantesque se [22] subterfugere solitum in pro-

13. AQUILINO COLORE. Suetonius *aquilo* scripserat, ut in membrana Danielis est, Octav. 79. *colorem inter aquilum candidumque*.

14. SANGUINEM SAEPE EJECIT. Immo *rejecit*, ut Dan. Plin. lib. 5. ep. 19. *Dum intente instanterque pronuntiat*, *sanguinem rejecit*.

15. CIBI VINIQUE MINIMI. Suetonius Octav. 76. *Cibi minimi erat*, *atque vulgaris fere*. Galba 22. *Cibi plurimi traditur*.

16. LIBIDINIS IN PUEROS PRONIOR. Sic Dan. & Sueton. Vide G. Vossium ad Vellejum 2. 103. Iste qui nobis curva correxit, mutata & reliqua oratione fecit *pronioris*.

17. INERUDITUM DIMISIT. Quasi paedagogus illis fuerit Virgilius. At hi jam docti erant, antequam eorum compos poeta fieret. Tolle igitur τὸ *dimisit*, quod ignorat Dan.

18. CONSUEVISSE CUM PLOTIA HIERIA. Dan. *consuesse* (ut saepe Cicero & optimi quique malunt) *cum Plotia Aleria*.

19. IPSUM POSTEA MINORIBUS NATU. Non est haec Partheniae apud minores pulchra oratio. Dan. *ipsam postea majorem natu narrare solitam*, *invitatam quidem a Vario ad communionem sui*. Ubi una tantum litera mutanda est; ut sit *invitatum*. Nempe Virgilium.

20. PERTINACISSIME RECUSASSE. Suetonius Tiberio 45. *Et quicquam amplius pati constantissime recusantem*. Sic enim legendum, non *nec quicquam*.

21. CAETERA SANE VITA. Suetonius Octav. 72. *In caeteris partibus vitae continentissimum fuisse constat*. *Tam probum ore & animo* haud dubie Suetonii est, quamquam acceptum ab Sallustio. De illustribus Grammat. cap. 15. *quod eum oris probi*, *animo inverecundo scripsisset*.

22. SUFFUGERE SOLITUM. Sic quidem & Dan. sed voluit *solitus*. Cohaerent enim, *ut*, *Neapoli Parthenias appellatus sit*, *ac suffugere solitus*. Quod turbavit iste eum suo *appellaretur*.

proximum tectum. Bona autem cujusdam exsulantis offerente Augusto, [23] non sustinuit accipere. Possedit prope centies sestertium, ex liberalitatibus amicorum, habuitque domum Romae in Esquiliis juxta hortos Maecenatis: quamquam secessu Campaniae Siciliaeque plurimum uteretur. Quaecumque ab Augusto peteret, repulsam numquam habuit. Parentibus quotannis aurum ad abundantem alitum mittebat, quos jam grandis amisit: ex quibus patrem oculis captum, & duos fratres germanos: Silonem impuberem, Flaccum jam adultum, cujus exitum sub nomine Daphnidis deflet. Inter cetera studia, ut supra diximus, medicinae quoque, ac maxime mathematicae, operam dedit. Egit & causam unam omnino, nec amplius quam semel. Sermone tardissimum, ac pene indocto similem fuisse, Melissus tradit. Poeticam puer adhuc auspicatus, in Balistam, ludi gladiatorii magistrum, ob infamiam latrociniorum coopertum lapidibus, distichon fecit:

Monte sub hoc lapidum tegitur Balista sepultus:
[24] *Nocte, die, tutum carpe viator iter.*

Deinde Catalecton, & Moretum, & Priapeia, & Epigrammata, & Diras, & Culicem, cum esset annorum quindecim. Cujus materia talis est: Pastor fatigatus aestu cum sub arbore obdormisset, & serpens ad illum proreperet, e palude culex provolavit, atque inter duo tempora aculeum fixit pastori. At ille continuo culicem contrivit, & visum serpentem interemit, ac sepulcrum culici statuit, & distichon fecit:

Parve culex, pecudum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

Scripsit etiam, de qua ambigitur, Aetnam. Et mox, cum res Romanas inchoasset, [25] offensus materia & nominum asperitate, ad Bucolica transiit: maxime ut Asinium Pollionem, Alphenum Varum, & Cornelium Gallum celebraret: quia in distributione agrorum, qui post Philippensem victoriam veteranis, Triumvirorum jussu, trans Padum dividebantur, indemnem se praestitissent. Deinde Georgica in honorem Maecenatis edidit, cum sibi vixdum noto opem tulisset [26] adversus Claudii veterani militis, vel, ut alii putant, Arrii centurionis violentiam, a quo in altercatione litis agrariae [27] parum absuit quin occideretur. Novissime autem Aeneidem aggressus est; argumentum varium, & multiplex, [28] & quasi amborum Homeri carminum instar: praeterea nominibus ac rebus Graecis Latinisque commune, & in quo, quod maxime studebat, Romanae simul urbis, & Augusti origo contineretur. Cum Georgica scriberet, traditur quotidie meditatos mane plurimos versus di-

23. NON SUSTINUIT ACCIPERE. Et hoc Sueton. Tito 9. *Nec occidere nec seponere sustinuit*. Et alibi.

24. NOCTE DIEQUE TUUM. Rectius Dan. *Nocte, die, tutum*.

25. OFFENSUS MATERIA. Suetonius Octav. 78. *Matutina vigilia offendebatur*.

26. ADVERSUS CLAUDII VETERANI MILITES. Immo *militis*. Hoc nomen hic non videtur in Dan. Sed mango iste id ex Servio ad Ecl. 9. addidit, ubi est, *Ex quibus Clodius quidam dixit, se omnem litem amputaturum interfecto Virgilio*. Centurio autem *Arrius*, non *Atius*.

27. PAULUM ABFUIT, QUIN OCCIDERETUR. Suet. Octav. 14. *Minimum absuit, quin periret*.

28. ET QUASI AMBORUM HOMERI CARMINUM INSTAR. Sic in Galba cap. 10. *Ac e primoribus prudentia atque aetate praestantibus velut instar senatus instituit*.

dictare solitus, ac per totum diem retractando ad paucissimos redigere, non absurde carmen se ursae more parere dicens, & lambendo demum effingere. Aeneida prosa prius oratione formatam, digestamque in XII. libros, particulatim componere instituit, ut quidam tradunt. Alii ejus sententiae sunt, ut existiment, eum, si diutius vixisset, quatuor & viginti libros usque ad Augusti tempora scripturum, atque alia quaedam percursurum; Augusti vero gesta diligentissime exsecuturum: quippe qui, dum scriberet, ne quid impetum moraretur, quaedam imperfecta reliquit; alia levissimis versibus veluti fulsit: quos per jocum pro tigillis vel tibicinibus interponi a se dicebat, ad sustinendum opus, donec solidae columnae advenirent. Bucolica triennio Asinii Pollionis suasu perfecit. Hic Transpadanam provinciam regebat; cujus favore, cum veteranis Augusti militibus Cremonensium & Mantuanorum agri distribuerentur, suos Virgilius non amisit. Facta enim distributione, suos, seu Claudio seu Arrio datos, recuperavit. Hunc Pollionem maxime amavit Maro, & dilectus ab eo magna munera tulit. Quippe qui invitatus ad coenam, captus pulcritudine & diligentia Alexandri, Pollionis pueri, eum dono accepit. Hujus Pollionis filium, C. Asinium, & Cornelium Gallum, oratorem clarum, & poetam non mediocrem, miro amore dilexit Virgilius. Is transtulit Euphorionem in Latinum, & libris quatuor amores suos de Cytheride scripsit. Hic primo in amicitia Caesaris Augusti fuit: postea in suspicionem conjurationis contra illum adductus, occisus est. Verum usque adeo hunc Gallum Virgilius amarat, ut quartus Georgicorum, a medio usque ad finem, ejus laudem contineret. Quem postea jubente Augusto, in Aristaei fabulam commutavit. Georgica septennio Neapoli: Aeneida partim in Sicilia, partim in Campania duodecim confecit annis. Bucolica eo successu edidit, ut in scena quoque per cantores crebra pronunciatione recitarentur. At cum Cicero quosdam versus audiisset, & statim acri judicio intellexisset non communi vena editos, jussit ab initio totam eclogam recitari: quam cum accurate pernotasset, in fine ait: *Magnae spes altera Romae*. Quasi ipse linguae Latinae spes prima fuisset, & Maro futurus esset secunda. Quae verba postea Aeneidi ipse inseruit. Georgica, reverso ab Actiaca victoria Augusto, atque 29 reficiendarum faucium causa Atellae commoranti, per continuum quatriduum legit, suscipiente Maecenate legendi vicem, quoties interpellaretur ipse vocis offensione. Pronunciabat autem maxima cum suavitate, & lenociniis miris. Seneca tradidit, Julium Montanum poetam solitum dicere, involaturum se quaedam Virgilio, si vocem posset, & os, & hypocrisim: eosdem enim versus eo pronunciante, bene sonare; sine illo, inarescere, quasi mutos. Aeneidos vix dum coeptae tanta exstitit fama, ut Sext. Propertius 30 non dubitarit sic praedicare:

Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.

31 Augustus vero, cum tum forte expeditione Cantabrica abesset, & supplici-

bus

29. REFICIENDARUM VIRIUM. Immo *faucium*, ut Dan. Nerone cap. 10. *Ad reficiendam vocem*. Octav. 84. *Infirmatis faucibus*. Ner. 41. *Excusato languore faucium*.

30. NON DUBITARIT SIC PRAEDICARE. Julio cap. 56. *De iisdem commentariis Hirtius ita praedicat*.

31. AUGUSTUS VERO, CUM JAM FORTE. Lege, *qui tum forte*.

bus atque minacibus per jocum literis efflagitaret, ut sibi de Aeneide, ut ipsius verba sunt, vel [32] prima carminis hypographa, vel quodlibet colon mitteret, negavit se facturum Virgilius; cui tamen multo post, perfecta demum materia, tres omnino libros recitavit: secundum videlicet, quartum, & sextum. Sed hunc praecipue ob Octaviam; quae, cum recitationi interesset, ad illos de filio suo versus, *Tu Marcellus eris*, defecisse fertur: [33] atque aegre refocillata, dena sestertia pro singulo versu Virgilio dari jussit. Recitavit & pluribus; sed neque frequenter, & ferme illa, de quibus ambigebat, quo magis judicium hominum experiretur. Erotem, librarium & libertum ejus, [34] exactae jam senectutis, tradunt referre solitum, quondam in recitando eum duos dimidiatos versus complesse [35] ex tempore: & huic, *Misenum Aeolidem*, adjecisse, *Quo non praestantior alter*: item huic, *Aere ciere viros*, simili calore actutum subjunxisse, *Martemque accendere cantu*: statimque sibi imperasse, ut utrumque volumini adscriberet. Bucolica Georgicaque emendavit. Anno vero quinquagesimo secundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, statuit in Graeciam & Asiam secedere, triennioque continuo omnem operam limationi dare, ut reliqua vita tantum philosophiae vacaret. Sed, cum aggressus iter, Athenis occurrisset Augusto, ab oriente Romam revertenti, una cum Caesare redire statuit. Ac cum Megara, vicinum Athenis oppidum, visendi gratia peteret, [36] languorem nactus est: quem non intermissa navigatio auxit, ita ut gravior indies, tandem Brundisium adventarit: ubi diebus paucis obiit, decimo Kal. Octob. C. Sentio, Q. Lucretio Coss. Qui cum gravari morbo sese sentiret, [37] scrinia saepe & magna instantia petivit, crematurus Aeneida: quibus negatis, testamento comburi jussit, ut rem inemendatam imperfectamque. Verum Tucca & Varius monuerunt, id Augustum non permissurum. Tunc eidem Vario, ac simul Tuccae, scripta sub ea conditione legavit, ne quid adderent quod a se editum non esset, & versus etiam imperfectos, si qui erant, relinquerent. Voluit etiam sua ossa Neapolim transferri, ubi diu & suavissime vixerat: ac extrema valetudine hoc ipse sibi epitaphium fecit distichon:

Mantua me genuit, Calabri rapuere, tenet nunc
Parthenope: cecini pascua, rura, duces.

Translata igitur jussu Augusti ejus ossa, prout statuerat, Neapolim fuere, sepultaque [38] via Puteolana, intra lapidem secundum, suoque sepulcro id di-

32. PRIMA CARMINIS HIPOGRAPHA. Tentabam, *primam carminis ὑπογραφὴν*.

33. ATQUE AEGRE REFOCILLATA EST. Plinius lib. 3. ep. 14. *Ipse paucis diebus aegre refocillatus*. Sed Dan. *aegre focillata*. Octav. 17. *M. Antonii societatem semper dubiam & incertam, reconciliationibusque variis male focillatam*.

34. EXACTAE JAM SENECTUTIS. Grammat. 17. *Decessit aetatis exactae*.

35. EX TEMPORE, ET HUNC, MISENUM AEOLIDEM. Hoc non est Suetonii, sed quod in Dan. *complesse ex tempore. Nam cum hactenus haberet, Misenum Aeolidem*. Quod quanto sit suavius, noscas licet ex Cicerone ad Atticum 6. ep. 2. *Phliasios autem dici sciebam: & ita fac ut habeas: nec quidem sic habemus*.

36. LANGUOREM NACTUS EST. Tito cap. 10. *Ad primam statim mansionem febrim nactus*.

37. SCRINIA SAEPE. Neron. 47. *Inventus est postea in scrinio ejus hac de re sermo formatus*.

38. VIA PUTEOLANA INTRA LAPIDEM SECUNDUM. Suetonius Galba 20. *Caeterum truncum in privatis ejus hortis Aureliae viae sepulturae dedit*. Domitiano 17. *In suburbano suo La-*

distichon, quod fecerat, inscriptum est. [39] Heredes fecit ex dimidia parte [40] Valerium Proculum, fratrem ex alio patre, [41] ex quarta Augustum, ex duodecima Maecenatem, [42] ex reliqua L. Varium, & Plotium Tuccam: qui ejus Aeneidem post obitum, prout petiverat, jussu Caesaris emendaverunt: nam nullius omnino sententia crematu Aeneis digna visa fuit: qua de re Sulpicii Carthaginiensis exstant hujusmodi versus:

Jusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius: Phrygium quae cecinere ducem.
Tucca vetat, Variusque simul: tu, maxime Caesar,
Non sinis, & Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamos igni,
Et pene est alio Troja cremata rogo.

Exstant & Augusti de ipsa eadem re versus plures & clarissimi, quorum initium est:

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? Ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?

Et paulo post:

Sed legum servanda fides; suprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,

Quam

Latina via funeravit. Vita Persii: *Decessit ad octavum milliarium via Appia*.

39. HEREDES FECIT EX DIMIDIA PARTE. Octav. 101. *Tiberium ex parte dimidia*.

40. VALERIUM PROCULUM, FRATREM EX ALTERA PARTE. Hoc vero insanum & intolerabile: nam si nescio quis ille frater *ex altera*, quid Augusto, quid Maecenati, quid caeteris residuum fuit? Neque enim sub τῷ *altera* intelligi potest, nisi *dimidia*: & sic as omnis exhaustus. Hoc librariorum puto, non mangonis. Ocius rescribe ex Dan. *Heredes fecit ex dimidia parte Valerium Proculum, fratrem ex alio patre*.

41. EX QUARTA AUGUSTUM. Id est, quadrante. Semis & quadrans dodrantem efficiunt, sive novem uncias. Accedit duodecima Maecenatis, sive uncia una: & ita dextans exhaustus.

42. EX RELIQUA L. VARIUM ET PLOTIUM TUCCAM. His restat sextans sive unciae duae: itaque singuli acceperint tantundem quantum Maecenas. Quare igitur non dicit: *Ex reliqua quarta Maecenatem, Valerium, Plotium*: vel, *ex duodecimis singulis Maecenatem, Varium, Plotium*? Suspicor fuisse aut *ex* XII. *Augustum*, aut *ex* VI. *Maecenatem*: ut reliqua nonnisi una pars vel uncia Vario Plotioque cederet. Neque hoc parvum putes. Nam centies, hoc est, centies centena millia nummum sestertium, sunt Philippeum nostrorum 250000. Hujus dimidium quinguagies, 5000000. nummum sestertium, sunt Philippeum nostrorum 125000. Ejusdem assis, centies sestertii, triens sunt 3333333 H-S, hoc est, tricies ter triginta tria millia trecenti tres nummi sestertii & triens, seu tertia pars ejus nummi: quae nostra pecunia, octoginta tria millia trecenti triginta tres Philippi, tres schillingi, duo stuferi. Quadrans sunt 2506000, vicies quinquies centena millia nummum sestertium, Philippi 62500. Sextans 1666666 S-H; sedecies centena sexaginta sex millia sexcenti sexaginta sex nummi sestertii & unus bes sive duae tertiae: Philippi quadraginta unum millia sexcenti sexaginta sex, schillingi sex, quatuor stuferi. Uncia, 833333 H-S octingenta triginta tria millia trecenti triginta tres triens, Philippi viginti millia octingenti triginta tres, schillingi tres, tres stuferi, quatuor chalci vel stuferus dimidiatus. Semuncia 416666 S-H, quadringenta sedecim millia sexcenti sexaginta sex nummi sestertii & bes unus, Philippi decem millia quadringenti sedecim, schillingi sex, quatuor stuferi. Adeo haec semuncia equestrem censum transcendit. Cic. ad Atticum 3. ep. 48. *Mortuus enim Babullius, Caesar, opinor, ex uncia*.

Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies.

Et ea quae sequuntur. Nihil igitur auctore Augusto Varius addidit, quod & Maro praeceperat, sed summatim emendavit, ut qui versus etiam imperfectos, [43] si qui erant, reliquerit. Hos multi mox supplere conati, non perinde valuerunt ob difficultatem : quod omnia fere apud eum hemistichia, praeter illud : *Quem tibi jam Troja peperit*, sensum videntur habere perfectum. Nisus, grammaticus, audisse se a senioribus dicebat ; Varium duorum librorum ordinem commutasse, &, qui tum secundus erat, in tertium locum transtulisse: etiam primi libri correxisse principium, his demtis versibus:

Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen, & egressus silvis, vicina coegi,
Ut quamvis avido parerent arva colono:
Gratum opus agricolis : at nunc horrentia Martis
Arma virumque cano.

Obtrectatores Virgilio numquam defuerunt. [44] Nam ne Homero quidem. Prolatis Bucolicis innominatus quidam rescripsit Antibucolica, duas modo Eclogas, sed insulsissime παρῳδήσας, quarum prioris initium est:

Tityre, si toga calda tibi est, [45] *quo tegmine fagi?*

Sequentis,

Dic mihi, Damoeta: [46] *Cujum pecus, anne Latinum?*
Non; verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Alius, recitante ea ex Georgicis : *Nudus ara, sere nudus* ; subjecit, *habebis frigora, febrem.*

Est & adversus Aeneida liber [47] Carvilii Pictoris, titulo Aeneidomastix. M. Vipsanius a Maecenate eum suppositum appellabat novae κακοζηλίας repertorem ; non tumidae, neque exilis, sed ex [48] communibus verbis, atque ideo latentis. Herennius tantum vitia ejus contraxit : Perilius Faustinus furta. Sunt & Q. Octavii Aviti Ὁμοιοτελεύτων octo volumina, quibus annotantur, quos & unde versus transtulerit. Asconius Pedianus, libro quem contra obtrectatores Virgilii scripsit, pauca admodum ei objecta ponit : & potissimum, quod non recte historiam contexuit, & quod pleraque ab Homero sumsit. Sed

hoc

43. SI QUI ERANT. Atqui dubium nullum est fuisse. Scribe igitur, *sicut erant*.

44. NAM NEC HOMERO QUIDEM. Solenne mendum & centum etiam locis amplius in vett. libris corrigendum. Dicebant enim illi : *nam ne Homero quidem*.

45. SI TOGA CALDA TIBI EST, QUO TEGMINE FAGI. Etsi satis hoc ferri potest, suspicor tamen aemulum Publii nostri fecisse, *quo tegmina fagi*. Ut *Quo mihi fortunam?* & *Quo mihi divitias?*

46. CUJUM PECUS? ANNE LATINUM? Ita vulgo haec interpunguntur, ut appareat parum intellecta fuisse. Tu sic habeas:

Dic mihi, Damoeta; Cujum pecus, anne Latinum?
Non. Verum Aegonis nostri sic rure loquuntur.

Cujum pecus, videturne Latinum esse? Respondet quasi Damoetas : Non est Latinum, sed *Aegonis nostri rure*, hoc est, in Virgilii Bucolicis, sic loquuntur.

47. CARBILII PICTORIS. Scribe *Carvilii*.

48. COMMUNIBUS VERBIS OPUS ILLUD CONFECISSE. Nihil stultius, nihil magis fatuum tribus posterioribus verbis. Non enim voluit hic dicere auctor, quemadmodum suum opus Virgilius confecerit, sed quo eum vitio laborasse criminatus fuerit hic obtrectator. Recte vero Dan. *sed communibus verbis, atque ideo latentis*. Nam cacozelorum verba non communia, sed nimium & male quaesita.

hoc crimen sic defendere assuetum ait : *Cur non illi quoque eadem furta tentarent ? Verum intellecturos , facilius esse Herculi clavam , quam Homero versum surripere : & tamen destinasse secedere* , 49 *ut omnia ad satietatem malevolorum decideret*. Refert etiam Pedianus, benignum, cultoremque omnium bonorum atque eruditorum fuisse, & usque adeo invidiae expertem, ut , si quid erudite dictum inspiceret alterius, non minus gauderet, ac si suum fuisset : neminem vituperare, laudare bonos : ea humanitate esse , ut , nisi perversus maxime, quisque illum non diligeret modo , sed amaret. Nihil proprii habere videbatur. Ejus bibliotheca non minus aliis doctis patebat, ac sibi : illudque Euripidis antiquum saepe usurpabat, Τὰ τῶν φίλων κοινά, hoc est, *Communia amicorum esse omnia*. Quare coaevos omnes poetas ita adjunctos habuit, ut, cum inter se plurimum invidia arderent , illum una omnes colerent , Varius , Tucca, Horatius, Gallus, Propertius. Anser vero , quoniam Antonii partes secutus est, illum non observasse dicitur. Cornificius ob perversam naturam illum non tulit. Gloriae vero adeo contemtor fuit : cum quidam versus quosdam sibi adscriberent, eaque re docti haberentur , non modo aegre non ferebat, immo voluptuosum id illi erat. Cum enim distichon , quod laudem felicitatemque Augusti continebat, fecisset, valvisque non nominato auctore affixisset, (id erat ejusmodi,

Nocte pluit tota , redeunt spectacula mane:
Divisum imperium cum Jove Caesar habet.)

diu quaeritans Augustus, cujusnam hi versus essent, eorum auctorem non inveniebat. Bathyllus vero, poeta quidam mediocris , tacentibus aliis , sibi adscripsit. Quamobrem donatus honoratusque a Caesare fuit . Quod aequo animo non ferens Virgilius, iisdem valvis affixit quater hoc principium : *Sic vos non vobis*. Postulabat Augustus, ut hi versus complerentur : quod cum frustra aliqui conati essent, Virgilius, praeposito disticho, sic subjunxit:

Hos ego versiculos feci : tulit alter honores :
Sic vos non vobis nidificatis aves.
Sic vos non vobis vellera fertis oves.
Sic vos non vobis mellificatis apes.
Sic vos non vobis fertis aratra boves.

Quo cognito , aliquamdiu Bathyllus Romae fabula fuit , Maro vero exaltatior. Cum is aliquando Ennium in manu haberet , rogareturque quidnam faceret ; respondit, se aurum colligere de stercore Ennii . Habet enim poeta ille egregias sententias sub verbis non multum ornatis . Interroganti Augusto quo pacto civitas feliciter gubernaretur : *Si prudentiores* , inquit , *temonen tenuerint, & boni malis praeponantur : itaque optimi suos habeant honores ; nulli tamen aliorum injusti quidquam fiat*. At Maecenas, *Quid*, inquit , *Virgili* , *satietatem homini non affert ? Omnium rerum*, respondit, *aut similitudo aut multitudo stomachum facit , praeter intelligere*. Idem interrogavit : *Quo pacto quis altam felicemque fortunam servare potest ?* Cui Maro : *Si* , *quantum honore ac divitiis aliis praestantior sit , tantum liberalitate & justitia alios superare nitatur*. Solitus erat dicere : *Nullam virtutem commodiorem homini esse patientia* , *ac nul-*

49. UT OMNIA AD SATIETATEM MALEVOLORUM DECIDERET . An non *reciderret*.

nullam asperam adeo esse fortunam, quam prudenter patiendo vir fortis non vincat. Quam sententiam in quinto Aeneidos inseruit:

Nate Dea, quo fata trahunt retrahuntque, sequamur :
Quidquid erit, superando omnis fortuna ferendo est.

Cum quidam ejus amicus Cornificii in eum maledicta & inimicitias sibi enarraret : *Quam putas*, inquit, *esse hujusce malevolentiae caussam ? Nam neque umquam Cornificium offendi, & eum amo. An*, inquit, *Hesiodi sententiae non meministi, ubi ait, architectum architecto invidere, & poetam poetae ? De malis*, inquit, *Graecus ille intellexit : nam boni eruditiores amant. Sed magna cum laude & gloria vindictam in manu habeo. Majore enim cura virtuti intendam : atque quo elegantior ego fiam, eo vehementius invidia rumpetur*. Erat Augusto familiaris Filistus quidam, orator, & poesin mediocriter doctus, cui multiplex variumque ingenium erat, quique omnium omnia dicta reprehendere conabatur ; non ut verum dignosceret, quod Socrates facere consuevit, sed ut eruditior videretur. Hic Virgilium, ubicumque convenire dabatur, maledictis salibusque vexabat. Quare ille saepe aut tacibundus discedebat, aut suffusus pudore tacebat. Verum, cum Augusto audiente elinguem illum diceret, & caussam etiam suam, si linguam haberet, defendere nequire : *Tace*, inquit, *rabula. Nam haec mea taciturnitas defensorem caussarum mearum Augustum fecit & Maecenatem : & ea tuba, cum volo, loquor, quae ubique & diutissime audietur. Tu loquacitate non modo aures hominum, sed muros rumpis*. Augustus vero Filistum gravi vultu increpavit. Tunc Maro, *Si tempus, Caesar*, inquit, *tacendi hic sciret, raro loqueretur. Tacendum enim semper est, nisi cum taciturnitas tibi noceat, aut oratio aliis prosit. Nam qui contendit, & an contentionis finis utilis sit, non novit, stultis illum annumerandum sapientes putant*. Posteaquam Augustus summa rerum omnium potitus est, venit in mentem, an conduceret Tyrannidem emittere, & omnem potestatem annuis consulibus, & Senatui remp. reddere : 50 in qua re diversae sententiae consultos habuit, Maecenatem & Agrippam. Agrippa enim utile sibi fore, etiamsi honestum non esset, relinquere Tyrannidem, longa oratione contendit : quod Maecenas dehortari magnopere conabatur. Quare Augusti animus & hinc ferebatur & illinc : Erant enim diversae sententiae, variis rationibus firmatae : Rogavit igitur Maronem, an conferat privato homini, se in sua repub. tyrannum facere. Tum ille, *Omnibus ferme*, inquit, *remp. aucupantibus molesta ipsa Tyrannis fuit, & civibus : quia necesse erat propter odia subditorum, aut eorum injustitiam, magna suspicione magnoque timore vivere. Sed si cives justum aliquem scirent, quem amarent plurimum, civitati id utile esset, si in eo uno omnis potestas foret. Quare si justitiam, quod modo facis, omnibus in futurum nulla hominum facta compositione distribues ; dominari te, & tibi conducet & orbi. Benevolentiam enim omnium habes, ut deum te & adorent, & creant*. Ejus sententiam secutus Caesar principatum tenuit. Audivit a Scirone praecepta Epicuri : cujus doctrinae socium habuit Varum. Quamvis diversorum Philosophorum opiniones libris suis inseruisse de animo maxime videatur ; ipse tamen fuit Academicus : nam Platonis sententias omnibus aliis praetulit.

Nunc

50. IN QUA RE DIVERSAE SENTENTIAE CONSULTOS HABUIT. Puto, consultores, Ut, *malum consilium consultori pessimum*.

P. VIRGILII VITA.

Nunc quoniam de auctore summatim diximus, de ipso jam carmine dicendum videtur; quod bifariam tractari solet, hoc est, & ante opus, & in ipso opere. Ante opus, titulus, causa, intentio. Titulus, in quo quaeritur, cujus sit. Causa, unde ortum sit, & quare hoc potissimum sibi ad scribendum poeta praesumserit. Intentio, in qua cognoscitur, quid efficere conetur poeta. In ipso opere sane tria spectantur; numerus, ordo, explanatio. Quamvis igitur multa ψευδογραφῶς, id est, falsa inscriptione, sub alieno nomine sint prolata, ut Thyestes, tragoedia hujus poetae, quam Varius edidit pro sua, & alia hujuscemodi; tamen Bucolica liquido Virgilii esse minime dubitandum est: praesertim cum ipse poeta, tanquam hoc metuens, principium hujus operis & in principio Aeneidos, & in alio carmine suum esse testatus sit, dicens,

> *Ille ego, qui quondam gracili modulatus avena*,

& reliqua. Et:

> *Carmina qui lusi pastorum, audaxque juventa,*
> *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi.*

Bucolica autem & dici, & recte appellari, vel hoc solum indicium suffecerit, quod hoc eodem nomine apud Theocritum censeantur. Verum ratio quoque demonstranda est. Tria sunt pastorum genera, quae dignitatem in Bucolicis habent: quorum qui minimi sunt, αἰπόλοι dicuntur a Graecis: iidem a nobis *caprarii*: paulo honoratiores, qui ποιμένες, id est, *opiliones* dicuntur: honestissimi, & maximi, βουκόλοι, quos *bubulcos* dicimus. Unde igitur magis debuit pastorali carmini nomen imponi, quam ab eo gradu, qui apud pastores excellentissimus invenitur? Causa dupliciter inspici solet: ab origine carminis, & a voluntate scribentis. Originem autem Bucolici carminis alii ob aliam causam ferunt. Sunt enim, qui a Lacedaemoniis pastoribus Dianae primum carmen hoc redditum dicant, cum eidem Deae, propter bellum, quod toti Graeciae illo tempore Persae inferebant, exhiberi per virgines de more sacra non possent. Alii ab Oreste, circa Siciliam vago, id genus carminis Dianae redditum loquuntur, per ipsum atque pastores: quo tempore de Scythia cum Pylade fugerat, surrepto numinis simulacro, & celato in fasce lignorum. [51] Unde Fascelidem Dianam perhibent

51. UNDE FASCELIS. Dan. *Fascellinam*. *Facelinam* puto reliquisse auctorem, etsi *Fascelitis* Servio dicatur in prooemio ad Bucolica & ad lib. 2. Aeneid. ut & Higino fab. 116. quorum utervis, quod ibi habet, ex altero descripsit, & juvari uterque ex altero potest. Nam ubi Higini exemplaria praeferunt, *sacerdosque facta ductum ne Dianae*, ex Servio apparet restituendum, *Sacerdosque facta Dictynnae Dianae, cum secundum consuetudinem*: quod fere vidit & Barthius 11. Advers. 9. Et *curandi furoris causa*, pro *carendi sororis*. Item *cum bis occiso Thoante*, id est, Pylade & Iphigenia, ubi τὸ *bis* vulgo deest. Jam, *notandum a face, cum qua pingitur*, non sunt glossemata monachalia, ut loquitur Barthius, sed ita corrigenda: *unde & Fascelis dicitur: non tantum a face, cum qua pingitur*. Denique, *quia aris su expositi*, non *auri*. Ac ex Higino apud Servium scribendum *Bomonicae* pro *Homonicae*: & *Clivum Capitolinum*, pro *Capitolini*. Lucilius lib. 3. Sat.

> *Regina videbis*
> *Moenia, tum Liparam, & Facelitis templa Dianae*. Dicitur enim a φάκελος. Vide Cluverium Siciliae antiquae lib. 2. cap. 5.

bent nuncupatam : apud cujus aras Orestes per sacerdotem ejusdem numinis Iphigeniam sororem suam a parricidio fuerat expiatus. Alii Apollini Nomio, pastorali scilicet Deo, qua tempestate Admeti boves paverat. Alii Libero, Nympharum scilicet, & Satyrorum, & id genus numinum principi, quibus placet rusticum carmen. Alii Mercurio, [52] Daphnidis patri, pastorum omnium principi, & apud Theocritum, & apud hunc ipsum poetam. Alii in honorem Panos scribi putant, peculiariter pastoralis Dei, item Sileni, Silvani, atque Faunorum. Quae cum omnia dicantur, illud erit probatissimum, Bucolicum carmen originem ducere a priscis temporibus, quibus vita pastoralis exercita erat, & ideo [53] velut aurei seculi speciem in ejusmodi personarum simplicitate cognosci : & merito Virgilium, processurum ad alia carmina, non aliunde coepisse, nisi ab ea vita, quae prima in terris fuit. Nam postea rura culta ; & ad postremum pro cultis & feracibus terris bella suscepta. Quod videtur Virgilius in ipso ordine operum suorum voluisse monstrare, cum pastores primo, deinde agricolas canit, & ad ultimum bellatores. Restat, ut, quae caussa voluntatem attulerit poetae Bucolica potissimum scribendi, consideremus. Aut enim dulcedine carminis Theocriti, & admiratione ejus illectus est : aut ordinem temporum est secutus erga vitam humanam, ut supra diximus ; aut tres modos elocutionum, quos χαρακτῆρας Graeci vocant ; ἰσχνὸν, qui tenuis ; ἁδρὸν qui validus ; μέσον, qui moderatus intelligitur. Credibile erat, Virgilium, qui in omni genere praevaluerit, Bucolica primum, Georgica secundum, Aeneida tertium voluisse conscribere. Aut ideo potius primo Bucolica scripsit, ut in ejusmodi carmine, quod & paulo liberius, & magis validum, quam cetera, est, facultatem haberet captandae Caesaris indulgentiae, recuperandique agri, quem amiserat. Ob hanc caussam, [54] die Iduum Martiarum C. Caesare interfecto, cum Augustum Caesarem pene puerum veterani milites, non abnuente Senatu, sibi ducem constituissent, exorto bello civili, Cremonenses cum ceteris ejusdem studii, adversarios Augusti Caesaris adjuvarunt. Unde factum est, ut cum victor Augustus in eorum agros veteranos deduci jussisset, non sufficiente agro Cremonensium, Mantuani quoque, in quibus erat Virgilius, maximam [55] partem suorum finium perdiderint, eo quod vicini Cremonensibus fuerant. Sed Virgilius, Augusti familiaritate, suoque carmine fretus, centurioni Arrio obsistere ausus est. Ille statim, ut miles, ad gladium manum admovit. Cumque se in fugam proripuisset poeta, non prius persequendi finis fuit, quam se in fluvium Virgilius conjecisset. Sed postea, Maecenate, & Pollione, & ipso Augusto, faventibus, agros suos recepit. Intentio libri, quam σκοπὸν Graeci vocant, imitatione Theocriti poetae constituitur, qui Siculus, & Syracusanus fuit. Est intentio etiam

52. DAPHNIDIS PATRI PASTORUM OMNIUM PRINCIPI. Lege *principis*. Daphnidis enim hic titulus, non Mercurii.

53. VELUT AUREI SECULI SPECIEM. Malim *specimen*.

54. OCCISO IN CURIA DIE TERTIO IDUUM MARTIARUM. Ocius dele τὸ *tertio*. Sic supra : *Iduum Octobrium die*.

55. PARTEM FINIUM SUORUM PERDIDERINT. *Perdidissent* Dan. quod posset contendere aliquis sic accipiendum, ut supra: *multo ante fatat populos adaequavisset*. Et solent interdum haec promiscua ponere.

etiam in laudem Caesaris, & principum ceterorum, per quos in sedes suas rediit : unde, ut & delectationem & utilitatem finis contineret, secundum praecepta cuncta confecit. Quaeri solet, cur non plures quam decem Eclogas conscripserit : quod nequaquam mirandum videbitur ei, qui consideraverit aetatem scenarum pastoralium, quae ultra hunc numerum non potest proferri ; praesertim cum ipse poeta, circumspectior Theocrito, ut ipsa res indicat, videatur metuere, ne illa Ecloga, quae Pollio inscribitur, minus rustica videatur, cum ipsam sic praestruat ipse, dicens, *Sicelides Musae, paullo majora canamus* : & idem similiter in aliis duabus facit. Illud tenendum esse praedicimus in Bucolicis Virgilii, neque nusquam, neque ubique aliquid figurate dici, hoc est, per allegoriam. Vix enim propter laudem Caesaris & amissos agros haec Virgilio conceduntur, cum Theocritus, quem hic noster toto studio imitari conatur, simpliciter omnino conscripserit. Quod autem in ipso carmine tractari solet, est numerus, ordo, explanatio. Numerus Eclogarum manifestus est. Nam decem sunt : ex quibus proprie Bucolicae VII. esse creduntur : nam tres ultimae proprie Bucolicae dici non debent, Pollio scilicet, Silenus, & Gallus. Prima igitur continet 56 conquestionem publicam, & privatam congratulationem de agro, & dicitur Tityrus. Secunda amorem pueri, & dicitur Alexis. Tertia certamen pastorum, & dicitur Palaemon. Quarta genethliacum, & dicitur Pollio. Quinta epitaphium, & dicitur Daphnis. Sexta metamorphosin, & dicitur Varus, & Silenus. Septima amores diversorum sexuum, & dicitur Corydon. Octava Pharmaceutria, & dicitur Damon. Nona continet poetae conquestionem de amisso agro, & dicitur Moeris. Decima 57 desiderium Galli, & dicitur Gallus. Quod ad ordinem spectat, illud scire debemus, in prima tantum, & ultima Ecloga poetam voluisse ordinem servare : quoniam in altera principium constituit, ut in Georgicis ait : *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi*. In altera ostendit finem : quippe qui dicat : *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem*. Verum, inter ipsas Eclogas, pastoralem, conscriptumque ordinem nullum esse, certissimum est. Sed sunt, qui dicant, initium Bucolici carminis non *Tityre*, esse, sed, *Prima Syracusio dignata est ludere versu*. Superest explanatio : ad quam antequam veniamus, illud dixerim, tenue esse Bucolicum carmen, & usque adeo ab Heroico charactere distare, ut versus quoque hujus carminis suas quasdam caesuras habeant, & suis legibus distinguantur. Nam cum tribus probetur metrum, caesura, scansione, modificatione ; non erit Bucolicus versus, nisi in quo & pes primus partem orationis absolverit ; & tertius trochaeus fuerit & caesura ; & quartus pes dactylus magis quam spondeus partem orationis terminaverit ; quintus & sextus pes ex integris dictionibus fuerit : quod Virgilius, a Theocrito saepe servatum, victus operis difficultate, neglexit. In solo principio, incertum industria an casu, has caesuras servavit. Nam, *Tityre*, dactylus partem orationis absolvit, *tu patu-lae recu*-tertium dactylum, quamvis de composita di-

56. CONQUESTIONEM PUBLICAM. Tiberio 70. *Composuit & carmen Lyricum, cujus est titulus, Conquestio de L. Caesaris.*

57. DESIDERIUM GALLI. Dan. addit *Circa Polymniam Cytheridem*. Voluit *Volumniam*, a Volumnio, illo Ciceronis amico, cui in deliciis fuit. Servius ad eclog. ultimam : Cytheridem meretricem, libertam Volumnii.

diĉtione conclufit : *bans fub*, quartum fpondeum pro daĉtylo. Cum fubjunxit, *tegmine fagi*, terminatis partibus orationis integrum comma perfecit: cujus rei diligentiam licet in Theocriti omnibus ferme verfibus admirari. Qui vero fupra diĉta acri judicio diligenterque confiderarit, facile intelliget, quae in Georgicis intentio, quique finis fuerit, nec minus etiam in Aeneide. Poematis ftyli genera tria funt. Aut enim aĉtivum vel imitativum, quod Graeci *δραματικὸν* appellant : in qua perfonae loquentes introducuntur fine poetae interlocutione: ut funt tragoediae, & comoediae: *δρᾶν* enim Graece agere dicitur : quo genere fcripta eft prima, *Tityre* : &, *Quo te, Moeri, pedes*. Aut enarrativum, quod Graeci *διηγηματικὸν* appellant : in quo poeta ipfe loquitur fine interpofitione perfonae, ut tres primi Georgicon libri, item Lucretii carmina. Aut commune, vel miftum, quod Graeci *μικτὸν* appellant ; ubi & poeta ipfe loquitur, & introduĉtae perfonae : ut eft Virgilii Aeneis.

P. VIRGILII MARONIS
H I S T O R I A
DESCRIPTA PER CONSULES,
A CAROLO RUAEO S. J.

Annus U. C. 684. *Virgilii* 1.
CN. POMPEJUS MAGNUS 1.
M. LICINIUS CRASSUS 1.

PUBLIUS Virgilius Maro naſcitur in pago, cui nomen *Andes*, qui ter mille paſſibus Mantua diſtat, Idibus Octobris, qui dies eſt illius menſis decimusquintus. Ita vitae ſcriptor. Ita Phlegon apud Photium: *Οὐιργίλιος Μάρων ὁ ποιητὴς ἐγεννήθη τούτῳ τῷ ἔτει εἰδοῖς Ὀκτωβρίαις. Virgilius Maro poeta natus eſt hoc ipſo anno, Idibus Octobris*. Ita Martialis Epigr. lib. XII. 68. *Octobres Maro conſecravit Idus*. Patrem habuit, ex Pſeudo-Donato, Maronem; ex Probo, Virgilium; matrem, Majam. Pater, ex Servio, civis Mantuanus fuit; ex Probo, ruſticus; ex aliis, opifex figulus; ex Pſeudo-Donato, mercenarius, a ſocero Majo gregibus curandis & rei ruſticae praefectus.

Majum illum, avum Virgilii, exemplaria vitae omnia *Magum* vocant. At cum ejus filia, Virgilii mater, juxta omnes *Maja* dicta ſit: omnino Majae pater fuit Majus, non Magus: indeque ortum exiſtimo, ut Virgilius magicis artibus imbutus fuiſſe creditus ſit ab Elinando monacho, aliiſque ſequioris ſaeculi ſcriptoribus: quod & Ecloga ſeptima magica quaedam ſacra deſcripſiſſet, & peritus eſſet multarum artium, & praecipue avum habuiſſe *Magum* diceretur.

Virgilius, an *Vergilius* appellandus ſit, magna fuit ſuperiore ſaeculo controverſia. Stabat Angelus Politianus pro Vergilio: pro Virgilio Pierius. Certe, neque multitudo veterum lapidum ac monumentorum, quae Vergilium praeferunt, quidquam evincit; cum alia etiam complura Virgilium habeant: nec Graeca Suidae ſcriptio, *Οὐεργίλιος*; cum Stephanus ſcribat in dictione *Mantua*, *Βιργίλιος*: nec etymon nominis a *Vere*, aut *Vergiliis* ſtellis; cum alii deducant a *virga* laurea, quam praegnans mater in ſomnis vidit; alii a *virga* populea, quae poſt ejus ortum more gentis humi defixa eſt; alii a *virginali* verecundia, propter quam Neapoli *Parthenias* appellatus eſt, a *παρθένος virgo*. Ego cum Pierio exiſtimo, facilem aliquando & promiſcuam fuiſſe commutationem elementorum *e* & *i*. Sic, teſte Quintiliano, dicebatur apud veteres *Deana*, pro *Diana*; *Menerva* pro *Minerva*; *leber* & *mageſter*, pro *liber* & *magiſter*. Sic reperitur adhuc in quibuſdam codicibus *Verginius*, pro *Virginius*. Sic etiam ſcribi potuit *Vergilius*, pro *Virgilius*. Sed in iis omnibus litera *i* denique praevaluit.

Nec mihi videtur *Virgilii* nomen aliunde acceptum, quam a patre. Si enim fuit cognomen a *virga* aut *vere*: certe non ſecundo loco, ſed tertio, quae cognominis ſedes eſt, appellandus fuit, P. MARO VIRGILIUS. Neque movet me, quod in quibuſdam veteribus libris, *Partheniatis* cognomen ſecundo ferat loco, hoc nimirum ordine, P. PARTHENIATIS VIRGILII MARONIS LIBER; id enim ex ſcriptorum inſcitia contra morem Romanum factum eſſe manifeſtum eſt.

Annus U. C. 691. *Auguſti* 1. *Virgilii* 8.
M. TULLIUS CICERO.
C. ANTONIUS.

Naſcitur Octavius, qui deinde Auguſtus appellatus eſt, 9. Kal. Octob. id eſt 23. Septemb. Patre C. Octavio; matre Atia, M. Atii Balbi & Juliae illius filia, quae Julii Caeſaris ſoror fuit. Quare Octavius fuit Caeſaris ſororis nepos, non ex ſorore nepos, ut male quidam ſcripſerunt.

Annus U. C. 696. *Auguſti* 6. *Virgilii* 13.
L. CALPURNIUS PISO.
A. GABINIUS.

V*irgilius Cremonae ſtudiis eruditur*. Ita Hieronymus in Euſebii Chronico. Aliter tamen vitae ſcriptor: *Initia aetatis, id eſt, uſque ad ſeptimum annum, Cremonae egit*. Quae verba ſic emendat Scaliger in Euſebium: *Uſque ad ſedecimum annum*: quo fere anno Mediolanum conceſſit. Studia autem illius fuere Graeci praecipue ſermonis, tum medicinae & mathematicarum diſciplinarum: philoſophiae quoque, ſub Syrone Epicureo, & juxta Joſ. Scaligerum ſub Citio etiam Inſubri, ejuſdem ſectae philoſopho, qui Mediolani natus erat. Et in eo quidem ſtudio ſocium habuit Varum illum, cujus gratia ſextam Eclogam deinde ſcripſit, Epicureae philoſophiae placita de rerum origine continentem. De Syrone dicemus in illius Eclogae argumento: de Varo in eadem Ecloga, v. 7.

Poe-

Poesim imprimis dicitur auspicatus adhuc puer: & *Cirim*, *Aetnam*, *Culicem*, *Moretum*, *Copam*, *Diras*, *Catalecton*, *Epigrammata*, *Priapeia* junior scripsisse. At Jos. Scaliger, & post eum docti fere omnes, *Aetnam* Cornelio Severo adjudicant: *Moretum*, Auli Septimii Severi esse idem suspicatur: *Diras*, quin a Valerio Catone scriptae sint, ne dubitari quidem patitur: *Copam* Virgilio tribuit Priscianus, sed reclamante Scaligero: *Priapeia*, obscoenissimam epigrammatum farraginem, ex Ovidii, Catulli, Petroniique faecibus collecta esse manifestum est. In *Catalectis* & *Epigrammatis*, ut multa sunt indigna Virgilio, propter maledicos & inverecundos sales; ita paucula quaedam eodem adolescente digna possunt videri. De *Ciri* & *Culice* major est controversia.

Ac Virgilii quidem esse hoc utrumque opusculum suaserunt multis versus utrique complures aspersi, qui in Georgicis & Aeneide, aut iidem omnino, aut paullo accuratius limati reperiuntur. Non esse autem, mihi persuadet stylus enervis ac vagus, obscura sententia, numeri dissoluti: prorsus ut qui tam sordide humilis fuit, non videatur potuisse unquam ad perspicuam illam Bucolicorum tenuitatem, multo minus ad splendidam Aeneidos majestatem assurgere. Bene quidem Scaliger falsum demonstrat, id quod in Vita Virgilii legitur, scripsisse Culicem, quicumque tandem Culex ille sit, annos quindecim natum. Quippe Statius in Genethliaco Lucani, Sylv. l. II. v. 74. testatur Lucanum scripsisse Pharsaliam, *ante annos Culicis Maroniani*. At Lucanus post multa opera ultimam condidit Pharsaliam, eamque magna ex parte inemendatam reliquit, anno, quo mortuus est, aetatis vigesimo septimo. Addo ego, Culicem hunc, quem habemus, Octavio dicatum esse. At Octavius tum, cum numerabat Virgilius annum decimumquintum, ipse tantum octavum attigerat: qua aetate, nec ipsi poemata dicari, nec ea dici de ipso potuerunt; *At tu*, *cui meritis oritur fiducia tantis*; aut, ut habent codices alii, *At tu*, *cui meritis oritur fiducia castris*, *Octavi venerande*. Igitur scriptum fuisse Culicem probabile est, cum Octavius aliquo in nomine coepit esse; circa id temporis, quo donatus a Julio Caesare militaribus donis, eum in Hispaniensia castra secutus est, anno U. C. circiter 709. Octavii 19. Virgilii 26. Quod quis credat? Virgilium ab illa Culicis exilitate ita repente convaluisse; ut anno post tertio quartove Bucolica scribere tam aequabili & vivido & puro nitore inceperit. His adducor ut putem, insulsum illum Culicem, quem habemus prae manibus, ab inepto aliquo posteriorum aetatum scriptore fictum esse; qui, cum apud veteres laudari passim videret juvenilem Maronis Culicem, amissum illum vitio temporum restituere per ludum aut per summam audaciam voluerit: quomodo deinceps a levissimis scriptoribus multa malitiose conficta sunt, ut Cornelii Galli Elegiae, & nuper Petronii fragmentum.

Idem esto de *Ciri* judicium, quam Ovidii tempore posteriorem esse indicat Scyllae, patris & patriae ruinam meditantis, cum nutrice colloquium. Locus omnino exaratus ad similitudinem illius colloquii, quod habet Myrrha, patris amore insaniens, cum nutrice irem sua, Metam. l. IX. Nec abstinet Scyllae nutrix ab exemplo ipsius Myrrhae proferendo: ut plane existimem fictorem illum Virgilianae Ciris ad Myrrham Ovidianam inter scribendum oculos intendisse. Non est igitur audiendus Scaliger, cum Cirim illam ipsam ultimum esse statuit opus Virgilii, Aeneide posterius: quamquam enim fusum est feliciore vena, quam Culex; tamen jacent in eo multa, multa horrent, nitent quam paucissima: nec a Virgilio senescente, & aequo rerum suarum aestimatore scribi tantillo in poematio potuit: *Accipe dona meo multum vigilata labore*, nec Virgilium juvenem, & Bucolica, Georgica, Aeneida meditantem, tantum rei poeticae jam tum ceperat taedium, ut in hoc tam levi opere desinere non dubitaret: *In quo jure meas utinam requiescere Musas*, *& leviter blandum liceat deponere morem*. Nec juvenis itaque, nec senex Virgilius Cirim scripsit.

Annus U. C. 699. *Aug.* 9. *Virg.* 16.
CN. POMPEJUS MAGNUS. II.
M. LICINIUS CRASSUS. II.

Virilem togam sumpsisse dicitur Virgilius apud Pseudo-Donatum, anno aetatis 17. iisdem illis Consulibus, quibus natus erat. Id ipsum agnoscit Scaliger, sed minus considerate. Neque enim ab Idibus Octobribus primi Pompejani Consulatus, ad Idus Octobres secundi, completos annos reperio plures quam quindecim. Si ergo Virgilius toga virili donatus est Pompejo & Crasso secundum Coss. id anno Virgilii aut decimoquinto completo, aut decimosexto ineunte contigit. Sin ad usque decimumseptimum ineuntem recedendum est, annus is fuit U. C. 700. Consules, L. Domitius AEnobarbus, & Ap. Claudius Pulcher. Si denique decimusseptimus completus requiritur, annus fuit U. C. 701. Consules, Cn. Domitius Calvinus, & M. Valerius Messala; quem annum consignat his verbis Hieronymus in Eusebio: *Virgilius sumpta toga Mediolanum transgreditur*.

Et vero, etsi Romano jure pueritia anno 17. finiretur, tumque sumeretur toga pura, seu virilis; tamen pro arbitrio tempus illud aliquando immutatum reperimus. Augustus ex Suetonio togam sumpsit anno 16. Caligula, ex eodem,

anno

anno 20. M. Antoninus philosophus, ex Julio Capitolino, anno 15.

Annus U. C. 708. *Aug.* 18. *Virg.* 25.
C. JULIUS CAESAR. III.
M. AEMILIUS LEPIDUS. I.

Julius Caesar mense Octobri quater triumphat, de Gallia, de Asia, de Aegypto, de Africa. Octavius, sororis ejus nepos, *militaribus donis triumpho Caesaris Africano donatus est, quamquam expers belli propter aetatem*. Suetonius in Augusto, 8.

Annus U. C. 709. *Augusti* 19. *Virgilii* 26.
C. JULIUS CAESAR IV. *solus*.

Caesar proficiscitur in Hispanias adversus Pompeii Magni liberos. Octavius *vixdum firmus a gravi valetudine, per infestas hostibus vias, paucissimis comitibus, naufragio etiam facto, avunculum subsecutus magnopere demeruit*. Suetonius ibid. Caesar redux sub initium Octobris triumphat quintum de Hispaniis.

Annus U. C. 710. *Augusti* 20. *Virgilii* 27.
C. JULIUS CAESAR V.
M. ANTONIUS.

Caesar expeditionem destinans in Parthos, Octavium praemittit Apolloniam. Ibi ille, dum studiis vacat, audit Caesarem in Senatu occisum esse Idibus Martiis, se ab eo in nomen & familiam adoptatum. Romam redit: sed adversante M. Antonio Consule, adjungit se optimatibus, quos ei infensos sciebat.

Annus U. C. 711. *Augusti* 21. *Virgilii* 28.
C. VIBIUS PANSA.
A. HIRTIUS.

Octavius mittitur cum Consulibus adversus M. Antonium, qui Decimum Brutum Mutinae obsessum tenebat. Solvitur obsidio: Consules tamen bello percunt. Fit agrorum aliqua inter milites divisio per Decemviros, in quibus erat Cicero. Octavius armata manu Romam ingressus, Consulatum, mortuo Pansa tunc vacuum, ab invito Senatu extorquet 14. Kal. Septemb. seu 19. Augusti, ante annum aetatis vigesimum expletum. Inito Consulatu statim in nomen & bona Caesaris lege transit, vocatusque est deinceps ab omnibus, Dione teste l. 46. C. JULIUS CAESAR OCTAVIANUS. Paullo post, nempe 27. Nov. ipse, ac M. Antonius, & M. Aemilius Lepidus, Triumviros se reipublicae constituendae in quinquennium renunciant; magistratus absque Senatus & populi consilio designant in idem tempus; proscriptionem inimicorum suorum indicunt, qua Cicero 7. Decembris occisus est.

Hinc erroris arguuntur, qui volunt Eclogam Virgilii sextam Romae auditam a Cicerone fuisse in theatro, cum a Cytheride mima cantaretur: eundemque Romanae eloquentiae principem, ad suam & novi poetae laudem exclamasse: *Magnae spes altera Romae*: quae verba deinceps Virgilius in Aeneida retulerit. Tum enim, cum Cicero occisus est, Eclogas scribere nondum Virgilius coeperat: necdum venerat Romam: sed adhuc, aut Mediolani, aut in rure suo versabatur, ut mox deinde ostendemus.

Annus U. C. 712. *Augusti* 22. *Virgilii* 29.
L. MUNATIUS PLANCUS.
M. AEMILIUS LEPIDUS II.

Kalendis Januariis Triumviri, inter caeteros Julio Caesari habitos honores, sacellum ipsi dedicant in foro, ejus simulacrum ludis Circensibus cum Veneris simulacro circumferendum decernunt. Hinc Octavianus se *Divi filium* appellavit. Circa Novembrem pugnatur ad Philippos in Macedonia, pereuntque Cassius & Brutus, duobus praeliis, mensis fere unius intervallo dissitis, ex Plutarcho. M. Antonius abit in Asiam: Octavianus in Italiam redit, ut agros suis Antonianisque veteranis dividat.

Annus U. C. 713. *Augusti* 23. *Virgilii* 30.
L. ANTONIUS.
P. SERVILIUS ISAURICUS.

Fit agrorum divisio, ex optimis quibusque urbibus Italiae, ejectis per vim dominis, non iis tantum, qui contra Triumviros steterant, sed etiam aliis, ut habent Appianus & Dio. Fulvia, M. Antonii uxor, & Lucius Antonius Consul, Marci frater, cum divisionis illius administrationem & gratiam apud milites derivare ad se non potuissent, veterum possessorum querelis in speciem commoti, bellum in Octavianum suscitant. Antonius Pollio, M. Antonii singularis amicus, Galliam Cisalpinam interim copiis tenet, & Alpium transitum Octaviani legionibus intercludit, ut constat ex Appiani lib. 5. Idem Lucio Perusiae obsesso suppetias ferre frustra conatus, sub anni sequentis initium dedita Perusia, cum septem legionibus Venetiam, in qua regione Mantua est, in potestate Antonii diu retinet, ut testatur Vellejus.

Atque haec illa est Agraria largitio, qua Virgilius Andino patrimonio suo mulctatus est. Neque enim est, cur Corradus calamitatem illam accidisse poetae suspicetur decemvirali illa divisione, quae Mutinense bellum secuta est, & cui intererat Cicero: tum enim levis erat ac fere nulla Romae Octaviani auctoritas, ut optimates & ipse Cicero de eo occidendo cogitarent. Quare Virgilius dicere tum de illo non potuit id, Ecl. 1. *Deus nobis haec otia fecit*: neque istud: *Hic illum vidi juvenem, Meliboee, quotannis bis senos cui nostra dies altaria fumant*. Potuit vero hac Philippensi divisione; cum se jam Octavianus *Divi Julii* filium appellaret, summaque polleret Triumviratus auctoritate. Multo minus ferendi Probus & Pomponius Sabinus,

qui id ad Actiacam divisionem rejiciunt, & annum U. C. 723. Cum enim e plerisque omnibus Virgilianae vitae scriptoribus certum sit, Bucolica triennio esse perfecta; certum item, ut mox demonstrabitur, Eclogam quartam anno U. C. 714. Pollione Consule, esse editam: certum id quoque habendum est, spatium illud triennii circa Consulatum Pollionis omnino esse numerandum. Adde, quod idem ipse Pomponius Virgilium dicat edidisse Bucolica anno aetatis 23. aut 24. Probus & Paedianus, anno 28. Servius, anno 29. Atqui divisionis Actiacae tempore annos numerabat plenos atque integros novem ac triginta: quod incuriam scriptorum ejusmodi manifestam facit.

Igitur sic statuo: Virgilium Asinio Pollioni, tum in Gallia Cisalpina & Venetia, cujus pars est ager Mantuanus, cum imperio versanti, sive per Varum, quocum philosophiae studuerat, sive per Cornelium Gallum, sive per seipsum innotuisse: per Pollionem commendatum esse Maecenati; per hunc ad Octaviani gratiam irrepsisse. Quanquam enim tunc diversarum erant partium Maecenas & Pollio: similitudo tamen studiorum & aequa probitatis fama sic utrumque sociabat, ut anno proxime sequente administri Brundusinae pacis una adhibiti sint. Certe Pollionis in Virgilium priora fuisse merita, Maecenatis potiora, vel ea res probat, quod prior a Virgilio gratia Pollioni, major Maecenati relata sit; Ecloga unica mox in illius honorem edita; Georgicis deinde libris quatuor hujus nomini nuncupatis.

Fretus ea commendatione Virgilius, agros ut reciperet suos, Romam sub anni hujus initia primum venit. Quidni enim Virgilio de se fides habeatur? At Ecloga prima sub Tityri persona testatur, sibi ante amissos agros Romam ignotam fuisse: *Urbem, quam dicunt Romam, Meliboee, putavi stultus ego huic nostrae similem*, &c. se libertatis obtinendae gratia eo profectum: *Et quae tanta fuit Romam tibi causa videndi? Libertas*, &c.

Eamobrem inter fabulas puto quidquid habet vitae scriptor de ejus ad Octaviani gratiam aditu: quod magistro stabuli carus primum fuerit: quod panes eidem ut uni e stabulariis in singulos dies dati: quod Octavianus, de genere ac patre suo aliquando solicitus, consuluerit ea de re stabularium Maronem; ejusque opera speraverit patrem se posse suum certo intelligere, quia is de canum equorumque genere ac parentibus scite interdum respondebat. Fuerit enimvero Maroni singularis illa, quam reipsa fuisse libri Georgici declarant, rei veterinariae peritia; fuerint haec omnia, quae narrantur, temporum rationi accommoda, ut minime sunt; quis tantum Octaviani fuisse stuporem credat, ut veterinariae medicinae eam esse vim sibi persuaderet; aut tantam Romani moris inscitiam, ut se *regem magnanimum* appellaret? aut ipse Virgilio tantam futurorum eventuum notitiam, ut Octavianum *Augusti* nomine appellaret, ante annos minimum quatuordecim, quam esset honorifica illa apellatio ejus in gratiam instituta. Quid? jocus ipse quam insulsus? Pistoris filium sibi Octavianum videri, quod panes liberaliter erogaret. Cui fabulae locum puto praebuisse, quod apud Suetonium legitur: Antonium Octaviano inter caetera probra solitum objicere, quod proavum haberet pistorem.

Hoc itaque anno scripta est Ecloga prima, qua poeta suam in agro recuperando felicitatem sub Tityri nomine repraesentat. Proinde exorsus est Bucolica, cum annum decurreret nonum ac vigesimum; necdum Idus Octobres attigisset, quo tempore trigesimum erat ingressurus. Statimque Roma profectus Mantuam, novosque possessores conatus ex agro ejicere, Arrium nempe Centurionem, aut primipilarem Milienum Toronem, aut veteranum Claudium: ab eo, quisquis fuerit, male habitus, aegre vitae suae consuluit, Mincio natatu trajecto. Romam regressus, ut vim novo Octaviani dicto reprimeret, Eclogam, quae ordine nona legitur, obtulisse videtur Varo, apud Octavianum gratioso, quasi libellum supplicem indicemque calamitatis; eamque, ut res urgebat, subitario impetu e variis carminum, quae meditabatur, fragmentis concinnasse: quod legenti persuasum fore facile confido.

Annus U. C. 714. *Augusti* 24. *Virgilii* 31.
CN. DOMITIUS CALVINUS.
C. ASINIUS POLLIO.

Octavianus Lucium Antonium urbemque Perusiam deditione accipit. Marcus in Italiam veniens, maximo belli metu facto, Brundusii pacem cum Octaviano componit; administris, ex parte Octaviani Maecenate; ex parte Marci, Pollione. Octavia, soror Octaviani, mortuo Marcello, priore viro, Marco Antonio conjux datur. Redeunt Romam Triumviri: sed Sexto Pompejo Magni filio mare Siculum infestis navibus obtinente, fames in urbe saeviens urbem in Triumviros concitat. Octavianus & Antonius, a plebe tantum non laniati, de pace cum Sex. Pompejo conveniunt ad Puteolos, in litore Campaniae. Ita compositis rebus, laetitia communis & rerum omnium copia in Urbem redit. Decedunt e magistratu Consules, Calvinus & Pollio, in paucos, qui supererant, anni hujus dies, more illorum temporum. Antonius exercitus sui partem, ut per hyemem exerceret, mittit adversus

versus Parthinos, gentem Illyricam, & olim Bruti Cassiique studiosam, expeditionemque Pollioni suo committit, ut colligitur ex ejus triumpho de Parthinis, anno proxime sequente.

Virgilius, cum filius Pollioni natus esset, ejus Genethliacon canit Ecloga quarta, antequam Pollio magistratum abdicasset, nam v. 11. *Teque adeo decus hoc aevi te consule inibit Pollio*: post Brundusinam pacem Pollionis opera constitutam, nam v. 17. *Pacatumque reges patriis virtutibus orbem*: post pacem etiam Puteolanam, invecta scilicet in Urbem abundantia, nam v. 21. *Ipsae lacte domum referent distenta capellae ubera*, &c. igitur sub extremos anni dies. Parum enim sana fuisset illa aetatis aureae promissio, imminente, aut Brundusini belli, aut Pompejanae famis metu.

Annus U. C. 715. *Augusti* 25. *Virgilii* 32.
L. MARCIUS CENSORINUS.
C. CALVISIUS SABINUS.

Pollio bellum adversus Parthinos feliciter gerit: de quibus triumphum agit 8. Kal. Novembris.

Dum inde Pollio Romam redit ad triumphum, perlustratque Illyrici & Venetiae litora, Virgilius Eclogam octavam componit, ubi perstringit bellicas ejus laudes, v. 6. *Tu mihi, seu magni superas jam saxa Timavi, Sive oram Illyrici legis aequoris*, &c. Nec procul ab eo tempore, nempe circa medium Octobrem, videtur scripta etiam illa, quae ordine tertia legitur: cum scilicet victimae & sacra triumphalia pro Pollionis victoria pararentur. Ideo commendat Poeta, ut vituli taurique Pollioni pascantur v. 84. *Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, Musam: Pierides, vitulum lectori pascite vestro. Pollio & ipse facit nova carmina: pascite taurum*, &c. Quam si quis levem conjecturam putet, de illa non admodum pugnabo, mecum ut sentiat.

Annus U. C. 716. *Augusti* 26. Virgilii 33.
APPIUS CLAUDIUS PULCHER.
C. NORBANUS FLACCUS.

Bellum inter Octavianum, & Sex. Pompejum renovatur, adversa primum Octaviani fortuna. Virgilius Bucolicis finem imponit, postquam ea triennio ante incepisset. Tunc ergo scripta est Ecloga, quae decima numeratur, quam hac ipse consignat nota: *Extremum hunc Arethusa mihi concede laborem*. Caeterae, quas hic omisimus, quo tempore scriptae sint, nihil certo indicat.

Annus U. C. 717. *Augusti* 27. *Virgilii* 34.
M. VIPSANIUS AGRIPPA. I.
L. CANINIUS GALLUS.

Dum adversus Sex. Pompeium Octavianus bellum instaurat, orditur Virgilius Maecenatis suasu Georgica, quae septem annis consequentibus exequitur, maxima ex parte Neapoli.

Annus U. C. 718. *Augusti* 28. *Virgilii* 35.
L. GELLIUS POPLICOLA.
M. COCCEJUS NERVA.

Sex. Pompejus ab Octaviano navali pugna vincitur. Octavianus divinis honoribus coli nunc primum incipit: ut habet Appianus *lib. 5. Civil.* M. Antonius, re adversus Parthos male gesta, concedit in Aegyptum ad Cleopatram: ubi se luxui & voluptatibus tradit.

Annus U. C. 719. *Augusti* 29. *Virgilii* 36.
L. CORNIFICIUS.
SEX. POMPEJUS SEX. F.

Sex. Pompejus fuga se recipit ad Antonium, ejusque jussu in Phrygia occiditur a Titio. Octavianus victor inter Deos tutelares oppidatim consecratur, cum jam annos 28. exegisset, ut habet diserte Appianus lib. 5.

Quidquid ergo hactenus de divinitate Octaviani apud Virgilium reperitur: id ab eo dictum, aut per adulationem, aut quia jam inde ab anno 712. *Divi Julii* se filium appellabat.

Annus U. C. 720. *Augusti* 30. *Virgilii* 37.
M. ANTONIUS II.
L. SCRIBONIUS LIBO.

Annus U. C. 721. *Augusti* 31. *Virgilii* 38.
C. CAESAR OCTAVIANUS II.
L. VOLCATIUS TULLUS.

Annus U. C. 722. *Augusti* 32. *Virgilii* 39.
CN. DOMITIUS AENOBARBUS.
C. SOSIUS.

His annis tribus jacta sunt belli semina, Octavianum inter & Antonium.

Annus U. C. 723. *Augusti* 33. *Virgilii* 40.
C. CAESAR OCTAVIANUS III.
M. VALERIUS MESSALA.

Debellatur apud Actium, Epiri promontorium, 2. Septembris, M. Antonius ab Octaviano, cum immensis auxiliis, quae ex Armenia, Media, Aegypto, Arabia, India, totaque ferme Asia collegerat. Mox in Aegyptum cum Cleopatra bellum reparaturus fugit.

Annus U. C. 724. *Augusti* 34. *Virgilii* 41.
C. CAESAR OCTAVIANUS IV.
M. LICINIUS CRASSUS.

Reversus in Italiam Octavianus, ut quartum Consulatum acciperet, obvium habet Brundusii Senatum, a quo Consul renunciatur: ibique dies, juxta Suetonium septem & viginti, juxta Dionem triginta, cum substitisset; inde statim abit in Asiam, ubi reliquam hyemem traducit, instruendo belli Aegyptii apparatu.

Falsum igitur, quod in vita Virgilii legitur, hunc Caesari ex Actiaco bello reduci, & ad reficiendas vires Atellae, quae urbs est Campaniae, commoranti, legisse Georgica: Maece-

 nate

nate suscipiente legendi vices, quoties in vocis offensione interpellaretur. Aut, id si verum est, non post Actiacum bellum, sed post Aegyptium, necesse est accidisse.

Alexandriam, Aegypti regiam, Octavianus capit, mense Sextili, qui deinde Augustus appellatus est. Tum Cleopatrae & Antonii obitu solus universi orbis potitus imperio: primum Aegypti praefectum, sub procuratoris nomine, instituit Cornelium Gallum, eum, de quo decima Ecloga scripta est. Inde Octavianus per Syriam in Asiam revertitur, ibidemque hyemat non longe ab Euphrate: tum Tiridatem & Phraatem de regno Parthiae contendentes victoriae suae terrore composuit: tum denique divinos honores affectavit palam, permisitque sibi templa extrui Nicomediae, Pergami, &c. Quae omnia contigere per hyemem anni hujus, ex Dione lib. 51.

Interim Virgilius Neapoli ultimam Georgicis manum & clausulam adhibebat his verbis: *Haec super arvorum cultu pecorisque canebam, Et super arboribus: Caesar dum magnus ad altum Fulminat Euphratem bello, victorque volentes Per populos dat jura, viamque affectat Olympo. Illo Virgilium me tempore dulcis alebat Parthenope*, &c. Idem tunc prioribus libris quosdam attexuit versus, hujus ipsius anni & Aegyptiacae victoriae indices: ut G. II. 171. *Te, maxime Caesar, qui nunc extremis Asiae jam victor in oris Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*. Item G. III. 28. *Atque hic undantem bello, magnumque fluentem Nilum, & navali surgentes aere columnas: Addam urbes Asiae domitas pulsumque Niphatem*, &c. Qua eadem hyeme statim animum ad Aeneida convertit, eamque per annos undecim executus est, ut communiter vitae scriptores habent.

Annus U. C. 725. *Augusti* 35. *Virgilii* 42.
C. CAESAR OCTAVIANUS V.
SEX. APPULEIUS.

Caesar Romam reversus ter triumphat Sextili mense: de Dalmatis, de Macedonia & Actio, de Cleopatra & Aegypto. Atque ita pace per universum orbem Romanum constituta, templum Jani claudit tertium a Romulo. Quod inseruit Virgilius Aeneidos libro primo, quem tunc habebat in manibus, v. 295. *Aspera tunc positis mitescent saecula bellis, Claudentur belli portae*, &c.

Eodem anno Censuram exercet Caesar, & collegam sibi assumit M. Agrippam: quo in munere, ad expurgandos ordines reipublicae, moresque, ambo multa fecerunt. Id quoque significat Virgilius eodem libro v. 296. *Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus, Jura dabunt*.

Dicitur & hoc anno Caesar deliberasse de imperio deponendo, eaque de re consultores adhibuisse Maecenatem & Agrippam. Et suadebat quidem Agrippa deponendum; negabat Maecenas, cujus consilio obsecutus est. Id vero perquam absurdum, quod si esset, non fuisset a solo Pseudo-Donato, sed a gravissimis etiam historicis memoratum; Maronem nempe ab Caesare vocatum etiam in consilium, Maecenati assensum esse, nutantemque principis animum assensu hoc suo confirmasse.

Annus U. C. 726. *Augusti* 36. *Virgilii* 43.
C. CAESAR OCTAVIANUS VI.
M. VIPSANIUS AGRIPPA II.

Caesar, perfecta hoc anno Censura, solemnibus sacrificiis Romano more lustrum condit: ludos Actiacos quinquennales, ad aeternam victoriae suae memoriam a se prius institutos, primum exhibet, nobilium puerorum equestri decursione & gymnica exercitatione praecipue insignes: ex Dione l. LI. & LIII. Quae omnia, sub Aeneae persona repraesentat Virgilius l. III. v. 279. *Lustramurque Jovi, votisque incendimus aras, Actiaque Iliacis celebramus litora ludis: Exercent patrias oleo labente palaestras nudati socii*, &c.

Annus U. C. 727. *Augusti* 37. *Virgilii* 44.
CAESAR OCTAVIANUS VII.
M. VIPSANIUS AGRIPPA III.

Augusti nomine donatur Octavianus a Senatu, Munatii Planci sententia, Januario mense.

Annus U. C. 728. *Augusti* 38. *Virgilii* 45.
C. CAESAR AUGUSTUS VIII.
T. STATILIUS TAURUS II.

Cornelius Gallus, amicus Virgilii, primus Aegypti procurator ab Augusto constitutus, ob multa ibidem violenter acta eidem invisus, & a Senatu damnatus, seipsum interficit. Aiunt ejus laudes fuse a Virgilio fuisse celebratas Georg. l. IV. indeque post ejus necem jussu Augusti sublatas, & Aristaei fabulam earum loco substitutam. Sed fidem ii apud me non faciunt: tum quod Aristaei fabula sic cum apum cultura connexa est, ut nata e re ipsa, non huic attexta videatur: tum quod Virgilius tantam operis partem laudando Gallo minime debuit tribuisse, qui non nisi pauculos versus Maecenati dederat suo, cui totum ipsum opus dedicabat: tum quod Augustus ipse, qui, Suetonio teste, luxerat Galli necem, non ita videtur infestus ejus fuisse memoriae, ut inanes ei laudes invideret.

Annus U. C. 729. *Augusti* 39. *Virgilii* 46.
C. CAESAR AUGUSTUS IX.
M. JUNIUS SILANUS.

Augustus movet expeditionem in Cantabros: qua dum abesset, supplicibus, ut Pseudo-Donatus ait, minacibusque literis partem Aeneidos.

neidos aliquam efflagitat a Virgilio: nec obtinet. Virgilianae ad Augustum epistolae fragmentum profert Macrobius Saturn. l. 1. c. ultimo: *Ego vero frequentes a te literas accipio... De Aenea quidem meo si mehercule jam dignum auribus haberem tuis, libenter mitterem. Sed tanta inchoata res est, ut pene vitio mentis tantum opus ingressus mihi videar: cum praesertim, ut scis, alia quoque studia ad id opus, multoque potiora impertiar.*

Annus U. C. 730. *Augusti* 40. *Virgilii* 47.
C. CAESAR AUGUSTUS X.
C. NORBANUS FLACCUS.

Marcellus, Octaviae sororis Augusti filius, fit Aedilis, annos natus 18. Quintilius Cremonensis, Virgilii & Horatii familiaris, moritur, ex Hieronymo in Euseb. Horatius de hujus obitu Virgilium consolatur, Od. l. 1. 24. Hunc Grammatici, nullo veteri auctore, *Varum* appellant. Sed Quintilium Cremonensem, a Quintilio Varo debere distingui, ostendemus Ecl. VI. v. 7.

Annus U. C. 731. *Augusti* 41. *Virgilii* 48.
C. CAESAR AUGUSTUS XI.
CN. CALPURNIUS PISO.

Moritur Marcellus, anno circiter aetatis 20. maximo Augusti & Octaviae totiusque populi Romani luctu, apud Baias. Corpus ejus ingenti pompa crematur in campo Martio. Virgilius non multo post sextum Aeneidos librum perficit, ornatque pulcherrimis de Marcelli obitu ac funere versibus: quos cum recenti adhuc dolore Augusto recitaret, dicitur Octavia defecisse, & pro singulis hujus argumenti versibus Poetae dena sestertia jussisse numerari.

Tiridates, Armeniae rex, cui cum Phraate Parthorum rege male conveniebat, Romae ab Augusto excipitur. Quo tempore accidit, quod innuit Dio, ut captivos & signa, bellis superioribus Romanis erepta, Augustus a Partho repeteret. Haec Virgilius, cum in Parthicum bellum vergere tum suspicaretur, inseruit libro septimo, cui tunc dabat operam. v. 604. *Sive Getis inferre parat lacrymabile bellum*, &c. *Seu tendere ad Indos, Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa*: *Sunt geminae belli portae*, &c. Igitur annis minus quatuor, sex fere ultimos operis libros poeta perfecit: nec vero tanta in iis elucet, quanta in superioribus, cura.

Annus U. C. 732. *Augusti* 42. *Virgilii* 49.
M. CLAUDIUS MARCELLUS.
L. ARRUNTIUS.

Sub anni hujus finem, antequam sequentes consules magistratum inirent, ex Dione, iter in Graeciam Augustus suscipit.

Annus U. C. 733. *Augusti* 43. *Virgilii* 50.
Q. AEMILIUS LEPIDUS.
M. LOLLIUS.

Augustus perlustrat Graeciae & Siciliae civitates: hyememque transigit in insula Samo.

Annus U. C. 734. *Augusti* 44. *Virgilii* 51.
M. APPULEIUS.
P. SILIUS NERVA.

Trajicit Augustus in Asiam, mulctat Syriae civitates: ibique amissas a Crasso aquilas recipit a Parthis. Romam revertitur: iterumque in Samum hyematurus consedit.

Annus U. C. 735. *Augusti* 44. *Virgilii* 52.
C. SENTIUS SATURNINUS.
Q. LUCRETIUS VESPILLO.

Virgilius, Aeneide confecta, proficiscitur in Graeciam, ut divinum opus per otium expoliret. Cum tamen Augusto Romam revertenti occurrisset, de reditu cum eo cogitans, languore correptus est: auctaque per navigationem valetudine, Tarentum, aut, juxta plures, Brundusium appulit, ibidemque decessit, 22. Septembris, annos natus 50. menses 11. dies 7. Dicitur moriens Aeneida, cum nondum ad eam, quam instituerat animo, formam perduxisset, petiisse comburendam; negatamque sibi ab amicis, per testamentum legasse Plotio Tuccae, & Vario, qui eam aut comburerent, aut emendarent. Fabulam putat Corradus: sed cum id aperte Gellius, Macrobius, imprimisque Plinius, Historiae suae lib. VII c. 30. testentur: non video contra testes ejusmodi quae vis possit esse tanta rationum. Plotii Variique mentio frequens apud Horatium: e quibus Varius Epici carminis ea aetate princeps fuit. Satyr. l. 1. 5. *Postera lux oritur multo gratissima: namque Plotius & Varius Sinuessae, Virgiliusque, Occurrunt: animae, quales neque candidiores Terra tulit, nec queis me sit devinctior alter.* Corpus Virgilii Neapolim, ut cupierat, translatum, via Puteolana sepultum est. Scripta, sublatis aliquot versibus, nullo addito, dicuntur expurgata. Morum & famae cognitio, e veterum testimoniis mox afferendis, potius quam ex Pseudo-Donato, repetenda est.

TESTIMONIA DE VIRGILIO

ET EJUSDEM OPERIBUS.

P. OVIDIUS NASO.

Tityrus, & segetes, Aeneiaque arma legentur,
Roma triumphati dum caput orbis erit.

EJUSDEM.

Et profugum Aeneao altas primordia Romae;
Quo nullum Latio clarius extat opus.

EJUSDEM AD AUGUSTUM.

Et tamen ille tuae felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma virumqua toros.
Phyllidis hic idem, teneraeque Amaryllidis ignes
Bucolicis juvenis luserat ante modis.

SEXT. AURELIUS PROPERTIUS.

Actia Virgilium custodis littora Phoebi,
Caesaris & fortes dicere posse rates.
Qui nunc Aeneae Trojani suscitat arma,
Jactaque Lavinis moania litoribus.
Cedite Romani scriptores, cedite Graji.
Nescio quid majus nascitur Iliade.
Tu canis umbrosi sobter pineta Galesi
Thyrsin, & attritis Daphnin arundinibus:
Utque decem possint corrumpere mala puellam,
Missus & inpressis hoedus ab uberibus.
Felix, qui viles pomis mercaris amores,
Huic licet in gratiae Tityrus ipse canat.
Felix, intactum Corydon qui tentat Alexin
Agricolaa domini carpere delicias.
Quamvis illa sua lassus requiescit avena,
Laudator faciles inter Hamadryadas.
Tu canis Ascraei veteris praecepta poetaa,
Quo seges in campo, quo viret herba jugo.
Tale facis carmen docta testudine, quala
Cynthius impositis temperat articulis.

QUINTILIANUS LIB. X.

Idem nobis per Romanos quoque anctores ordo ducendus est. Itaque ut apud illos Homerus, sic apud nos Virgilius auspicatissimum dederit exordium: omnium ejus generis poetarum, Graecorum, nostrorumque, illi haud dubie proximus. Utar enim verbis iisdem, quae ab Afro Domitio juvenis accepi, qui mihi interroganti, quem Homaro crederet maxime accedere, Secundus, inquit, est Virgilius; propior tamen primo, quam tertio. Et hercia, ut illi naturae coelesti atque immortali cesserimus, ita curae & diligentiae vel ideo in hoc plus est, quod ai fuit magis laborandum: & quantum eminentioribus vincimur, fortasse aequalitate pensamus. Caeteri omnes longe sequuntor.

LIB. ANTHOL. V.

Καὶ φίσαι Αὐσονίοισι λιγύθροοι ἔπρεπε κύκνοι
Πνείων εὐεπίης Βιργίλλγλος. ὅν ποτε Ῥώμης
Θυμβριὰς ἄλλον Ὅμηρον ἀνέτρεφε πάτριος ἠχώ.

STATIUS PAP. THEB. XII.

Nec tu divinam Aeneida tenta,
Sed longa sequera, & vestigia semper adora.

ORACULUM APOLLINIS.

Maeonio vati, quis par vel proximus esset,
Consultus Paean, risit: & haec cecinit:
Si potuit nasci, quem to sequereris, Homere,
Nascetur qui ta possit, Homera, sequi.

D. AUGUSTINUS.

Virgilium pueri legant, ut poeta magnus omniumqoe praeclarissimus atque optimus, tenaris imbibitus annis, non facile oblivione possit aboleri.

P. Virgilii Maronis Vita, a Phoca, Grammatico urbis Romae, versibus edita.

PRAEFATIO.

O Vetustatis memoranda custos,
Regios actus simul & fugaces
Temporum cursus dociiis referre,
Aurea Clio.
Tu nihil magnum finis interire:
Nil mori clarum pateris, reservans
Posteris prisci monimenta saecli
Condita libris.
Sola fucatis variare dictis
Paginas nescis: sed aperta quidquid
Varitas prodit, recinis per aavum
Simplica lingua.
To senescentas titulos laborum
Flore durantis reparas juventae:
Militat Virtus tibi: te notante,
Crimina pallent.
Tu fori turbas, strepitusque litis
Effugis dulci moderata cantu,
Nac retardari pateris loquelas
Compede metri.
Hic fave dictis, retegenda vita est
Varis Etrusci, modo qoi perenne
Romulaa voci decus adrogavit
Carmina facto.

Maeonii

PRAECONIA IN VIRGILIUM.

Maeonii specimen vatis veneranda Maronem
Mantua Romuleae generavit flumina linguae.
Quis facunda tuos tolerarer Graecia fastus?
Quis tantum eloquii potuisset ferre tumorem,
Aemula Virgilium tellus nisi Tusca dedisset?
Huic genitor figulus, Maro nomine, cultor agelli,
Ut referunt alii, tenui mercede locatus.
Sed plures figulum. Quis non miracula rerum
Haec stupeat? dives partus de paupere vena
Emicuit: figuli soboles nova carmina finxit.
Mater Polla fuit, Magii non infima proles.
Quem socerum probitas fecit jam clara Maroni.
Haec enim maturo premeretur pondere ventris,
Ut solet, in somnis animus ventura refingens
Anxius, & vigili praesumere gaudia cura,
Phoebei nemoris ramum fudisse putavit.
O sopor indicium veri! Nil certius umquam
Cornea porta tulit. Facta est interprete lauro
Certa parens, uterisque sui cognoverat artem.
Consule Pompejo vitalibus editus auris,
Et Crasso, tetigit terras, quo tempore Chelas
Jam mitis Phaethon post Virginis ora receptus.
Infantem vagisse negant. Nam fronte serena
Conspexit mundum, cui commoda tanta ferebat.
Ipse puerperiis adrisit laetior orbis:
Terra ministravit flores, & munere verno
Herbida supposuit puero fulmenta virescens.
Praeterea, si vera fides, sed vera probatur,
Lata cohors apium subito per rura jacentis
Labra favis texit, dulces susurra loquelas.
Hoc quondam in sacro tantum mirata Platone
Indicium linguae memorat famosa vetustas.
Sed Natura parens properans extollere Romam,
Et Latio dedit hoc, ne quid concederet uni.
Insuper his genitor, nati dum fata requirit,
Populeam sterili virgam mandavit arenae:
Tempore quae nutrita brevi, dum crescit in omne,
Altior emicuit cunctis, quas auxerat aetas.
Haec propter placuit puerum committere Musis,
Et monstrare viam venturae in saecula famae.
Tum Ballista rudem lingua titubante receptum
Instituit primum, quem nox armabat, in umbris
Grassari solitum. Crimen doctrina tegebat.
Mox patefacta viri pressa est audacia saxis.
Incidit titulum juvenis, qui pignora vatis
Edidit. Auspiciis suffecit poena magistri.
Monte sub hoc lapidum tegitur Ballista sepultus.
Nocte die tutum carpe viator iter.
Nos tamen hoc brevius; si fas simulare Maronem:
Ballistam sua poena tegit; via tuta per auras,
Hic Ballista jacet, certo pede perge viator.
Carcere montoso clausus Ballista tenetur,
Securi fraudis pergite nocte viri.
Quid trepidas tandem gressu pavitante, viator?
Nocturnum furem saxeus imber habet.
Ballistae vitam rapuit lapis. Ipse sepulcrum
Intulit. Umbra nocens pendula saxa tremit.
Crimina latronis dignissima poena coercet.
Duritiam mentis damnat ubique lapis.
Hinc Culicis tenui praecinsit funera versu:
Parve culex, pecorum custos tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit
Tum tibi Sironem, Maro, contulit ipsa magistrum
Roma potens, proceresque suos tibi junxit amicos.
Pollio, Maecenas, Varius, Cornelius, ardent;
Et sibi quisque rapit, per te victurus in aevum.
Musa refer: quae caussa fuit componere libros?
Sumserat Augustus rerum moderamina princeps.
Jam necis ultus erat patriae: jam caeda piorum
Perfusos acies legitur visura Philippos.
Cassius hic, Magni vindex, & Brutus, in armis
Intereunt. Victor nondum contentus opimis
Emeritas belli spoliis ditasse cohortis,
Proscripsit miserae florentia rura Cremonae:
Totaque militibus precium concessa laborum
Praeda fuit. Violenta manus bacchata per agros.
Non flatus, non tela Jovis, non spumeus amnis,
Non imbres rapidi, quantum manus impia vastat.
Mantua tu conjuncta loco, sociata periclis,
Non tamen ob meritum miseram vicinia fecit.
Jam Maro pulsus arat. Sed viribus obvius ibat
Fretus amicorum clipeo: cum paene nefando
Ense perit. Quid dextra furis? quid viscera Romae
Sacrilego mucrone petis? tua bella tacebit
Posteritas, ipsumque ducem, nisi Mantua dicat.
Non tulit hanc rabiem doctissima turba potentum.
Itur ad auctorem rerum. Quid Martius horror
Egerit, ostendunt: quid tunc miseranda tulisset.
Caesaris hic placido nutu repetuntur agelli.
His auctus meritis cum digna rependere vellet,
Invenit carmen, quo munera vincere posset.
Praedia dat Caesar, quorum brevis usus habendi.
Obtulit hic laudes, quas saecula nulla silescant.
Pastores cecinit primos: hoc carmine Consul
Pollio laudatur terrae revocantibus annis
Composito. Post haec ruris praecepta colendi
Quattuor exposuit libris; & commoda terrae
Edocuit geminis anno minus omnia lostris.
Inde cothurnato Teucrorum praelia versu
Et Rutulum tonuit. Bissena volumina factum
Formavit donata duci, trieteride quarta.
Sed loca, quae volgi memoravit tradita fama
Aequoris, & terrae, statuit percurrere vates
Certius ut libris oculo dictante notaret.
Pergitur: ut Calabros tetigit, livore nocenti
Parcarum, vehemens luxavit corpora morbus.
Hic, ubi languores, & fata micantia seosit.

*   *   *

Cetera desunt in exemplaris.

De operibus Virgilianis incerti auctoris.

Maeonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, & lectum credat utrumque sibi.
Illius immensos miratur Graecia campos;
Ast minor est nobis, sed bene cultus ager.
Hic tibi nec pastor, nec curvis deerit arator.
Haec Grajis constant singula, trina mihi.

ALCINOI DE VIRGILIO.

De numero vatum si quis seponat Homerum,
Proximus a primo tum Maro primus erit.
Et, si post primum Maro seponatur Homerum,
Longe erit a primo quisque secundus erit.

C. Sulpicii Apollinaris Grammatici in Aeneidem Virgilianam.

Jusserat haec rapidis aboleri carmina flammis
Virgilius, Phrygium quae cecinere ducem.

Tucca

Praeconia in Virgilium.

Tucca vetat, Variusque simul: tu maxime Caesar
  Non sinis, & Latiae consulis historiae.
Infelix gemino cecidit prope Pergamon igni,
  Et paene est alio Troja cremata rogo.

Imitatio ejusdem Phocae Grammatici, ex fragmento vitae Virgilii.

Carmina Virgilium Phrygium prodentia Martem
  Secum fatali jusserat igne mori.
Tucca negat, Varius prohibet: superaddito Caesar
  Nomen, in Aenea non sinis esse nefas.
O quam paene iterum geminasti funere funus,
  Troja bis interitus caussa futura tui.

De eadem re versus attributi Cornelio Gallo, scholastici poetae, ut apparet; imitati ex eodem Sulpicio Carthaginensi.

Temporibus laetis tristamur, maxime Caesar,
  Hoc uno amisso, quem fleo Virgilium.
Sed vetuit relegi, si tu patiere, libellos,
  In quibus Aenean condidit ore sacro.
Roma rogat, precibus totus tibi supplicat orbis,
  Ne pereant flammis tot monimenta ducum.
Atque iterum Trojam, sed major flamma cremabit.
  Fac laudes Italum, fac tua facta legi.
Aeneanque suum fac major Mincius ornet.
  Plus fatis possunt Caesaris ora Dei.

De eadem re veteris scholastici poetae versus, sub nomine Augusti Caesaris.

Ergone supremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaque doctiloqui morietur Musa Maronis?
Ah scelus indignum: solvetur litera dives?
Et poterunt spectare oculi? nec parcere honori
Flamma suo, dignumque operi servare decorem?
Noster Apollo veta: Musae prohibete Latinae:
Liber & alma Ceres succurrite. Vester in armis
Miles erat: vester docilis per rura colonus.
Nam docuit, quid Ver ageret: quid cogeret Aestas:
Quid daret Autumnus: quid Bruma novissima ferret.
Arva reformavit: sociavit vitibus ulmos:
Curavit pecudes: apibus sua castra dicavit.
Haec dedit, ut pereant? ipsum si dicere fas est.
Sed legum est servanda fides. Suprema voluntas
Quod mandat, fierique jubet, parere necesse est.
Frangatur potius legum veneranda potestas,
Quam tot congestos noctesque diesque labores
Hauserit una dies, supremaque jussa parentis
Amittant vigilasse suum. Si forte furenti
Erravit in morte dolor: si lingua locuta est
Nescio quid titubante animo, non sponte, sed altis
Expugnata malis, odio languoris iniqui:
Si mens caeca fuit: iterum sentire ruinas
Troja suas, iterum cogetur reddere voces?
Ardebit miserae post vulnera vulnus Elissae?
Hoc opus aeternum ruet? & tot bella, tot enses
In cineres dabit hora nocens, & perfidus error?
Huc huc Pierides teneriorum per lustra loquaces
Tendite: & ardentes ignes fluvialibus undis
Mergite: ne pereat tam clari Musa poetae,
Flammaque vanescat. Vivat Maro clarus in orbe,
Ingratusque sibi. Sed, quod male jusserat ipse,
Sit vetuisse meum. Sacer est post tempora vitae.
Sicque erit aeternum tota resonante Camena
Carmen, & imperii Divi sub nomine vivat.
Laudetur, placeat, vigeat, relegatur, ametur.

Eorundem versuum scholastica imitatio, per Phocam Grammaticum ex vita Virgilii. Fragmentum.

* * * *

Nescio quid, fugiente anima, non sponte, sed altis
  Expugnata malis, odio languoris iniqui,
Inferitur Tyriae post vulnera vulnus Elissae:
Sentiet applicitos turbata Sibylla vapores
Ejurata mori? nec cingula reddet Amazon?
Di meliora date, ac sensum revocate nocentem.--
Pace viri liceat tanti. Nec commoda linguae
Divitis intereant: per quam Romana juventus
Aeternum floret. Verum, quod jusserat ille,
Sit vetuisse meum. Nam post sua tempora vitae
Non taceat. Imo aeternum resonante Camena
Laudetur, placeat, vivat, relegatur, ametur.

Alius cujusdam scholastici poetae argumenta in Aeneidem, sub nomine Ovidii.

P R A E F A T I O.

Virgilius magno quantum concessit Homero,
  Tantum ego Virgilio Naso poeta meo.
Nec me praelatum cupio tibi ferre poeta.
  Ingenio tantum si sequor, hoc satis est.
Argumenta quidem librorum prima notavi,
  Errorem ignarus nequis habere queat.
Bis quinos legerent, feci, quos carmine, versus,
  Aeneidos totum corpus ut esse putent.
Adfirmo gravitate mea, me carmine nullum
  Livoris titulum praeposuisse tibi.

P R I M I   L I B R I.

Vir magnus bello, nulli pietate secundus
Aeneas odiis Junonis pressus iniquae,
Italiae quaerens Siculis erravit in undis.
Jactatus tandem Libyae pervenit ad oras;
Ignarusque loci, fido comitatus Achate,
Indicio matris regnum cognovit Elissae.
Quinetiam nebula septus pervenit ad urbem,
Arreptosque undis socios cum classe recepit.
Hospitioque usus Didonis cuncta benignae,
Excidium Trojae jussus narrare parabat.

S E C U N D I.

Conticuere omnes. Tunc sic fortissimus heros
Fata recensebat Trojae, casusque suorum:
Fallaces Grajos: simulataque dona Minervae:
Laocontis poenam, laxantem claustra Sinonem:
Somnum, quo monitus acceperat Hectoris, atrum
Jam flammas caeli Troum, patriaeque ruinas,
Et regis Priami fatum miserabile semper:
Impositumque patrem collo: dextraque prehensum
Ascanium, frustra a tergo comitante Creusa:
Ereptam hanc fato: socios in monte receptos.

TER-

ARGUMENTA IN AENEIDEM.

TERTII.

Post eversa Phrygum regna, ut fuga coepta moveri:
Utque sit in Thracen primum devectus; ibique
Moenia condiderit, Polydori caeda piata.
Regis & hospitium, ut Phoebi responsa canebant.
Ceptum iter in Cretam; rursus nova fata reperta.
Naufragus ut fuerit Strophadas compulsus ad undas.
Inde fugam, atque iterum enarrat praecepta Celaeno.
Liquerit utque Helenum perceptis ordine fatis.
Supplicem Achaemenidam Polyphemo urgente recepit
Amissumque patrem Drepani, atque hinc inde quievit.

QUARTI.

At Regina gravi Veneris jam carpitur igni.
Consulitur soror Anna: placet succumbere amori:
Fiunt sacra Deis, onarantur numina donis.
Itur venatum. Veneris clam foedera jungunt.
Facti fama volat. Monitus tunc numine divum
Aeneas classemque fugaa sociosque parabat.
Sensit amans Dido, pracibus conata morari.
Postquam fata jubent, nec jam datur ulla facultas,
Conscanditque pyram, dixitque novissima verba,
Et vitam infelix multo cum sanguine fudit.

QUINTI.

Navigat Aaneas; Siculaa defertur ad oras.
Hic manes celebrat patrios; una hospes Acestes;
Ludos ad tumulum faciunt; certamina ponunt.
Prodigium est cunctis ardens delapsa sagitta.
Iris anum Beroen habitu mentita senili
Incendit naves, subitus quas vindicat imber.
In somnis pater Anchises, quae bella gerenda,
Quoque duce ad manes possit descendere, monstrat.
Transcribit matres urbi, populumque volentem.
Et placitum Aeneas Palinurum quaerit in undis.

SEXTI.

Cumas deinde venit. Fert hinc responsa Sibyllae;
Misenum sepelit. Mons servat nomen humati.
Ramum etiam, ante Deum placato numine, portat.
Et vates longaava una descendit Avernum.
Agnoscit Palinurum, & ibi solatur Elissam.
Deiphobumqua videt lacerum crudeliter ora.
Umbrarum poenas discit narrante Sibylla.
Convenit Anchisen; penitusque in valle virenti
Agnoscitque suam prolem monstrante parente.
Haec ubi percepit, graditur, sociosque revisit.

SEPTIMI.

Hic quoque Cajetam sepelit. Tum deinde profectus
Laurentum venit. Hanc verbis cognovit Iuli
Fatalem terram. Mensis en vescimur, inquit.
Centum oratores veniam pacemque petentas
Ad regem mittit lectos tum forte Latinum;
Qui cum pace etiam natae connubia pactus.
Hoc forte Alecto Junonis dissipat ira.
Concurrunt dictis quamvis pia fasta repugnant.
Belli caussa fuit violatus vulnere cervus.
Tum gentes socia arma parant; fremit arma juventus.

OCTAVI.

Dat belli signum Laurentii Turnus ab arce.
Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & doceat quae caussa petendi.
Aeneas Divum monitis adit Arcada regem
Euandrum, Arcadia profugum, nova regna petentam.
Accipit auxilium. Huic natum, & socia agmina jungit
Euander. Pallas fatis comes ibat iniquis.
Jamque habilis bello, & maternis laetus in armis,
Fataque, fortunasqua ducum, casusque suorum
Sortitus clipeo, divina intentus in arte est.

NONI.

Atque ea diversa penitus dum parte geruntur,
Junonis monitu Turnus festinat in hostem.
Teucrorum naves, Rutulis jaculantibus ignem,
Nympharum in speciam divino numine versae.
Euryali & Nisi coeptis fuit exitus impar.
Pugnatur. Castra Aeneadae vallumque tuentur.
Audacem Rutulum dat leto pulcher Iulus.
Fit via vi. Turnus Bitian & Pandaron altum
Dejicit, & totis victor dat funera castris.
Jamque fatigatus recipit se in castra suorum.

DECIMI.

Consilium Divis hominum de rebus habetur.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant.
Advenit Aeneas multis cum millibus heros.
Mars vocat, & totis in pugnam viribus itur.
Interimit Pallanta potens in praelia Turnus.
Caeduntur que duces; cadit & sine nomine vulgus.
Subtrahitur pugnae Junonis numine Turnus.
Aeneas perstat Mezenti caeda piata;
Et Lausum invicta perimit per vulnera dextra.
Mox ultor nati Mezentius occidit ipse.

UNDECIMI.

Constituit Marti spoliorum ex hoste tropaeum.
Exanimumque patri natum Pallanta remittit.
Jura sepulturae tribuit, tempusque Latinis.
Euander patrios affectus edit in urbe.
Corpora caesa virum passim digesta cremantur.
Legati referunt Diomeden arma negasse.
Drances, et Turnus, leges aequante Latino,
Concurrunt dictis. Aeneas imminet urbi.
Pugnatur. Vincunt Troes. Cadit icta Camilla.
Deinde duces castris, donec cessare, minantur.

DUODECIMI.

Turnus jam fractis adverso Marte Latinis
Semet in arma parat, pacem cupiente Latino.
Foedus percutitur passutis omnia victis.
Hoc Turni Juturna soror confundit; et ambos
In pugnam populos agit, ementita Camertem.
Aeneas volucri tardatur membra sagitta.
Anxia pro nato servavit cura parantis.
Urbs capitur. Vitam laqueo sibi finit Amata.
Aeneas Turnum campo congressus, utrimque
Circumfusa acie, vita spoliavit et armis.

ARGUMENTA IN AENEIDEM.

Eadem Argumenta Monaſtichis per eundem auctorem.

Aeneas primo Libyes appellitur oris.
Funera Dardaniae narrat fletuſque ſecundo.
Tertius errores canit, amiſſumque parentem.
Uritur in quarto Dido, flammaſque fatetur.
Quintus habet ludos, & claſſem corripit ignis.
Quaeruntur ſexto Manes & Tartara Ditis.
Septimus Aenean reddit fatalibus arvis.
Praeparat octavo bellum, quos mittat in hoſtes.
Nonus habet pugnas, nec adeſt dux ipſe tumultus.
Occidit Aeneae decimo Mezentius ira.
Undecimo victa eſt non aequo Marte Camilla.
Duodecimo Turnus divinis occidit armis.

Argumentum omnium operum Virgilianorum.

Paſtorum Muſam vario certamine promit:
Ruris item docilis culturam carmine monſtrat.
Arboribus vitem, prolem quoque jungit olivae,
Paſtorumque Palen, & curam tradit equorum.
Tunc apium ſeriem, & quae mellis dona, recenſet.
Aeneas profugus intrat Carthaginis oras.
Convivis ſeries narratur Troica belli.
Tertius at complet narrantis ordine geſta.
Ardet amans Dido fatum ſortita ſupremum.
Quintus habet varia tumuli ſpectacula patris.
Infernos Ditis Manes & regna peterrat.
In Latium Aeneas, Italas ſimul intrat in oras.
Intonat hinc bellum tecti de culmine Turnus.
Euryalum & Niſum deflet cum matre juventus.
Mezenti interitus canitur, poſt funera Lauſi.
Ultaque dehinc fertur telo mactata Camilla.
Turni vita fugit infernas moeſta ſub umbras.

Item Argumenta in Aeneidem per Hexaſticha.

PRIMI LIBRI.

Arma virumque canit vates, Junonis ob iram,
Et totum Aeoliis turbatum fluctibus aequor.
Disjectas claſſes ſubmerſaque corpora ponto.
Hoſpitium Didus, caſus quo gentis & annos
Aeneas Trojae, fatumque & bella referret;
Quorum pars terrae, pelago pars addita famae eſt.

SECUNDI.

Conticuere omnes, intentique ore loquentis
Ora tenent. Ac tum dolus introducitur hoſtis,
Et fallacis equi damnoſum munus in armis,
Perfidia notuſque Sinon, amiſſaque conjunx.
Per medios ignes ablatus ſaevaque tela
Anchiſes, oneri facilis pietate ferentis.

TERTII.

Poſtquam res Aſiae disjectaque moenia Trojae:
Dant pelago claſſis, Polydori funera diſcunt,
Atque Heleni praecepta, fidem cui fecerat uſus.
* * * * *

Reliqua deſiderantur.

In Aeneidem Monoſticha Baſilii.

Primus habet, Libycam veniunt ut Troes in urbem,
Edocet excidium Trojae, cladem que ſecundus.
Tertius a Troja vectos canit aequore Teucros.
Quartus item miſerae duo vulnera narrat Eliſae.
Manibus ad tumulum quinto celebrantur honores.
Aenean memorat viſentem Tartara ſextus.
In Phrygas Italiam bello jam ſeptimus armat.
Dat ſimul Aeneae ſocios octavus, & arma.
Daunius expugnat nono nova moenia Trojae.
Exponit decimus Tuſcorum in litore pugnas.
Undecimo Rutuli ſuperantur morte Camillae.
Ultimus imponit bello Turni nece finem.

In Bucolica Fragmentum ex quodam Poeta.

Tityrus agreſti modo laetus carmine ruris,
Formoſum per quod Corydon ardebat Alexin.
Silenumque ſenem ſertiſque meroque ligavit.
Paſtorumque ſonos faciles duxere cicutae.

Incerti Poetae Tetraſticha in Georgica.

PRAEFATIO.

Qualis Bucolicis, quantus tellure domanda
Vitibus, arboribuſque, apibus, pecorique, latiſque
Aeneadum fuerit vates, Tetraſticha dicent;
Contineat quae quiſque liber. Lege carmina noſtra.

PRIMI.

Quid faciat laetas ſegetes: quae ſidera ſervet
Agricola, ut facilem terram proſcindat aratris,
Semina quo jacienda modo, cultuſque locorum,
Et meſſes docuit magno olim foenore reddi.

SECUNDI.

Hactenus arvorum cultus, & ſidera caeli:
Pampineas canit inde comas, colleſque virentes,
Deſcriptaſque locis vites, & dona Lyaei.
Atque oleae ramos pomorum ex ordine lectos.

TERTII.

Teque Pales, & te paſtor memorande per orbem,
Et pecorum cultus, & gramine paſcua laeta:
Quis habiteot armenta locis, ſtabulentur & agni,
Omnia divino monſtravit carmine Vates.

QUARTI.

Protinus aerii mellis redolentia regna,
Hyblaeas & apes, alvorum cerea tecta.
Quique apibus flores, examina quaeque legenda
Indicat, humenteſque favos, caeleſtia dona.

Dua-

ARGUMENTA IN AENEIDEM.

Duodecim scholasticorum poetarum argumenta in Aeneidem.

LIBRI PRIMI.

VOMANUS I.

Aeolus immittit ventos, Junone precante,
Trojanosque vagos Libycas expellit in oras.
Solatur Venerem dictis pater ipse dolentem.
Aenean recipit pulchra Carthagine Dido.
Cui Venus Ascanii sub imagine mittit amorem.

SECUNDI.

EUFORBUS II.

Cogitur Aeneas bellorum exponere casus,
Graiorumque dolos, & equum, fraudemque Sinonis,
Excisamque urbem, Priamique miserrima fata,
Utque patrem inpositum forti cervice per ignes,
Extulerit, caramque amiserit ipse Creusam.

TERTII.

JULIANUS III.

Post casum Trojae fabricata classe superstes,
Vela dat Aeneas, urbemque in litore Thracum,
Mox aliam pulsus Cretaeis condidit oris.
Cedit & hinc Helenumque videt, praeceptaque discit.
Aetnaeum Cyclopa fugit, sepelitque parentem.

QUARTI.

HILARIUS IV.

Ardet amore gravi Dido, soror Anna suadet
Nubere. Junguntur, nimbo cogente, sub antro.
Incusat precibus patrem contemtus Iarbas.
Navigat Aeneas jussu Jovis. Illa dolore
Inpatiens, & amore, necem sibi protinus infert.

QUINTI.

PALLADIUS V.

In Siculas iterum terras Fortuna reducit
Aenean, tumuloque patris persolvit honorem:
Tum cogit naves incendere Troadas Iris.
Troes ibi linquunt socios. Venus anxia placat
Neptunum. Somnus Palinurum mergit in undis.

SEXTI.

ASCLEPIADIUS VI.

Sacratam Phoebo Cumarum fertur in urbem.
Rex Phrygius, vatisque petit responsa Sibyllae.
Miseoum sepelit. Post haec adit infera regna.
Congressusque patri, discit genus omne suorum.
Quoque modo casus valeat superare futuros.

SEPTIMI.

EUSTHENIUS VII.

Tandem deveniunt Laurentia Troes in arva:
Et pace accepta laeti nova moenia condunt.
Nocte satam Juno Furiam evocat. Illa Latinos.
Inter, & Aeneadas bellum serit, & ciet arma.
Protinus auxiliis terra instruit Itala turmas.

OCTAVI.

POMPEIANUS VIII.

Vidit ut Aeneas summa vi bella parari:
Arcadas, Euandrumque senem sibi foedere jungit.
Dardanioque duci sociatur Etruria tota.
Arma petit Genetrix, dat Mulciber: in clipeoque
Res pingit Latias, & fortia facta nepotum.

NONI.

MAXIMIANUS IX.

Ad Turnum propere Junonia mittitur Iris,
Instigatque animos. Acies movet ille, Phrygasque
Obsidet. In Nymphas versa est Aeneia classis.
Euryalus Nisusque luunt nece praelia noctis.
Vi Turnus potitur castris. Inpellitur inde.

DECIMI.

VITALIS X.

Placat & uxoris dictis & jurgia natae
Juppiter. Auxiliis instructus Troios heros
Advenit. Occurrunt Rutuli, atque in litore pugnant.
Occidit a Turno Pallas: victorque superbus
Aeneae eripitur. Mezentius interit acer.

UNDECIMI.

BASILIUS XI.

Occisis proprium pars utraque reddit honorem.
Supplicibus Calydone satus negat arma Latinis.
Cum Drance alterno jurgat certamine Turnus.
Aeneas equitem praemittit, & obvia virgo
Excipit. Extincta Tutuli dant terga Camilla.

DUODECIMI.

ASMENUS XII.

Trojanis Rutulisque placet conjungere foedus.
Id Rutuli rumpunt. Nato Venus alma medetur
Dictamno, Rutulique luunt perjuria victi.
Cogitur Aeneae Dauni concurrere proles.
Pallantea necem misero dant cingula Turno.

ARGUMENTA IN AENEIDEM.

Eorundem duodecim scholasticorum Epithaphia P. Virgilii Maronis, per tetrasticha.

VITALIS I.

Prima mihi Musa est sub fagi Tityrus umbra.
Ad mea navus humum jussa colonus arat.
Praeliaque expertos cecini Trojana Latinos.
Fertque meos cineres inclyta Parthenope.

BASILIUS II.

Hoc jacet in tumulo vates imitator Homeri,
Qui canit Ausonio carmine primus oves.
Ad cultos hinc transit agros. Aeneidos autem
Non emendatum morte reliquit opus.

ASMENUS III.

Bucolica Ausonio primus qui carmine feci,
Mox praecepta dedi versibus agricolae.
Idem cum Phrygibus Rutulorum bella peregi.
Hunc mihi defuncto fata dedere locum.

VOMANUS IV.

Tityre, te Latio cecinit mea fistula versu:
Praeceptisque meis rusticus arva colit.
Ac, ne Musa carens vitiis Aeneidis esset,
Perfida me celeri fata tulere nece.

EUPHORBUS V.

Romuleum Sicula qui fingit carmen avena,
Rusticolasque docet qua ratione serant:
Quique Latinorum memorat fera bella Phrygasque,
Hic cubat; hic meruit perpetuam requiem.

JULIANUS VI.

Qui pastorali peragravit Maenala Musa,
Ruraque, & Aeneae concinit arma Maro,
Ille, decem lustris geminos postquam addidit annos,
Concessit fatis: & situs hoc tumulo est.

HILARIUS VII.

Haec tibi Virgilius domus est aeterna sepulto,
Qui mortis tenebras effugis ingenio.
Maenalium carmen qui profers ore Latino,
Et cultus segetum, bellaque saeva ducum.

PALLADIUS VIII.

Primus ego Ausonio pastorum carmina versu
Composuit, & quo sint rura colenda modo.
Post, quibus Aeneas Rutulos superaverit armis.
Vatis relliquiss haec pia terra fovet.

ASCLEPIADIUS IX.

Sicanius vates silvis, Ascraeus in arvis,
Maeonius bellis ipse poeta fui.
Mantua se vita praeclari jactat alumni.
Parthenope famam morte Maronis habet.

EUSTHENIUS X.

Quisquis es, extremi titulum lege carminis, hospes,
Hac ego Virgilius sum tumulatus humo.
Qui pecudum pariter, qui cultum fertilis agri,
Mox Anchisiadae bella ducis cecini

POMPEIANUS XI.

Virgilio mihi nomen erat, quem Mantua felix
Edidit. Hic cineras vatis & ossa jacent.
Cujus in aeternum pastoria fistula vivet;
Rustica, mox eadem Martia, Calliope.

MAXIMIANUS XII.

Carmine Bucolico nitui: cultoribus agri
Jura dedi. Cecini bella Latina simul.
Jamque ad lustra decem Titan accesserat alter,
Cum tibi me rapuit, Mantua, Parthenope.

Item per disticha eorundem ex argumento Virgiliani distichi.

Mantua me genuit, Calabri rapuere: tenet nunc
Parthenope. Cecini pascua, rura, duces.

ASCLEPIADIUS I.

Tityron, ac Segetes cecini Maro, & Arma virumque,
Mantua me genuit, Parthenope sepelit.

EUSTHENIUS II.

Virgilius jacet hic, qui pascua versibus edit.
Et ruris cultus, & Phrygis arma viri.

POMPEIANUS III.

Qui pecudes, qui rura canit, qui praelia vates,
In Calabris moriens hac requiescit humo.

MAXIMIANUS IV.

Carminibus pecudes, & rus, & bella canendo
Nomen inextinctum Virgilius meruit.

VITALIS V.

Mantua mi patria est: nomen Maro: carmina silvae,
Ruraque cum bellis: Parthenope tumulus.

BASILIUS VI.

Qui silvas, & agros, & praelia versibus ornat,
Mole sub hac situs est ecce poeta Maro.

ASMENUS VII.

Pastorum vates ego sum: cui rura ducesque
Carmina sunt. Hic me pressit acerba quies.

VOMANUS VIII.

A silvis ad agros, ab agris ad praelia venit
Musa Maroneo nobilis ingenio.

EUPHORBUS IX.

Bucolica expressi, & ruris praecepta colendi.
Mox cecini pugnas. Mortuus hic habito.

JULIANUS X.

Hic data Virgilio requies, qui carmine dulci
Et Pana, & segetes, & fera bella canit.

HILARIUS XI.

Pastores cecini: docui qui cultus in agris:
Praelia descripsi. Contegor hoc tumulo.

PALLADIUS XII.

Conditus hic ego sum, cujus modo rustica Musa
Per Silvas, per Rus venit ad Arma virum.

Subscriptum imagini Virgilianae.

HILARIUS.

Subduxit morti vivax pictura Maronem:
Et quem Parca tulit, reddit imago virum.

IDEM.

Lucis damna nihil tanto nocuere Poetae,
Quem praesentat honos carminis, & plutei.

PENTADIUS.

Pastor, arator, eques, pavi, colui, superavi,
Capras, rus, hostes, fronde, ligone, manu.

De asino, qui Aeneiden dentibus discerpsit.

. . . .

Carminis Iliaci libros consumsit asellus.
Hoc fatum Trojae est; aut equus, aut asinus.

DEDI-

DEDICATIO AENEIDOS,

ipſius, ut volunt, Maronis.

SI MIHI SUSCEPTUM FUERIT DECURRERE MUNUS,
O PAPHON, O SEDES QUAE COLIS IDALIAS,
TROIUS AENEAS ROMANA PER OPPIDA DIGNO
JAM TANDEM UT TECUM CARMINE VECTUS EAT:
NON EGO THURE MODO AUT PACTA TEMPLA TABELLA
ORNABO, ET PURIS SERTA FERAM MANIBUS:
CORNIGER HOS ARIES HUMILES ET MAXIMA TAURUS
VICTIMA SACRATO TINGET ODORE FOCOS;
MARMOREUSQUE TIBI DIVERSICOLORIBUS ALIS
IN MOREM PICTA STABIT AMOR PHARETRA:
ADSIS O CYTHEREA: TUUS TE CAESAR OLYMPO
ET SURRENTINI LITORIS ORA VOCAT.

MAURI

MAURI SERVII HONORATI
PROOEMIUM
IN PUB. VIRGILII
MARONIS BUCOLICA.

BUCOLICA, ut ferunt, dicta a custodia boum, id est, ἀπὸ τῶν βουκόλων. Praecipua enim sunt animalia apud rusticos boves. Hujus autem carminis origo varia est: nam alii dicunt eo tempore, quo Xerxes, Persarum rex, invasit Graeciam; cum omnes intra muros laterent, nec possent more solito Dianae sacra persolvi, pervenisse ad montes Laconas rusticos, & in ejus honorem hymnos dixisse: unde natum carmen *Bucolicum* aetas posterior elimavit. Alii dicunt Orestem, cum Dianae Fascelidis simulachrum raptum ex Scythia adveheret, & ad Siciliam esset tempestate delatus, completo anno, Dianae festum celebrasse hymnis, collectis nautis suis, & aliquibus pastoribus convocatis: & exinde permansisse apud rusticos consuetudinem. Alii non Dianae, sed Apollini Nomio consecratum carmen hoc volunt, quo tempore Admeti regis pavit armenta. Alii rusticis Numinibus a pastoribus dicatum hoc asserunt carmen: ut Pani, Faunis, Nymphis, ac Satyris. Et hic est hujus carminis titulus. Qualitas autem haec est, scilicet humilis character. Tres enim sunt characteres; humilis, medius, grandiloquus; quos omnes in hoc invenimus poeta. Nam in Aeneide grandiloquum habet; in Georgicis medium; in Bucolicis humilem; pro qualitate negotiorum, & personarum. Nam personae hic rusticae sunt, simplicitate gaudentes, a quibus nihil altum debet requiri. Adhibetur autem ad carmen Bucolicum, quod debet quarto pede terminare partem orationis. Qui pes si sit dactylus, meliorem efficit versum: ut *Nos patriae fines, & dulcia*. Primus etiam pes secundum Donatum & dactylus esse debet, & terminare partem orationis: ut *Tityre*. Quam legem Theocritus vehementer observavit; Virgilius non adeo. Ille enim in paucis versibus ab ista ratione deviavit: hic eam in paucis sequutus est. Terentianus cum de hoc metro diceret, *Plurimus hoc pollet Siculae telluris alumnus. Noster rarus eo pastor Maro*. Intentio Poetae haec est, ut imitetur Theocritum Syracusanum, meliorem Moscho, & caeteris, qui Bucolica scripserunt: unde est, *Prima Syracusio dignata est ludere versu Nostra nec*, &c. Et aliquibus locis per allegoriam agit gratias Augusto, vel aliis nobilibus, quorum favore amissum agrum recepit: in qua re tantum dissentit a Theocrito. Ille enim ubique simplex est; hic necessitate compulsus aliquibus locis miscet figuras, quas perite plerumque etiam ex Theocriti versibus facit, quos ab illo dictos constat esse simpliciter. Hoc autem fit poetica urbanitate. Sic Juvenalis, *Actoris Aurunci spolium*: nam Virgilii versum de hasta dictum figurate ad speculum transtulit. Et caussa scribendorum Bucolicorum haec est: Cum post occisum III. Iduum Martiarum die in senatu Caesarem, Augustus ejus

ejus filius contra percussores patris, & Antonium, civilia bella movisset, victoria potitus, Cremonensium agros, qui contra eum senserant, militibus suis dedit; qui cum non sufficerent, etiam Mantuanorum jussit distribui, non propter culpam, sed propter vicinitatem: unde est: *Mantua, vae miserae, nimium vicina Cremonae*. Perdito ergo agro Virgilius Romam venit, & potentium favore meruit, ut agrum suum solus reciperet. Ad quem accipiendum profectus, ab Arrio centurione, qui eum tenebat, pene est interemptus, nisi se praecipitasset in flumen Mincium: unde est allegoricus; *Ipse aries etiam nunc vellera siccat*. Postea ab Augusto missis triumviris, & ipsi integer ager est redditus, & Mantuanis pro parte. Hinc est, quod cum in prima Ecloga legimus eum recepisse agrum, postea eum querelantem invenimus, ut: *Audieras, & fama fuit; sed carmina tantum Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum Chaonias dicunt aquila veniente columbas*. Nec numerus hic dubius est, nec ordo librorum: quippe cum unus sit liber. De Eclogis multi dubitant: quae licet decem sint, incertum tamen est, quo ordine scriptae sint. Plerique duas certas volunt ipsius testimonio, ultimam, ut, *Extremum hunc:* & primam, ut in Georgicis, *Tityre, te patulae cecini sub tegmine fagi*. Alii primam illam volunt, *Prima Syracosio dignata est ludere versu*. Sed est sciendum, VII. eclogas esse meras rusticas, quas Theocritus X. habet. Hic in tribus a Bucolico carmine, sed cum excusatione discessit; ut in genethliaco Salonini, & in Sileni theologia: vel ut ex insertis altioribus rebus posset placere: vel quia tot varietates implere non poterat. Poetae vitam in Aeneide diximus. Operis explanatio in sequentibus comprobabitur. Sane sciendum Virgilium XXVIII. annorum scripsisse Bucolica. Unde etiam ipse in fine Georgicorum, *Audaxque juventa, Tityre te patulae cecini sub tegmine fagi*. Et dicit Donatus (quod etiam in Poetae memoravimus vita) in scribendis carminibus naturalem ordinem secutum esse Virgilium. Primo enim pastoralis fuit in montibus vita; post agriculturae amor; inde bellorum cura successit. Notandum quoque Bucolica, vel Georgica, cum apud Graecos in fine habeant accentum, apud nos in tertia a fine habere: nam ut in ultima sit, Latinitas vetat: ut in penultima non sit, brevitatis efficit ratio. Etiam hoc sciendum, & personas hujus operis ex majori parte nomina de rebus rusticis habere confista, ut *Meliboeus*, ὅτι μέλει αὐτῷ τῶν βοῶν, id est, quia curam gerit boum. Et *Tityrus*: nam Laconum lingua *tityrus* dicitur aries major, qui gregem anteire consuevit: sicut etiam in comoediis invenitur: nam *Pamphilus*, est totum amans; *Glycerium*, quasi dulcis mulier; *Philumena*, *amabilis*. Personae, sicut supra dixi, rusticae sunt, & simplicitate gaudentes. Unde nihil in his urbanum, nihil declamatorium invenitur; sed ex re rustica sunt nomina, negotia, comparationess, & si qua sunt alia. Hinc est, quod annos a fructibus computat, ut: *Post aliquot mea regna videns mirabor aristas*. Hinc etiam illae comparationes sunt: *Nam neque me tantum venientis sibilus austri, Nec percussa juvant fluctu tam littora, nec quae Saxosas inter decurrunt flumina valles*.


PIERIUS

PIERIUS VALERIANUS
JANO PARRHASIO
S. P. D.

CASTIGATIONES & varietates Maronianae lectionis, quas per literas toties, ut ederentur, efflagitasti, publicavi demum Jane, vir eruditissime. Sero id quidem, si desiderium tuum inspicio; sin meum hac de re consilium, longe celerius quam facere destinaram. Quo vero successu, qualiacunque sint haec, prodierint, ipse videris, qui me nunquam ad editionem impellere destiteris, donec me operi tandem accinctum intellexisti. Tuum itaque erit, cujus consilione dicam, an convicio potius haec acta sunt, ubi forte defecero, opem ferre: ubi calumniis objectatus fuero, defendere. Quanquam, si quis (de iis loquor, quos mortalia tangunt) occupationes meas intellexerit; si litium, quibus implicatus sum, molestias viderit; si Aulae incommoda & avocationes crebras, quibus tam saepe ex officio distrahor; si, quod omnium maxime studiis meis adversatur, indignam, ac fere assiduam male affecti pectoris valetudinem inspexerit; si duras denique norit rerum omnium difficultates, quae mihi in hoc opere conficiundo superandae fuerunt; misereatur potius me non omnia videre potuisse, quam damnare quicquam adgrediatur. Neque vero dubito esse quaedam, quae vel ipsi mihi paulo post forte sint displicitura: qui, si per otium liceat, sperem in dies meliora praeteritis invenire. Quod siqua erunt, de quibus aliquis dicat, Coenam sine istis duci potuisse: id eo a me consilio factum, ut festiviores agricolas imitarer, qui fructuum munuscula foliis ambitiose vestire solent, maluique superesse quod tolli posset, quam deesse, quod desiderandum videretur. Quaedam autem, quae admodum levia censeantur, ea compensari mercede poterunt, quod tam multa numero, quae corrupta, inversa, lacera, depravataque passim habebantur, hoc demum labore meo incolumitati sint pristinae restituta. Quae quidem licet multa omnino sint, tantum tamen abest, ut me omnia putem assecutum, ut non pauca curiosius indaganda, & tuae, & aliorum diligentiae reliquerim: quae tanquam spicilegia quaedam praetereunda fuere, dum te, dum amicos alios, in primisque studiosissimum ac probatissimum adolescentem Benedictum Acolthin (eo enim potissimum Auctore dederam me hujus lectionis indagini) obsequio demereri properabam. Quod si forte eveniat, quod maxime cuperem, ut his longe castigatiora quispiam nactus commentusve sit, ego id ingenue profiteor, ut melioribus adinventis sententiam ipse meam sim haud gravate commutaturus: dummodo Virgiliano carmini, atque amatoribus sit bene recteque consultum. Vale, meque, ut facis, ama.

Romæ. XIII. Cal. Julias. M. D. XII.

P. VIR-



Ant Visentini f.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS
LIBER SEXTUS.

Sic fatur lacrimans, classique inmittit habenas,

Et

SERVII.

Totus quidem Virgilius scientia plenus est, in qua hic liber possidet principatum, cujus ex Homero pars major sumpta est. Et dicuntur aliqua simpliciter, multa de historia, multa per altam scientiam Philosophorum, Theologorum Aegyptiorum; adeo ut plerique de his singulis hujus libri integras scripserint πραγματείας. Sane sciendum, licet primos duos versus Probus & alii in quinti reliquerint fine, prudenter ad initium sexti esse translatos; nam & conjunctio poematis melior est, & Homerus etiam, quem imitatur, sic inchoavit: Ὣς φάτο δακρυχέων.

Vs. 1. Classique immittit habenas. Navibus

PIERII.

Vs. 1. Sic fatur lachrymans. Exigit hic locus: ut quum *lachryma* varie notetur, de scriptionis in eo nomine ratione aliquid differamus. In Romano quidem codice, & aliquot aliis, *lacrima*, & *lacrimans*, passim per *i* Latinum, absque adspiratione ulla scribitur. Qui vero *y* in hoc vocabulo volunt, δάκρυον opponunt, Graecam dictionem, a qua eodem significato *lacrymae* ad nos defluxerint. Qui Latinum *i* notant, a *lacerando* dictas contendunt. Latinam vero dictionem agnoscit Cicero, & adspirationem ex consuetudine illi accessisse. Antiqui plerique codices, neque pauca veterum monu-

Tecta rapit silvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Aeneas arces, quibus altus Apollo
10 Praesidet, horrendaeque procul secreta Sibyllae,
Antrum inmane, petit: magnam cui mentem animumque
Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt Triviae lucos, atque aurea tecta.
Daedalus (ut fama est) fugiens Minoïa regna,

Prae-

SERVII.

8. FLUMINA MONSTRAT. Quaecumque fluenta. Et sciendum, monstrari Aeneae, ad expiandum se: nam sunestatus fuerat morte Palinuri: non quod eum viderat, sed quod funus agnoverat, id est, doluerat. In eo enim est pollutio, quod ait: *Casuque animum concussus amici*: nam ipsa impiant quae agnoscimus; unde in Livio habemus, Horatium Pulvillum, cum Capitolium dedicare vellet, audisse ab inimico mortuum filium: & ne pollutus dedicare non posset, respondisse, *Cadaver sit*. Hanc autem purgationem Aeneae polluto dat ubique Virgilius, ut paulo post: *Corpusque recenti Spargit aqua*.

9. AT PIUS AENEAS. Opportune hoc loco, quippe ad templa festinans. ARCES QUIBUS ALTUS APOLLO. Cum ubique ars Jovi detur, apud Cumas in arce Apollinis templum est. *Altus* autem, vel magnus, ut, *Jacet altus Orontes*. Et de ipso Apolline: *Sic pater ille deum faciat*, *sic altus Apollo*: vel ad simulacri magnitudinem retulit, quod fuisse constat altissimum. Caelius enim de Cumano Apolline ait: *Est in fano signum Apollinis ligneum, altum non minus pedes xv.* Cujus meminisse putatur Virgilius.

10. QUIBUS PRAESIDET. Quibus praeest, quas defendit. HORRENDAE. Venerandae, ut: *Horrendum sylvis & relligione parentum*. PROCUL. Haud longe: *procul* enim, est & quod prae oculis est; & quod porro ab oculis: unde & duplicem habet significationem, & juxta, & longe.

11. ANTRUM IMMANE PETIT. Epexegesis domus Sibyllae. MENTEM ANIMUMQUE. Perissologia est: *mens*, & *animus*: quamvis pro *sapientia mens* accipiatur & intellectu; *animus* vero pro *voluntate*, ut Terentius: *Mala mens, malus animus*.

12. DELIUS INSPIRAT VATES. Apollo fatidicus: & sic ait *Delius*, ut: *Nunc Lyciae sortes*, id est, Apollineae. Bene autem, Sibylla quid sit, expressit: *Magnam cui mentem animumque Delius inspirat vates*: nam, ut diximus, *Sibylla* dicta est, quasi σιοῦ βουλὴ, id est, dei sententia. Aeolici enim σιοὺς deos dicunt.

13. TRIVIAE LUCOS. Congrue Apollini & Dianae juncta sunt templa, ut & paulo post: *Phoebi, Triviaeque sacerdos*. Et bene fit lucorum Dianae commemoratio: quia petiturus est Inferos. AUREA TECTA. Apollinis scilicet.

14. DAEDALUS, UT FAMA EST, FUGIENS MINOIA REGNA. Ubique de incertis dubitat, ut: *Fama est Enceladi*. Sane fabula de hoc talis est: Indicato a Sole adulterio Martis & Veneris, Vulcanus minutissimis catenis lectulum cinxit, quibus Mars & Venus ignorantes implicati sunt, & cum ingenti turpitudine resoluti sub testimonio cunctorum deorum. Quod factum Venus vehementer dolens, stirpem omnem Solis persequi infandis amoribus coepit. Igitur Pasiphae, Solis filia, Minois regis Cretae uxor, Tauri amore flagravit: & arte Daedali inclusa intra vaccam ligneam, septam corio juvencae pulcherrimae, cum tauro concubuit; unde natus est Minotaurus, qui, intra Labyrinthum inclusus, humanis carnibus vescebatur. Sed Minos de Pasiphae habuit liberos plures, Androgeum, Ariadnem, Phaedram. Sed Androgeus, cum esset athleta fortissimus, & superaret in agonibus cunctos apud Athenas, ab Atheniensibus & vicinis Megarensibus conjuratis occisus est. Quod Minos dolens, collectis navibus bella commovit: & victis Atheniensibus poenam hanc statuit, ut singulis quibusque annis septem de filiis, & septem de filiabus suis, edendos Minotauro mitterent. Alii dicunt, a Minoe in vindicta filii occisi, sicut dictum est, Phoebum rogatum; qui cum Atheniensibus pestilentiam immisisset, praeceptum oraculo est de septenis filiis annuis ad Minotauri pastum dirigendis. Sed tertio anno Aegei filius Theseus missus est: potens tam virtute, quam forma: qui cum ab Ariadne regia filia amatus fuisset, ex Daedali consilio Labyrinthi iter filo rexit: & necato Minotauro cum rapta Ariadne victor aufugit. Quae cum omnia factione Daedali Minos deprehendisset effecta, eum cum Icaro filio servandum in Labyrinthum trusit. Sed Daedalus, corruptis custodibus, vel, ut quidam tradunt, ab amicis, sub faciendi muneris specie, quo simulabat se regem placare posse, ceram & linum accepit, & pennas;

15 Praepetibus pennis ausus se credere caelo,
Insuetum per iter gelidas enavit ad Arctos,
Chalcidicaque levis tandem super adstitit arce.
Redditus his primum terris, tibi, Phoebe, sacravit
Remigium alarum, posuitque inmania templa.
20 In foribus letum Androgeo: tum pendere poenas

Ce-

SERVII.

unde tam sibi quam filio alis impositis per summam *aedis* partem, quae apud veteres sine tecto erat, cum filio evolavit; ipse juxta terram volans; Icarus altiora petens, dum cupit coeli portionem cognoscere, pennis Solis calore resolutis, mari, in quod cecidit, nomen Icarium imposuit. Daedalus vero primo Sardiniam, ut dicit Sallustius, post delatus est Cumas: & templo Apollini condito sacratisque ei alis, in foribus haec universa depinxit. Dicendo autem Virgilius, *ut fama est*, ostendit requirendam esse veritatem: nam Taurus, notarius, vel, ut alii dicunt, magister militum Minois fuit, quem Pasiphae amavit, cum quo in domo Daedali concubuit: & quia geminos peperit, unum de Minoe, & alterum de Tauro, enixa esse Minotaurum dicitur: quod & ipse paulo post ostendit dicens: *Mixtumque genus*. Sed inclusum Daedalum corruptis relaxavit regiua custodibus: qui, amisso in mari filio, navi delatus est Cumas: quod & ipsum tangit dicens, *Remigium alarum*. *Alae* enim & volucrum sunt, & navium, ut: *Velorum pandimus alas*. Phanodicus Deliacus: Daedalum, propter supradictas causas fugientem navem conscendisse, & cum imminerent, qui eum sequebantur, intendisse pallium ad adjuvandum ventos, & sic evasisse. Illos vero, qui insequebantur, reversos nuntiasse, pinnis illum evasisse. Menecrates Daedalum, occiso patruele fratre, Cretam petisse dicit; Icarum filium ejus ab Atticis pulsum, dum patrem petit, naufragio periisse: unde mari nomen. Quidam hunc Daedalum, Eupalami filium, arte fabrili nobilem, occiso Perdice, sororis suae filio, quem solum habere metuebat aemulum artis suae, (nam ab illo & usum ferrae de osse interiore piscis, & circinum, propter nomen suum, nam aliquibus Circinus putatus est appellatus, vel, ut quidam, organum inventum tradunt) fugientem invidiam, ad Minoem delatum Cretam, Pasiphaes uxoris ejus nefandi stupri dolum fabricasse. MINOIA REGNA. Cretam scilicet, id est, Minois saevitiam.

15. PRAEPETIBUS PENNIS. Vel velocibus, vel felicibus. *Praepetes* autem dictae, vel quod priora petant; vel summi volatus; vel quae prae petit volatum; vel quae secundum auspicium facit: & quidam *praepetes* tradunt, non tantum aves dici, quae prosperius praevolant, sed etiam locos, quos capiunt, quod idonei felicesque sunt: unde bene Daedali *pinnas praepetes*, quia de locis, in quibus periculum metuebat, in loca tutiora pervenit: *praepetes* enim sunt aves boni augurii, quod huic dat, quia pervenit quo cupiebat. AUSUS SE CREDERE CAELO. Quasi alienis sedibus. Horatius: *Expertus vacuum Daedalus aera pennis non homini datis*. INSUETUM. Hominibus scilicet.

16. ENAVIT AD ARCTOS. Bene miscet utrumque: *nare* enim & de navibus dicimus, ut: *Natat uncta carina*. Item: *Et terris adnare necesse est*. Et de volatu, ut: *Nare per aestatem liquidam suspexeris agmen*. AD ARCTOS autem, si ad fabulam, contra Septentrionem, ut quidam volunt, propter fervorem Solis & certas pinnas: si ad veritatem, ad Septentrionis observationem, cujus ductu nautae naves regunt.

17. CHALCIDICAQUE. Quam civitatem Chalcidenses condiderunt: & supra de insula *Cumas* nominavit; nunc a civitate dedit epitheton.

18. REDDITUS HIS PRIMUM TERRIS. Quasi de alieno elemento in suum. Horatius: *Finibus Atticis reddas incolumem precor*.

19. REMIGIUM ALARUM. Artem volandi. Et iterum miscet dicendo *remigium*, quod est navis. POSUIT. Exaedificavit.

20. LETHUM ANDROGEO. Secundum Atticam linguam genitivus singularis Graecus est; cum ipse alibi: *Androgei galeam*. Quidam tamen hic subaudiunt *posuit*, id est, pinxit, ut Horatius: *Qualis Parrhasius protulit, aut Scopas, solers nunc hominum ponere nunc deum: hic saxo; liquidis ille coloribus*. Sane nonnulli hunc *Androgeum*, non ita, quemadmodum supradictum est, insidiis occisum; sed a Marathonio tauro, qui flammas vomere dicebatur, conflagratum tradunt.

PIERII.

te adeo invaluit consuetudo, ut *lachrymare* per *ch* & *y* notetur, ut si de *i* Latino mentionem feceris, risui pene omnibus habearis; sed sit satis, ut unusquisque sua noverit ire via.

7. AB-

Cecropidae jussi (miserum) septena quot annis
Corpora natorum; stat ductis sortibus urna:
Contra elata mari respondet Gnossia tellus:
Hic crudelis amor tauri, suppostaque furto
25 Pasiphaë, mixtumque genus, prolesque biformis
Minotaurus inest, Veneris monumenta nefandae:
Hic labor ille domus, & inextricabilis error.
Magnum reginae sed enim miseratus amorem
Daedalus, ipse dolos tecti ambagesque resolvit,
30 Caeca regens filo vestigia: Tu quoque magnam

Par-

SERVII.

21. CECROPIDAE JUSSI. Athenienses, a rege Cecrope, ut *Romulidae*, id est, Romani, a Romulo. PENDERE autem, solvere: quod, ut supra diximus, tractum est a pecuniaria damnatione. MISERUM. Dolentis iuterjectio: ac si diceret *nefas*, ut: *Sequiturque (nefas) Aegyptia conjux*. Et quid est *miserum?* subjunxit, dicens: SEPTENA QUOTANNIS CORPORA NATORUM. *Septena quotannis*, quidam septem pueros & septem puellas accipi volunt, quod & Plato dicit in Phaedone, & Saffo in Lyricis, & Bacchilides in Dithyrambis, & Euripides in Hercule: quos liberavit secum Theseus, quorum haec nomina feruntur: Hippoforbas & libi, id est, * Arcadis, Antimachus Euandri, Mnestheus Sumiani, Fidocus Ramnutis, Demolion Cydani, Puriesion Celei: Puellae hae, Phereboea Alcatini * Medippe Pyrii, Jesione Celei, Andromache Eurymedontis, Eurymedusa Polyxeni, Europe Laodicis, Milita Triaconi. *

22. CORPORA NATORUM. Bene corpora, quae adempta vita consumebantur; ut super orbientem parentibus ne sepelire quidem liberos licuisset: magna ergo periphrasi dictum est. STAT. Aut horret, ut: *Stant lumina flamma:* aut plena est, ut: *Pulvere coelum stare vident:* Aut re vera *stat*, post ductis sortes; aut certe ad picturam respexit: nam volvi in pictura non poterat urna: & licet non potuerit urna; & non sit urnae stare; de pictura tamen bene dictum est. Sed si *stat*, horret acceperimus, DUCTIS SORTIBUS, intelligimus, de qua ducebantur, ut: *Et qua vectus Abas*. Nam apassivo, ut saepe jam diximus, inveniri non potest participium praesens. Proprie autem *ductis sortibus*. Sallustius: *Sortibus ductos fusti necat*.

23. ELATA MARI. Perite dixit; eminens est enim; & bene situm expressit; ut enim Sallustius dicit: *Creta altior est, qua parte spectat orientem*. RESPONDET. Aspicitur: nam contra Athenas est posita.

24. SUPPOSTAQUE FURTO. Hoc est, furtim inclusa in vaccam ligneam, quae erat operta ejus vaccae corio, quam maxime taurus adpetebat; *furto*, adulterio, ut: *Vulcani, Martisque dolor, & dulcia furta*. Potest autem, sicut dictum est, & ad vaccam referri, cujus specie tauro furata sit coitum.

25. MIXTUMQUE GENUS. Secundum veritatem; quia duos peperit, unum ex Tauro, alterum ex Minoe. PROLESQUE BIFORMIS. Secundum fabulam: quia viro mixtus esset Taurus.

26. VENERIS MONUMENTA NEFANDAE. Aut memoria turpissimi coitus: aut ultio Veneris, a Sole proditae. Significat autem Minotaurum.

27. INEXTRICABILIS ERROR. Insolubilis, indeprehensibilis. Horatius: *Si pugnat extricata densis cerva plagis*. Si extricata, est soluta; inextricata, insoluta sine dubio.

28. REGINAE. Regis filiae, Ariadnes.

PIERII.

7. ABSTRUSA IN VENIS. Antiqui aliquot codices, *obstrusa* legunt; sed *abstrusa*, receptior lectio.

24. DAEDALUS, UT FAMA EST. Antiqui plerique codices, *est*, non habent; sed absque eo verbo versus nimium elanguescere videretur.

20. IN FORIBUS LETUM ANDROGEO. Quamvis Priscianus & Servius in *Androgeo* Atticum agnoscant idioma; in veteribus tamen plerisque codicibus, *Androgei*, Latino idiomate scriptum observavi. Quam lectionem improbat Probus, ne novam hanc quis putet quaestionem, evenisseque id ob Graecae declinationis, qua Virgilius usus fuerit, ignorantiam dicit. Citat etiam Carisius locum hunc, ubi genitivum *Androgeo*, facere ostendit ex nominativo, qui sit *Androgeos*, de quo secundo libro plura diximus.

Partem opere in tanto, sineret dolor, Icare, haberes.
Bis conatus erat casus effingere in auro:
Bis patriae cecidere manus. Quin protenus omnia
Perlegeret oculis; ni jam praemissus Achates
35 Adforet, atque una Phoebi Triviaeque sacerdos,
Deiphobe Glauci; fatur quae talia regi:

Non

SERVII.

31. OPERE IN TANTO. In foribus adfabre factis.

33. BIS PATRIAE CECIDERE MANUS. Ideo, quia patriae, ex affectu & paterna pietate. QUIN PROTINUS OMNEM. Ostendit plura fuisse, quam dixit, depicta.

34. PERLEGERENT. Perspectarent; scilicet, picturam. Nec incongrue dictum, *legerent*: cum Graece γράφειν, & *pingere* dicatur & scribere. Hoc est, quod ait Horatius in Arte poetica: PRAEMISSUS ACHATES. Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus.

36. DEIPHOBE GLAUCI. Subaudis filia, & est proprium nomen Sibyllae. Multae autem fuerunt, ut supra diximus, quas omnes Varro commemorat in libris Rerum divinarum: & requirit, a qua sint fata Romana conscripta; & multi sequentes Virgilium, ab hac *Cumana* dicant: at quae licet longaeva legatur, non tamen valde congruit eam usque ad Tarquinii tempora durasse, cui Sibyllinos libros constat oblatos. Ducitur tamen Varro, ut Erythraeam credat scripsisse, quia post incensum Apollinis templum, in quo fuerant, apud Erythram insulam, in Asia, ipsa inventa sunt carmina.

PIERII.

31. PARTEM OPERE IN TANTO SINERET DOLOR, ICARE, HABERES. In antiquis aliquot, duo illa verba *Icare haberes*, desiderantur, Tetrametro dactylico codicibus tantum adnotato: *Partem opere in tanto sineret dolor*; sed sive Virgilius, sive alius quispiam, versum absolverit, nihil mihi videtur eo fine dici potuisse adcommodatius.

33. QUIN PROTINUS OMNEM PERLEGERENT OCULIS. In veteribus nonnullis exemplaribus, *omnem*, omnino scriptum animadverti. Et quia *picturam perlegerent*, Servius exponit, putarunt multi *omnem* ita positum, ut, *picturam*, subintelligeretur, quae quidem duricies a Virgiliana phrasi, a facilitate, candoreque ipso plurimum aliena est. Sane vero Macrobius & Priscianus, & plerique alii, *omnia*, castiorem lectionem agnoscunt, proque dactylico carmine locum citant; neque opus, ut qui subsequitur versus a vocali incipiat, ut fiat hypermetri synaloepha; nam & ejusmodi rationis versus alibi etiam reperiuntur, ut in Bucol. *Nec tantum Rhodope miratur & Ismarus Orphea*: neque non illud: *Atria dependent Lychni laquearibus aureis*. Quod siquis dactylicum non admittat, saltem Synizesin ex tam brevibus duabus ultimis, in dictione *omnia*, syllabis non rejiciat, quae quidem tam exiles tamque tenues sunt, ut vix pro una longa sufficiant. At veteres plerique codices, partim *omne*, una minus littera, partim *omnes* legunt. Ac *omne* quidem in Romano est, quia veriti sunt librarii dactylum in fine ponere; genus tamen mutare non ausi sunt. Qui vero *omnes* scribere maluerunt, subintelligi Duces, Heroas, aut viros ibi pictos voluere. Sed pluris apud me fuerit Macrobii & Prisciani auctoritas, quam eorum conjectura, qui veneres, quas prae se ferunt numeri, figuraeque hujusmodi, admittere verentur. Quod autem pertinet ad Servium, tametsi exposuit ille, *perlegerent*, *scilicet picturam*: non hoc ostendit, *omnem picturam*, legendum esse: quum Servius immoretur in eo, ut verbum *perlegerent* non alienum ostendat a verbo γράψαι, quod & *scribere*, & *pingere* significat. Quantum vero pertinet ad verbum *perlegerent*, Terentius Scaurus (ubi de geminandis liquidis in compositione, si verbum sequens ab aliqua earum incipiat, praecepta tradit) Virgilii locum hunc citat, apud quem *pelligerent*, scriptum asserat, relictumque ita ab Auctore ipso: eosque improbat, qui *perlegerent*, per *r*, ut vulgata nunc habent exemplaria, legant, dicendumque ait *pelligo*, ut *alligo*, & *colligo*, prout etiam omnes antiqui, ut ait ille, dicere consuerunt. Ad haec Velius Longus *per* praepositionem omnibus integram praeponi dicit, nisi quum incidit in *l* litteram: tunc enim elegantiores viri eam, ait, geminare malunt quam *r* litteram exprimere. Hinc *pellabor* malunt dicere, quam *perlabor*. Adverte vero in exemplis citandis Velii codices corruptos esse: de iis loquor, qui in manus nostras devenere. Sed quanquam ita Grammatici legendum tradant, nullum tamen adhuc antiquum codicem inveni, in quo non scriptum sit *perlegerent*, praepositione incolumi. Ita plerumque

adhi-

Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit.
Nunc grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Praeſtiterit, totidem lectas de more bidentis.
40 Talibus adfata Aenean (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
Exciſum Euboicae latus ingens rupis in antrum:
Quo lati ducunt aditus centum, oſtia centum:
Unde ruunt totidem voces, reſponſa Sibyllae.
45 Ventum erat ad limen, cum virgo, Poſcere fata
Tempus, ait. Deus, ecce, deus. Cui talia fanti
Ante fores ſubito non vultus, non color unus,

Non

SERVII.

37. NON HOC ISTA SIBI TEMPUS SPECTACULA POSCIT. Et ſupra diximus, Apollinem ſex menſibus apud Lycios, & ſex apud Delum dediſſe reſponſa: item lectum eſt, deos aliquotiens tantum kalendis; aliquotiens tantum idibus vaticinari; nonnunquam diei vel prima, vel media, vel poſtrema parte: unde eſt in Jure *fiſſus dies*, id eſt, non totus religioſus, quem nunc oſtendit, dicens non oportere Aeneam, religioſam diei partem perdere, id eſt, oraculis congruam. Sane ſciendum POSCIT lectionem eſſe meliorem: tempus enim poſcit ſpectacula, non a ſpectaculis poſcitur.

38. NUNC GREGE DE INTACTO. *Gregem* pro armento poſuit: nam de juvencis dicturus eſt; ſed haec per poeticam licentiam ſaepe confundit. Illo loco proprie poſuit: *Quinque greges illi balantum quina redibant Armenta*. INTACTO autem, indomito, ut: *Intacta totidem cervice juvencas*.

39. LECTAS DE MORE BIDENTES. De more, antiquo ſcilicet, quem praetermiſit, quaſi tunc omnibus notum: is eſt, ne habeant caudam aculeatam; ne linguam nigram; ne aurem fiſſam: per quod docet aliud eſſe *intactum*, aliud *lectum*. BIDENTES autem, ut diximus ſupra, oves ſunt circa bimatum, habentes duos dentes eminentiores: quae erant aptae ſacrificiis.

42. EUBOICAE RUPIS LATUS. Deeſt *eſt*: hoc eſt, montis Cumani, quem Euboici habitaverunt. Eſt autem Acyrologia: coloniae enim epitheton rei dedit immobili. IN ANTRUM. In antri ſimilitudinem, ut: *Portus ab euroo fluctu curvatus in arcum*.

43. QUO LATI DUCUNT ADITUS CENTUM. Non ſine cauſſa & *aditus* dixit & *oſtia*: nam Vitruvius, qui de Architectonica ſcripſit, *oſtium* dicit, per quod ab aliquo arcemur ingreſſu, ab *obſtando* dictum; *aditum* ab *adeundo*, per quem ingredimur. OSTIA CENTUM. Finitus numerus pro infinito; licet poſſit & rationabiliter dictum eſſe. Reſponſa enim Sibyllae in hoc loco plus minus centum ſermonum ſunt. Inveniuntur tamen Apollinis elogia, & viginti quinque & trium ſermonum: unde & melius eſt finitum pro infinito accipi.

44. TOTIDEM VOCES. Ac ſi diceret, & tot ſermones.

46. DEUS ECCE DEUS. Vicinitate templi jam adflata eſt numine: nam furentis verba ſunt, deum velle oſtendere, qui ipſi tantum videtur. Sane cauti ſatis eſſe debemus, quando plena ſit numine, & quando deum deponat: de Miſeno enim poſt vaticinationem dictura eſt.

47. NON COLOR UNUS. Idem Lucanus: *Stat nunquam facies*.

PIERII.

adligo, & *conligo*. Aetas vero noſtra maiorem Grammaticis quam antiquis ſcriptionibus fidem adhibet. Et tamen Scauri nullus adhuc, quod ſciam, ſententiam eſt ſecutus.

36. DEIPHOBE GLAUCI. Innumeros pene codices invenias, in quibus inemendate *Deiphoebe*, vel *Deiphebe*, ſcriptum ſit; ſed enim caſta lectio Δηιοφόβη, *Deiphobe*: uti etiam Δηίφοβος inferius, quod fere paſſim in codicibus antiquis, librariorum inſcitia, *Deiphoebus* ſcriptum habetur.

37. NON HOC ISTA SIBI TEMPUS SPECTACULA POSCIT. In Romano codice, *poſcunt*, numero multitudinis eſt: ut tempus ſit appoſitum, quippe quod alii negotio ſit impendendum.

Non comtae mansere comae; sed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
50 Nec mortale sonans, adflata est numine quando,
Jam propiore Deo. Cessas in vota precesque,
Tros, ait, Aenea? cessas? neque enim ante dehiscent
Adtonitae magna ora domus. Et talia fata
Conticuit. Gelidus Teucris per dura cucurrit
55 Ossa tremor, funditque preces rex pectore ab imo:
Phoebe, gravis Trojae semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela manusque
Corpus in Aeacidae; magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te, penitusque repostas
Mas-

SERVII.

48. COMTAE COMAE. Antehac scilicet: nam propter sacra resolutae sunt, ut: *Vittasque resolvit sacrati capitis*.

49. MAJOAQUE VIDERI. Videbatur; sicut solebat in vaticinantibus apparere, per numinis praesentiam: quod humanis inludebat aspectibus: unde ait: *Majorque videri*. Non enim erat re vera.

50. NEC MORTALE SONANS. Alia enim vox numinum est, ut: *Nec vox hominem sonat*. Item: *Vocisve sonus, vel gressus euntis*. ADFLATA EST NUMINE. Nondum deo plena; sed adflata vicinitate numinis. QUANDO. Siquidem: nam conjunctio est, non adverbium.

51. CESSAS IN VOTA. Tardus es ad vota facienda: nam si dixerit *Cessas in votis*: hoc significat, tardus es dum vota facis. Aliud est, *cessas in illam rem*; aliud *cessas in illa re*: tardus es ad faciendam rem; & tardus es in facienda re. Figurate autem dixit, *cessas* circa promittenda vota numinibus.

52. TROS. Principale pro derivativo, pro, *Troius*. ANTE DEHISCENT. Tractum est de Matris deum templo: quod non manu, sed precibus aperiebatur.

53. ATTONITAE. Stupendae; non stupentis. Ergo ATTONITAE, facientis attonitos, ut: *Mors pallida: Tristis senectus*. ORA DOMUS. Quia supra ait: *Unde ruunt totidem voces responsa Sibyllae*.

54. PER DURA CUCURRIT OSSA TREMOR. Religionis est & divinae reverentiae. Alibi: *Ipse manum multo suspensam numine ducit*.

55. PECTORE AB IMO. A mentis intimo; nec immerito: nam illa re divinitas flectitur, quae est nobis cum divinitate communis, id est, sensu.

56. PHOEBE, GRAVES TROJAE SEMPER MISERATE LABORES. Secundum Homerum, qui eum dicit semper Trojae propugnatorem fuisse. Et bene ait, *miserate*, quia Troja defendi non potuit: ideo non dixit, qui defendisti; sed miseratus es.

57. DARDANA QUI PARIDIS. Achilles, a matre tinctus in Stygiam paludem, toto corpore invulnerabilis fuit, excepta parte, qua tenrus est manu matris: unde Statius: *Si te Stygis amne severo Armavi, totumque utinam*: qui, cum amatam Polyxenam, ut in templo acciperet, statuisset, insidiis Paridis, post simulachrum latentis, occisus est: unde fingitur, quod, tenente arcum Apolline, Paris direxerit tela. Et bene ait DIREXTI, quasi ad solum vulnerabilem locum. *Dardana* autem ideo, ut non adultero, sed genti praestitisse videatur. TELA MANUSQUE. Vel quia aliud sine alio esse non potest; vel hoc dicit: Et artem per tela, ut nosset quid feriret; & virtutem per manus dedisti, ut Achillis fata compleret.

58. MAGNAS OBEUNTIA TERRAS. TOT MARIA INTRAVI. Terras cingentia. Oceanus quippe ambit omnes terras: & licet iste per ea maria navigaverit, quae terris cinguntur; tamen non dixit improprie; cum de Oceano ista nascantur.

59. TOT MARIA. Dicendo *maria*, partem eum maris navigasse significat, non totum mare. *Mare* enim elementum est totum; *Maria* vero, partes maris; sicut & *terrae*, partes sunt; *terra* vero, totum elementum est. PENITUSQUE REPOSTAS. Longe remotas, avias.

PIERII.

60 Maſſylum gentis, praetentaque Syrtibus arva.
Jam tandem Italiae fugientis prendimus oras.
Hac Trojana tenus fuerit Fortuna ſecuta.
Vos quoque Pergameae jam fas eſt parcere genti,
DIque Deaeque omnes, quibus obſtitit Ilium, & ingens
65 Gloria Dardaniae. Tuque, o ſanctiſſima vates,
Praeſcia venturi, da (non indebita poſco)
Regna meis fatis; Latio conſidere Teucros,
Errantiſque deos, agitataque numina Trojae.

Tum

SERVII.

60. MASSYLUM GENTES. *Maſſyli*, ſunt Mauri: unde ſpeciem pro genere poſuit: nam Aeneas ad Africam venit: cujus partem conſtat eſſe *Maſſyliam*: Mediterranea enim eſt pars Mauritaniae: unde a parte totum accipere debemus: praeſertim cum media longa ſit: nam *Maſſylia*, media brevi, civitas eſt Galliae; Lucanus: *Maſſyliam delere vacat*. PRAETENTAQUE SYRTIBUS ARVA. Circumfuſa: incerta enim illic ſunt maria & terrae: unde ait Lucanus: *Aequora fracta vadis, abruptaque terra profundo*.

61. PRENDIMUS. Quippe *fugientem Italiam*.

62. HAC TROJANA TENUS. Id eſt, hactenus, hucuſque: id eſt, hic ſit finis: nam tenus, proprie eſt extrema pars arcus, ut Plautus oſtendit in Bacchid. *Ita intendi tenus*. Unde tractum eſt, ut *hactenus*, hucuſque ſignificet. TROJANA autem FORTUNA, a praejudicio, id eſt, mala, adverſa: & dicit iniquum eſſe, ut Trojanam fortunam patiantur in Italia.

63. FAS EST PARCERE GENTI. Quae ſe victam fatetur.

64. QUIBUS OBSTITIT ILIUM. Ganymedes enim Hebae obfuit; Paris Minervae, & Junoni. Quod autem, cum dixerit, *Diique deaeque omnes*, dearum tantum reperiamus exempla, non mirum eſt, cum ſupra dixerimus ἀρσενοθήλεις eſſe omnes deos. Poſſumus ergo & per unam rem utrumque intelligere; licet dicatur etiam Neptuno obfuiſſe Troja ex denegatione mercedum. Novimus praeterea eſſe morem poeticum, ut duabus propoſitis rebus uni reſpondeant, ut: *Navita cum ſtellis numeros, & nomina fecit: Pleiadas, Hyadas, clarumque Lycaonis Arcton*: nam ſuppreſſo numero dixit nomina.

66. PRAESCIA VENTURI. Abſolutum eſt, rerum venturarum. DA. Dic, ut: *Qui ſit, da Tityre nobis*. Unde eſt e contra: *Accipe nunc Danaum inſidias*. Non enim aliquid praeſtare poterat, ſed indicare futura. NON INDEBITA POSCO REGNA MEIS FATIS. Deeſt *ſi*. Eſt autem ὁρμὸς, id eſt, longiſſimum Hyperbaton, Phoebe, & Vos dii deaeque: tuque o vates, *da*, id eſt, dic Latio Teucros conſidere, ſi non poſco regna meis fatis indebita. *Dic* autem *conſidere*, id eſt, utrum poſſimus conſidere. Et verecunde dictum eſt: *Non poſco indebita*; cum certum conſtet eſſe, regna deberi.

68. ERRANTESQUE DEOS. Ut: *Diis ſedem exiguam patriis*. AGITATAQUE NUMINA TROJAE. Aut mecum vexata: aut certe ξόανα dicit, id eſt, ſimulacra brevia, quae portabantur in lecticis, & ab ipſis mota infundebant vaticinationem: quod fuit apud Aegyptios & Carthaginenſes.

PIERII.

55. FUDITQUE PRECES REX. In antiquis pene omnibus exemplaribus, *fundit*, praeſenti tempore ſcriptum.

59. PENITUSQUE REPOSTAS MASSYLUM GENTIS. In Romano codice, legere eſt *Peniſque repoſtas*: hoc eſt, ad Poenos uſque, elocutione inſolita, quare longe melius *penitus*, ut illud: *Et penitus toto diviſos orbe Britannos*.

63. VOS QUOQUE PERGAMEAE JAM FAS EST PARCERE GENTI. In codicibus aliquot antiquis, *parcite*, legitur depoſcendi forma, quod forte non diſpliceat, quanquam *parcere*, infinitivum, ſonat elegantius.

64. QUIBUS OBSTITIT ILIUM, ET INGENS GLORIA DARDANIAE. Veteres plerique codices, *Ilion ingens* legunt: ut Ovidianum illud: *Ilion & Tenedos*. Sed enim magis Virgilianum eſt, *Ilium & ingens* legere, gratiore numero, & ſententia dilucidiore.

67. LATIO CONSIDERE TEUCROS. In Romano codice, *conſiſtere*, legitur. Et in primo Aeneidos eandem hujus verbi varietatem oſtendimus eo loco: *Vultis & his mecum pariter conſidere regnis?* Nam aliquot exemplaria, ibi etiam *conſiſtere* legunt; ſed enim *conſidere*, omnino magis placet eruditis viris.

Tum Phoebo & Triviae solido de marmore templum
70 Instituam, festosque dies de nomine Phoebi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas sortis, arcanaque fata,
Dicta meae genti, ponam, lectosque sacrabo
Alma viros. Foliis tantum ne carmina manda;
75 Ne turbata volent rapidis ludibria ventis.
Ipsa canas oro. Finem dedit ore loquendi.
At, Phoebi nondum patiens, inmanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit

Ex-

SERVII.

69. TUM PHOEBO ET TRIVIAE. Ut solet, miscet historiam: nam hoc templum in Palatio ab Augusto factum est; sed, quia Augustus cohaeret Julio, qui ab Aenea ducit originem, vult Augustum parentum vota solvisse, & ab Aenea vota per se reddere, quasi & dignitatis haeredem, propter stirpem, unde descendit.

70. FESTOSQUE DIES DE NOMINE PHOEBI. Ludos Apollinares dicit, qui secundum quosdam bello Punico secundo instituti sunt: secundum alios tempore Syllano, ex responso Martiorum fratrum, quibus Sibylla prophetaverat, quorum extabant, ut Sibyllina, responsa.

71. TE QUOQUE MAGNA MANENT NOSTRIS PENETRALIA REGNIS. Id est, coleris ut numen. *Manent* autem, exspectant, in futurum. PENETRALIA. Secreta templorum.

72. TUAS SORTES. Id est, Sibyllina responsa, quae, ut supra diximus, incertum est cujus Sibyllae fuerint: quanquam Cumanae Virgilius dicat, Varro Erythraeae. Sed constat, regnante Tarquinio, quandam mulierem, nomine Amaltheam, obtulisse ei novem libros, in quibus erant fata & remedia Romana: & pro his poposcisse ter centum philippeos, qui aurei tunc pretiosi erant. Quae contempta, alia die, tribus incensis, cum sex reversa est, & tantundem poposcit; ac denuo contempta est: item tertio, aliis tribus incensis, cum tribus tantum reversa est; & accepit quantum postulaverat pro novem: hac ipsa re commoto rege, quod pretium non mutabat: tunc mulierem subito non apparuisse. Qui libri in templo Apollinis servabantur: nec ipsi tantum, sed & Martiorum, & Begoes Nymphae, quae Artem scripserat Fulguritarum apud Tuscos: unde & addidit modo *Tuas sortes, arcanaque fata*: & hoc inde trahit poeta. Aeneam tantum inducit, quasi de praesenti dicentem oraculo.

73. LECTOSQUE SACRABO ALMA VIROS. Quia nisi patricii non fiebant librorum custodes. Sciendum tamen, primum duos librorum fuisse custodes: inde decem; inde quindecim, usque ad tempora Syllana. Post crevit numerus: nam & sexaginta fuerunt; sed remansit in his Quindecimvirorum vocabulum.

74. FOLIIS TANTUM NE CARMINA MANDA. Ut Varro dicit: *In foliis palmae interdum notis, interdum scribebat sermonibus*: ut diximus supra.

76. IPSA. Pro Tu: & posuit pronomen ejus personae, de qua loquimur, pro illius, cum qua loquimur: est autem Graecum, nam dicunt αὐτὴ εἰπέ, id est, tu dic. FINEM DEDIT ORE LOQUENDI. Hoc est, definivit ei, ut ore loqueretur, nec in foliis scriberet.

77. NONDUM PATIENS. Aut quae nondum posset implere oraculorum sermones: aut DUM vacat; & est impatiens Phoebi.

78. BACCHATUR VATES. Bene BACCHATUR: idem enim est Apollo, qui Liber pater, qui Sol: unde ait Lucanus: *Cui numine mixto Delphica Thebanae referunt Trieterica Bacchae*: unde in eorum sacris erat Phoebadum Baccharumque conventus.

PIERII.

69. SOLIDO DE MARMORE TEMPLA INSTITUAM. In Romano codice, *templum constituam*, legitur. In Longobardico, *templum* quidem est; sed *instituam* verbum, ut etiam ad festos dies adcommodetur.

74. FOLIIS TANTUM NE NOMINA MANDA. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot versare mihi contigit, *carmina*, non *nomina*, scriptum inveni: quae quidem lectio Servium non latuit.

Excussisse deum. Tanto magis ille fatigat
80 Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras.
O tandem magnis pelagi defuncte periclis:
Sed terra graviora manent. In regna Lavini
85 Dardanidae venient. mitte hanc de pectore curam:
Sed non & venisse volent· Bella, horrida bella,
Et Thybrim multo spumantem sanguine cerno.
Non Simoïs tibi, nec Xanthus, nec Dorica castra
De-

SERVII.

79. EXCUSSISE DEUM. *Excuti* proprie de equis dicimus: quod inde traxit, quia Phoebus, id est, Sol, equis utitur. Et nunc Sibyllam, quasi equum; Apollinem, quasi equitem, inducit: & in ea permanens translatione, *excussisse ait*, ut: *Excussus Aconteus*. Item: *Fera corda domans*: quod est equorum proprium, & frenos pati, & stimulos, ut: *Ea frena furente Concutit, & stimulos sub pectore vertit Apollo*. Quod autem dicit: MAGNUM DEUM, non re vera ait; sed retulit ad affectum colentis, ut: *Summe deum, sancti custos Soractis Apollo*. Unicuique enim deus ipse, quem colit, magnus videtur. *Excussisse* vero *deum*, pro excutere: tempus est pro tempore. Est autem Attica figura, qua nos uti convenit: ut [illegible] ponatur ἀντὶ [illegible], ut γράψαι pro γράφειν Hac licenter utuntur poetae.

80. FINGITQUE PREMENDO. Componit, ut: *Et corpora fingere lingua*. Componit autem ad moderationem certam dicendi: ut enim supra diximus, omnia quidem vident; sed non omnia indicant sacerdotes: ut supra de Heleno: & Lucanus: *Nec tantum prodere vati, Quantum scire licet*.

81. OSTIA JAMQUE DOMUS PATUERE. Precibus scilicet: & quae antea ostia erant, patefacta, aditus esse coeperunt.

82. FERANT RESPONSA. Quia, ait supra: *Ora domus*.

83. PELAGI DEFUNCTE PERICLIS. Non liberate pelago, sed marinis periculis: nam adhuc navigaturus est; sed sine ullo discrimine. *Defuncte* autem, liberate: nam dicimus *defunctos officio*, qui officia debita complerunt: unde est & *honoribus functi*: hinc & *defunctos*, mortuos dicimus, qui compleverunt vitae officia; unde est: *Et nil jam coelestibus ullis Debentem*.

84. SED TERRA. Legitur & *terrae*; unum tamen est. IN REGNA LAVINI. Alii LATINI legunt, cujus tunc erant; sed quia divina loquitur, futura praeoccupat: postea enim *Lavinium* dicetur; licet possit ad *Lavinum*, Latini fratrem, referri, qui illic ante regnavit.

86. HORRIDA BELLA. Quae contra hospitem cognatumque suscepta sunt, ut Latinus dicturus est: *Arma impia sumpsi, Promissam eripui*.

87. SPUMANTEM SANGUINE CERNO. Quasi non praedicit, sed videt, quod facturus est Turnus, ut: *Recalent Tyberina fluenta Sanguine adhuc*.

88. NON SIMOIS TIBI, NEC XANTHUS. Tyberinus & Numicus, in quem cecidit. NEC DORICA CASTRA. Graeca: & re vera: nam Turnus Graecus fuit, ut: *Et Turno si prima domus repetatur origo, Inachus Acrisiusque patres, mediaeque Mycenae*.

PIERII.

84. SED TERRA GRAVIORA MANENT. In codicibus quibusdam admodum vetustis, *terrae*, genitivo casu legitur, subintelligendo *pericula*: veluti dixerat: *Pelagi defuncte periclis*. Magis tamen placet *terra* adverbialiter. IN REGNA LAVINI DARDANIDAE VENIENT. Vetera quaedam exemplaria legunt, *& regna*, pro, *in regna*, praepositione praeterita: prout etiam factum statim in principio libri primi: *Italiam fato profugus Lavinaque venit Littora*. Sunt & qui *Latini* legendum autument, Servio etiam super syllaba *Latini* prima plurimum dubitante. In codicibus tamen omnibus antiquioribus *Lavini*, scriptum observavi, praeter nonnullos, in quibus *Latini*, subdititia lectio est, priore abrasa dictione; sed enim plura de hoc in VII. ubi versum illum, *Exsulibus ne detur ducenda Lavinia Teucris*. In codicibus quibusdam antiquis aliter legi ostensum est.

Defuerint. Alius Latio jam partus Achilles,
90 Natus & ipſe dea. Nec Teucris addita Juno
Uſquam aberit: cum tu ſupplex in rebus egenis
Quas gentis Italum, aut quas non oraveris urbis!
Cauſſa mali tanti conjux; iterum hoſpita Teucris;
Externique iterum thalami.
95 Tu ne cede malis: ſed contra audentior ito,
Quam tua te Fortuna ſinet. Via prima ſalutis,
Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumaea Sibylla
Horrendas canit ambages, antroque remugit,
100 Obſcuris vera involvens. Ea frena furenti
Concutit, & ſtimulos ſub pectore vertit Apollo.
Ut primum ceſſit furor, & rabida ora quierunt;

Inci-

SERVII.

89. PARTUS ACHILLES. Turnum ſignificat: ſic hoc dictum eſt, ut in Bucolicis: *Alter erit tum Tiphys, & altera quae vehat Argo Delectos Heroas*. Et hoc eſt quod dicit: *Obſcuris vera involvens*: nam licet vera ſint, latent: unde Apollo λοξίας dicitur, id eſt, *obliquus*.

90. NATUS ET IPSE DEA. De Venilia, ſorore Amatae, ut: *Cur diva Venilia mater*. Nec debet mirum eſſe, Amatam fuiſſe mortalem, cum etiam Turnus, Juturnae frater, mortalis fuerit: nam haec fuerant beneficia. ADDITA JUNO. Inimica. Eſt autem verbum Lucilii, & antiquorum, ut Plautus: *Argus quem quondam Joni Juno cuſtodem addidit*.

91. IN REBUS EGENIS. Per tranſitum oſtendit famen futuram.

93. CONJUX ITERUM HOSPITA. Nam & Paris ab Helena fuerat ſuſceptus hoſpitio. *Hoſpita* autem more ſuo dixit. Et bene, ne aliquid imputetur Aeneae, quaſi fatorum hoc eſſe praedicit.

95. TU NE CEDE. Ne cedas; ſed eſto audentior quam tua te fortuna permittat. Et bene adverſa fortunae docet virtute, aut vitari, aut imminui, aut patienter ſuſtineri. VIA. Ratio, opportunitas.

97. GRAJA PANDETUR AB URBE. Propter Euandrum, qui eum in Tuſciam miſſurus ad Tarchontem eſt.

98. EX ADITO. Locum vaticinationis oſtendit. CUMAEA SIBYLLA. *Cumaea* bene addidit propter diſcretionem Erythraeae.

99. ANTROQUE REMUGIT. Quia in antro eſt, ut: *Pulſati colles clamore reſultant*.

100. OBSCURIS VERA INVOLVENS. Vera & obſcura confundens; eſt autem Hypallage, veris obſcura inferens.

102. CESSIT FUROR. Non penitus receſſit; ſed paulatim coepit imminui: nam eſt paulo poſt de Miſeni morte dictura; quod non procedit, ſi nunc numen receſſit.

PIERII.

90. NEC TEUCRIS ADDITA JUNO. Multi quidem codices ex antiquis, *abdita*, legunt; ſed inemendate. *Addita* vero vocabulum Lucillianum agnoſcit Servius.

95. SED CONTRA AUDENTIOR ITO, QUAM TUA TE FORTUNA SINET. In plerisque veteribus cod. *qua*, legere eſt. Quod forte non diſpliceat; ſed plus eſt *quam* dicere: quia id etiam adhortatur, ut fortunam ipſam ſuperare contendat, quum ex altero ei tantum obſequendum praecipiatur.

98. CUMAEA SIBYLLA. Multa quidem ex nominibus Graecis, quae jure Latii donata ſunt, *y* in *u* commutarunt. In Rom. tamen codice, pleraque ex iis, quae vulgo per *u* proferimus, per *y* ſcripta reperias, ut *Cymaea*, quod etiam in Mediceo eſt, & ſuperius *Cymarum*. Contra vero, quae uſus nunc per *y* ſcribit, & enuntiat, ibi per *u* vocalem Latinam ſcripta eſſe, ut *inclutus*: quae quum inconſtanter adeo poſita ſint, bonam eorum partem praeterire conſilium fuit.

101. STI-

Incipit Aeneas heros: Non ulla laborum,
O virgo, nova mi facies inopinave surgit.
105 Omnia praecepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro: quando hic inferni janua regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso:
Ire

SERVII.

103. NON ULLA LABORUM. Pro nulla, ut: *Nullus aratro Cessit honos.*

104. O VIRGO. O, licet sit naturaliter brevis in Latinis sermonibus, apud Virgilium tamen pro longa habetur, ut hoc loco: *O virgo*. Item alibi: *Quis te magne Cato tacitum*. Exceptis, *ego*, ut: *Ast ego quae divum: duo*, ut: *Si duo praeterea: scio*, ut: *Nunc scio quid sit amor; & nescio*, ut: *Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos*. Apud alios *o*, nisi in Graecis nominibus, non producitur: quod & nunc sequi debemus. Dicunt tamen quidam, quod *o* tunc producitur in nominativo, quando & in genitivo producta fuerit: quod falsum est: nam & Virgilius produxit *virgo*, cum *virginis* faciat, & Lucanus *Cato* corripuit, ut: *Nos Cato da veniam;* cum *Catonis* faciat. Item *Juno*, cum producat Virgilius, Statius tamen corripuit. Sane sciendum, adlocutionem hanc esse suasoriam cum partibus suis: nam honestum est, quod dicit se patrem requirere; utile, ut ab eo patriae originem discat; necessarium, quia jusserat pater, ut: *Ditis tamen ante Infernas accede domos;* possibile, quia ait: *Quando hinc inferni janua regis Dicitur*. Item: *Potes namque omnia;* si omnia, & hoc. NOVA MI FACIES. Id est, species. Et sciendum, *mihi* pronomen nunquam in Synaeresim venire, ne incipiat esse blandientis adverbium: & licet quidam hujus loci nitantur exemplo, non procedit: vel quia unum est exemplum, vel quia potest esse etiam blandientis adverbium; *nil* vero, pro metri necessitate, cogitur: nam si pars sequens orationis a vocali inchoet, *nihil* dicimus, ut: *Heu nihil invitis fas quemquam fidere divis:* si autem a consonante inchoet, *nil* ponimus, ut Juvenalis: *Nil tale expectes: emit sibi multa. Videmus*. INOPINAVE SURGIT. Nomen est, non participium: nam *inopinata* diceret, quod non procedit. *Opinatus* enim venit ab eo, quod est *opinor;* sed quia *inopinor* non dicimus, ideo nec *inopinatus* facit: sicut & *nocens* participium est, quia invenimus *noceo* verbum; *innocens* vero nomen, quia *innoceo* non dicimus, esse participium non potest. Nullum enim participium est, quod & a verbo non trahatur: licet a sui verbi forma non veniat, ut *placita*, licet *placeor* non dicamus, tamen *placeo* invenimus; sicut & *pransus*, & *conatus*, & *tubatus:* Item *regnata*, *triumphata:* unde *galeatus*, & *tunicatus*, & *togatus* nomina comprobantur: nullum enim verbum horum originis reperitur.

105. OMNIA PRAECEPI, ATQUE ANIMO MECUM ANTE PEREGI. *Praecepi*, ante cognovi ab Heleno, vel a patre, qui ait: *Gens dura atque aspera cultu Debellanda tibi Latio est*. Dicit autem se futura partim audisse, partim mente praecepisse. Sed occurrit: Si novit omnia, quid consulit numen? Sed nosse se dicit omnia, quantum ad labores pertinet: & concedit totam petitionem, ut ad illud veniat, quo possit patrem videre: nam quod dicit *unum oro*, non solum dicit, sed praecipuum, ut: *Unam postbabita coluisse Samo*.

106. QUANDO. Siquidem: & est conjunctio.

107. ET TENEBROSA PALUS ACHERONTE REFUSO. Paludem pro lacu posuit: nam *Avernum* significat, quem vult nasci de Acherontis aestuariis. *Palus* autem, bene iste produxit *lus:* quia *palus*, *paludis* facit, quod supra plenius diximus. Horatius corripuit, ut: *Sterilisque diu palus aptaque remis*. *Tenebrosa* autem, nigra, per quod altam significat, ut: *Nigra fugit sub nube columbam:* id est, alta. ACHERONTE REFUSO. *Acheron*, fluvius dicitur Inferorum, quasi sine gaudio, ἄνευ χαρᾶς. Sed constat, locum esse haud longe a Baiis, undique montibus septum; adeo ut nec orientem, nec occidentem Solem possit aspicere; sed tantum medium. Quod & Homerus ipse scribit: Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε, πόλις τε, Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέποτ' αὐτοὺς Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν, Οὔθ' ὁπότ' ἂν στείχῃσι πρὸς οὐρανὸν ἀστερόεντα, Οὔθ' ὅταν ἂψ ἐπὶ γαῖαν ἀπ' οὐρανόθεν προτράπηται. Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι. Quod autem dicitur ignibus plenus, haec ratio est: omnia vicina illic loca calidis & sulphuratis aquis scatent. *Sine gaudio* autem ideo ille dicitur locus, quod Necyomantia, vel Sciomantia, ut dicunt, non nisi ibi poterant fieri: quae sine hominis occisione non fiebant: nam & Aeneas illic occiso Miseno sacra ista complevit, & Ulysses occiso Elpenore, sicuti sequentes Homeri versus testantur: licet cecidisse illum fingat Homerus, & inde mortuum esse: Ἐλπήνωρ δέ τις ἔσκε νεώτατος, οὔτε τι λίην Ἄλκιμος ἐν

Ire ad conspectum cari genitoris & ora
Contingat: doceas iter, & sacra ostia pandas.
110 Illum ego per flammas, & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnis pelagique minas caelique ferebat
Invalidus, vires ultra sortemque senectae.
115 Quin, ut te supplex peterem, & tua limina adirem,

Idem

SERVII.

πολέμῳ, οὔτε φρεσὶν ᾗσιν ἀρηρώς. Ὅς μοι ἄνευθ' ἑτάρων ἱεροῖς ἐν δώμασι Κίρκης Ψύχεος ἱμείρων κατελέξατο οἰνοβαρείων. Κινυμένων δ' ἑτάρων ὅμαδον καὶ δοῦπον ἀκούσας, Ἐξαπίνης ἀνόρουσε καὶ ἐκλάθετο φρεσὶν ᾗσιν, Ἄψορρον καταβῆναι ἰὼν ἐς κλίμακα μακρήν. Quanquam fingatur in extrema Oceani parte Ulysses fuisse: quod & ipse Homerus falsum esse ostendit ex qualitate locorum, quae commemorat ex tempore navigationis: dicit enim eum circa una nocte navigasse: & ad locum venisse, in quo sacra perfecit: quod de Oceano, non procedit; de Campania, manifestissimum est, ut hisce versibus testatur idem Homerus: Ἀλλ' ἐπὶ νὺξ ὀλοὴ τέταται δειλοῖσι βροτοῖσι. Νῆα μὲν ἔνθ' ἐλθόντες ἐκέλσαμεν, ἐκ δὲ τὰ μῆλα Εἱλόμεθ'· αὐτοὶ δ' αὖτε παρὰ ῥόον Ὠκεανοῖο, Ἤλθομεν, ὄφρ' ἐς χῶρον ἀφικόμεθ', ὃν φράσε Κίρκη. Praeterea a *Bajo* socio ejus illic mortuo, *Bajas* constat esse nominatas. Dicitur etiam vidisse Herculem: ideo, quia illic sunt *Bauliae*, locus Herculis, dictus quasi *Boaulia:* quod illic habuit animalia, quae Geryoni detracta ex Hispania adduxerat.

108. IRE CONTINGAT. *Ut* minus est, *Ut ire contingat:* ut iter doceas.

109. SACRA OSTIA PANDAS. Aut venerabilia, aut exsecranda, sicut de Tartaro dicturus est: *Sacrae panduntur portae*.

110. ILLUM EGO PER FLAMMAS. Meritum approbat patris, ut justum videatur esse desiderium. SEQUENTIA TELA. Ut: *Ardentes clypeos, atque aera micantia cerno*.

111. EX HOSTE RECEPI. Liberavi, ut: *Frugesque receptas*. *Ex hoste* autem, plus est, quam si ex hostibus diceret, ut diximus supra. *Ex hoste* enim generaliter dicitur; *ex hostibus*, partem ostendit; sicut dicendo *Terram*, significamus elementum; *terras* vero singulas partes, ut Africae, Italiae.

112. MEUM COMITATUS ITER. Non spe salutis, sed mei caussa, ut: *Cedo equidem, nec nate tibi comes ire recuso:* unde addidit *tibi*, id est, tui caussa, non mei.

113. CAELIQUE FEREBAT. Ut ante morte praeventus sit, quam ferre desierit. Et mire imperfecto usus est tempore, ac si diceret: adhuc, si viveret, ferret.

114. VIRES ULTRA, SORTEMQUE SENECTAE. Quia senectae sors quies est & otium; sicut pueritiae, ludus; amor, adolescentiae; ambitus, juvenalis aetatis. Ergo aliud ferebat pater, quam sors exigebat senectae.

PIERII.

101. STIMULOS SUB PECTORE VERTIT APOLLO. In codicibus aliquot antiquis, *versat*, habetur; sed in hac sententia, melius est *vertit*.

102. ET RABIDA ORA. Vetera pleraque exemplaria, *rapida*, legunt: quique lectionem eam volunt, *Rabiem*, inquiunt ex Aristotele, *in hominem non cadere, minus vero in Deum;* sed enim hoc ulterius est negotii: nos superius habemus de hac eadem persona: *Et rabie fera corda tument*.

104. O VIRGO NOVA MI FACIES. Romanus codex, *mihi*, semper eodem modo scribit, tam pro monosyllabo, quam pro soluta in duas syllabas dictione.

105. OMNIA PERCEPI. In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis, *praecepi*, legitur: quod idem est cum *animo mecum ante peregi*. Si vero *percepi* placet, ut in Longobardico, & in Mediceo habetur, *ante*, praepositio, utrique verbo fuerit applicanda: *Omnia ante percepi, & omnia ante mecum animo peregi*.

108. IRE AD CONSPECTUM CARI GENITORIS ET ORA CONTINGAT. In Romano codice, perpetuus ille modus, *ire*, pendet a verbo, *unum oro:* alio inde membro & *ora contingam*, legitur. In aliquot etiam codicibus inemendate, *contingit*, enuntiativo modo positum est. Magis tamen placet *oro contigat ire*, quod etiam Servius agnoscit.

115. UT TE SUPPLEX PETEREM, ET TUA LIMINA ADIREM, IDEM ORANS MANDATA DABAT. In ple-

Idem orans mandata dabat. Gnatique patrisque,
Alma, precor, miserere. Potes namque omnia: nec te
Nequidquam lucis Hecate praefecit Avernis.
Si potuit manis arcessere conjugis Orpheus,
120 Threïcia fretus cithara fidibusque canoris:
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque reditque viam toties. Quid Thesea, magnum
Quid memorem Alciden? & mi genus ab Jove summo.
Talibus orabat dictis, arasque tenebat.
125 Cum sic orsa loqui vates: Sate sanguine divom,

Tros

SERVII.

116. ORANS MANDATA DABAT. Sicut dictum est, ut: *Et supplex tua numina posco*. Major enim ad impetrandum vis est, cum rogare, cui possis jubere. MANDATA DABAT. Ut: *Huc casta Sibylla Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet*.

118. LUCIS HECATE PRAEFECIT AVERNIS. *Hecate* trium potestatum numen est: ipsa est enim *Luna*, *Diana*, *Proserpina*; sed solam Proserpinam dicere non potuit, propter lucos, qui Dianae sunt. Item Dianam, quia *Avernis* ait: unde elegit nomen, in quo utrumque constabit: unde Lucanus de Proserpina ait: *Hecate pars ultima nostrae*.

119. SI POTUIT MANES. Nititur exemplis, quae inferiora sunt per comparationem: ut ipse videatur justius velle descendere: nam Orpheus revocare est conatus uxorem; hic vult tantum patrem videre. Orpheus autem voluit quibusdam carminibus reducere animam conjugis: quod quia implere non potuit, a poetis fingitur receptam jam conjugem perdidisse, dura lege Plutonis: quod etiam Virgilius ostendit, dicendo ARCESSERE: quod evocantis est proprie.

120. FIDIBUSQUE CANORIS. Bene sonantibus chordis. *Fidibus* autem, est a nominativo *haec fidis*, ut sit pyrrhichius: nam *fides*, jambus est.

121. SI FRATREM POLLUX ALTERNA MORTE REDEMIT. Ut diximus supra: Helena & Pollux de Jove nati immortales fuerunt: nam Castor Tyndarei filius fuit: cujus mortem suo interitu fraterna pietas redemit. Quod ideo fingitur, quia horum stellae ita se habent, ut occidente una oriatur altera. Et iterum exemplum per comparationem: quod quia pium est, se ad frequentiam contulit dicendo, ITQUE REDITQUE VIAM TOTIENS: propter stellas inter se orientes & occidentes Castoris & Pollucis. Quod Homeri versus testantur in Odyssea Λ. Οἱ ἐ νέρθεν γῆς τιμὴν πρὸς Ζηνὸς ἔχοντες ἄλλοτε μὲν ζώουσ' ἑτερήμεροι, ἄλλοτε δ' αὖτε τεθνᾶσι, τιμὴν δὲ λελόγχασιν ἶσα θεοῖσι.

122. QUID THESEA. Durum exemplum: unde nec immoratus est in eo. Dicit autem inferos debere patere pietati, qui patuerunt infanda cupienti: nam hic ad capiendam Proserpinam ierat cum Pirithoo: & illic retentus luit poenas, ut: *Sedet aeternumque sedebit Infelix Theseus*.

123. MAGNUM QUID MEMOREM ALCIDEN? Melius sic distinguitur; licet quidam legant: *Quid Thesea magnum*: ut epitheton ei dent, qui per se non est magnus: nam Herculem etiam sine epitheto magnum intelligimus; sed melius est *magnum* dare Herculi, quam sacrilego. ET MI GENUS AB JOVE SUMMO. Occurrit tacitae quaestioni, tanquam Sibylla dixerit: Sed ii enim, qui descenderunt, a diis ducebant originem.

124. ARASQUE TENEBAT. Rogabant enim deos ararum ansas tenentes.

125. SATE SANGUINE DIVUM. Unde Aeneas desiit, inde haec sumpsit exordium.

PIERII.

plerisque omnibus antiquis exemplaribus, inter haec membra non habetur &, copulativa particula: & *idem orans*, varie legitur: nam codices nonnulli, *id memorans*, legunt, quod hoc loco mihi videtur otiosum. Alii quidam, *id me orans*: unde puto per librariorum inscitiam illud, *id memorans*, emanasse. Mihi vero tam vulgata lectio *idem orans*, quam antiqua ea, *id me orans* summopere satisfacit.

116. NATIQUE PATRISQUE. In antiquioribus exemplaribus, *gnati*, quod nonnulli alii corrupte *geniti* scripsere. Probus autem Valerius hoc citato loco Metaplasmum esse ait, κατὰ πάθος. Quare *gnati* scribendum, ut etiam in Mediceo codice habetur.

117. SI POTUIT MANES ARCESSERE. In antiquis ma-

Tros Anchiſiade, facilis deſcenſus Averno.
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. Pauci, quos aequus amavit
130 Juppiter, aut ardens evexit ad aethera virtus,
Dis geniti potuere. Tenent media omnia ſilvae,
Cocytuſque ſinu labens circumfluit atro.
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tar-

SERVII.

126. FACILIS DESCENSUS AVERNI. Legitur & AVERNO, id eſt, ad Avernum; ſed ſi *Averni*, Inferorum ſignificat: & lacum pro Inferis ponit.

127. NOCTES ATQUE DIES PATET ATRI JANUA DITIS. Id eſt, omni tempore homines in fata concedunt: & hoc poetice: nam Lucretius ex majore parte, & alii integre docent, Inferorum regna nec eſſe quidem poſſe: nam locum ipſorum quem poſſumus dicere, cum ſub terris eſſe dicantur Antipodes? In media vero Terra eos eſſe, nec ſoliditas patitur, nec centrum Terrae: quae ſi in medio mundi eſt, tanta ejus eſſe profunditas non poteſt, ut medio ſui habeat Inferos, in quibus eſſe dicitur Tartarus, de quo legitur: *Bis patet in praeceps tantum tenditque ſub umbras, Quantus ad aetherium coeli ſuſpectus olympum.* Ergo hanc Terram, in qua nos vivimus, Inferos eſſe voluerunt, quia eſt omnium circulorum infima: planetarum ſcilicet ſeptem, Saturni, Jovis, Martis, Solis, Veneris, Mercurii, Lunae: & duorum magnorum, Horizontis & Ζωδιακοῦ de quibus ſuperius plenius. Hinc eſt, quod habemus: *Et novies Styx interfuſa coercet:* nam novem circulis cingitur Terra. Ergo omnia, quae de Inferis finguntur, ſuis locis, hic eſſe comprobabimus. Quod autem dicit: PATET ATRI JANUA DITIS, &c. aut poetice dictum eſt, aut ſecundum philoſophorum altam ſcientiam: qui deprehenderunt, bene viventium animas ad ſuperiores circulos, id eſt, ad originem ſuam redire, quod dat Lucanus Pompejo: *Ut vidit quanta ſub nocte jaceret Noſtra dies;* male viventium vero diutius in his permorari corporibus, permutatione diverſa, & eſſe apud Inferos ſemper.

129. PAUCI QUOS AEQUUS AMAVIT JUPPITER. Tria genera hominum dicit ad ſuperos poſſe remeare: quos diligit Juppiter, id eſt, hos, quos in ortu benignus ſyderum aſpectus irradiat. Juvenalis: *Diſtat enim, quae Sydera te excipiant modo primos incipientem Edere vagitus:* Quos prudentia ſublevat: nam hoc eſt, QUOS ARDENS EVEXIT AD AETHERA VIRTUS: item religioſos, quos a diis genitos dixit: conſequens enim eſt, ut deorum ſoboles religionibus vacet. DIIS autem GENITI, quia corporibus ſe infundebant poteſtates ſupernae: unde Heroes procreabantur.

131. TENENT MEDIA OMNIA SYLVAE. Cauſam reddit cur non facilis ſit animarum regreſſus: quia omnia polluta & inquinata ſunt: nam per *ſylvas tenebras & luſtra* ſignificat, in quibus feritas & libido dominantur.

132. COCYTUSQUE SINU LABENS CIRCUMFLUIT ATRO. Fluvius Inferorum, dictus ἀπὸ τοῦ κωκύειν, id eſt, *lugere*: nam Homerus ſic poſuit. Eſt autem locus vicinus Acheronti, de quo diximus ſupra. Qui ideo luctuoſi eſſe finguntur, quia, ut expoſuimus in primis partibus libri, haec ſacra, morte hominis fiebant.

134. BIS STYGIOS INNARE LACUS. Modo, & poſt mortem. Quod autem dicit Ovidius, Aeneam inter deos relatum, non mirum eſt: nam, ut diximus, neceſſe eſt etiam relatorum inter deos apud Inferos eſſe ſimulacra: ut Herculis, Liberi patris, Caſtoris & Pollucis, ut apud Homerum: Κάστορά θ' ἱππόδαμον, καὶ πὺξ ἀγαθὸν Πολυδεύκεα, Τοὺς ἄμφω ζωοὺς κατέχει φυσίζοος αἶα. Multi hoc non videntes, ad Sibyllam referunt, ut dicat: Vis me bis inferos cernere; modo; *Et me cum lucis Hecate praefecit Avernis:* quod eſt paulo poſt dictura: quod ſi eſt, non bis haec, ſed tertio Inferos cernet: nam quandoque etiam ipſa morietur. Item hi, ſupradictam non videntes rationem, dicunt de ſe Sibyllam dicere: nam ſi de Aenea dicat, non eum praevidet deum futurum: quod ſi eſt, caruit numine, &, quemadmodum eſt de Miſeno vaticinatura? unde referre nos debemus ad id, ut dicamus, etiam poſt apotheoſin apud Inferos remanere ſimulacra. STYGIOS LACUS. Styx, palus quaedam apud Inferos dici-

135 Tartara; & insano juvat indulgere labori;
Accipe, quae peragenda prius. Latet arbore opaca
Aureus & foliis & lento vimine ramus,
Junoni infernae dictus sacer. Hunc tegit omnis
Lucus, obscuris claudunt convallibus umbrae.
140 Sed non ante datur telluris operta subire,
Auricomos quam quis decerpserit arbore foetus.

Hoc

SERVII.

citur, de qua legimus: *Dii cujus jurare timent, & fallere numen*. Quod secundum fabulas ideo est, quia dicitur Victoria, Stygis filia, bello Gigantum Jovi favisse: pro cujus rei remuneratione Juppiter tribuit, ut dii jurantes per ejus matrem, non audeant fallere. Ratio autem haec est, *Styx* moerorem significat: unde ἀπὸ τῦ συγερῦ, id est, a tristitia *Styx* dicta est. Dii autem laeti sunt semper: unde etiam immortales: quia ἀ-θάνατοι καὶ μακάριοι, id est, *sine morte beati*. Hi ergo, quia moerorem non sentiunt, jurant per rem suae naturae contrariam, id est, tristitiam quae est aeternitati contraria: ideo jusjurandum per exsecrationem habent.

135. TARTARA. Locus Inferorum profundus: de quo Lucanus ad Inferos dicit: *Cujus vos estis superi*. INSANO. Magno.

136. ACCIPE QUAE PERAGENDA PRIUS. Si vis, inquit, reverti, audi observationis praecepta. Et sub imagine fabularum docet rectissimam vitam, per quam animabus ad superos datur regressus. LATET ARBORE OPACA AUREUS. Licet de hoc ramo, hi qui de Sacris Proserpinae scripsisse dicuntur, quiddam esse mysticum affirment; publica tamen opinio hoc habet: Orestes, post occisum regem Thoantem in regione Taurica, cum sorore Iphigenia, ut supra diximus, fugit: & Dianae simulacrum, inde sublatum, haud longe ab Aritia collocavit. In hujus templo post mutatum ritum sacrificiorum, fuit arbor quaedam, de qua infringi ramum non licebat. Dabatur autem fugitivis potestas, ut si quis exinde ramum potuisset auferre, monomachia cum fugitivo templi sacerdote dimicaret: nam fugitivus illic erat sacerdos, ad pristinae imaginem fugae. Dimicandi autem dabatur facultas, quasi ad pristini sacrificii reparationem. Nunc ergo istum inde sumpsit colorem: Ramus enim necesse erat ut & unius causa esset interitus: unde & statim mortem subjungit Miseni: & ad sacra Proserpinae accedere, nisi sublato ramo, non poterat. Inferos autem subire, hoc dicit sacra celebrare Proserpinae. De reditu autem animae hoc est: Novimus Pythagoram Samium vitam humanam divisisse in modum Y literae; scilicet quod prima aetas incerta sit: quippe quae adhuc se nec vitiis, nec virtutibus dedit: bivium autem Y literae a juventute incipere: quo tempore homines aut vitia, id est, partem sinistram, aut virtutes, id est, dextram partem sequuntur: unde ait Persius: *Traducit trepidas ramosa in compita mentes*. Ergo per ramum virtutes dicit esse sectandas, qui est Y literae imitatio. Quem ideo in sylvis dicit latere, quia re vera in hujus vitae confusione, majori parte vitiorum, virtutis integritas latet. Alii dicunt ideo ramo aureo Inferos peti, quod divitiis facile mortales intereunt. Tiberianus: *Aurum, quo pretio reserantur limina Ditis*.

137. LENTO VIMINE. Flexili, ut: *Lenta quibus torno facili superaddita vitis*. Alias, gravi.

138. JUNONI INFERNAE. Proserpinae, ut: *Sacra Jovi Stygio*. DICTUS. Dicatus.

139. ET OBSCURIS CLAUDUNT CONVALLIBUS UMBRAE. Re vera enim nemus Aricinum densum est.

140. SED NON ANTE DATUR. Sive justis sive injustis: & sic intelligentes removebimus quaestionem. Hinc enim dicit: *Longo post tempore visum*. Ex eo enim, quod dicit descendisse aliquos, ramum quoque depositum esse significat. TELLURIS OPERTA. Secundum eos, qui dicunt Inferos in medio esse terrarum: quos Juvenalis dicit putari esse sub terris, ut: *Esse aliquos manes & subterranea regna*.

PIERII.

manis. In Romano, & aliquot aliis *accersere*: utrunque vero *accerso*, & *arcesso*, recte dici alibi ex antiquis Grammaticis ostendimus.

132. COCYTUSQUE SINU LABENS CIRCUMFLUIT ATRO. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot versare contigit, uno exemplo scriptum legi, *circumvenit*. Vulgata quidem lectio minime displicet; sed tot codices variis locis & aetatibus scriptos, non temere convenire credendum est.

141. AURICOMOS QUAM QUIS DECERPSERIT ARBORE FOETUS. In codicibus aliquot antiquis, *discerpserit*, scriptum est, avellendus enim erat

ramus.

Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: Primo avulſo non deficit alter
Aureus; & ſimili frondeſcit virga metallo.
145 Ergo alte veſtiga oculis, & rite repertum
Carpe manu. Namque ipſe volens faciliſque ſequetur,
Si te fata vocant: aliter, non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Praeterea jacet exanimum tibi corpus amici,
150 (Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem;
Dum conſulta petis, noſtroque in limine pendes.
Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulcro.

Duc

SERVII.

142. PULCHRA. Quae rapi meruit a Plutone. SUUM. Sibi charum, aut ſibi deſtinatum.

143. NON DEFICIT ALTER. Ne diceretur, ab iis, qui primo deſcenderunt, eſſe ſublatum.

144. FRONDESCIT. In naturam redit: & honeſte locutus eſt, dicens: *Habet frondes ſui metalli*.

145. ALTE VESTIGA OCULIS. Require omni intentione. RITE REPERTUM CARPE. *Rite carpe*, id eſt, cum obſervatione: non, *rite repertum*.

147. SI TE FATA VOCANT. Hoc eſt, ſi quem fata vocant, facile ſequetur.

148. POTERIS. Poterit quis. Tertiae enim perſonae ſignificationem ad ſecundam tranſtulit, & generaliter loquitur: nam ut de Aenea dicat, non procedit. Si enim dubitat, caret deo: nec poteſt de Miſeno vaticinari. DURO FERRO. Et genus eſſe poteſt, & ſpecies.

149. PRAETEREA. Ac ſi diceret: Eſt & alia opportunitas deſcendendi ad Inferos, id eſt, Proſerpinae ſacra peragendi. Duo enim horum ſacrorum genera fuiſſe dicuntur; unum Necyomantiae, quod Lucanus exſequitur; & aliud Sciomantiae, id eſt, divinationis per umbras: *σκιὰ* enim *umbra* eſt, & *μαντεία*, *vaticinium*, quod in Homero, quem Virgilius ſequitur, lectum eſt. Sed ſecundum Lucanum, in Necyomantia ad elevandum cadaver ſanguis eſt neceſſarius, ut: *Pectora tunc primum ferventi ſanguine ſupplent*. In Sciomantia vero, quia umbrae tantum eſt evocatio, ſufficit ſolus interitus: unde Miſenus in fluctibus occiſus eſſe inducitur. TIBI. Ideo addidit *tibi*, ne amici poſſet etiam ad Sibyllam referri.

150. INCAESTAT. Polluit: & *incaeſtus*, eſt quaecumque pollutio.

151. PENDES. Sollicitus es, ut: *Ipſe manu multo ſuſpenſum numine ducit*. Et proprie *pendere*, eſt deſiderare aliquid audire, ut: *Pendetque iterum narrantis ab ore*. Et Ovidius: *Narrantis conjux pendebat ab ore*.

152. SEDIBUS HUNC REFER ANTE SUIS. Apud majores, ut ſupra diximus, omnes in ſuis domibus ſepeliebantur: unde ortum eſt, ut lares colerentur in domibus: unde etiam umbras, larvas vocamus: nam Dii penates alii ſunt. Inde eſt, quod etiam Dido cenotaphium domi fecit marito. Ergo aut ſecundum iſtum locutus eſt morem, quamvis adhuc Trojani domos non habuerint: aut dicit: Refer hunc naturalibus ſedibus, id eſt, terrae: nam in aqua perierat. Verum tamen illud eſt, ut intelligamus eam dicere: *Sepeli eum*: nam ſepulchrum, *ſedes* vocatur. Horatius: *Nulla certior tamen rapacis Orci ſede deſtinata Aula divitem manet herum*. Virgilius: *Et nunc ſervat honos ſedem tuus, oſſaque nomen*. Perſuadet autem ſepulturam, ut poſſit recentis cadaveris uti anima, ut ait Lucanus: *Non in tartareo latitantem poſcimus antro, Aſſuetamque diu tenebris: modo luce fugata Deſcendentem animam primo pallentis hiatu Haeret adhuc Orci*.

PIERII.

ramus: objectaturque ita in conficiendo negotio difficultas, quum *decerpere*, minus laboris quodammodo polliceatur. Plura tamen exemplaria manu ſcripta, *decerpſeris*, habent.

147. ALITER NON VIRIBUS ULLIS. In Rom. cod. *nec*; ut ſit repetitio cum eo, quod ſequitur: *Nec duro poteris convellere ferro*; ſed magis placet *non*, ut in reliquis habetur.

Duc nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis,
155 Aſpicies. Dixit, preſſoque obmutuit ore.
Aeneas maeſto defixus lumina voltu
Ingreditur, linquens antrum; caecosque volutat
Eventus animo ſecum. Cui fidus Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
160 Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant:
Quem ſocium exanimem vates, quod corpus humandum
Diceret. Atque illi Miſenum in litore ſicco,
Ut venere, vident indigna morte peremtum;
Mi-

SERVII.

153. PRIMA PIACULA SUNTO. Ad expiationem pollutionis, quae fuerat nata morte Miſeni.

154. SIC DEMUM. Ad poſtremum: hoc eſt noviſſime. Et haec particula tam apud Virgilium, quam apud omnes idoneos auctores hoc ſignificat, licet in aliis diverſa ſignificet. LUCOS STYGIOS, REGNA INVIA VIVIS ASPICIES. Seneca ſcripſit de Ritu & de Sacris Aegyptiorum. Hic dicit, circa Sienem, extremam Aegypti partem, eſſe locum, quem Philas, hoc eſt amicas vocant: ideo, quod illic eſt placata ab Aegyptiis Iſis: quibus iraſcebatur, quod membra mariti Oſiridis non inveniebat, quem frater Typhon occiderat. Quae inventa poſtea cum ſepellire vellet, elegit vicinae paludis tutiſſimum locum, quem tranſitu conſtat eſſe difficilem: limoſa enim eſt, & papyris referta, & alta. Ultra hanc eſt brevis inſula, inacceſſa hominibus: unde ἄβατος appellata eſt. Lucanus: *Hinc Abatos, quam noſtra vocat veneranda vetuſtas*. Haec palus, *Styx* vocatur, quod triſtitiam tranſeuntibus gignit. Sane ad illam inſulam ab his, qui ſacris imbuti ſunt, certis tranſitur diebus. Lectum eſt etiam, quod vicini populi cadavera ſuorum ad alteram regionem transferunt; ſed ſi quis forte in fluvio pereat, nec ejus inveniatur cadaver, poſt centum ei annos ultima perſolvuntur. Hinc eſt tractum: *Centum errant annos, volitantque haec littora circum*. ET REGNA INVIA. Quae contra naturam fiunt, non aſſerunt praejudicium generalitati: unde ait: *Invia regna;* licet Hercules, aliique tranſierint: & ſit tranſiturus Aeneas. Sic dictum eſt & illud: *Evaditque celer ripam irremeabilis undae*.

156. MOESTO VULTU. Propter mortem amici, & rami inquiſitionem. DEFIXUS LUMINA. Defixa lumina habens: per quod triſtitia mentis oſtenditur.

157. INGREDITUR. Pro graditur: vacat praepoſitio, ut: *Ingrediturque ſolo, & caput inter nubila condit*.

159. PARIBUS CURIS VESTIGIA FIGIT. Aut ſimili ſollicitudine detentus incedit: aut *figit veſtigia*, id eſt, ſtat ſubito; quod cogitantes facere conſueverunt.

160. MULTA INTER SESE VARIO SERMONE SEREBAT. Hinc proprie dictus eſt *ſermo*, qui inter duos ſeritur, & inter utrumque agitur.

163. INDIGNA MORTE. Miſerabili, non congrua ejus meritis: vel propter animae etiam extinctionem, elementi contrarietate.

PIERII.

154. SIC DEMUM LUCOS STYGIOS REGNA INVIA VIVIS ASPICIES. Antiqua omnino pleraque exemplaria legunt: *Lucos Stygios & regna invia vivis:* ut ſit verſus ejusdem generis cum eo: *Aut ovium foetus, aut urentis culta capellas;* ſed enim ego haec libentius miſſa fecerim: ni quibusdam ſit obſequendum, qui ſibi omnia, qualiacumque ſint, ex antiquorum codicum fide flagitant explicari. Sunt vero etiam codices manu ſcripti, in quibus, *lucos Stygis & regna invia* legatur; ſed enim ea omnino lectio probabilior, quae in Mediceo, atque aliquot aliis abſque copulativa particula, *regna invia*, appoſitive ſcriptum oſtendit.

157. INGREDITUR LINQUENS ANTRUM. Quia Servius *ingreditur*, pro, *graditur*, poſitum ait, ita ut *in* vacare innuat, fuere nonnulli, qui vetuſta abraſa lectione in exemplaribus manu ſcriptis, *egreditur*, facerent; ſed enim *ingredi*, pro, *ire*, non tam apud Poetas, quam etiam apud Oratores, ſaepe reperitur.

160. MULTA INTER SESE VARIO SERMONE SE-

Misenum Aeoliden : quo non praestantior alter
165 Aere ciere viros, Martemque accendere cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectora circum
Et lituo pugnas insignis obibat & hasta.
Postquam illum vita victor spoliavit Achilles,
Dardanio Aeneae sese fortissimus heros
170 Addiderat socium, non inferiora secutus.
Sed tum, forte cava dum personat aequora concha,
Demens, & cantu vocat in certamina divos,
Aemulus exceptum Triton (si credere dignum est)
Inter saxa virum spumosa inmerserat unda.
175 Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Praecipue pius Aeneas. Tum jussa Sibyllae
(Haud mora) festinant flentes, aramque sepulcri
Congerere arboribus, caeloque educere certant.

Itur

SERVII.

165. MARTEMQUE ACCENDERE CANTU. Hemistychium hoc dicitur addidisse dum Augusto hunc sextum librum recitaret : nam ante hemistichium fecerat, dicendo : *Aere ciere viros ;* postea in praesentia Augusti, ex abundantia intellectus addidit subito : *Martemque accendere cantu :* quod est item hemistychium.

168. VITA SPOLIAVIT. Ad bellum retulit, in quo victis tolluntur exuviae.

170. NON INFERIORA SECUTUS. Ubique Aeneam Hectori comparat, ut : *Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis.*

171. CAVA DUM PERSONAT AEQUORA CONCHA. Aut personare facit : aut Hysterologia est, dum per cava aequora sonat.

172. DEMENS. Improvidus, qui non consideravit, etiam deos in aemulationem posse descendere.

172. AEMULUS. Modo, ejusdem rei studiosus : alias, inimicus invenitur. EXCEPTUM. Oppressum insidiis : quo sermone ostendit, eum tantae fuisse virtutis, ut ne a numine quidem nisi insidiis opprimeretur. TRITON. Penultima accentum habet. Nam *Tritonis* facit : si enim ultima habet, *Tritontis* facit. Quod non procedit, ut *Demophoon*, *Demophoontis*.

175. ERGO. Quia talis perierat : aut quia fuerat interemptus.

176. PRAECIPUE PIUS AENEAS. Aeneam supra caeteros inducit mortem cujuslibet dolere, ut : *Nunc Amyci casum gemit*. Item : *Casuque animum concussus amici*. Hoc praecipit Horatius in Arte poetica : *Servetur ad imum, Qualis ab incepto processerit ; & sibi constet :* ut semper *pius* describatur Aeneas. Hinc ei dat circa sepulturam etiam sordida officia, quae in aliis denegat locis. Qui enim de Pietatis generibus scripserunt, primum locum in sepultura esse voluerunt : unde, cum Pontificibus nefas esset cadaver videre, tamen magis nefas fuerat, si visum insepultum relinquerent. Genus autem fuerat sepulturae injectio pulveris : unde est : *Aut tu mihi terram Injice (namque potes.)* Horatius : *Non est mora longa ; licebit injecto ter pulvere curras*.

177. ARAMQUE SEPULCRI. Pyram dicit, quae in modum arae construi lignis solebat : nam & sequitur : *Congerere arboribus, coeloque educere certant*. Et aram, quae ante sepulchrum fieri consuevit, intelligere non possumus, ut : *Stant manibus arae :* cum nondum facta sit funeratio, quae praecedit sepulchrum. Probus tamen & Donatus de hoc loco requirendum adhuc esse dixerunt.

178. COELOQUE EDUCERE CERTANT. Ut hoc faciant, mente pertractant : nam adhuc ituri ad sylvam sunt.

PIERII.

REBANT. Vetera quaedam exemplaria, *ferebant*, pro, *conferebant*. Sed recte Servius *ferebant*, agnoscit, unde proprie *fermo*.

Itur in antiquam ſilvam, ſtabula alta ferarum:
180 Procumbunt piceae: ſonat icta ſecuribus ilex:
Fraxineaeque trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentis montibus ornos.
Necnon Aeneas opera inter talia primus
Hortatur ſocios, paribuſque accingitur armis.
185 Atque haec ipſe ſuo triſti cum corde volutat,
Aſpectans ſilvam inmenſam, & ſic voce precatur:
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Miſene, locuta eſt.
190 Vix ea fatus erat, geminae cum forte columbae
Ipſa

SERVII.

179. ITUR. *Eo*, *e* brevis eſt; *itur*, *i* longa invenitur. Ergo quia hoc verbum breve eſt in origine, & in declinatione fit longum, ideo certa ejus natura, nec in temporibus, nec in participiis invenitur: nam cum *itur* longa ſit, *iturus* brevis invenitur, ut: *Superumque in lumen iturus*. Multi tamen tentant dicentes *itur* propter *eo*, quae prima verbi origo eſt, per diphthongum ſcribi debere: quod non procedit, quia diphthongus ſemper longa eſt; *i* autem & produci poteſt & corripi. Hinc eſt, quod *fortuitus i* & producit i & corripit. Juvenalis: *Non quaſi fortuitus nec ventorum rabie; ſed Iratus cadat in terras, & vindicet ignis*. Contra Horatius: *Nec fortuitum ſpernere ceſpitem leges ſinebant*. Hic enim niſi *i* litera longa ſit, non ſtat verſus. Et hoc protulimus exemplum unius ſermonis, ne quis dicat *iturus*, & *itur*, ideo variam habere naturam, propter temporum varietatem: unde melius eſt, ut diximus, originis conſiderare rationem. Sane *fortuitus* ab *eundo* eſt, & a *fortuna* compoſitum.

180. PROCUMBUNT PICEAE. *Picea*, ſecundum Plinium in Naturali hiſtoria, quinta ſpecies cedri eſt: nam *Cedria* dicta eſt, quaſi καιομένης δρυὸς ὑγρὸν, id eſt, *arboris humor ardentis*.

183. NEC NON AENEAS. Bona oeconomia venitur ad ramum.

184. ACCINGITUR ARMIS. Inſtruitur officiis.

186. FORTE PRECATUR. Vacat *forte*: & eſt verſus de his, qui tibicines vocantur: quibus additur aliquid ad ſolam metri ſuſtentationem, ut: *Nunc dextra, nunc ille ſiniſtra*: nec enim poſſumus intelligere eum fortuitu rogaſſe.

187. SI. Adverbium rogantis & optantis eſt, per ſe plenum: ſicut & *o*, ut in v. *Quanquam, o, ſed ſuperent*: licet Neoterici haec jungant, & pro uno ponant. Perſius: *O ſi Ebullat patrui praeclarum funus*.

188. QUANDO. Siquidem. NIMIUM VERE. Cum ingenti dixit affectu; quaſi mors praedicta falſa eſſe debuerit.

190. CUM FORTE COLUMBAE. Auguria aut oblativa ſunt, quae non poſcuntur: aut impetrativa, quae optata veniunt. Hoc ergo quia oblativum eſt, ideo dixit *forte*. Bene autem a columbis Aeneae datur augurium, & Veneris filio & regi: nam ad reges pertinet columbarum augurium: quia nunquam ſolae ſunt, ſicut nec reges quidem.

PIERII.

182. AC VOLVUNT INGENTIS MONTIBUS ORNOS. Vulgatam lectionem, *ac volvunt*, cum particula conjunctiva & verbo, cum Mediceo antiqua etiam aliquot habent exemplaria; ſed in Romano, & in Longobardico, *advolvunt*, verbo, cum praepoſitione *ad*, compoſito, legitur, quod magis placet, ut in Georgicis: *Advolvere focis*.

186. ET SIC FORTE PRECATUR. In Romano codice, legere eſt, *voce precatur*. In Longobardico *ore*; ſed enim Servius agnoſcit *forte*, quod etiam in pleriſque codicibus antiquis habetur. Addit vero Servius verſum hunc ex eo genere eſſe, qui Tibicines appellantur, quibus aliquid additur ad ſolam metri ſuſtentationem: vacare enim adverbium *forte* putat; ſed enim intelligo, poſteaquam hae variae lectiones, noſtra cura collectae, per manus hominum circumferri coeptae ſunt, aut *ore*, aut *voce*, peri-

Ipsa sub ora viri caelo venere volantes,
Et viridi sedere solo. Tum maximus heros
Maternas agnoscit avis, laetusque precatur:
Este duces, o, si qua via est, cursumque per auras
195 Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum. Tuque, o, dubiis ne defice rebus,
Diva parens. Sic effatus vestigia pressit;
Observans quae signa ferant, quo tendere pergant.
Pascentes illae tantum prodire volando,
200 Quantum acie possent oculi servare sequentum.
Inde, ubi venere ad fauces grave olentis Averni,
Tollunt se celeres; liquidumque per aëra lapsae
Sedibus optatis gemina super arbore sidunt:

Dis-

SERVII.

191. Ipsa sub ora. Perite; ne, si longius volarent, non ad eum pertinere viderentur: nam moris erat, ut captantes auguria, certa sibi spatia designarent, quibus volebant videnda ad se pertinere: quod spatium *templum* appellatur: & extremae partes, *antica*, & *postica*, vocabantur.

193. Maternas. Veneri consecratas, propter foetum frequentem & coitum.

194. Si qua via est. Si est ratio: & jam ex hoc loco esse incipit impetrativum, quod fuerat oblativum. Cursumque per auras. *Cursum* vocavit impetum, & eundi officium: nam & navium *cursum* dicimus.

196. Ne defice rebus. Ne desere in rebus incertis. Et bene in sylvis invocat matrem, quam scit visam esse habitu venatricis, ut in primo legimus.

197. Sic effatus. Proprie *effata* sunt augurum preces: unde ager post pomeria, ubi captabantur auguria, dicebatur *effatus*. Vestigia pressit. Quia ad captanda auguria, post preces, immobiles vel sedere, vel stare consueverant.

198. Observans quae signa ferant. *Observare* enim, & de coelo, & de avibus, verbo augurum dicitur. Quo tendere pergant, pascentes. Hinc jam optimum significatur augurium, quod pascebant: nam Romani moris fuit, & in comitiis agendis, & in bellis gerendis, pullaria captare auguria: unde est in Livio, quod, cum quidam cupidus belli gerendi a tribuno plebis arceretur ne iret, pullos jussit afferri: qui cum missas non ederent fruges, irridens consul augurium, ait, *Vel bibant*: & eos in Tyberim pracipitavit: inde navibus victor ex Africa revertens in mari cum omnibus, quos ducebat, extinctus est. Multi pascentes distinguunt, & absolutus est sensus. Alii dicunt *pascentes volando*: & referunt ad naturam columbarum, quae exsilientes pascere consueverunt. Alii volando, ambulando dicunt: *vola* enim dicitur media pars pedis sive manus.

199. Prodire. Prodibant: infinitivus pro indicativo.

201. Graveolentis Averni. Male olentis: alibi bene olentis, ut: *Et graviter spirantis copia tymbrae Floreat*.

202. Liquidumque per aera lapsae. Non est aeris perpetuum epitheton; sed purum ait, Averni comparatione. Dicit autem eas alte volasse ad vitandum Averni odorem.

203. Super arbore sidunt. Secundum antiquam licentiam *super* jungit ablativo.

PIERII.

peritorum judicio magis approbari, nos vero hoc in medio ponimus.

196. Tuque o dubiis ne defice rebus alma parens. Antiqua pleraque exemplaria cum Mediceo legunt, *diva parens*. In Romano & aliquot aliis, *alma*.

203. Sedibus optatis, gemina super arbore sidunt. In Longobardico, *geminae*, legitur, ut sit de columbis; sed omnino melius, *gemina super arbore*: cujusmodi species tantopere optabatur.

Discolor unde auri per ramos aura refulsit.
205 Quale solet silvis brumali frigore viscum
Fronde virere nova, quod non sua seminat arbos,
Et croceo foetu teretis circumdare truncos.
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice: sic leni crepitabat bractea vento.
210 Corripit Aeneas extemplo, avidusque refringit
Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllae.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, & cineri ingrato suprema ferebant.

SERVII.

204. AURI AURA. Splendor auri, Horatius: *Tua ne retardet aura maritos*, id est, splendor. Hinc & *aurum* dicitur a splendore, qui est in eo metallo. Hinc & *aurarii* dicti, quorum favor splendidos reddit.

205. BRUMALI FRIGORE VISCUM. Bene *brumali* addidit: tunc enim maturum est, & auri imitatur colorem: nam nova fronde viret: quod, ut ait Plinius in Naturali historia, de fimo turdelarum, in certis arboribus nascitur: unde Plautus: *Ipsa sibi avis mortem creat*.

207. TERETES TRUNCOS. *Teres*, est rotundum aliquid cum proceritate, ut: *Incumbens tereti Damon sic coepit olivae*. Horatius: *Brachia & vultum teretesque suras Integer laudo*.

210. EXTEMPLO. Bene verbo usus est augurum, ut diximus supra.

211. CUNCTANTEM. Aliud pendet ex alio: *Cunctantem*, quia avidus; ut ostendat tantam fuisse avellendi cupiditatem, ut nulla ei celeritas satisfacere posset: nam *tardantem* dicere non possumus eum, qui fataliter sequebatur. Alii *cunctantem*, ad auri naturam referunt, id est, mollem: quia paulatim frangitur, id est, lentescit. Alii *cunctantem*, gravem dicunt, ut: *Glebas cunctantes, crassaque terga Expecta*.

212. NEC MINUS. Nihil minus ille deflebatur. INTEREA. Dum itur ad sylvam.

213. INGRATO. Tristi; ut *gratum*, laetum aliquid dicimus. Alii *ingrato*, dicunt gratiam non sentienti.

PIERII.

204. DISCOLOR UNDE AURI PER RAMOS AURA REFULXIT. In Rom. cod. *auro*, legitur, casu septimo, ut sit *refulxit aura splendore aureo*; vel propter aurum. Servius tamen agnoscit *auri*; legitque, AURI, *hoc est, splendor auri*.

206. QUOD NON SUA SEMINAT ARBOS. Interesse plurimum ait Caper, in libello de Elegantiis, utrum *arbos*, an *arbor*, dicatur: siquidem *arbor*, omne lignum dicitur; *arbos* vero, non nisi fructifera. Veteres tamen codices hujusmodi differentiam non servant.

207. TERETES CIRCUMDARE TRUNCOS. Antiqui aliquot codices, *Circumdare ramos*, habent; sed *truncos*, nihil quicquam displicet.

209. SIC LENI CREPITABAT BRACTEA VENTO. In Rom. cod. & in Longobardico, *brattea*, duplicato T scriptum est. Juniores *bracthea*, per CH densum scribi volunt, contra omnes orthographiae regulas, etiam si παρὰ τὸ βράχω, *bractea* dicatur. Qui *brattea*, duplici TT, scripserunt, eo decepti sunt, quod in characteribus Longobardicis, C & T litterae eadem pene forma figurantur: unde etiam errorem illum apud Martialem provenisse crediderim, quod *juveatus*, pro *juvencus*, scriptum est eo versu: *Caesaris atque Jovis confer nunc schema. Juvencus Par onus ut tuleris: altius iste tulit*. Ita enim scriptum est in antiquo satis codice, quem mihi dono dedit Valerius Victor Viterbiensis, adolescens ingenio & eruditione supra aetatem admirabilis. Quid enim illic agat, *juventus*, hac adinventa lectione, non video. Ut vero ad Virgilium revertamur: in Longobardico, & aliquot aliis, *crepitabant*, corrupte omnino legitur: non enim *folia bractea* dicimus epitheti forma. Est vero *bractea*, non tantum de metalli lamina, verum etiam de quacunque materia. Plinius: *Ut una arbor saepius veniret, excogitatae sunt ligni bracteae*.

213. SUPREMA FEREBANT. In Romano codice, *suppremа*, duplicato PP, notatum est hoc loco: nempe quod veriti sunt mutam cum liquida non esse satis ad primam syllabam producendam: Et eodem sane modo in Basilica D. Mariae, cognomento Majoris, antiquo marmore notatum aspeximus:

Principio pinguem taedis & robore ſecto
215 Ingentem ſtruxere pyram: cui frondibus atris
Intexunt latera, & feralis ante cupreſſos
Conſtituunt, decorantque ſuper fulgentibus armis.
Pars calidos latices & aëna undantia flammis
Expediunt, corpuſque lavant frigentis & unguunt.
220 Fit gemitus. Tum membra toro defleta reponunt,
Purpureaſque ſuper veſtis, velamina nota,
Conjiciunt. Pars ingenti ſubiere feretro,
Triſte miniſterium, & ſubjectam more parentum
Averſi tenuere facem. Congeſta cremantur

Tu-

SERVII.

214. PINGUEM. Aut de Graeco tranſtulit [illegible], magnam: aut Hypallage eſt, de pinguibus taedis.

215. FRONDIBUS ATRIS. Aptis ad funera.

216. ANTE CUPRESSOS CONSTITUUNT. *Cupreſſus* adhibetur ad funera; vel quod caeſa non repullulat; vel quod per eam funeſtata oſtenditur domus, ſicut laetam frondes indicant feſtae. Varro tamen dicit pyras ideo cupreſſo circumdari, propter gravem uſtrinae odorem; ne offendatur populi circumſtantis corona, quae tamdiu ſtabat reſpondens fletibus praeficae, id eſt, principis planctuum, quamdiu conſumpto cadavere, & collectis cineribus, diceretur noviſſimum verbum, ILICET, quod ire licet ſignificat: unde eſt: *Dixitque noviſſima verba*.

218. PARS CALIDOS LATICES. Plinius in Naturali hiſtoria dicit, hanc eſſe cauſam, ut mortui & calida abluantur, & per intervalla conclamentur; quod ſolet plerumque vitalis ſpiritus excluſus putari, & homines fallere. Denique refert: Quendam ſuperpoſitum pyrae, adhibitis ignibus erectum eſſe, nec potuiſſe liberari: unde & ſervabantur cadavera ſeptem diebus, & calida abluebantur: & poſt ultimam conclamationem comburebantur: unde traxit Terentius: *Deſine, jam conclamatum eſt*. AHENA UNDANTIA FLAMMIS. Hoc eſt, per flammas. Alibi: *Nec ſe jam capit unda; volat vapor ater ad auras*.

219. LAVANT FRIGENTIS ET UNGUNT. Verſus Ennii, qui ait: *Tarquinii corpus bona foemina lavit & unxit*.

220. DEFLETA. Participium ab eo, quod eſt *fleor*, ſi tamen inveniatur; alias ſine verbi origine eſſe dicemus.

221. PURPUREAS. Ad imitationem ſanguinis, in quo eſt anima, ut diximus ſupra, ut: *Purpuream vomit ille animam*. VELAMINA NOTA. Vel ipſi chara: vel animae. Ex notitia enim gignitur charitas, ut: *Hic inter flumina nota*.

222. FERETRO. Graece dixit: nam *capulus* dicitur, a *capiendo*: unde ait Plautus: *Capularis ſenex*, id eſt, capulo vicinus. Et SUBIERE FERETRO: ut: *Subeunt muro*.

223. MORE PARENTUM. Propinquioribus enim virilis ſexus hoc dabatur officium.

224. FACEM. De fune, ut Varro dicit: unde & funus dictum eſt. Per noctem autem urebantur: unde & permanſit ut mortuos faces antecedant.

PIERII.

SUPPREMUM VERSUS MUNUS DONATUS ET ARAM. Sed enim exempla hujuſmodi non ſunt imitatione digna.

215. CUI FRONDIBUS ATRIS INTEXUNT LATERA. In antiquis aliquot codicibus, pro *cui* ſuppoſitum eſt *tum*: quod ſi diligenter advertas, non diſplicebit.

216. FERALES ANTE CUPRESSOS. Hoc quoque originationis Graecae in Romano codice, & quibuſdam aliis, vocalis ejus naturam retinet, qua notatur apud Graecos. *Cypreſſos* itaque ſcriptum invenitur, quum tamen omnes vulgo nunc *Cupreſſos*, per u, Latine proferant & ſcribant.

220. FIT GEMITUS TUM MEMBRA TORO DEFLETA REPONUNT. In antiquis aliquot codicibus propter characterum ſimilitudinem ſcriptum invenias, *cum membra toro*; ſed magis placet *tum*.

225 Turea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam conlabsi cineres, & flamma quievit;
Relliquias vino & bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta cado texit Corynaeus aëno.
Idem ter socios pura circumtulit unda,
230 Spargens rore levi & ramo felicis olivae:
Lustravitque viros, dixitque novissima verba.
At pius Aeneas ingenti mole sepulcrum
Inponit, suaque arma viro, remumque, tubamque,
Monte sub aërio: qui nunc Misenus ab illo
235 Dicitur, aeternumque tenet per saecula nomen.
His actis propere exsequitur praecepta Sibyllae.
Spe-

SERVII.

225. FUSO CRATERES OLIVO. Diis super his tantum libabant: Inferis vero sacrificantes etiam vasa in ignem mittebant: unde ait *crateres*, quod etiam Statius in Archemori sepultura commemorat. OLIVUM autem est ab *oliva* dictum: nam *oleum* ab *olea* dicitur, vel κατὰ τῆς ἐλαίας, ἢ ἐλαίας.

226. FLAMMA QUIEVIT. Pyrae ingentis: quia, ut in quarto diximus, pro qualitate personae pyrae fiebant: sepulchra etiam vel minora vel magna faciebant.

228. OSSAQUE LECTA. Aut collecta, aut lecta; ideo, quia, ut supra diximus, nobiles nunquam soli comburebantur; (unde Homerus; Τοὶ δ' ἄλλοι κύλαθον Εγχεπτὴ καίετ' ἐπιμιξ ἵπποι τε καὶ ἄνδρες.) sed cum dilectis equis, vel canibus, vel famulo.

229. TER SOCIOS. Aut saepius, aut re vera *ter*: licet enim a funere contraxerint pollutionem, tamen omnis purgatio ad superos pertinet: unde & ait imparem numerum: aut quia hoc ratio exigit lustrationis. CIRCUMTULIT. Purgavit. Antiquum verbum est. Plautus: *Pro larvato te circumferam*, id est, purgabo: nam lustratio a circumlatione dicta est, vel taedae, vel victimae in quibusdam, vel sulphuris. Juvenalis: *Cuperent lustrari, si qua darentur Sulphura cum taedis, aut si foret humida laurus*.

230. SPARGENS. Quia res aguntur infernae. In secundo vero Aeneas deos portaturus ait: *Donec me flumine vivo Abluero*. Hic enim mos erat, ut diximus supra. FELICIS OLIVAE. Arboris festae; sed moris fuerat, ut de lauro fieret. Sane, ut dicit Donatus, hoc propter Augustum mutavit: nam nata erat laurus in palatio eo die, quo natus est Augustus: unde triumphantes coronari consueverant: propter quam rem noluit laurum dicere ad officium lugubre pertinere.

231. NOVISSIMA VERBA. Id est, ILICET: nam VALE dicebatur post tumuli quoque peracta solennia.

233. SUAQUE ARMA VIRO. Ipsi chara sculpsit in saxo: nam supra ea jam legimus concremata. REMUMQUE TUBAMQUE. Quia & bellator & remex fuerat: licet possimus etiam solam tubam accipere: *remus* enim dicitur lorum, quod continet tubam. Hoc ex Homero imitatus est Virgilius, in Elpenoris sepultura: Αὐτὰρ ἐπεὶ νεκρός τ' ἐκάη, καὶ τεύχεα νεκροῦ Τύμβον χεύαντες, καὶ ἐπὶ στήλην ἐρύσαντες, Πήξαμεν ἀκροτάτῳ τύμβῳ εὐῆρες ἐρετμόν.

234. MONTE SUB AERIO. In aerio: nam supra est positus. *Aerium* autem alii altum dicunt; alii nomen montis antiquum volunt: unde est: *Qui nunc Misenus ab illo Dicitur*.

237. PRAECEPTA SIBYLLAE. Ut: *Duc nigras pecudes, ea prima piacula sunto*.

PIERII.

231. LUSTRAVITQUE VIROS. In Rom. cod. *lustravitque domos* legitur: quod improprie positum est: classem enim totam non domos funere incestaverat Misenus; sed enim potuit classem domos appellare, quia de sacrificiorum more, quum vera in promptu non sunt, simulata pro veris haberi soleant. Hinc in Quarto: *Sparserat & latices simulatos fontis Averni*.

232. INGENTI MOLE SEPULCHRUM IMPOSUIT. Antiqua omnia exemplaria, quae legi, *imponit*, praesenti tempore, scriptum ostendunt.

Spelunca alta fuit, vaſtoque inmanis hiatu,
Scrupea, tuta lacu nigro nemorumque tenebris:
Quam ſuper haud ullae poterant inpune volantes
240 Tendere iter pennis: talis ſeſe halitus atris
Faucibus effundens ſupera ad convexa ferebat:
(Unde locum Graji dixerunt nomine Aornon.)
Quatuor hic primum nigrantis terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos;
245 Et, ſummas carpens media inter cornua ſaetas,
Ignibus inponit ſacris, libamina prima,
Voce vocans Hecaten, caeloque Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suſcipiunt pateris. Ipſe atri velleris agnam
250 Aeneas matri Eumenidum magnaeque ſorori

Enſe

SERVII.

237. SPELUNCA ALTA FUIT. Qua ad Inferos deſcendebatur; non ubi fuerat Sibylla vaticinata.

238. SCRUPEA. Lapilloſa: nam *ſcrupus*, proprie eſt lapillus brevis, qui preſſus ſollicitudinem creat: unde etiam *ſcrupulus* dictus eſt: unde Terentius: *Injeci ſcrupulum*. LACU NIGRO. Aut alto: aut vere nigro, Inferorum vicinitate. TUTA autem, quia hinc lacu, hinc cingitur ſylvis. Dicit autem locum, quem nunc *Deliola* vocant, apud Cumas.

239. VOLANTES. Volucres: participium pro nomine poſuit, ut: *Plurimus Alburnum volitans cui nomen Aſylo eſt:* licet illic ſit etiam altera figura. Sane ſciendum, Lucretium & alios Phyſicos dicere aerem corporeum eſſe: unde aves ſuſtinet; ſed hunc cedere vapori ſulphureo: unde aves, in illis locis deſertae aere, quo portari ſolent, concidunt, non odore, ſed pondere: quod poteſt eſſe veriſimile: quia altius in eodem loco poſſunt volare, ut: *Tollunt ſe celeres, liquidumque per aera lapſae*.

241. AD CONVEXA. Coeli curvitatem.

244. INVERGIT VINA SACERDOS. In quarto ait: *Media inter cornua fundit*. Et *fundere*, eſt ſupina manu libare; quod ſit in ſacris ſupernis; *vergere* autem, eſt converſa in ſiniſtram partem manu ita fundere, ut patera convertatur; quod in infernis ſacris ſit. Haec autem pertinent ad victimarum explorationem; ut, ſi non ſtupuerint, aptae probentur.

247. VOCE VOCANS. Non verbis; ſed quibuſdam myſticis ſonis: nam, varie numina evocabantur: quod aperte Lucanus expreſſit, ut: *Latratus habet illa canum, gemituſque luporum: Quod ſtridunt ululantque ferae, quod ſibilat anguis Exprimit: & planctus fractaeque tonitrua nubes: Tot rerum vox una fuit*. COELOQUE EREBOQUE POTENTEM. Hoc eſt, quod ait Hecaten, ut plenum numen oſtenderet.

248. SUPPONUNT CULTROS. Id eſt, victimas caedunt. Fuit autem verbum ſacrorum, in quibus mali ominis verba vitabant. Hinc eſt, quod & *macte* dicebatur, quod magis augere ſignificat. Statius: *Macte animo juvenis*. Dicimus autem *hic culter, cultri:* nam *cultellus*, diminutivum eſt; *cultellum*, penitus Latinum non eſt.

249. SUCCIPIUNT. Antique: nam modo *ſuſcipiunt* dicimus, ut ſupra: *Suſcepitque ignem foliis*.

250. MATRI EUMENIDUM. Id eſt, Nocti, ut: *Hunc mihi da proprium virgo ſata Nocte laborem*. Et *Eumenides* dicuntur per Antiphraſim, cum ſint immites, ἀπὸ τοῦ εὐμενοῦς. MAGNAEQUE SORORI. Id eſt, Terrae: nam, ut ſupra diximus, nihil eſt aliud nox niſi umbra terrarum.

PIERII.

242. UNDE LOCUM GRAJI DIXERUNT NOMINE AORNUM. Inolevit his temporibus conſuetudo, ut *Aornum* ſcribatur etiam a litteratis viris; ſed enim in antiquis codicibus omnibus, quotquot habui, *avernum*, notatum obſervavi.

Ense ferit, sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,
Et solida inponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum infundens ardentibus extis.
255 Ecce autem, primi sub lumina solis & ortus,
Sub pedibus mugire solum, & juga coepta moveri
Silvarum, visaeque canes ululare per umbram,
Adventante dea. Procul o, procul este, profani,
Conclamat vates, totoque absistite luco:
260 Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum:
Nunc animis opus, Aenea, nunc pectore firmo.
Tantum effata, furens antro se inmisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus aequat.

SERVII.

251. ENSE FERIT. Ut eum contra umbras haberet consecratum: hinc est, quod ei dicit Sibylla: *Tuque invade viam, vaginaque eripe ferrum*. Item: *Strictamque aciem venientibus offert*. Hoc autem Homerus dicit: Αὐτὰρ ἐγὼ ξίφος ὀξὺ ἐρυσσάμενος παρὰ μηροῦ Ἥμην. STERILEMQUE TIBI PROSERPINA VACCAM. Deae congruam, nunquam enitenti.

252. NOCTURNAS ARAS. Quae tota nocte arderent. INCHOAT autem, perficit. Et est verbum sacrorum.

253. SOLIDA IMPONIT TAURORUM VISCERA FLAMMIS. Non exta dicit; sed carnes: nam viscera sunt, quicquid inter ossa & cutem est: unde etiam *visceratio*, dicitur convivium de carnibus factum, ut diximus supra. Ergo solida *viscera*, holocaustum significat, quod detractis extis arae superimponebatur: quae nonnunquam abluta, elixa etiam ipsa reddebantur: unde infert: FUNDENS ARDENTIBUS EXTIS. Quanquam alii pro parte totum velint intelligi; ut per *exta* totum animal intelligatur.

255. PRIMI SUB LUMINA SOLIS ET ORTUS. Atqui haec sacra per noctem fiebant, ut dicunt; sed locutus est secundum Romanorum ritum, quo dies creditur a medio noctis incipere. Illo autem loco, quo dicit: *Nox ruit Aenea*: non venit, sed finitur significat. Quanquam alii dicunt sacra haec a media die incipere: & perduci usque ad mediam noctem: quod si est, *nox ruit*, potest *venit* significare.

257. VISAEQUE CANES ULULARE. Ita numinis ostendebatur adventus. CANES autem, Furias dicit Lucanus: *Stygiasque canes in luce superna Destituam*. Sicut etiam diximus supra. ULULARE autem & canum, & Furiarum est.

258. ADVENTANTE DEA. Ipsa scilicet Proserpina. PROFANI. Qui non estis initiati. De Callimaco: Ἑκὰς ἑκὰς ἔστε βέβηλοι.

259. TOTOQUE ABSISTITE LUCO. Hoc est, non tantum a spelunca; sed ab omni luci vicinitate discedite: & Aeneae comites inclamat.

260. INVADE VIAM. Ingredere.

262. FURENS. Deo plena: aut certe similis furenti.

PIERII.

254. PINGUE SUPERQUE OLEUM FUNDENS. In antiquis aliquot exemplaribus, *pingue super oleum*, habetur, absque ulla interjecta particula, quae intrusa videtur hic metri necessitate, ut saepe alias perperam factum; potest tamen non invenuste legi per figuram ἓν διὰ δυοῖν, *Pingue superque oleum*: ut, *Molemque & montes*; sed si etiam *pingue oleum*, dicas, *que* particula secundo loco non invenuste ponitur.

257. VISAEQUE CANES ULULARE PER UMBRAM. In codicibus aliquot antiquis, *visi*, virili genere legitur, quod non ita placet: nam & *visae*, foeminino genere, apud Senecam habetur, ubi etiam illud observavimus, pro, *juga coepta moveri sylvarum*, *juga celsa*, scriptum esse: ut participium illud *visae*, omnibus respondeat: *Visum sub pedibus mugire solum: & Juga celsa Sylvarum moveri visa: visaeque canes ululare*.

DI, quibus imperium eſt animarum, umbraeq; ſilentes,
265 Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte tacentia late;
Sit mihi fas audita loqui: ſit numine veſtro
Pandere res alta terra & caligine merſas.
Ibant obſcuri ſola ſub nocte per umbram,
Perque domos Ditis vacuas, & inania regna.
270 Quale per incertam Lunam ſub luce maligna

Eſt

SERVII.

264. DII QUIBUS IMPERIUM EST ANIMARUM. Plenus locus alta ſapientia: de qua varie diſſerunt Philoſophi: nam dicunt per alios animas ad Inferos duci, ut: *Hac animas ille evocat orco Pallentes: alias ſub Tartara triſtia mittit*. Item per alios transferri, ut: *Navita ſed triſtis*. Per alios purgari, ut: *Aliae panduntur inanes Suſpenſae ad ventos*. Per alios vero ad ſumma revocari, ut: *Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno*. Sciens ergo de deorum imperio varias eſſe opiniones, prudentiſſime tenuit generalitatem. Ex majore autem parte Syronem, id eſt, magiſtrum ſuum, Epicureum, ſequitur. Hujus autem ſectae homines novimus ſuperficiem rerum tractare, nunquam altiora diſquirere. UMBRAEQUE SILENTES. Secreta Inferorum, ſemper ſilentia: nam hominum umbrae loquuntur. Hinc eſt: *Quae ſacra ſilentia norunt*. Invocat autem ſummum bonum, quod in ſilentio conſtare manifeſtum eſt.

265. ET CHAOS, ET PHLEGETON. Elementorum confuſio. Invocat autem rerum primordia, quae in elementorum fuerunt confuſione. Per *Phlegethonta*, Inferum fluvium, ignem ſignificat: nam φλὸξ Graece, Latine *ignis* eſt: unde ſecundum Heraclitum cuncta procreantur: & re vera ſine calore nihil naſcitur: adeo ut de Septentrione dicat: *Sterili non quicquam frigore gignit*. LOCA NOCTE SILENTIA LATE. Aut hoc eſt, quod ſupra ait: *Umbraeque ſilentes*: aut vult oſtendere, eſſe partem mundi, in qua perpetuae ſint tenebrae: cum enim probatum ſit, quod legimus: *Et minima contentos nocte Britannos*, ſphaerae exigit ratio, ut e contrario ſit regio noctibus vacans.

266. SIT MIHI FAS AUDITA LOQUI. De alta dicturus prudentia miſcet poeticam licentiam. SIT NUMINE VESTRO. Concedatur a veſtro numine.

267. ALTA TERRA, ET CALIGINE MERSAS. Bene junxit: ex terris enim caligo procreatur, id eſt, umbra.

268. OBSCURI SOLA SUB NOCTE. Aut Hypallage eſt: *Sub obſcura nocte ſoli ibant*: aut *ſub ſola nocte*, id eſt, ubi nihil aliud eſt praeter noctem. DOMOS VACUAS. Noſtri mundi comparatione. Simulachra enim illic ſunt, quae inania eſſe non dubium eſt, *Sola nox* eſt, cui nulla lux ſuccedit.

269. INANIA REGNA. Inanium: per quod oſtenduntur vacua.

270. INCEPTAM. Alii INCERTAM legunt: illuc tamen recurrit: nam *incertum*, incipientem, id eſt, minorem ſignificat. LUCE MALIGNA. Obſcura: nam *malignum*, eſt proprie anguſtum, ut: *Aditusque maligni*, id eſt, minores, obſcuri. Sane ſciendum, Lunae, licet minoris, commemoratione, oſtendere eum, fuiſſe illic aliquid lucis: nam aliter omnia, quae dicturus eſt, videre non poterat.

PIERII.

265. LOCA NOCTE SILENTIA LATE. In Romano codice, quia ſuperiore carmine legebatur, *umbraeque ſilentes*, quaſi ejuſdem vocabuli inſulſa eſſet repetitio, quaeque ariditati, atque inopiae ſermonis potius, quam elegantiae, adſcribi poſſet, pro, *ſilentia*, repoſuere, *tacentia*, quod neſcio quid Catullianum ſapit: *Quum tacet nox*. *Silere* autem eſt Cornelio Frontoni, quum loquentis ſermo comprimitur, ab ipſa ſignificatione litterae *s*. Tacet vero, qui nec loqui quidem coepit. *Silentia* tamen Servius agnoſcit, & ita reliqua omnia legunt exemplaria.

267. PANDERE RES ALTA TERRA ET CALIGINE MERSAS. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *per alta terra & caligine merſas*; ſed quanto melius eſt *alta terra*, ut emendatiores habent codices.

268. IBANT OBSCURI SOLA SUB NOCTE PER UMBRAS. In codicibus quibuſdam antiquis ita legitur, *Ibant obſcura ſoli ſub nocte*; ſed Donatus ait *ſolam eſſe noctem, cui lux nulla ſuccedit*. Et lectionem eandem agnoſcere videtur Servius, dum Hypallagen figuram notat. Eſt &, *per umbram*, unitatis numero, in pluribus exemplaribus, quod nocti magis convenire videtur: ſiquidem *umbrae*, aliud quiddam ſignificant.

270. QUALE PER INCERTAM LUNAM. Antiqui cod. nonnulli cum Mediceo, *inceptam*, legunt; ſed & *inceptam*, & *incertam*, eodem recurrere

putat

Eſt iter in ſilvis: ubi caelum condidit umbra
Juppiter, & rebus nox abſtulit atra colorem.
Veſtibulum ante ipſum primisque in faucibus Orci
Luctus & ultrices poſuere cubilia Curae:
275 Pallentesque habitant Morbi, triſtisque Senectus,
Et Metus, & male ſuada Fames, ac turpis Egeſtas;
Terribiles viſu formae; Letumque, Labosque:
Tum conſanguineus Leti Sopor, & mala mentis
Gaudia, mortiferumque adverſo in limine Bellum,
Fer-

SERVII.

271. UBI. Quando : nam non eſt loci; ſed temporis.

272. NOX ABSTULIT ATRA COLOREM. Hoc & videmus; & tractatur ab Epicureis, rebus tollere noctem colorum varietatem: unde etiam apud Inferos omnia nigra eſſe dicuntur. Contra hos Academici una re pugnant: nam ſquamas piſcium dicunt lucere per noctem.

273. VESTIBULUM. Ut Varro dicit, etymologiae non habet proprietatem; ſed fit pro captu ingenii: nam *veſtibulum*, ut ſupra diximus, dictum ab eo, quod *januam veſtiat*. Alii dicunt a *Veſta* dictum per imminutionem: nam *Veſtae* limen eſt conſecratum. Alii dicunt ab eo, quod nullus illic ſtet: in limine enim ſolus eſt tranſitus: quomodo *veſanus*, dicitur *non ſanus*: ſic *veſtibulum*, quaſi *non ſtabulum*. FAUCIBUS ORCI. Deum poſuit pro loco: ut Jovem dicimus, & aerem ſignificamus. Horatius: *Manet ſub Jove frigido venator*. *Orcum* autem Plutonem dicit. Nec enim per Charonta poſſumus intelligere Inferos dictos: quia minor poteſtas pro imperio nunquam ponitur; ſed illa, quae tenet imperium. Ergo alter eſt Charon: nam *Orcus* idem eſt Pluton, ut in Verrinis indicat Cicero, dicens: *Ut alter Orcus veniſſe Ennam: & non Proſerpinam, ſed ipſam Cererem rapuiſſe videatur*. Alibi ait: *Quia Ditem patrem emerſiſſe ab inferis putant*. Dicimus autem & *hic Dis?* & *hic Ditis*.

274. LUCTUS ET ULTRICES POSUERE CUBILIA CURAE. Ea dicit eſſe in aditu Inferorum, quae vicina ſunt morti: aut quae poſt mortem creantur: aut quae in morte ſunt, ut pallorem. *Luctus* enim poſt mortem eſt. CURAE. Conſcientiae: quae puniunt ſemper nocentes, ut dixit Juvenalis: *Quos diri conſcia facti Mens habet attonitos, & ſurdo verbere caedit Occulto quatiente animum tortore flagello*.

275. TRISTIS. Severa, quae gignit ſeveritatem. Cicero: *Judex triſtis & integer*.

276. TURPIS EGESTAS. Quae turpes facit: & quaſi harum rerum imagines facit, quas dicit eſſe apud Inferos, ideo, quia in quem iſta concurrunt, ſit mortalis neceſſe eſt: unde deos immortales dicunt: quia iſta non ſentiunt, quibus mors creatur.

277. TERRIBILES VISU FORMAE. Omnes ſcilicet, quas ſupra dixit.

278. CONSANGUINEUS LETHI SOPOR. Secundum Homerum, qui ait: Ἔνθ᾽ ὕπνῳ ξύμβλητο κασιγνήτῳ θανάτοιο. Et *conſanguineus*, ſimilis, juxta illud: *Dulcis & alta quies placidaeque ſimillima morti*. MALA MENTIS GAUDIA. Generaliter omnium ſcelerum dicit: ac ſi diceret *malae mentis gaudia*; ut cum male fecerunt gaudeant.

279. MORTIFERUMQUE ADVERSO IN LIMINE BELLUM. Mire, cum omnia in veſtibulo, bellum vero in limine ipſo poſuit, quoniam nulla major eſt mortis cauſa quam bellum: & eſt familiare epitheton.

PIERII.

putat Servius: nam & alias ſuper hoc eodem loco dubitatum a Grammaticis.

273. PRIMISQUE IN FAUCIBUS ORCI. In cod. plerisque ſane quam veteribus non invenuſte legitur, *primis in faucibus*, abſque copulativa particula; ſed ea inſerta verſum reddit canorum magis.

276. MALESUADA FAMES, ET TURPIS EGESTAS. In Rom. codice, in Mediceo, & pleriſque aliis antiquis, *ac turpis*, habetur; ut quodammodo jungat egeſtatem una cum ipſa fame.

277. LETUMQUE LABORQUE. Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *labos* per *s*. Quod vero ſequitur ſoporem conſanguineum eſſe mortis, ex Heſiodo ſumptum, qui in Theogonia Somnum & Mortem Noctis filios fuiſſe dicit: quod vero *Conſanguineum* dixit, ita eum Claudianus imitatus: *Te conſanguineo recipis poſt fulmina feſſum Juno ſinu*; ea enim Jovis & ſoror & conjux.

280 Ferreique Eumenidum thalami, & Discordia demens,
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In medio ramos annosaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens: quam sedem Somnia volgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus haerent.
285 Multaque praeterea variarum monstra ferarum
Centauri in foribus stabulant, Scyllaeque biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernae
Hor-

SERVII.

280. EUMENIDUM THALAMI. Furiae nunquam nupserunt: unde *thalamos* accipiamus habitationum loca in quibus natae sunt. Alii *thalamos* dicunt, qui facti auctoribus Furiis; sed non procedit: quia ait, *Terribiles visu formae*, ut non videatur esse contrarium: quia Furias paulo post alibi dicit esse: nam possunt hic natae esse, & alibi manere, & alibi officium exercere poenarum.

281. VITTIS INNEXA. Ut: *Scissa comam*: & : *Oculos suffusa*.

282. IN MEDIO. Aut vestibulo: aut absolutum est, & intelligimus hanc esse eburneam portam, per quam exiturus est: quae res haec omnia indicat esse simulata, si & ingressus & exitus simulatus est & falsus.

283. ULMUS OPACA, INGENS. Distinguenda sunt ista propter duo epitheta. PANDIT autem, non aperit, sed expandit, id est, extendit: & dicunt quidam *pandit* ab eo, quod est apotit venire, nam quod apertum, est latius diffusum: hinc est: *Patulae recubans sub tegmine fagi*. VULGO. Passim, catervatim: an *vulgo ferunt*?

284. VANA TENERE. Utrum καθόλου, an quae ex his vana sunt? Et duo somniorum genera putantur, unum de caelo, ut: *Visa dehinc caelo facies delapsa parentis Anchisae*, quod est verum; aliud ab inferis, quod est vanum. FOLIISQUE SUB OMNIBUS. Qui de Somniis scripserunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana esse somnia: quod per transitum tetigit. *Vana* autem ideo, quia ab inferis: nam vera mittunt superi. Homerus, Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός ἐστιν. *Somnium de Jove*.

286. CENTAURI IN FORIBUS STABULANT. Bene in foribus: quia ea, quae contra naturam possunt creari, statim pereunt. *Stabulant* autem, habitant: & usurpative dixit, ut *populat*, *luctat*: nam *stabulor* dicimus. Et bene allusit: quia ex parte equi sunt. *Centauri* autem Ixionis & Nubis filii sunt. Ixion enim amatam Junonem de stupro interpellavit. Illa confessa Jovi est: & ejus voluntate Nubem ei in suam formam conversam obtulit, unde feruntur nati esse Centauri. SCYLLAEQUE BIFORMES. Bene plurali usus est numero: nam Scylla, filia Nisi, secundum alios in avem conversa est; secundum alios in piscem. Ergo etiam ipsa biformis fuit: sicut haec in Siciliae freto. Dictum autem est per poetae scientiam vel licentiam. Quidam pluralem numerum pro singulari positum volunt: nam quae in avem conversa est, nihil terroris habet. Harum sane fabulae in Bucolicis plenius narratae sunt.

287. CENTUM GEMINUS BRIAREUS. Centies duplex: secundum fabulas ipse etiam dictus est Aegaeon: qui, ut nonnulli tradunt, pro diis adversus Gigantes bella gessit; ut vero alii adfirmant, contra deos pugnavit, eo maxime tempore, quo inter Jovem & Saturnum de caelesti regno certamen fuit: unde eum a Jove fulmine ad Inferos tradunt esse trusum. Alii dicunt, cum Juno & Minerva & Neptunus, caeterique dii Jovem ligare vellent, a Thetide Briareum adhibitum, Jovem vinculis exemisse. AC BELLUA LERNAE. Hydram dicit, serpentem inmanis magnitudinis, quae fuit in Lerna Argivorum palude; sed Latine *Excetra* dicitur, quod uno caeso tria capita excrescebant. Cum saepe amputata triplarentur, admoto ab Hercule incendio, consumpta narratur, cujus felle Hercules sagittas suas tinxisse dicitur. Sed constat, *Hydram* locum fuisse evomentem aquas, vastantes vicinam civitatem: in quo uno meatu clauso multi erumpebant: quod Hercules videns, loca ipsa exussit: & sic aquae clausit meatus: nam *Hydra*, ab aqua dicta est, id est, ἀπὸ τοῦ ὕδατος. Potuisse autem hoc fieri ille indicat locus, ubi dicit: *Omne per ignem Excoquitur vitium, atque exsudat inutilis humor*. Et utrum hic distinctio plena sit; an *horrendum stridens* inferioribus iungendum sit? *stridere* enim bene Chimerae datur, quae & serpentes habet & flammas.

Horrendum ſtridens, flammiſque armata Chimaera:
Gorgones, Harpyiaeque, & forma tricorporis umbrae.
290 Corripit hic ſubita trepidus formidine ferrum
Aeneas, ſtrictamque aciem venientibus offert,
Et, ni docta comes tenuis ſine corpore vitas
Admoneat volitare cava ſub imagine formae,
Inruat; & fruſtra ferro diverberet umbras.
295 Hinc via, Tartarei quae fert Acherontis ad undas:
Turbidus hic coeno vaſtaque voragine gurges
Aeſtuat, atque omnem Cocyto eructat arenam.

Por-

SERVII.

288. HORRENDUM STRIDENS. Pro horrende: adverbium qualitatis derivatum in nomen. FLAMMISQUE ARMATA CHIMAERA. Typhonis & Echidoae filia, ore leo; poſtremis partibus, draco; media, capra, ſecundum fabulas fuit: & maxime Homero dicente: Πρόσθε λέων, ὄπισθεν δὲ δράκων, μέσση δὲ Χίμαιρα. Re vera autem mons eſt Lyciae, cujus hodieque ardet cacumen, juxta quod ſunt leones: media autem ſunt, paſcua, quae capreis abundant; ima vero montis ſerpentibus plena ſunt. Hunc Bellephorontes habitabilem fecit, unde Chimaeram dicitur occidiſſe.

289. GORGONES. Hac Gorgones Forci filiae tres fuiſſe dicuntur, in extrema Africa circa Atlantem montem, quae omnes unum oculum habebant, quo invicem utebantur: quarum nomina haec fuerunt Stheno, Euryale, Meduſa; ſed Meduſa, erecta favore Neptuni, auſa eſt crines ſuos Minervae capillis praeferre: qua re indignata dea, crines, quibus amatori maxime placuerat, in ſerpentes vertit, eamque excidi a Perſeo fecit luminibus orbatam, fecitque ut quiſquis caput ejus vidiſſet verteretur in ſaxum; ſed Perſeus, Jovis, & Danaes filius, cum ad eam occidendam volaret, prae ſe ſcutum ferens ſpeculi candore pellucidum, ſicut Minerva monſtraverat, in umbra ejus vidit caput Gorgonae, & ita averſus accedens id amputavit: quod cum ad Polydecten regem pertuliſſet, iſque negaret id ejus virtute confectum, conſpicuum id regi fecit, cujus conſpectu ille in ſaxum mutatus eſt, quod in Serifo inſula hodieque oſtenditur: Serenus tamen poeta dicit Gorgonas puellas fuiſſe unius pulchritudinis, quas, cum vidiſſent adoleſcentes, ſtupore torpebant: unde fingitur, quod, ſi quis eas vidiſſet, vertebatur in lapidem. Sane quidam dicunt, verſus alios hos a Poeta hoc loco relictos, qui ab ejus emendatoribus ſublati ſint:

Gorgonis in medio portentum immane Meduſae,
Vipereae circum ora comae, cui ſibila torquent:
Infamesque rigent oculi: mentoque ſub imo
Serpentum extremis nodantur vincula caudi.

HARPYIAEQUE. Aut jam mortuas intellige: aut, ſecundum Platonem & alios, ſimulachra, licet vivarum, illic fuiſſe: nam dicunt, eſſe omnium rerum ideas quaſdam, id eſt, imagines, ad quarum ſimilitudinem procreantur univerſa. Hinc eſt, quod in Statio Amphiaraus Plutoni dicit: *Omnibus finitor rerum eſſe viceris: mihi vero & fator*. Harum autem ſimulachra bene apud Inferos ſunt: quia eſſe dicuntur & Furiae. TRICORPORIS UMBRAE. Heryli & Gryonis. Geryones tres reges ſimillimi fuerunt in Hiſpania, quibus abſtulit Hercules armenta. Moventes autem ob hoc in Herculem bellum interfecti ſunt ab eo, quorum ſimiles fuerunt umbrae.

291. OFFERT. Non ad feriendum, ſed ad repellendas umbras: unde & *offert* dixit: ſacerdos autem ferire prohibet.

295. TARTAREI QUAE FERT ACHERONTIS AD UNDAS. Seqaitur illud Pythagoricum, dicens, tenuiſſe eos viam poſt errorem ſylvarum; quae vel ad vitia vel ad virtutes, ut diximus, ducit. TARTAREI ACHERONTIS. Acheronta vult quaſi de imo naſci Tartaro; hujus aeſtuaria Stygem creare; de Styge autem naſci Cocyton. Et haec eſt Mythologia: nam Phyſiologia hoc habet: Quia qui caret gaudio, ſine dubio triſtis eſt. Triſtitia autem vicina luctui eſt, qui procreatur ex morte: unde haec eſſe apud Inferos dicit.

297. COCYTO ERUCTAT ARENAM, In Cocytum: ſcilicet per Stygem.

PIERII.

297. COCYTO ERUCTAT ARENAM. In aliquot

anti-

Portitor has horrendus aquas & flumina ſervat
Terribili ſqualore Charon: cui plurima mento
300 Canities inculta jacet: ſtant lumina, flammae:
Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipſe ratem conto ſubigit, veliſque miniſtrat,
Et ferruginea ſubvectat corpora cymba,
Jam ſenior; ſed cruda deo viridiſque ſenectus.
305 Huc omnis turba ad ripas effuſa ruebat,
Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimum heroum, pueri innuptaeque puellae,
Inpoſitique rogis juvenes ante ora parentum.
Quam multa in ſilvis autumni frigore primo
310 Labſa cadunt folia, aut ad terram gurgite ab alto

Quam

SERVII.

298. HAS HORRENDUS AQUAS. Propter tria flumina. PORTITOR. Proprie qui portat: abuſive etiam qui portatur *portitor* dicitur, ſicut *vector*, qui ſignificat vehentem, & qui vehitur. Lucanus: *Venia eſt haec ſola timeris, Vectorem non eſſe tuum*. Sic & *alumnus*, & *hoſpes*, ſignificant.

299. TERRIBILI SQUALORE. Id eſt, terribilis ſqualoris; CHARON. Κατ᾽ Antiphraſin, quaſi ἀχαίρων.

300. CANICIES INCULTA JACET. Veteres enim non ſolum comam ornabant, ſed etiam barbam, ut nonnullas videmus ſtatuas. Ideo dixit *Inculta mente canicies*. STANT. Horrent. Et eſt polyſemus ſermo, ut diximus.

302. SUBIGIT. Subagit, ſurſum agit, regit. Et eſt polyſemus ſermo: nam & acuit ſignificat, ut: *Subiguntque in cote ſecures*, Et compellit, ut: *Subigitque fateri*. VELISQUE MINISTRAT. Aut per vela, & eſt ſeptimus: aut velis obſequitur, & eſt dativus.

303. FERRUGINEA. Nigra, triſti: nam lugubrem eſſe hunc colorem oſtendit, dicens: *Cum caput obſcura nitidum ferrugine texit*. CORPORA CYMBA. Omne, quod poteſt videri, corpus dicitur: unde paulo poſt diſcretionem fecit, dicens: *Corpora viva nefas Stygia vectare carina*.

304. JAM SENIOR. Aut comparativum pro poſitivo poſuit: aut, ut diximus, *ſenior*, eſt virens ſenex; ut *junior*, intra juvenem eſt: quam rem a Varrone tractatam confirmat etiam Plinius. CRUDA DEO, VIRIDISQUE SENECTUS. Τὸ ἔντιον: ideo cruda & viridis, quia in deo: & bene viridis *

309. AUTUMNI FRIGORE PRIMO. Extremitatem vult oſtendere: quod ait Juvenalis: *Jam letbifero cedente pruinis Autumno*: nam ejus prima pars fervet, ut: *Tectoque Autumni incanduit aeſtu*. Sane ſciendum, ſecundum Plinium, folia Autumnali tempore ideo cadere, quia omnis tunc in arboribus humor aeſtatis calore invenitur exhauſtus. Ergo CADUNT, non quia tunc ſiccari incipiunt; ſed quia tunc eis jam deeſt humor.

PIERII.

antiquis codicibus, *Cocyté*, legitur poſſeſſivo caſu; ſed prior lectio magis recepta eſt: & *barcaam*, cum adſpiratione ex Varronis obſervatione, uti alibi dictum.

299. TERRIBILI SQUALLORE CHARON. In nonnullis omnino veteribus exemplaribus, *terribilis*, habetur, nominandi caſu; ſed ablativo magis receptum.

300. STANT LUMINA FLAMMA. In Rom. cod. & aliquot aliis antiquis, *flammae*, legitur: ſive id genitivi caſus ſit, quod nequaquam placet; ſive appoſitive dictum, ut *duo lumina*, *duae flammae* videantur; ſive quod magis placet, facta eſt duarum vocalium tranſpoſitio, cum *flammea* vellent ſcribere, veluti in antiquis aliquot exemplaribus ſcriptum obſervavi; ſed id poſtea corruptum, velut etiam illud, quod ſupra dicebamus: *Protinus omnia*, verſu dactylico.

301. SORDIDUS EX HUMERIS NODO DEPENDET AMICTUS. Valeant qui *nudo* legendum eſſe contendunt, quum *nodo* paſſim in antiquis codicibus tota libraria fide legatur. Et antiquae ſtatuae tot ubique ſpectentur, in quibus ornatus ex humeris nodo religatus pendeat.

Quam multae glomerantur aves, ubi frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
Stabant orantes primi tranſmittere curſum,
Tendebantque manus ripae ulterioris amore.
315 Navita ſed triſtis nunc hos, nunc accipit illos:
Aſt alios longe ſummotos arcet arena.
Aeneas (miratus enim, motuſque tumultu)
Dic, ait, o virgo, quid volt concurſus ad amnem?
Quidve petunt animae? vel quo diſcrimine ripas
320 Hae linquunt, illae remis vada livida verrunt?
Olli ſic breviter fata eſt longaeva ſacerdos:
Anchiſa generate, deum certiſſima proles,
Cocyti ſtagna alta vides, Stygiamque paludem,
DI cujus jurare timent & fallere numen.

Haec

SERVII.

311. GLOMERANTUR AVES. Bene rebus volitantibus animas comparavit, quae & ipſae volant.

312. IMMITTIT APRICIS. Quaſi ἄνευ φρίκης, id eſt, *ſine frigore*, ut diximus ſupra: unde nonnulli & Africam dictam volunt.

313. PRIMI TRANSMITTERE. Figura Graeca eſt: ut primi tranſirent.

315. TRISTIS. Aſper, immiſerabilis, ſeverus.

317. AENEAS. Ordo eſt: Aeneas ait, dic, o virgo: caetera per parentheſim dicta ſunt.

319. QUO DISCRIMINE. Qua differentia. RIPAS HAE LINQUUNT. Repulſae ſcilicet, non tranſeuntes.

320. VADA LIVIDA. Nigra. Et *lividum* non niſi apud neotericos invenimus. Lucanus: *Livor edax tibi cuncta negat, genteſque ſubactas:* licet Ovidius dixerit: *Livor iners vitium mores non exit in altos*.

321. LONGAEVA SACERDOS. Sibyllam Apollo pio amore dilexit: & ei obtulit poſcendi quod vellet arbitrium. Illa hauſit arenam manibus: & tam longam vitam popoſcit. Cui Apollo reſpondit id poſſe fieri, ſi Erythraeam inſulam, in qua habitabat, relinqueret, & eam nunquam videret. Profecta igitur Cumas tenuit: & illic defecta corporis viribus vitam in ſola voce retinuit. Quod cum cives ejus cognoviſſent, ſive invidia, ſive miſeratione commoti, ei epiſtolam miſerunt creta antiquo more ſignatam: qua terra viſa, quia erat de ejus inſula, in mortem ſoluta eſt: unde nonnulli hanc eſſe dicunt, quae Romana fata conſcripſit, quod incenſo Apollinis templo, inde Romam allati ſint libri, unde haec fuerat.

322. DEUM CERTISSIMA PROLES. Ex eo, quod ſubire Inferos potuit. Ideo autem *certiſſima*, quia multi ad gloriam generis ſimulant ſe numinum filios: ut Romulus ex Marte, Alexander ex Jove Hammone. Hoc ergo excludit. Sic alibi de Hercule: *Salve vera Jovis proles*.

324. ET FALLERE NUMEN. Ut ſupra diximus, ſive propter Victoriae favorem, Stygis filiae: nam dicitur ſtatuiſſe Jupiter, ut ſi quis feſelliſſet ejus numen, uno anno & novem diebus ab Ambroſia & Nectare prohiberetur. Ratio autem eſt quam ſupra diximus: ideo per Stygem dii jurant, quia triſtitia contraria eſt aeternitati.

PIERII.

316. LONGE SUMMOTOS ARCET HARENA. In antiquis aliquot codicibus, *ſemotos*, legitur: cui nonnibil ſuffragari videtur adverbium *longe*, pro valde. Magis tamen placet *ſubmotos*, quod & proprie & eleganter dictum eſt.

328. REMIS VADA LIVIDA VERRUNT. In Romano codice, *vada liquida*, legitur: neque timendum eſſet ſyllabae ex auctoritate Lucretii, niſi & Servius *livida* agnoſceret. Et epitheton id inferis amnibus, quippe turbidis & coenoſis conveniret. Praeterea, *vertunt*, in aliquot habetur exemplaribus; ſed *verrunt*, magis poeticum eſt.

325 Haec omnis, quam cernis, inops inhumataque turba eſt:
Portitor ille, Charon: hi, quos vehit unda, ſepulti.
Nec ripas datur horrendas & rauca fluenta
Tranſportare prius, quam ſedibus oſſa quierunt.
Centum errant annos, volitantque haec litora circum.
330 Tum demum admiſſi ſtagna exoptata reviſunt.
Conſtitit Anchiſa ſatus, & veſtigia preſſit;
Multa putans, ſortemque animo miſeratus iniquam.
Cernit ibi maeſtos & mortis honore carentis,
Leucaſpim, & Lyciae ductorem claſſis Orontem:
335 Quos, ſimul a Troja ventoſa per aequora vectus,
Obruit auſter, aqua involvens navemque viroſque.
Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat:
Qui Libyco nuper curſu, dum ſidera ſervat,

Ex-

SERVII.

325. INOPS INHUMATAQUE TURBA EST. Duo dicit, id eſt, nec legitimam ſepulturam habet, neque imaginariam. *Inopem* enim dicit ſine pulveris jactu: nam *Ops* terra eſt; id eſt, ſine humatione. Vult autem oſtendere tantum valere inanem, quantum plenam ſepulturam: nam & Deiphobi umbra tranſvecta eſt, cui Aeneas cenotaphium fecit, ut: *Hunc egomet tumulum Rhoeteo in littore inanem Conſtitui.* Bene autem *ſepultos*, id eſt, fletos (nam ſine fletu ſepultura non eſt: unde legimus: *Inhumata, infletaque turba*,) facit ſupradicta flumina tranſire, quibus luctus nomen impoſuit CENTUM autem *annos* ideo dicit: quia hi ſunt legitimi vitae humanae, quibus completis poteſt anima tranſire ripas, id eſt, ad locum purgationis venire, ut redeat rurſus in corpora. Sane ſciendum, quia, cum terram dicimus, *haec Ops* facit: ſi Nympham dicamus, *haec Opis*: ſi divitias, *hae opes* numero tantum plurali.

327. RAUCA FLUENTA. Aut rheumata, id eſt, aeſtuaria dicit: aut bene pluraliter: quia de tribus loquitur fluminibus.

329. SEDIBUS OSSA QUIERUNT. Id eſt, prius quam corpus in naturam ſuam redeat, id eſt, in terram.

330. STAGNA EXOPTATA REVISUNT. Lethaei ſcilicet fluminis.

331. VESTIGIA PRESSIT. Scilicet cogitatione tardatus, & intentionem conſtantis oſtendit.

332. PUTANS. Reputans, cum animo pertractans. SORTEMQUE ANIMO MISERATUS INIQUAM. Iniqua enim ſors eſt, puniri propter alterius negligentiam: nec enim quis culpa ſua caret ſepulchro. Bene autem ANIMO, quaſi re praeſaga, ut alibi: *Praeſaga mali mens.* Ipſe enim Aeneas inſepultus jacebit, ut: *Mediaque inhumatus arena*: periit enim in flumine Numico: unde & Juvenalis: *Et ipſe mihi contingens ſanguine caelum, Alter aquis, alter flammis ad ſidera miſſus.*

333. MORTIS HONORE. Sepultura, ut: *Quiſquis honos tumuli.*

334. DUCTOREM CLASSIS. Apertum exemplum, *claſſem* dici etiam unam navem: nam legimus: *Unam quae Lycios fidumque vehebat Orontem.*

336. AUSTER. Hic diſtinguendum.

337. SESE AGEBAT. Seſe agere, eſt ſine negotio incedere.

338. QUI LIBYCO NUPER CURSU. Bene Libyco: navigatio enim non a diverticulo; ſed ab intentione accepit nomen.

PIERII.

327. NEC RIPAS DATUR HORRENDAS, NEC RAUCA FLUENTA. In antiquis omnibus exemplaribus, quotquot habui, pro, *nec rauca*, legere eſt, *& rauca*.

328. QUAM SEDIBUS OSSA QUIERUNT. In Mediceo, & aliquot aliis, *quierint*, legitur; ſed finitivus modus eleganter etiam, cum *quam* jungitur, ut alibi ex Grammaticorum praeceptis, & ex auctorum uſu oſtendimus.

Exciderat puppi, mediis effuſus in undis.
340 Hunc ubi vix multa maeſtum cognovit in umbra;
Sic prior adloquitur: Quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque ſub aequore merſit?
Dic age. Namque mihi, fallax haud ante repertus,
Hoc uno reſponſo animum deluſit Apollo:
345 Qui fore te ponto incolumem, finisque canebat
Venturum Auſonios. En haec promiſſa fides eſt.
Ille autem: Neque te Phoebi cortina fefellit,
Dux Anchiſiade, nec me deus aequore merſit.
Namque gubernaclum multa vi forte revolſum,
350 Cui datus haerebam cuſtos, curſusque regebam,
Praecipitans traxi mecum. Maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne, ſpoliata armis, excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.

Tris

SERVII.

339. EFFUSUS IN UNDIS. Archaiſmos eſt: quanquam Donatus eſſe ordinem velit: *Dum ſervat ſydera in undis mediis*.

340. MULTA MOESTUM COGNOVIT IN UMBRA. Prudentiores dicunt, animas, recedeotes a corporibus, ſordidiores eſſe donec purgeotur: quae purgatae incipiunt eſſe clariores: unde ait paulo poſt: *Donec longa dies perfecto temporis orbe Concretam exemit labem, purumque reliquit Aetherium ſenſum: atque aurai ſimplicis ignem*: id eſt, non urentis, ut eſt Solis. Inde eſt, quod aliae animae Luoarem circulum, aliae Solſtitialem retioere dicuntur, pro modo purgationis animae. Bene ergo Palinurum obſcura umbra circumdatum dicit, & vix agnitum; qui ne ad loca quidem pervenerat purgationis, ſicut etiam alibi de Didone dicturus eſt: *Agnovitque per umbram Obſcuram*.

341. QUIS TE PALINURE DEORUM? Quis deus, debuit dicere; ſed Graece dixit, τίς θεῶν.

342. ERIPUIT NOBIS? Bene *nobis*: guberoator enim communi perit periculo. SUB AEQUORE MERSIT. Tmeſis eſt, Medio aequore ſummerſit.

343. DIC AGE. Hortantis adverbium eſt: unde eſt & *age* ſic, & *age* facite.

346. VENTURUM AUSONIUS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus.

347. CORTINA. *Cortina* dicta eſt, aut quod cor toneat; aut quod tripus ſeptus erat corio Pythonis ſerpentis, ut ſupra diximus: aut certe ſecundum Graecam etymologiam ὅτι τὴν κόρην τείνει, ἤτοι τιταίνει, id eſt, quod extendat puellam, ut: *Majorque videri*. NEC ME. Hic diſtinguendum, ne ſit cootrarium: nam eum Somnus dejecit. Quanquam alii fruſtra dicant, quod credebat Phorbantem: cum extinctis divinandi ſit conceſſa licentia: & nunc jam ſciat Somnum fuiſſe.

349. NAMQUE GUBERNACLUM. Ut ſit veriſile, quod poſt triduum tetigerit litus Italiae.

351. PRAECIPITANS. Dum praecipitarer. MARIA ASPERA JUNO. Aut execratio eſt, ut: *Iliaci cineres*: aut certe jurat, quaſi nauta, per maria.

353. SPOLIATA ARMIS. Propter amiſſionem gubernaculi. EXCUSSA MAGISTRO. *Nove* dixit, de qua fuerat magiſter excuſſus.

354. SURGENTIBUS UNDIS. Non quia tempeſtas fuit, faveote Neptuno; ſed tumens pelagus fuiſſe ſignificat. Nec de Aeneae peritia deſperavit; ſed propter perditum gubernaculum.

PIERII.

346. EN HAEC PROMISSA FIDES EST. In codicibus aliquot antiquis, *en*, *haec promiſſa fideſque*. Sed vulgata lectio magis ſatisfacit.

Cccc c

355 Tris notus hibernas inmenſa per aequora noctis
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Proſpexi Italiam ſumma ſublimis ab unda.
Paullatim adnabam terrae: jam tuta tenebam;
Ni gens crudelis madida cum veſte gravatum,
360 Prenſantemque uncis manibus capita aſpera montis
Ferro invaſiſſet, praedamque ignara putaſſet.
Nunc me fluctus habet, verſantque in litore venti.
Quod te per caeli jocundum lumen, & auras,
Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iuli;
365 Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi terram
Injice, namque potes; portuſque require Velinos.
Aut tu, ſi qua via eſt, ſi quam tibi diva creatrix

Oſten-

SERVII.

355. HYBERNAS. Aſperas: & retulit ad affectum natantis.

358. ADNABAM. Et hic diſtingui poteſt: *Paulatim adnabam;* ut ſequentibus jungatur, *Terrae jam tuta tenebam*.

359. GENS CRUDELIS. Lucanorum: & dicit eum a Velienſibus interemptum, ut: *Portuſque require Velinos*. Sane ſciendum *Veliam*, tempore quo Aeneas ad Italiam venit, nondum fuiſſe. Ergo anticipatio eſt, quae, ut ſupra diximus, ſi ex poetae perſona fiat, tolerabilis eſt; ſi autem per alium, vitioſiſſima eſt, ut nunc de Palinuro ait: quanquam alii divinandi peritiam referant, quaſi ab umbra dictum, cui praecognitum erat id nomen per poſteros illi imponendum. *Velia* autem dicta eſt a paludibus, quibus cingitur, quas Graeci ἕλη dicunt. Fuit ergo *Helia;* ſed accepit Digammon, & facta *Velia*, ut *Henetus*, *Venetus*.

360. MONTIS. Saxi, ut: *Fertur in abruptum magno mons improbus actu:* pro ſaxo: alibi e contrario: *Saxi de vertice paſtor:* pro montis; nam ſunt iſta reciproca.

362. ME FLUCTUS HABET. Quia ſecundum Philoſophos corpus ſolum nobis eſt, quod nobiſcum oritur, nobiſcum perit. Anima enim generalitatis eſt, & adeo non eſt noſtra, ut etiam in alia corpora plerumque tranſeat. Ergo *me*, corpus meum, quod eſt hominis proprium. Eſt autem Homeri: Αὐτὰρ δ' ἐν μεγάλῳ τάχει κυνέοντι.

363. CAELI JUCUNDUM LUMEN. Bene JUCUNDUM addidit: eſt enim etiam apud Inferos; ſed non jucundum.

365. HIS INVICTE MALIS. Qui Inferos ſubire potuiſti. *His* autem, ac ſi diceret, quae cernis.

366. TERRAM INJICE. Bene autem majus petiit, ut vel hoc impetraret. Terrae autem injectio ſecundum Pontificalem ritum poterat fieri & circa cadaver, & circa abſentium corpora, quibusdam ſolennibus ſacris. Eundem ſermonem habet apud Inferos cum Elpenore Ulyſſes: Σῆμά τ' ἐμοὶ χεῦαι πολιῆς ἐπὶ θινὶ θαλάσσης. NAMQUE POTES. Quia ubique enim rerum divinarum inducit peritum.

367. SI QUA VIA EST. Si eſt ulla ratio. DIVA CREATRIX. Rerum omnium, generaliter.

PIERII.

358. PAULATIM ADNABAM TERRAE; JAM TUTA TENEBAM. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *adnabam terrae*, *& jam tuta:* quae quidem particula eo loco inſerta, narrationis curſum quodammodo videtur impedire.

362. VERSANTQUE IN LITORE VENTI. Exemplaria quaedam vetera, *in litora*, accuſativo caſu, legunt: quod neſcio quid magis miſerabile prae ſe ferret; dum cadaver ſcopulis illidi ſaepius oſtenderet. Quamquam, *in litore*, caſu ſexto minime diſplicet, ut longe plures habent codices. *Litus* enim, non tam de ſicco, quam etiam de aſperginibus & extrema maris ora, intelligitur.

364. PER SPEM SURGENTIS IULI. In antiquis omnibus exemplaribus quotquot habui, *ſpes*, numero multitudinis legitur: non Poetis tantum, verum & oratoribus notum. Fab. Quintilianus; *O meas ſpes inanes*.

Ostendit, (neque enim credo sine numine divom
Flumina tanta paras Stygiamque innare paludem)
370 Da dextram misero, & tecum me tolle per undas;
Sedibus ut saltem placidis in morte quiescam.
Talia fatus erat, coepit cum talia vates:
Unde haec, o Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque severum
375 Eumenidum aspicies, ripamve injussus abibis;
Desine fata deum flecti sperare precando.
Sed cape dicta memor, duri solatia casus.
Nam tua finitimi, longe lateque per urbes,
Prodigiis acti caelestibus, ossa piabunt;
380 Et statuent tumulum, & tumulo sollemnia mittent;
Aeternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curae emotae, pulsusque parumper

Cor-

SERVII.

369. INNARE. Navigare: more suo.

371. SEDIBUS UT SALTEM. Ut saltem in morte requiescam sedibus placidis. Et bene, quia nautae semper vagantur.

373. TAM DIRA CUPIDO. Cupiditas ex deorum ira veniens, aut certe magna, ut: *An sua cuique deus fit dira cupido?*

374. SEVERUM. Tristem: & haec reciproca sunt, ut contra, *judex tristis*, & *integer*, id est, severus.

375. EUMENIDUM autem, circa quem habitant Eumenides. Εὐμενίδες dictae, nam εὐμενὴς *benevolus* est, quod minime sint benevolae, sed malevolae, & est κατ' ἀντίφρασιν figura, quoties rem malam bono appellamus exemplo, ut hic. RIPAMVE INJUSSUS ABIBIS. Ut abeo in Tuscos, abeo intus, eo, sicut diximus supra: quanquam alii ADIBIS legant.

376. DESINE FATA DEUM FLECTI SPERARE PRECANDO. Fata quae semel decreverunt: & locutus est secundum Epicureos, qui dicunt: *Nec bene pro meritis capitur, nec tangitur ira.*

377. DURI CASUS. Impossibilis ad mutationem.

378. LONGE LATEQUE PER URBES. De historia hoc traxit. Lucanis enim, pestilentia laborantibus, respondit oraculum, manes Palinuri esse placandos: ob quam rem non longe a Velis & lucum, & cenotaphion ei dederunt.

379. PRODIGIIS ACTI CAELESTIBUS. Compendiose & pestilentiam ortam, & petitum significavit oraculum. PIABUNT. Placabunt, expiabunt,

381. AETERNUM. In aeternum: & est adverbium. PALINURI. Plus est, quam si tuum diceret.

382. PARUMPER. Id est, paulatim laetari coepti: spem enim solam, non praesens acceperat beneficium: unde bene dictum est; quasi ab eo magna moderatione dolor recessit. Alii *parumper*, valde parum volunt.

PIERII.

368. NEQUE ENIM CREDO SINE NUMINE DIVUM. Antiqui plerique codices, *crede*, legunt, imperandi modo: ut, asserendo adesse numen Aeneae, argumentetur ab eo, quod facile fieri possit; sed enim hujusmodi lectio satis mihi nequaquam facit.

375. RIPAMVE INJUSSUS ABIBIS. Placet Servio *abibis* legere, & elocutionum eam, *abeo in Tuscos*, figura simili superius commendavit, super eo versu: *Quo regnum Italiae Libycas averteret oras*. Sed enim antiqua pleraque exemplaria non minus hic, *adibis*, quam superius, *adverteret*, legunt. Opinio vero Servii, ut *abibis*, legendum sit, cujusmodi lectio in Mediceo, & nonnullis antiquis aliis exemplaribus invenitur, mihi, ut elegantior & eruditior figura, sane quidem placeret, nisi Valerius Probus, *adibis*, legendum admoneret, loco hoc in testimonium citato, ubi *ad* praepositionem semper brevem esse tradit; sive loquelis, sive casibus inserviat.

Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
385 Navita quos jam inde ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripae,
Sic prior adgreditur dictis, atque increpat ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias: jam istinc & comprime gressum.
390 Umbrarum hic locus est, Somni Noctisque soporae:
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum laetatus euntem
Accepisse lacu, nec Thesea Pirithoumque:
DIs quamquam geniti, atque invicti viribus essent.

Tar-

SERVII.

383. GAUDET COGNOMINE TERRA. Nominis sui similitudine. Facit autem *hic & haec cognominis*: nam in Plauto lectum est, cum unam de Bacchidibus diceret: *Illa mei cognominis fuit*. Quod autem a communi genere in *e* misit ablativum, metri necessitas fecit.

385. NAVITA. Epenthesis, ut: Mavors. INDE UT STYGIA PROSPEXIT AB UNDA. Ut: *Siculo prospexit ab usque Pachyno*. Et hinc ostenditur, quod diximus, juncta esse haec tria flumina, Acheronta, Stygem, Cocytum. De his autem nascuntur alia: unde est: *Et novies Styx interfusa coercet*.

386. PER TACITUM NEMUS. Aut solum: aut ipsos tacitos, id est, tacite.

387. AGGREDITUR DICTIS. Hoc sermone ostendit iratum.

388. QUISQUIS ES ARMATUS. Bene a praescriptione coepit: ac si diceret: nihil pium molitur armatus.

389. QUID VENIAS. Cur? nam adverbium est. JAM ISTINC. A loco in quo es: nam rem proximam significat adeunti.

391. CORPORA VIVA. Quia, ut supra diximus, sunt corpora etiam mortuorum, quae tantum videntur, id est, umbrae.

392. ME SUM LAETATUS EUNTEM. Lectum est & in Orpheo, quod, quando Hercules ad Inferos descendit, Charon territus eum statim suscepit. Ob quam rem anno integro in compedibus fuit. Ideo ergo *non laetatus*, scilicet propter supplicium suum. Sane Alciden volunt quidam dictum ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, id est, *a virtute*, quod non procedit: quia a prima aetate hoc nomen habuit ab Alceo patre Amphitryonis. Et scimus agnomina ab accidentibus dari.

394. QUANQUAM. Ac si diceret: hoc in te nondum probavi, scilicet per simulationem: nam noverat.

PIERII.

383. GAUDET COGNOMINE TERRA. In antiquis porro omnibus exemplaribus quotquot versare contigit, scriptum animadverti, *terrae*, genitivo casu: nempe ut cognomine substantivum sit; aliter ex Prisciani praeceptione ablativum in *e* mittere non posset: sed enim alia quoque adjectiva in *is*, quorum neutrum exeat in *e*, ablativum casum in *e* & in *i* mittere reperiuntur, ut a *coeleste sagitta* dictum ab Ovidio.

390 UMBRARUM HIC LOCUS EST SOMNI NOCTISQUE. In Romano codice absque verbo substantivo legitur, *hic locus & somni*.

392. NEC VERO ALCIDEM ME SUM LAETATUS EUNTEM ACCEPISSE LACU, NEC THESEA. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Nec vero Alciden nec sum laetatus*, ut sit ordo. *Nec vero sum laetatus accepisse lacu nec Alciden, nec Thesea*: sitque negatio illa, quae superhabundare videbatur, ad maiorem intensionem, ut apud Graecos frequentissimum. Quod vero non procedere ait Servius Alcidae nomen ἀπὸ τῆς ἀλκῆς impositum fuisse: quin cognomina dentur ab accidentibus, & Hercules id nominis a prima aetate habuerit: quid obsecro obstat, quin cognomen id Herculi & a prima infantia, & ab accidentibus inditum agnoscamus: qui passim legamus eum in cunabulis, haud multo postquam est natus, geminos angues suis manibus suffocasse, magnisque ea aetatula prae se tulisse vires, & indomitum robur.

395 Tartareum ille manu custodem in vincla petivit;
Ipsius a solio regis traxitque trementem:
Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quae contra breviter fata est Amphrysia vates:
Nullae hic insidiae tales; absiste moveri:
400 Nec vim tela ferunt: licet ingens janitor antro
Aeternum latrans exsanguis terreat umbras:
Casta licet patrui servet Proserpina limen.
Troïus Aeneas, pietate insignis & armis,
Ad genitorem imas Erebi descendit ad umbras.

SERVII.

395. IN VINCLA PETIVIT. Hercules a prudentioribus, mente magis, quam corpore fortis inducitur; adeo ut duodecim ejus labores referri possint ad aliquid: nam cum plura fecerit, duodecim tantum ei assignantur, propter agnita duodecim signa. Quod autem dicitur traxisse ab Inferis Cerberum, haec ratio est: quia omnes cupiditates & cuncta vitia terrena contempsit, & domuit: nam Cerberus terra est, quae est consumptrix omnium corporum: unde & Cerberus dictus est, quasi κρεοβόρος, id est, *carnem vorans*: unde legitur: *Ossa super recubans*: nam ossa citius terra consumit.

396. IPSIUS A SOLIO REGIS. Atqui Cerberus statim post flumina est, ut: *Cerberus haec ingens latratu regna trifauci Personat*: nam illic quasi est aditus Inferorum. Solium autem Plutonis interius est. Ergo aut ad naturam canum referendum est, qui territi ad dominos confugiunt: aut *solium* pro imperio accipiendum est; ut alibi *arces* pro imperio posuit, ut: *Imbellem avertis Romanis arcibus Indum*: cum Indi usque ad primos venerint fines, non usque ad arces.

397. HI DOMINAM DITIS. Aut de Graeco tractum est, qui uxorem δέσποιναν dicunt, aut *Ditis thalamo*, ut *dominam* Charon ad se retulerit.

398. AMPHRYSIA VATES. Apollinea: & est longe petitum epitheton: nam *Amphrysus*, fluvius est Thessaliae, circa quem Apollo spoliatus divinitate a Jove irato Admeti regis pavit armenta ideo, quia occiderat Cyclopas, fabricatores fulminum, quibus Aesculapius extinctus est, Apollinis filius: quia Hippolytum ab Inferis herbarum potentia revocaverat.

400. NEC VIM TELA FERUNT. Ac si diceret, tantum repellunt. LICET. Fas est: & est concedentis adverbium, sicut *esto*.

401. AETERNUM. Adverbium est, ut supra diximus: & subaudi turbis, & *aeternum latrans*, & *aeternum terreat*: id est, semper latrans.

402. PATRUI. Quia Jovis est filia ex Cerere. SERVET. Obtineat, custodiat, inhabitet, ut: *Sola domum & tantas servabat filia sedes*.

403. TROIUS AENEAS, Id est, a diis originem ducens. PIETATE INSIGNIS ET ARMIS. Propter illud: *Pauci quos aequus amavit Jupiter: aut ardens evexit ad aethera virtus*.

404. EREBI. *Erebus*, proprie est pars Inferorum, in qua hi, qui bene vixerunt, morantur: nam ad Elysium non nisi purgati perveniunt: unde est: *Pauci laeta arva tenemus*. Hinc fit ut quaeratur, an animae de Elysio in corpora possint redire? & deprehensum est non redire: quia per purgationem carent cupiditate.

PIERII.

397. DEDUCERE ADORTI. In antiquis plerisque exemplaribus, *adorsi*, legitur: bonaque eorum pars, in quibus, *adorti*, legitur, r' illud suppositicium habet, abrasa prius s littera.

398. QUEM CONTRA BREVITER. In antiquis plerisque codicibus, *quae*, legi: ut sit, contra quae: ea scilicet, quae Charon objecerat. Sane in Mediceo *quae* scriptum apparet ex nota diphthongi, licet superinducto apice, lectionem aliquis mutare tentaverit.

399. NULLAE HIC INSIDIAE TALES. Veteres aliquot codices, *hinc*, de loco legunt: ut sit: *Hinc*, scilicet a nobis. Placet tamen & *hic*, ut in Mediceo est.

400. LICET INGENS JANITOR ANTRO. Apud Senecam nisi codices corrupti sunt, legere est: *licet ingens janitor Orci*. Reliqui codices, *antro*, legunt.

405 Si te nulla movet tantae pietatis imago,
At ramum hunc (aperit ramum qui veste latebat)
Adgnoscas. Tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his. Ille admirans venerabile donum
Fatalis virgae, longo post tempore visum,
410 Caeruleam advertit puppim, ripaeque propinquat.
Inde alias animas, quae per juga longa sedebant,
Deturbat, laxatque foros: simul accipit alveo
Ingentem Aenean. Gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.
415 Tandem trans fluvium incolumis vatemque virumque
Informi limo glaucaque exponit in ulva.
Cerberus haec ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans inmanis in antro.
Cui vates, horrere videns jam colla colubris,
420 Melle soporatam & medicatis frugibus offam

SERVII.

405. SI TE NULLA MOVET. Necessitate vult persuadere: quia scit manes nulla re flecti, ut: *Scirent si ignoscere manes*. PIETATIS IMAGO. *Pietas*, per Periphrasim dicta, ut: *Vis Herculea*, id est, Hercules.

406. APERIT. Nudat, ut: *Aperire procul montes ac volvere fumum*.

408. NEC PLURA HIS. Nec est aliquid ulterius dictum vel a Sibylla, vel a Charonte, post ramum visum.

409. FATALIS VIRGAE. Ut: *Sequetur: Si te fata vocant*. LONGO POST. Aut adverbium, aut praepositio antique posita: quamquam ablativus casus est, excessum significans, ut, *multo ante*, & *multo post*: JUGA. Graece dixit: ζυγὰ enim dicunt, quae *transtra* nominamus.

412. LAXATQUE FOROS. Tabulata vacuat, ut supra: *Et campos jubet esse patentes*. Multitudine enim remota quasi laxantur spatia. ALVEO. Fluminis scilicet: & per Synaeresim *alvo* facit.

413. INGENTEM AENEAM. Bene hunc solum dicit, ut per transitum ostendat purgatioris animi homines etiam corpora habere leviora: quod de Sibylla vult accipi.

414. SUTILIS. Intexta: per quod fragilem ostendit.

415. TANDEM. Aut propter pondus Aeneae, quod est melius: aut propter paludis magnitudinem: aut propter coeni densitatem.

416. INFORMI LIMO. Magno, sine forma. ULVA. Herba palustri; cum marina dicatur *alga*, ut: *Illisae cautibus algae*.

418. PERSONAT. Aut personare facit: aut per regna sonat: & quia de animabus dicturus est, bene facit ante Cerberi commemorationem, consumptoris corporum. Lucanus: *Qui viscera saevo Spargis nostra cani*. Tunc enim animae locum suum recipiunt, cum fuerit corpus absumptum.

419. HORRERE VIDENS JAM COLLA COLUBRIS. Fingitur enim pro saetis habere serpentes: & est Hypallage. In collo ejus horrebant colubrae.

420. OFFAM. Hinc est & diminutio *ofella*; sed *f* non geminat. In diminutione enim plerumque multa mutantur. Quod autem ait MELLE, allusit ad corpora, quae plerumque cum melle obruuntur. MEDICATIS. Confectis.

PIERII.

420. ET MEDICATIS FRUGIBUS OFFAM. Sunt codices admodum vetusti, in quibus *medicatam frugibus offam* legas: sunt qui ultimam syllabam abrasam ostentent, ut incertum sit utrum *medicatis*, an *medicatam*, scriptum. Servius tamen, *medicatis*, agnoscit.

Ob-

Objicit. Ille fame rabida tria guttura pandens
Corripit objectam, atque inmania terga resolvit
Fusus humi, totoque ingens extenditur antro.
Occupat Aeneas aditum custode sepulto,
425 Evaditque celer ripam inremeabilis undae.
Continuo auditae voces, vagitus & ingens,
Infantumque animae flentes in limine primo:
Quos dulcis vitae exsortis, & ab ubere raptos,
Abstulit atra dies, & funere mersit acerbo.
430 Hos juxta falso damnati crimine mortis.
Nec vero haec sine sorte datae, sine judice, sedes.
Quaesitor Minos urnam movet: ille silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.
Proxima deinde tenent maesti loca, qui sibi letum
In-

SERVII.

423. TOTOQUE INGENS EXTENDITUR ANTRO. Per hoc magnitudo ejus ostenditur: sicut ait tertio de Polyphemo: *Jacuitque per antrum Immensus*.

424. OCCUPAT AENEAS ADITUM. Raptim ingreditur. SEPULTO. Dormiente, sine pulsu, id est, motu.

425. EVADIT. Modo, transit. IRREMEABILIS UNDAE. Aut perpetuum est epithethon, ut diximus supra, ut sit magnae pietatis & meriti, quod ipsi concessum sit reverti: aut ipsi etiam Aeneae *inremeabilis*: nam per alteram egressus est partem, ut: *Portaque emittit eburna*.

426. CONTINUO AUDITAE VOCES. Novem circulis Inferi cincti esse dicuntur, quos nunc exsequitur: nam primum dicit animas infantum tenere; secundum, eorum, qui sibi per simplicitatem adesse nequiverunt; tertium, eorum, qui evitantes aerumnas se necarunt; quartum, eorum, qui amaverunt: quintum, virorum fortium esse dicit; sextum nocentes tenent, qui puniuntur a judicibus; in septimo animae purgantur; in octavo sunt animae ita purgatae, ut redeant; in nono, ut jam non redeant, scilicet campus Elysius. VAGITUS ET INGENS. Fletus iosantum.

427. ANIMAE FLENTES. Poetice dixit. Sane *ploratus*, tantum lachrymarum est; *planctus*, tantum vocum; *fletus*, ad utrumque pertinet: quae plerumque confundunt poetae. Io LIMINE PRIMO. Quia de prima hi subrepti sunt vita.

428. EXSORTES. Expertes, quos Graeci ἀκλήρους dicunt.

429. ACERBO. Immaturo: translatio a pomis est.

431. SINE SORTE. Sine judicio. Traxit autem hoc ex more Romano: non enim audiebantur caussae, nisi per sortem ordinatae: tempore enim quo caussae agebantur, conveniebant omnes (unde & CONCILIUM ait) & ex sorte dierum ordinem accipiebaot, quo post dies triginta suas caussas exsequerentur: unde est: *Urnam movet*. Juvenalis: *Gratia fallacis praetoris vicerit urnam*.

432. QUAESITOR. *Quaesitores* sunt, qui exercendis quaestionibus praesunt. Et notandum, quia Minoem, quasi crudelem, introducit, quod ei epitheton & Plato & Homerus dant: κρατὺν Μίνωος ὀλοόφρονος: nam Aeacus & Rhadamanthus, fratres, mitiores sunt.

434. MOESTI LOCA. Ideo *maesti*, quia, ut diximus supra, secundum Platonem, graviter puniuntur eorum animae, qui sibi inferunt mortem.

PIERII.

427. ET AB UBERE RAPTOS ABSTULIT ATRA DIES. Male *rapto*, legitur in codicibus nonnullis sane quam antiquis. Sed quod *abstulit una dies*, in vetustis itidem habetur exemplaribus, lectorem ambiguum faceret, oisi longe plures codices *atra* legerent; & epitheton id longe plura, & quid magis proprium, & huic sententiae adcommodatius, significaret.

435 Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. Quam vellent aethere in alto
Nunc & pauperiem & duros perferre labores!
Fas obstat, tristique palus inamabilis unda
Adligat, & novies Styx interfusa coërcet.
440 Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi. Sic illos nomine dicunt.
Hic, quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Silva tegit. Curae non ipsa in morte relinquunt.

His

SERVII.

435. LUCEMQUE PEROSI. Figurate dixit: nam *perosus illius* dicimus. Sane *perosus* & *exosus* de eo tantum, qui odit, dicitur.

436. PROJECERE ANIMAS. Quasi rem vilem.

437. ET DUROS PERFERRE LABORES. Homerus Achillis umbram introducit loquentem, & dicentem libentius se apud superos cuncta adversa tolerare, quam apud Inferos imperare, Βυλοίμην δ' ἐπάρουρος ἐὼν θητευέμεν ἄλλῳ Ἀνδρὶ παρ' ἀκλήρῳ, ᾧ μὴ βίοτος πολὺς εἴη, Ἢ πᾶσι νεκύεσσι καταφθιμένοισιν ἀνάσσειν. Quod autem ait, AETHERE IN ALTO, poetice dictum est. *Aether* enim supernus est; sed nostrum habitaculum *aetherem* vocavit, Inferorum comparatione.

438. FATA OBSTANT. Jura naturae. TRISTIQUE. Tristi unda palus inamabilis: ne si *tristis* dicamus, duo sint epitheta.

439. NOVIES STYX INTERFUSA. Quia qui altius de mundi ratione quaesiverunt, dicunt intra novem hos mundi circulos inclusas esse virtutes, in quibus & iracundiae sunt & cupiditates, de quibus tristitia nascitur, id est, Styx: unde dicit novem esse circulos Stygis, quae Inferos cingit, id est, terram, ut diximus: nam dicunt, alias esse purgatiores extra hos circulos potestates.

440. PARTEM FUSI MONSTRANTUR IN OMNEM. Plures vult ostendere eos, in quibus dominatur libido.

441. LUGENTES CAMPI. Quasi lucis egentes: quod & amoribus congruit.

442. DURUS AMOR. Immitis, inexorabilis. TABE PEREDIT. Corpore defluente paulatim.

443. SECRETI CELANT CALLES. Amantibus congruit. MYRTEA SYLVA. Quae est Veneri consecrata.

444. CURAE NON IPSA IN MORTE RELINQUUNT. Hoc est, etiam illic amant, & habent peractorum imaginem criminum: sicut etiam de piis dicturus est: *Quae gratia currum Armorumque fuit vivis, quae cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos*. Sane sciendum, ut diximus supra, loqui eum de amore generali: sicut etiam Plato in Symposio tractat. Nihil enim interest quid quis amet, dum modo amore teneatur. Notandum etiam (nam rarum est) quia cum masculino genere supra usus sit, ut: *Hic quos durus amor*: tantum foeminarum ponit exempla, non, quo desint viri; sed elegit sexum impatientem ad amandum. Tamen paulo post etiam Sichaei facturus est commemorationem.

PIERII.

438. FATA OBSTANT TRISTIQUE PALUS INAMABILIS UNDA. In Romano codice, *fas obstat*, videtur esse debuisse: nam s tantum littera desideratur in verbo *obstat*. Et Servius in castigatis exemplaribus, *fas obstat*, agnovisse videtur, quum praesertim exponit, FAS, jura naturae. Quanquam neque ea lectio displicet, *fata obstant*. Quod vero sequitur, *tristisque palus*, lectionem eam reprehendit Servius, ne duo sint epitheta, mavultque *tristi unda* legere, ut in codice Mediceo, & in Porcio est. Sed enim plerique codices antiqui *tristis* legunt: & in aliquot etiam *undae*, cum diphthongo ultima syllaba, ut duae primae dictiones in recto sint *tristisque palus*, reliquum possessivi *inamabilis undae*. Sunt & qui legant *innabilis*, a No, nas, quod in veteribus exemplaribus non memini me legere. Sed nescio cur ea lectio: *Tristisque palus*, appositive, *inamabilis unda*, quenquam offendere debeat; tametsi longe elegantior ea est, quae legit, *palus inamabilis*, addita ratione cur inamabilis, tristi quippe unda, quam στυγίην Homerus appellat, ubi fluvius Acheron, ejusdem etymologiae.

440. NEC PROCUL HINC. In Romano cod.

&

445 His Phaedram Procrinq; locis, maeſtamque Eriphylen
Crudelis nati monſtrantem volnera cernit,
Euadnenque, & Paſiphaën: his Laodamia
It comes, & juvenis quondam, nunc femina, Caeneus,
Rurſus & in veterem fato revoluta figuram.
450 Inter quas Phoeniſſa recens a volnere Dido

Er-

SERVII.

445. HIS PHAEDRAM. Hoc ex Homero: Φαίδρην τ', Πρόκριν τ' ἴδον, καλήν τ' Ἀριάδνην. *Phaedra* fuit filia Minois & Paſiphaes, uxor Theſei: quae privignum Hippolytum amore capta de ſtupro interpellavit: & deſpecta, apud maritum eum falſi criminis detulit: qui iratus invocavit Aegeum patrem, ut Hippolyto currus agitanti immitteret focam: quo facto, & Hippolyto interempto, Phaedra amoris impatientia laqueo vitam finivit. PROCRINQUE. Filia Iphidi, uxor Cephali fuit, qui cum venandi ſtudio teneretur, labore feſſus, ad locum quendam ire conſueverat: & illic ad ſe recreandum *auram* vocare. Quod cum ſaepe faceret, amorem in ſe movit Aurorae, quae ei canem velociſſimum, Laelapa nomine donavit: & duo haſtilia inevitabilia: cumque in amplexus rogavit. Ille reſpondit jusjurandum ſe habere cum conjuge mutuae caſtitatis. Quo audito Aurora reſpondit: ut probes igitur conjugis caſtitatem, muta te in mercatorem: quo facto ille it ad Procrin, & oblatis muneribus, impetratoque coitu, confeſſus eſt maritum ſe eſſe: quod illa dolens, cum audiſſet a ruſtico quodam amare eum Auram, quam invocare conſueverat, ad ſylvas profecta eſt, & in frutetis latuit ad deprehendendum maritum cum pellice. Qui cum more ſolito *auram* vocaret, Procris egredi cupiens fruteta commovit: ſperans Cephalus feram, haſtam inevitabilem jecit, & ignarus interemit uxorem. MOESTAMQUE ERIPHYLEN. Haec Amphiarai, auguris Argivi, uxor fuit: quae latentem bello Thebano maritum Polynici prodidit, monili accepto, quod ante uxori dederat: qui ductus ad praelium hiatu terrae periit. Cujus filius Alcmaeon poſtea in vindictam patris matrem necavit: & eſt, ut Oreſtes, furore correptus. Vituperatus ſane Virgilius quod *maeſtam* dixerit, quam στυγερὴν legit, id eſt, *nocentem*: apud Homerum enim eſt: ἴδον στυγερὴν Ἐριφύλην· Immo vero *odio dignam* & *inviſam*: nam στυγῶ, eſt *odio habeo*, & *inviſus ſum*: licet *moeſta* ſit a Styge.

447. EUADNENQUE. Uxor Capanei fuit, quae ſe in ardentem mariti rogum praecipitavit. ET PASIPHAEN. Haec, ut diximus, tauri amore flagravit. LAODAMIA. Uxor Proteſilai fuit quae, cum maritum in bello Trojano primum periiſſe cognoviſſet, optavit ut ejus umbram videret: qua re conceſſa, non deſerens eum, in ejus amplexibus periit.

448. NUNC FOEMINA CAENEUS. Caenis virgo fuit, quae a Neptuno pro ſtupri pretio meruit ſexus mutationem. Fuit etiam invulnerabilis, qui pugnando pro Lapithis contra Centauros, crebris ictibus fuſtium paulatim fixus in terra eſt: poſt mortem tamen in ſexum rediit. Hoc autem dictum Platonicum illud oſtendit, vel Ariſtotelicum, *Animas per μετεμψύχωσιν ſexum plerumque mutare*.

PIERII.

& aliquot aliis manu ſcriptis, *hic* habetur; magis tamen placet *hinc*, ut eſt in reliquis exemplaribus.

442. CRUDELI TABE PEREDIT. In antiquioribus aliquot exemplaribus, *peremit*, legitur: quod minime placet, quum *peredit*, ideo proprium ſit, quod, *Amantum eſt mollis flamma medullas*.

445. IS PHAEDRAM PROCRINQUE LOCIS. Neque illud placet, quod in Romano codice, *Procnin* legitur. Non enim *Procne* locum habet, inter amantes; ſed *Procris*, Cephali uxor. Praeterea ſumptum hoc ex Homero eſt, apud quem Φαίδρην τε Πρόκριν τε ἴδον legitur.

447. HIS LAODOMIA IT COMES. In Romano codice, & pleriſque aliis manu ſcriptis, recte notatum eſt per *a* vocalem primam in media ſyllaba *Laodamia*: ita enim Λαοδάμεια apud Graecos ſcribi neminem vel mediocriter doctum ignorare crediderim. Quod vero Latini vocalem eam in *o* mutarint, adhuc mihi non conſtat. Auditurus vero haud gravate ſum, ſiquis ab antiquo aliquo auctore traditum id oſtenderet.

449. FATO REVOLUTA FIGURAM. In codicibus quidem omnibus vulgatis, & aliquot ex his antiquioribus, *revoluta* ſcriptum eſt. In Romano *revocata* legitur.

Errabat ſilva in magna: quam Troïus heros,
Ut primum juxta ſtetit, adgnovitque per umbram
Obſcuram, qualem primo qui ſurgere menſe
Aut videt, aut vidiſſe putat per nubila Lunam,
455 Demiſit lacrimas, dulcique adfatus amore eſt:
Infelix Dido, verus mihi nuntius ergo
Venerat exſtinctam, ferroque extrema ſecutam;
Funeris heu tibi cauſſa fui? Per ſidera juro,
Per ſuperos, & ſi qua fides tellure ſub ima eſt;
460 Invitus, regina, tuo de litore ceſſi.
Sed me juſſa deum, quae nunc has ire per umbras,
Per loca ſenta ſitu cogunt noctemque profundam,
Imperiis egere ſuis: nec credere quivi
Hunc tantum tibi me diſceſſu ferre dolorem.
465 Siſte gradum, teque aſpectu ne ſubtrahe noſtro
Quem fugis? extremum fato quod te adloquor, hoc eſt.
Talibus Aeneas ardentem & torva tuentem

Le-

SERVII.

451. ERRABAT. Vagabatur. Et bene alluſit: quia & amaverat, & ſe interemerat: ut quaſi incertum eſſet, quem circulum poſſet tenere.

453. OBSCURAM. Recenti morte, ut diximus ſupra.

456. INFELIX DIDO. Veniali utitur ſtatu: & excuſat ſe per neceſſitatem, ne mortis cauſſa fuiſſe videatur. VERUS MIHI NUNTIUS. *Κατὰ τὸ σιω-πώμενον* intelligendum, quod ſit nuntiatus Didonis interitus. Alii ad ignem referunt viſum: alii ad Mercurium, qui ait, *Certa mori*. Sed in neutro ei etiam mortis genus eſt ſignificatum: & hinc dicit: *Ferroque extrema ſecutam*. Sane qui nuntiat, genere tantum dicitur maſculino; quod autem nuntiatur, licet neutro dicatur apud Catullum, tamen invenitur etiam maſculino.

458. FUNERIS HEU TIBI CAUSSA FUI. Ac ſi diceret, qui fueram ante cauſſa voluptatis.

459. SI QUA FIDES TELLURE SUB IMA EST. Ubi promiſſa exitum non habent. Reſpexit autem ad Orpheum, qui receptam perdidit conjugem.

461. QUAE NUNC HAS IRE PER UMBRAS. Argumentatur ex eo, quod eſt Inferos ſubire compulſus, invitum ſe reliquiſſe Carthaginem.

462. SENTA SITU. Squallida. Et eſt tranſlatio a terra inculta. *Situs* autem proprie eſt lanugo quaedam ex humore procreata: & fit in locis Sole carentibus.

463. NEC CREDERE QUIVI. Argumentationem tetendit: ac ſi diceret, ſi credidiſſem, forte etiam deorum juſſa contemnerem.

465. SISTE GRADUM. Diſcedere eam datur intelligi.

466. EXTREMUM FATO QUOD TE ALLOQUOR, HOC EST. Aut quia deus futurus eſt: aut, quod melius eſt, quia poſt mortem tenebit alterum circulum, viris fortibus ſcilicet, non amantibus datum.

467. TORVA. Pro torve, id eſt, terribiliter.

PIERII.

453. PRIMO QUIS SURGERE MENSE. In antiquis pleriſque codicibus *qui* legitur; ſed & *quis* reperitur.

465. TEQUE ASPECTU NE SUBTRAHE NOSTRO. Quamvis nonnulli dicant codices eſſe veteres, in quibus *aſpectui* ſcriptum inveniatur, ea, quae apud Virgilium frequentiſſima eſt, figura; magis tamen placet *aſpectu*, per *u*: quia multa ea terminatione, acquiſitivo caſu poſita reperiuntur apud Virgilium, Ciceronem, & Caeſarem.

Lenibat dictis animum, lacrimasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
470 Nec magis incepto voltum sermone movetur,
Quam si dura silex aut stet Marpesia cautes.
Tandem corripuit sese, atque inimica refugit
In nemus umbriferum: conjunx ubi pristinus illi
Respondet curis, aequatque Sichaeus amorem.
475 Nec minus Aeneas, casu percussus iniquo,
Prosequitur lacrimans longe, & miseratur euntem.

In-

SERVII.

468. LENIBAT. Pro leniebat: & antique dixit, ut: *Squamis auroque polibant*: pro *poliebant*. Majores enim in omnibus conjugationibus imperativo *bam* addebant, & faciebant imperfectum ab indicativo: quod in tribus adhuc observatur: in quarta etiam *e* additur, ut *nutri*, *nutriebam*. LACHRYMASQUE CIEBAT. Sibi, non Didoni; vel profundebat: aut certe illud dicit: Sermo quidem ejus lachrymas exciebat; sed illa immobilis mansit: nam *ciere*, est proprie alteri fletum movere. Tractum autem est hoc de Homero, qui inducit Ajacis umbram Ulyssis colloquia fugientem, quod ei fuerat caussa mortis: quem Ulysses his verbis invitat: Αἶαν, παῖ Τελαμῶνος ἀμύμονος, οὐκ ἄρ' ἔμελλες Οὐδὲ θανὼν λήσεσθαι ἐμοὶ χόλου, εἵνεκα τευχέων Οὐλομένων.

470. INCOEPTO SERMONE. A principio orationis.

471. DURA SILEX. Saxi est species: generalitas enim esse non potest sequente specialitate: STET MARPESIA CAUTES: nam *cautem Marpesiam*, Parium lapidem dicit. Marpesos enim mons est Pari insulae.

472. TANDEM. Quasi diu deliberaverit.

473. UMBRIFERUM. Umbrosum, frondosum. PRISTINUS. Prior: quod difficile invenitur: nam de hoc sermone quaerit & Probus, & alii.

474. RESPONDET CURIS. Aut pari eam diligit affectione: quod in Aenea non fuit, qui plus amatus est, & amantem deseruit: ut expressio rei supradictae sit. AEQUATQUE SICHAEUS AMOREM. Aut certe respondet curis: par est mortis similitudine: ferro enim uterque consumptus est.

476. PROSEQUITUR LACHRYMIS LONGE. Oculis eam sequebatur humentibus.

PIERII.

468. LENIBAT DICTIS ANIMUM. In codicibus aliquot antiquis, *leneibat*, per *ei* diphthongum in pene ultima scriptum observavi, ut in veterum inscriptionibus, DEICO, AMEICUS, & similia. Quo loco super Priscianus ait: *Tertiae & quartae conjugationes praeteritum imperfectum a prima praesentis formari, o in e mutata & addita bam, excepto eo, quod ibam facit, & derivatis. Antiquos vero, in his praesertim quartae, loco vocalium transmutato, pro i & e, ei diphthongum proferre solitos, ut leneibam, poleibam.* Sed enim quum hujusmodi scriptionem non in verbis tantum ejus conjugationis & temporis, verum in aliis etiam, & in syllabis a formatione non pendentibus, atque etiam in nominibus, in praepositionibus, & in adverbiis reperiamus; magis mihi placet Victorini sententia, qui refert, Naevium & Livium Andronicum, quum longa syllaba scribenda esset, duas vocales posuisse, praeterquam quae in *i* litteram inciderant: eam enim per *ei* scribere maluisse. Quam vero differentiam in his Lucilius ponere commentus sit, quo distingueret similia voce, alibi ex Velio Longo retulimus.

469. OCULOS AVERSA TENEBAT. In codic. aliquot antiq. *adversa* legitur, quod minime placet.

470. NEC MAGIS INCEPTO VOLTUM SERMONE MOVETUR. In codicibus aliquot antiquis, *voltu*, casu septimo legitur; sed *vultum*, quarto casu, figuratius est.

472. TANDEM PRORIPUIT SESE. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & plerisque aliis antiquis, legere est, *corripuit sese*: tametsi *proripuit*, placere magis video eruditis auribus.

475. CASU PERCULSUS INIQUO. Veteres omnes codices, quos legi, fere passim *percussus* legunt. Videnturque mortales tot aetatibus differentiam neglexisse, quam inter *perculsum* & *percussum* Grammatici statuere.

476. PROSEQUITUR LACHRYMANS, LONGE ET MISERATUS EUNTEM EST. Ultima hujus carminis dictio *est*, nusquam in antiquis exemplaribus habetur. In Rom. cod. versus totus ita legitur: *Prosequitur lachrimis longe & miseratur euntem*. Erat

Inde datum molitur iter. Jamque arva tenebant
Ultima, quae bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit Tydeus, hic inclutus armis
480 Parthenopaeus, & Adrasti pallentis imago.
Hic multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidae: quos ille omnis longo ordine cernens
Ingemuit, Glaucumque, Medontaque, Thersilochumq;
Tris Antenoridas, Cererique sacrum Polyboeten,
485 Idaeumque, etiam currus, etiam arma tenentem.

Cir-

SERVII.

477. DATUM MOLITUR ITER. Peragit. *Datum* autem dixit, aut ratione fati concessum: aut oblatum fortuito, quod τύχην dicunt: an injunctum? ARVA TENEBAT ULTIMA. Atqui multa adhuc supersunt: sed *ultima* esse dixit, quantum ad y pertinet literam: in his enim quae dixit, mixta sunt virtutibus vitia; in his autem quae dicturus est, nocentum poenas a piorum segregat meritis: nam Inferi, ut diximus supra, humanam continent vitam: hoc est, animam in corpore constitutam. Haec autem quae dixit, mixta esse manifestum est. Licet enim in viris fortibus laudetur virtus, est tamen vituperabile alienum imperium caedibus occupare. Item amare privignum, crimen est: virtus, maritum. Alii distinctione mutata dicunt: Tenebant arva, quae ultima viri fortes frequentant, id est, quae possident ultima, hoc est, post mortem.

479. HIC. Illic. OCCURRIT TYDEUS. Altheae & Oenei filius, quem in bello Thebano Menalippus extinxit,

480. PARTHENOPAEUS. Hic, Atalantae & Martis, sive Melanionis filius, rex Arcadiae fuit, qui Thebana bella puer admodum petiit. ADRASTI PALLENTIS IMAGO. Rex Sicyonis Adrastus primo fuit, post Argivorum: socer Tydei & Polynicis. Quod autem ait *pallentis*; aut epitheton est umbrae: aut illud respexit, quia in bello Thebano consumptis sex ducibus solus aufugit. Fugae autem comes semper est pallor.

481. HIC MULTUM FLETI. Id est, nobiles, quorum mortem magna sequitur lamentatio. AD. Pro apud. CADUCI. Qui bello ceciderint, id est, mortui, a cadendo: unde & *cadavera* dicta.

482. LONGO ORDINE. Ingenti multitudine, ut: *Pueri & pavidae longo ordine matres*: non ad ordinem stantes. Sane *in* minus est, pro, *in longo ordine*, *in ingenti multitudine*.

484. TRIS ANTENORIDAS. Multi supradictos accipiunt: quod falsum esse Homerus docet, qui eos commemorat: Ἅμα τῷ γε δύω Ἀντήνορος υἷε, Ἀρχέλοχός τ' Ἀκάμας τε, μάχης εὖ εἰδότε πάσης. Et alibi: Τὴν Ἀντηνορίδης εἶχε κρείων Ἑλικάων. CERERI SACRUM. Sacratum: nomen pro participio.

485. IDAEUMQUE. Quem aurigam legimus Priami. ETIAM. Adhuc, ut: *Quae cura nitentes Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.*

PIERII.

vero etiam in codice Longobardico: *miseratur*; sed inde abrasum fuit, & *miseratus*, repositum. In Mediceo: *Prosequitur lacrimas longe & miseratur euntem*; sed *lacrimas*, pro *lacrimans*, scriptum, ut saepe reperitur in veterum monumentis.

484. CERERIQUE SACRUM POLYBETEM. Nominis proprii pene ultima varie scribitur in antiquis codicibus: nam & *Polyboetem*, & *Polyluten*, & *Polybotem*, legas, praeter varietates alias, quae vulgatis in codicibus existunt. Sane quidem Πολυποίτης proprium viri nomen apud Graecos. Sed hic Perithoi filius, ut Homerus, Il. μ. Υἱὸς Πειριθόου κρατερὸς Πολυποίτης. Qui quidem in Trojanorum comitatu quid agat, non video: neque succurrit nunc inter Trojanos nomen id positum: alia vero forma & significato Πολυβώτης est, unde sibi forte Virgilius nomen ex commodo suo confinxerit. Neque enim ita se Latini Graecis addixere, ut non jus sibi esse voluerint, non tantum litteras & syllabas, verum totum etiam interdum nomen, quod ab ipsis mutuo caperent, variandi.

485. IDAEUMQUE ETIAM CURRUS ETIAM ARMA TENENTEM. In Rom. cod. *currum*, unitatis numero absque ulla collisione legitur: & ita prius in quibusdam aliis legebatur, qui nunc abrasi sunt; non ita tamen, ut non, *currum*, antiquam lectionem inspicias. Probus tamen, ut alibi diximus, Virgilium ait hujusmodi concursum, nisi faceret synalepham, summa vitasse diligentia.

Circumſtant animae dextra laevaque frequentes.
Nec vidiſſe ſemel ſatis eſt: juvat uſque morari,
Et conferre gradum, & veniendi diſcere cauſſas.
At Danaum proceres, Agamemnoniaeque phalanges,
490 Ut videre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu. Pars vertere terga,
Ceu quondam petiere ratis: pars tollere vocem
Exiguam. Inceptus clamor fruſtratur hiantis.
Atque hic Priamiden laniatum corpore toto
495 Deïphobum vidit, lacerum crudeliter ora,
Ora manuſque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhoneſto volnere naris.
Vix adeo adgnovit pavitantem, & dira tegentem
Supplicia; & notis conpellat vocibus ultro:
500 Deïphobe armipotens, genus alto a ſanguine Teucri,
Quis tam crudelis optavit ſumere poenas?
Cui tantum de te licuit? Mihi fama ſuprema
Nocte tulit, feſſum vaſta te caede Pelaſgum
Procubuiſſe ſuper confuſae ſtragis acervum.
505 Tunc egomet tumulum Rhoeteo in litore inanem
Con-

SERVII.

487. USQUE. Diu: & eſt adverbium.

491. TREPIDARE. Pro trepidabant.

492. CEU QUONDAM PETIERE RATES. Oſtendit vitia nec morte finiri.

493. FRUSTRATUR HIANTES. Decipit clamare cupientes. Nec nos moveat, quod aliis umbris verba dat; his ſilentium: timorem enim exprimit, qui vivis quoque adimit vocem, ut: *Obſtupui, ſteteruntque comae, & vox faucibus haeſit.*

495. DEIPHOBUM VIDIT. Qui Helenam duxerat, mortuo Paride. Ad cujus domum primum ire neceſſe erat, ubi fuerat cauſſa bellorum, ut: *Jam Deiphobi dedit ampla ruinam, Vulcano ſuperante, domus.* LACERUM. Pro, laceratum, id eſt, habentem ora lacerata.

496. POPULATA. Vaſtata, id eſt, deformia ſublatis auribus. TRUNCAS. Truncatas.

497. INHONESTO. Foedo, deformi, turpi, ut Terentius: *Illumne obſecro inhoneſtum hominem, quem mercatus eſt here, ſenem, mulierem?* inſignis enim deformitas & turpitudo eſt in vultu, truncis naribus.

498. PAVITANTEM. Ne agnoſceretur timentem. TEGENTEM. Tegere volentem: nam truncatis manibus quid tegebat? *Tegere* autem eſt celare; ut e contra *nudare* eſt indicare, ut: *Trajectaque pectora ferro Nudavit.*

499. NOTIS VOCIBUS. Amicalibus.

501. OPTAVIT SUMERE. Elegit ut ſumeret. DE TE. Pro, in te.

505. RHOETEO IN LITTORE. Ubi erat aſylum Ajacis: ſicut in Sigaeo Achillis. Et bene illic, quaſi ubi tutus eſſe potueram. Sane *Rhaeteium* dicitur, & facit *Rhoeteum*; ſicut eſt *Cytherеia*, a *Cytherea*.

PIERII.

488. VENIENDI DISCERE CAUSSAS. In antiquis codicibus, Romano, & aliquot aliis, *poſcere cauſas*, legitur: eodem modo, quo etiam in primo legi oſtendimus.

503. Va-

Constitui, & magna Manis ter voce vocavi.
Nomen & arma locum servant. Te, amice, nequivi
Conspicere, & patria decedens ponere terra.
Ad quae haec Priamides: Nihil o tibi, amice, relictum:
510 Omnia Deïphobo solvisti, & funeris umbris.
Sed me fata mea & scelus exitiale Lacaenae
His mersere malis: illa haec monumenta reliquit.
Namque, ut supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; & nimium meminisse necesse est:
515 Cum fatalis equus saltu super ardua venit
Pergama, & armatum peditem gravis adtulit alvo:
Illa chorum simulans, euantis Orgia circum

Du-

SERVII.

507. ET ARMA. Depicta scilicet. SERVANT. Obtinent. TE. Pro, tuum corpus, ut: *Nunc me fluctus habet*.

510. OMNIA SOLVISTI. Quia constituto tumulo manes vocavit. ET FUNERIS UMBRIS. Sepulturae meae umbris: nam funus illic esse non potuit, ubi nec cadaver quidem fuerat.

511. FATA MEA, ET SCELUS EXITIALE LACAENAE. Helenae. Secundum Mathematicos, qui dicunt etiam inimicitias ex fato descendere: unde ista conjunxit, *fatum* & *scelus* Helenae, per quae illi mors contigit. *Lacaenae*, patrium est nomen, a Lacedaemone urbe, cujus *Lacones*, & *Lacaenae*, cives utriusque sexus sunt.

512. MONUMENTA. Sermo medius, dictus ab eo, quod moveat mentem: unde est hic de malis. Econtra in tertio: *Manuum tibi quae monumenta mearum Sint puer*.

514. EGERIMUS. *Ri* metri necessitate corripuit. MEMINISSE NECESSE EST. Ciceronis est: *Cui placet, obliviscitur; cui dolet, meminit*. Ergo quia dolet, meminerit necesse est.

515. FATALIS. Mortifer, ut: *Fatiferumque ensem*. SUPER ARDUA VENIT PERGAMA. Aut quod in arce est positus: aut quia dejectis muris supra tractus est.

516. GRAVIS. Gravidus, ut: *Graves tentabunt pabula foetas*. Supra autem dixerat: *Foeta armis*.

517. EVANTES. Evantes Phrygias; aliter non stat versus. *Evantes* autem bacchantes, a Libero, qui *Evan* dicitur. CHORUM autem ait multitudinem in sacra collectam. ORGIA. Id est, cantharos maximos, plenos vino. Tamen *Orgia*, Bacchi sacra dicuntur, ἀπὸ τῆς ὀργῆς, id est, ira & furore, propter vinum: Sed tamen omnia Sacra dicuntur, quae Latinis Ceremoniae.

PIERII.

503. VASTA DE CAEDE. Antiqui omnes codices legunt: *vasta te caede*, pronomine secundae personae accusativi casus interposito.

505. RHETEO IN LITORE. In Romano codice absque praepositione, *Rheteo litore*, scriptum est: non ita in aliis, & longe melius ea inserta sonat.

507. NOMEN ET ARMA LOCUM SERVANT. In Longobardico codice, *locus*, nominativo casu legitur; sed ita *servat*, etiam singulare esse debuisset. *Locum* tamen quarto casu castiorem esse lectionem ostendit locus alter in VII. *Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen Hesperia in magna, siqua est ea gloria, signat*.

509. ATQUE HIC PRIAMIDES. In Romano codice, & in quibusdam aliis admodum antiquis legere est, *ad quae Priamides*. In Longobardico, *ad quem*: quorum utrunque pluribus magis placere video, quam quod in vulgatis habetur exemplaribus. NIHIL O TIBI AMICE RELICTUM EST. In nullo ex his veteribus codicibus inveni verbum *est*, quae phrasis magis Virgiliana videtur.

516. GRAVIS ATTULIT ALVO. In Romano codice, *alveo* legitur; sed magis placet, *alvo*, ut in aliis habetur: & in secundo eodem modo dictum: *Nota conduntur in alvo*.

Ducebat Phrygias: flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
520 Tum me, confectum curis somnoque gravatum
Infelix habuit thalamus, pressitque jacentem
Dulcis & alta quies, placidaeque simillima morti.
Egregia interea conjunx arma omnia tectis
Emovet, & fidum capiti subduxerat ensem:
525 Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam extingui veterum sic posse malorum.
Quid moror; inrumpunt thalamo. Comes additus una
Hortator scelerum Aeolides. DI, talia Grajis
530 Instaurate; pio si poenas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age fare vicissim,
Adtulerint. Pelagine venis erroribus actus,

An

SERVII.

518. CIRCUM DUCEBAT. Divisit in duos versus unam partem; sed ideo, quia est composita. Lyrici vero etiam incompositam partem orationis in duos dividunt versus.

520. CONFECTUM CURIS. Plenum, aut afflictum. Atqui vacaverat gaudiis; sed illud ostendit, quod ait Statius: *Stant veteres ante ora metus:* nam curae ferebantur suo impetu ex pristino bellorum tumultu. Alii hanc ipsam curam volunt, quod habebat conjugem perniciosam maritis: unde sequitur: EGREGIA INTEREA CONJUX, per Ironiam.

525. VOCAT MENELAUM, ET LIMINA PANDIT. Ante pandit, & sic vocat, ut: *Subeunt luco fluviumque relinquunt.*

526. ID MAGNUM SPERANS FORE MUNUS AMANTI. Putavit se vitia praeterita praesentibus posse celare, quod etiam sequens indicat versus: *Et famam veterum extingui sic posse malorum.*

529. AEOLIDES. Ulysses: qui ubique talis inducitur: nam Anticliae filius est, quae ante Laertae nuptias clam cum Sisypho, Aeoli filio, concubuit: unde Ulysses natus est. Sed quia ante nuptias natus, Laertis reputatus filius. Hoc ei etiam in Ovidio Ajax objicit: *Quid sanguine cretus Sisyphio.* Alii Oelidem legunt, de quo nusquam legimus. SI. Siquidem. VICISSIM. Quia ipse narraverit.

532. PELAGINE VENIS ERRORIBUS ACTUS? Non ad Inferos; sed ad locum, in quo Inferorum descensus est, id est, ad Avernum, si intra Terram sunt Inferi. Alii altius intelligunt, qui sub Terra esse Inferos volunt, secundum chorographos & geometras, qui dicunt terram σφαιροειδῆ esse, quae aqua & aere sustentatur: quod si est, ad Antipodes potest navigatione perveniri: quia quantum ad nos spectat, Inferi sunt, sicut nos illis. Hinc est quod Terram esse Inferos dicimus: quanquam illud sit, quia novem cingitur circulis. Tiberianus etiam inducit epistolam vento allatam ab Antipodibus, quae habet: *Superi inferis salutem:* qua occasione tractat reciprocum hoc, quod diximus supra: nam prudentiores, etiam animas per μετεμψύχωσιν dicunt ad alterius climatis corpora transire: nec in eo orbe versari, in quo prius fuerint: unde ait Lucanus: *Regit idem spiritus artus, Orbe alio, longae canitis si cognita vitae.* Sciendum tamen, Homericum esse: nam & illic Elpenor similiter Ulyssem interrogat.

PIERII.

523. CONJUX. Dictum jam, neque codices antiquos, neque veteres inscriptiones ullam huic nomini scribundo legem praefixisse: veteres tamen Grammaticos *ux* litteris, ut *nux* terminandum id adnotasse.

528. IRRUMPUNT THALAMO. In Rom. cod. ac plerisque aliis, *inrumpunt thalamos*, accusativo casu legitur; sed *thalamo*, dandi casu, magis poeticum videtur. COMES ADDITUR UNA. In codi-

An monitu divum? an quae te Fortuna fatigat,
Ut tristis sine sole domos, loca turbida, adires?
535 Hac vice sermonum roseis Aurora quadrigis
Jam medium aetherio cursu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonuit, breviterque adfata Sibylla est:
Nox ruit, Aenea; nos flendo ducimus horas.
540 Hic locus est, partis ubi se via findit in ambas:
Dextera, quae Ditis magni sub moenia tendit:
Hac iter Elysium nobis: at laeva malorum
Exercet poenas, & ad inpia Tartara mittit.
Deïphobus contra: Ne saevi, magna sacerdos:
545 Discedam, explebo numerum, reddarque tenebris.

SERVII.

I

533. FATIGAT. Fatigando impellit.

534. SINE SOLE DOMOS. Non est contrarium: *Solemque suum sua sydera norunt*. Illud enim de campis Elysiis dicit.

535. HAC VICE SERMONUM. Haec sacra, ut diximus supra, praeter unius diei spatium non tenebant: unde veretur Sibylla, ne inanibus fabulis datum, id est, statutum & legitimum, tempus teratur. Quod autem dicit AURORA MEDIUM AXEM TRAJECERAT: illud ostendit, quod secundum Tuscos diei ortus est a sexta diei hora: ortus enim diei habet Auroram. Donatus tamen dicit Auroram, cum quadrigis positam, Solem significare.

538. BREVITERQUE. Quod congruit moram objurganti.

539. NOX RUIT. Si per diem sacra celebrabantur, *ruit*, est *imminet*; si per noctem, *finitur*. FLENDO. Proprie: nam & lachrymae & gemitus fuerant deplorantis Deiphobum. FINDIT IN AMBAS. Compendiosius, quam si *duas* diceret: poteramus enim etiam tertiam sperare. Sic Salustius: *Inter secundum atque ultimum bellum Carthaginense*: non ait, tertium.

542. ITER ELYSIUM. Ad Elysium: de quo supra diximus. MALORUM. Impiorum, ut: *Multa malus simulans, vana spe lusit amantem*.

543. IMPIA TARTARA. Ubi puniuntur impii.

544. NE SAEVI. Ne irascere. Terentius: *Ne saevi tantopere*. Et antique dictum est: nam nunc, *ne saevias* dicimus, nec imperativum jungimus adverbio imperantis. *Nec* autem, & *non*, negantis.

545. EXPLEBO NUMERUM. Ut diximus supra, *Explebo*: est minuam: nam ait Ennius: *Navibus explebant sese, terrasque replebant*: quem Caper secutus cum de praepositione Ex tractaret, hoc exemplum posuit. Sensus ergo est: Minuam vestrum numerum, & reddar tenebris. Nam circa Aeneam & Sibyllam aliquid lucis fuisse intelligimus: quippe circa vivos: unde paulo post: *Respicit Aeneas subito*. Et reliqua. Alii *explebo*, male putant complebo esse, umbrarum scilicet, a quibus discesserat, numerum. Alii *explebo numerum*, dicunt esse finiam tempus statutum purgationi & in corpus recurram, ut hoc sit: REDDARQUE TENEBRIS: nam legimus: *Clausae tenebris & carcere caeco*: ut sit sensus: Irasceris mihi quasi homo: nonne & ego homo futurus sum? Alii dicunt, cur irasceris? in locis his sum, quamdiu vitae per vim ereptae purgationis expleam tempus; post *tenebris*, id est, meis sedibus, reddar. Sed haec omnia, congrua loco non esse manifestum est: non enim intelligere possumus, Sibylla aliud volente, scilicet ut abscederet, Deiphobum ad aliud respondisse.

PIERII.

dicibus antiquis pene omnibus, *additus* participii, non verbi voce scriptum est; *additur*, tamen non displicet.

529. DII TALIA GRAJIS. In antiquis codicibus & *di*, & *Grais*, unico tantum i notata sunt, de quibus alibi.

530. PRO SI POENAS ORE REPOSCO. In Romano cod. *pios*, legitur; sed id librarii potius imperitia, quam ita quis legendum autumet.

531. A-

I decus, i, noſtrum; melioribus utere fatis
Tantum effatus, & in verbo veſtigia torſit.
Reſpicit Aeneas ſubito, & ſub rupe ſiniſtra
Moenia lata videt, triplici circumdata muro:
550 Quae rapidus flammis ambit torrentibus amnis
Tartareus Phlegethon, torquetque ſonantia ſaxa.
Porta adverſa ingens, ſolidoque adamante columnae:
Vis ut nulla virum, non ipſi exſcindere ferro
Caelicolae valeant. Stat ferrea turris ad auras:
555 Tiſiphoneque ſedens, palla ſuccincta cruenta,
Veſtibulum exſomnis ſervat noctesque diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & ſaeva ſonare

Ver-

SERVII.

546. I DECUS, I NOSTRUM. Aut, I, o decus noſtrum, utere melioribus fatis, Inferorum ſcilicet comparatione; quia ait ſupra: *An quae te fortuna fatigat, Ut triſtes ſine Sole domos, loca turbida adires?* Aut certe, I decus, & fatis utere noſtrum melioribus: id eſt, quam aut ego, aut tu, habuimus.

549. MOENIA LATA VIDET. Tartarum dicit, quem vult eſſe carcerem Inferorum. Quod autem ait *lata*, nocentum exprimit multitudinem. TRIPLICI CIRCUMDATA MURO. Valde munitum indicat locum.

551. TORQUET. Trahit, volvit.

552. PORTA ADVERSA, INGENS. Diſtinctione excludendum eſt vitium de duobus epithetis. SOLIDOQUE ADAMANTE. *Adamas*, lapis eſt duriſſimus, & tantae ſoliditatis, ut nec ferro poſſit infringi, quem hircino ſanguine frangi dicunt: ab α, ſine, & δαμάζω, *domo*, id eſt, *lapis indomitus*.

553. VIS UT NULLA VIRUM. *Virum*, non ad ſexum retulit, ſed ad virtutem, hoc eſt, virorum fortium, ut Cicero: *Virum res illa quaerebat*: cum de viro forti diceret. Per hoc autem oſtendit nullum de Tartaro ad ſuperos poſſe remeare, ne numinum quidem favore.

554. STAT. Eminet. AURAS autem, Inferis congruas intelligimus. Statius de Mercurio ait: *Undique pigrae Ire vetant nubes, aut turbidus implicat aer*: Pigrae enim aurae ejus impediebant volatum. De illo enim loco multi quaerunt: *Quis tantus plangor ad auras?* Et Pollio dicit Aeneae & Sibyllae, quas illi ſecum traxerant; cum conſtet eſſe etiam illic auras.

557. EXAUDIRI. Exaudiebantur.

PIERII.

531. AGE FARE VICISSIM ATTULERINT. In antiquis aliquot, *attulerunt*, finitivo modo habetur, & (*age fare viciſſim*) per interpoſitionem; ſequitur enim: *Pelagine venis*, non *venias*: quanquam puncta ipſa figuram elocutionis mutare poſſunt.

546. ET IN VERBO VESTIGIA TORSIT. In Romano codice, *preſſit*, legitur. Eſt vero idem *premere veſtigia*, atque *ingredi*. Quia tamen de digreſſu loquitur, melius eſt *torſit*.

547. SUBITO ET SUB RUPE. In aliquot codicibus antiquis verſus hic non habet *et* copulativam; ſed locus hic particulam eam omnino exigere videtur.

551. TORQUETQUE SONANTIA SAXA. In Romano codice, *tonantia ſaxa*, legitur: quod non aeque placet.

553. NON IPSI EXSCINDERE FERRO COELICOLAE VALEANT. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *bello*, pro *ferro*, habetur, hoc eſt, magno quantumlibet conatu; ſed lectionem vulgatam *ferro*, nunquam ego mutaverim.

556. VESTIBULUM INSOMNIS. In Longobardico, in Mediceo, & aliquot aliis veteribus exemplaribus, *exſomnis*, legitur. Et in aliquot detrita *s* littera poſt *x*, *exomnis*. Id enim in pleriſque aliis dictionibus aſperitatis evitandae cauſſa, multi facere conſueverant.

557. ET SAEVA SONARE VERBERA. Sunt antiqui codices, in quibus, *ſonere*, hoc eſt, ſonitu legatur: quo vocabulo etiam alibi uſus eſt Virgilius. Sed & illud etiam: *Verberaque inſonuit*, dixit.

Verbera: tum ſtridor ferri, tractaeque catenae.
Conſtitit Aeneas, ſtrepitumque exterritus hauſit:
560 Quae ſcelerum facies? o virgo, effare: quibusve
Urgentur poenis? Qui tantus plangor ad auras?
Tum vates ſic orſa loqui: Dux inclute Teucrum,
Nulli fas caſto ſceleratum inſiſtere limen:
Sed me, cum lucis Hecate praefecit Avernis,
565 Ipſa Deum poenas docuit, perque omnia duxit.
Gnoſſius haec Rhadamanthus habet duriſſima regna,
Caſtigatque auditque dolos; ſubigitque fateri,
Quae quis apud ſuperos, furto laetatus inani,
Diſtulit in ſeram commiſſa piacula mortem.
570 Continuo ſontis ultrix accincta flagello
Tiſiphone quatit inſultans, torvosque ſiniſtra

In-

SERVII.

558. TRACTAEQUE CATENAE. Et genitivus ſingularis poteſt eſſe; & nominativus pluralis.

559. STREPITUMQUE EXTERRITUS HAUSIT. Hoc eſt, Hauſit & exterritus eſt: Hypallage ergo eſt.

560. SCELERUM FACIES. Species, ut ſupra: *Viſa maris facies, & non tollerabile numen.*

563. NULLI FAS CASTO. Pio. Et haec reſponſio oſtendit, Aeneam quidem voluiſſe ingredi; ſed quaſi pium prohibitum. INSISTERE LIMEN. *Inſiſto illam rem dicimus;* non *illi rei:* quod qui dicunt, decipiuntur propter verbum, Inſto illi rei.

564. SED ME. Quia occurrebat; unde ipſa cognoviſti?

565. DEUM POENAS DOCUIT. Aut quas Dii nocentibus ſtatuerunt: aut Titanum, quos legimus deos ex Terra progenitos: aut re vera dicit *poenas deorum*. Fertur namque ab Orpheo, quod Dii pejerantes per Stygem paludem, novem annorum ſpatio puniuntur in Tartaro: unde ait Statius: *Et Styx perjuria divum Arguit.*

566. RADAMANTHUS. Radamanthus, Minos, & Aeacus, filii Jovis & Europae fuerunt: qui poſtea facti ſunt apud Inferos judices.

567. SUBIGITQUE FATERI. Compellit ad confeſſionem. Ὕστερον πρότερον per totum verſum; nam prius *ſubigit fateri;* tum *audit;* poſtea audita *caſtigat*.

568. FURTO LAETATUS INANI. Latebra non valde profutura: quippe quae fuerat publicanda poſt mortem.

569. DISTULIT IN SERAM. Gravem, ut Salluſtius: *Serum bellum in anguſtiis futurum*. PIACULA COMMISSA. Propter quae expiatio debetur.

570. ACCINCTA FLAGELLO. Aut hoc dixit, quod videmus: quia, qui longo flagello utitur, ut id poſt ictum in ſe revolvat, neceſſe eſt: aut *accincta*, inſtructa, ad verbera ſcilicet; id eſt, nocentes flagello quatit ipſa praeparata.

PIERII.

559. STREPITUMQUE EXTERRITUS HAUSIT. In Romano codice, *haeſit*, habetur: & ita legebatur in Longobardico: quod transverſo calamo deletum eſt, appoſitumque, *hauſit*, aliena manu & atramento. Servius *hauſit* agnoſcit, & hypallagen figuram.

561. QUIBUSVE URGENTUR POENIS. Velius Longus quum Attii conſuetudinem improbet, de ſubjicienda *u* vocali poſt litteram *g* in plerisque verbis, Virgilium abſque *u*, *urgentur*, ſcripſiſſe, hoc loco teſte contendit. QUIS TANTUS PLANGOR AD AURAS? In Rom. & Longobardico, *Qui tantus plangor*, legitur. Et alibi dictum ab eodem Virgilio: *Qui caſus agat res*, contra Grammaticorum praeceptiones Cariſius obſervat. Sunt & codices, ubi pro, *auras*, ſcriptum invenias, *ad aures*, quod non aeque placet.

562. TUNC VATES SIC ORSA LOQUI. In Romano codice *tunc vates hinc orſa;* ſed magis placet, *ſic orſa*, ut in aliis habetur.

571. TORVOSQ. SINISTRA INTENTANS ANGUIS.

In

Intentans anguis, vocat agmina saeva sororum.
Tum demum horrisono stridentes cardine sacrae
Panduntur portae. Cernis, custodia qualis
575 Vestibulo sedeat? facies quae limina servet?
Quinquaginta atris inmanis hiatibus Hydra
Saevior intus habet sedem. Tum Tartarus ipse
Bis patet in praeceps tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad aetherium caeli suspectus Olympum.
580 Hic genus antiquum Terrae, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.
Hic & Aloïdas geminos inmania vidi

Cor-

SERVII.

572. AGMINA SAEVA SORORUM. Aut impetus: ut de Harpyiis dixit: aut serpentum agmina, quos pro comis habent.

573. TUM DEMUM HORRISONO STRIDENTES CARDINE SACRAE PANDUNTUR PORTAE. Mittuntur, inquit, post verbera ad aeternum supplicium. Et est secutus ordinem Juris antiqui: nam post habitam quaestionem in Tullianum ad ultimum supplicium mittebantur. Alii hoc a Poeta dictum volunt; ut illa loquente intelligamus portam esse patefactam; alii continuant narrationem. SACRAE. Exsecrabiles.

574. CERNIS CUSTODIA QUALIS. *Custodia*, est quae custodit, non quae custoditur. Usurpatum est autem, sicut *hospita*, sicut *neptis*: Nam *hic & haec custos* facit. Ea enim quae in *o* exeunt, ut *fullo*; in *or*, ut *nepos*; in *es*, ut *hospes*, foeminina ex se non faciunt: quae autem invenimus, usurpata sunt; unde & dissimilia inveniuntur: nam *custos*, *custodia* facit; & *nepos*, *neptis*; *hospes*, *hospita*.

575. VESTIBULO SEDEAT? Megaeram significat.

576. QUINQUAGINTA &c. Hoc autem dicit: Cernis hanc quam saeva sit? est intus alia, IMMANIS ATRIS HIATIBUS, quae est saevior, quam Hydra fuit. Multi ipsam Hydram volunt, quod non procedit: nam eam in aditu legimus Inferorum, ut: *Ac bellua Lernae*: quam alii tria volunt habuisse capita; alii novem; Simonides quinquaginta dicit.

577. TARTARUS. Vel, quia omnia illic turbata sunt, ἀπὸ τῆς ταραχῆς: aut, quod est melius; ἀπὸ τοῦ ταρταρίζειν, id est, *a tremore frigoris*: Sole enim caret.

578. BIS PATET IN PRAECEPS. Ideo *in praeceps* addidit: quia potest quid etiam sursum patere. Videtur autem hoc prudentioribus ideo dictum: quia, secundum rationem sphaerae, Sol cum in unam concesserit partem, duae quasi Tartarum faciunt; una, a qua discessit; & altera, ad quam nunquam accedit: quod melius sphaerae indicat ratio. Hoc autem dicit: Tartarus ipse bis tantum in praeceps patet, & tendit sub umbras; QUANTUS EST SUSPECTUS, id est, altitudo, ad olympum aetherium: & deest EST. Et sic Homerus de Tartaro: Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδεω, ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης.

580. HIC GENUS ANTIQUUM TERRAE. Id est, primum: Titanas enim contra Saturnus genuit; Gigantes postea contra Jovem. Et ferunt fabulae: Titanas ab irata contra deos Terra, in ejus ultionem creatos; unde & Titanes dicti sunt ἀπὸ τῆς τίσεως, id est, *ab ultione*. De his autem solus Sol abstinuisse narratur ab injuria numinum; unde & caelum meruit.

582. ALOIDAS GEMINOS. Aloeus Iphimediam uxorem habuit, quae compressa a Neptuno, duos peperit, Othum & Ephialtem: qui digitis novem per singulos menses crescebant. Freti itaque altitudine, caelum voluerunt subvertere; sed confixi sunt Dianae & Apollinis telis. *Aloidas* autem sic dixit, ut de Hercule Amphitryoniades dicimus. Hoc in Odyssea Homerus scribit: Τὴν δὲ μετ' Ἰφιμέδειαν Ἀλωῆος παράκοιτιν Εἴσιδον, ἣ δὴ φάσκε Ποσειδάωνι μιγῆναι, Καί ῥ' ἔτεκεν δύο παῖδε μινυνθαδίω δὲ γενέσθην, Ὦτόν τ' ἀντίθεον, τηλεκλειτόν τ' Ἐφιάλτην. GEMINOS. Sui similes.

PIERII.

In antiquis aliquot exemplaribus, *tortos*, legitur; sed *torvos*, in pluribus habetur.

580. TITANIA PUBES. In Rom. cod. *proles*, legitur; sed non displicet *pubes*: quia Hesiodus ait, eos centesimum adhuc annum agentes in sinu

ma-

Corpora: qui manibus magnum rescindere caelum
Adgressi, superisque Jovem detrudere regnis.
585 Vidi & crudelis dantem Salmonea poenas,
Dum flammas Jovis & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans,
Per Grajum populos, mediaeque per Elidis urbem
Ibat ovans, divumque sibi poscebat honorem,
590 Demens! qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere & cornipedum pulsu simularat equorum:
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit, (non ille faces, nec fumea taedis
Lumina) praecipitemque inmani turbine adegit.
595 Nec non & Tityon, Terrae omniparentis alumnum,

Cer-

SERVII.

585. CRUDELES POENAS. Saevas, nimias: nam non dicit indignas ferentem, qui sacrilegus fuit. SALMONEA. Salmoneus Aeoli filius fuit: non regis ventorum, sed cujusdam apud Elidem, ubi regnavit: qui, fabricato ponte aereo, super eum agitabat currus, ad imitanda tonitrua: & in quem fuisset jaculatus facem, eum jubebat occidi. Hic postea verum fulmen expertus est.

588. MEDIAEQUE PER ELIDIS URBEM IBAT OVANS. Hinc est indignatio, quod in ea civitate Jovem imitabatur, in qua specialiter Jupiter colitur.

592. DENSA INTER NUBILA. Ostendit fulminis caussam & originem. TELUM CONTORSIT. Projecit cum Impetu.

593. FUMEA LUMINA. Id est, terrena: nam aethereus ignis caret fumo: solo enim splendore viget.

595. NEC NON ET TITYON. *Tityus* secundum alios filius Terrae fuit; secundum alios a Terra nutritus; unde elegit sermonem, quo utrumque significaret: nam *alumnum* dicit. Hic amavit Latonam: propter quod Apollinis confixus est sagittis: & damnatus hac lege apud Inferos, ut ejus jecur vultur exedat. Quanquam Homerus vicissim dicat duos vultures sibi in ejus poenam succedere; unde haec canit de *Tityo*: Καὶ Τιτυὸν εἶδον, Γαίης ἐρικυδέος υἱόν, Κείμενον ἐν δαπέδῳ, ὃ δ' ἐπ' ἐννέα κεῖτο πέλεθρα. Γῦπε δέ μιν ἑκάτερθε παρημένω ἧπαρ ἔκειρον Δέρτρον ἔσω δύνοντες. Sane in usu est *vultur*: licet Cicero *vulturius* dixerit: & Plautus in Curculione: *Jacit vulturios quatuor*. Quod quidem potest esse & derivatum. Ennius: *Vulturis in campo miserum mandebat homonem*. Declinatur autem *hic Tityos*, *hujus Tityi*: sicut *Delos*, *Deli*.

PIERII.

matris lactentis decubuisse: quamquam etiam si non respicias ad Hesiodum, *pubes*, pro qualibet juvenum manu non indecenter positum esse dixeris.

589. DIVOMQUE SIBI POSCEBAT HONORES. In antiquis omnibus, quos habuerim, *honorem*, unitatis numero legitur; ut de una tantum fulminandi scilicet praerogativa intelligatur. Sane vero *honores*, numero multitudinis, pro titulis & dignitatibus poni videas ab auctoribus: *Honores habiti*; *honores decreti*.

591. ET CORNIPEDUM CURSU SIMULARAT EQUORUM. In codicibus plerisque vetustis, *cornipedum pulsu*, legitur: & *simularet*, uti etiam in Mediceo est, eleganti elocutionis forma: quam lectionem e multis exemplaribus inique sublatam animadverti, *e* litterae vestigio membranis adhuc pertinaciter adhaerescente.

593. NON ILLE FACES NON FUMEA. In antiquis exemplaribus, *nec fumea*.

595. TERRAE OMNIPOTENTIS ALUMNUM. Vetera omnino exemplaria pleraque, *omniparentis*, cum Porcio legunt: quanquam in aliquot ex abrasis litterarum apicibus, *omnipotentis*, scriptum animadverti. In Mediceo compendiose scriptum est *omnipotentis*; sed aliena manu correctum *omniparentis*. Sane vero Arusianus Messus, nisi codex mendosus est, *omnipotentis* videtur agnovisse. Utcunque vero, nequaquam mihi displicet, *omniparentis*, vulgata lectio.

Cernere erat: per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: roſtroque inmanis voltur obunco
Inmortale jecur tundens, fecundaque poenis
Viſcera, rimaturque epulis, habitatque ſub alto
600 Pectore: nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos ſuper atra ſilex jam jam labſura, cadentique
Inminet adſimilis: lucent genialibus altis

SERVII.

596. PER TOTA NOVEM CUI JUGERA CORPUS PORRIGITUR. Quantum ad publicam faciem, magnitudinem oſtendit corporis; ſed illud ſignificat: quia de amatore loquitur, libidinem late patere, ut ait ſupra: *Nec procul hinc partem fuſi monſtrantur in omnem Lugentes campi*. Sane de his omnibus rebus mire reddit rationem Lucretius: & confirmat in noſtra vita eſſe omnia, quae finguntur de Inferis. Dicit namque *Tityon* amorem eſſe, hoc eſt, libidinem: quae ſecundum Phyſicos & Medicos in jecore eſt; ſicut riſus in ſplene; iracundia in felle: unde etiam exeſum a vulture dicitur in poenam renaſci: etenim libidini non ſatis fit, re ſemel peracta, ſed recrudeſcit ſemper: unde ait Horatius: *Incontinentis aut Tityi jecur*. Ipſe etiam Lucretius dicit, per eos, ſuper quos jamjam caſurus immineet lapis, ſuperſtitioſos ſignificari: qui inanitor ſemper verentur: & de diis, & caelo, & locis ſuperioribus, male opinantur: nam religioſi ſunt, qui per reverentiam timent. Per eos autem, qui ſaxum volvunt, ambitum vult & repulſam ſignificari: quia ſemel repulſi petitores, ambire non deſinunt. Per *rotam* autem oſtendit negotiatores, qui ſemper tempeſtatibus turbinibuſque volvuntur.

598. FOECUNDAQUE POENIS. Foecunda in poenam.

599. RIMATUR. Paſcitur, ut: *Rimantur prata Cayſtri*. FIBRIS. *Fibrae*, ſunt eminentiae jecoris.

601. QUID MEMOREM LAPITAS? Hi populi Theſſaliae fuerunt, quibus imperabat Ixion, amiciſſimus, ut diximus ſupra, Jovi, Phlegyae filius: qui poſt nubis coitum, fictae in formam Junonis, cum ſe de ejus ſtupro jactaret, ab irato Jove ad Inferos truſus eſt, & illic religatus ad rotam circumfuſam ſerpentibus. PIRITHOUM. Et hic unus de Lapithis fuit, qui deſcendit cum Theſeo ad rapiendam Proſerpinam.

603. ADSIMILIS. Valde ſimilis: *ad* enim vacat: & a majoribus ad ornatum adhibebatur, ut Horatius: *Quas populus adſita certis limitibus vicina refugit Jurgia*. Ita *adinvenire*, pro *invenire*, legimus. LUCENT GENIALIBUS ALTIS. Aliud eſt: Tantalus, rex Corinthiorum, amicus numinibus fuit, qui, cum frequenter eos ſuſciperet, & quodam tempore defuiſſent epulae, filium ſuum Pelopem occidit, & diis epulandum appoſuit. Tunc, abſtinentibus cunctis, Ceres humerum ejus exedit, & cum eum dii per Mercurium revocare ad ſuperos vellent, eburneus ei eſt reſtitutus humerus, ſicut ſupra: *Humeroque Pelops inſignis eburno*. Ideo autem ſola Ceres dicitur comeſſe, quia ipſa eſt Terra, quae corpus reſolvit. Per Mercurium autem ob hoc fingitur eſſe revocatus: quod ipſe eſt Deus prudentiae, per quam Philoſophi deprehenderunt παλιγγενεσίαν, vel μετεμψύχωσιν. Tantalus autem hac lege apud Inferos dicitur eſſe damnatus; ut in Eridano Inferorum ſtans, nec undis praeſentibus, nec vicinis ejus pomariis perfruatur. Quemadmodum & Homerus in Odyſſ. ſcribit: Καὶ μὴν Τάνταλον εἰσεῖδον χαλέπ' ἄλγε' ἔχοντα, Ἑστεῶτ' ἐν λίμνῃ, ἡ δὲ προσέπλαζε γενείῳ. Στεῦτο δὲ διψάων, πιέειν δ' οὐκ εἶχεν ἑλέσθαι. Per haec autem avaritia ſignificatur, ut etiam Horatius: *Tantalus a labris ſitiens fugientia captat Flumina. Quid rides? mutato nomine de te Fabula narratur*. GENIALIBUS. Veluti genialibus: nam *geniales lecti* proprie ſunt, qui ſternuntur puellis nubentibus: dicti a generandis liberis.

PIERII.

597. ROSTROQUE IMMANIS VULTUR OBUNCO. In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis, *voltur abunco*, legitur: in Mediceo *adunco* habetur.

598. JECUR TUNDENS. In antiquis fere omnibus exemplaribus, quae tractarim, *tondens*, habetur: pro, decerpens, & leviter abrodens. Sunt tamen, quibus *tundens*, ut in Mediceo eſt, magis placeat: nempe quia ejuſmodi eſt geſtus avium paſcentium: vel ut cum eo conveniat, quod dictum eſt *immortale jecur*, adeo ut non abrodi, ſed tundi tantum a vulture videretur.

Aurea fulcra toris, epulaeque ante ora paratae
605 Regifico luxu. Furiarum maxima juxta
Adcubat, & manibus prohibet contingere mensas:
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic, quibus invisi fratres, dum vita manebat,
Pulsatusve parens, & fraus innexa clienti;
610 Aut qui divitiis soli incubuere repertis,
Nec partem posuere suis, quae maxima turba est:
Quique ob adulterium caesi: quique arma secuti
Inpia, nec veriti dominorum fallere dextras,

In-

SERVII.

604. AUREA FULCRA. Quibus fulcimur, id est, sustinemur.

605. REGIFICO LUXU. Regali ambitu. FURIARUM MAXIMA. Id est, saevissima, hoc est, fames, ut: *Vobis Furiarum ego maxima pando*. Unde & famem praenuntiat, ut hanc esse Furiarum maximam doceat.

606. ET MANIBUS. Illorum scilicet, non suis.

607. FACEM ATTOLLENS. Injiciens ignem avaritiae, ut abstineant.

608. QUIBUS INVISI FRATRES. Haec quidem constat dicta esse generaliter. Possunt tamen & ad speciem trahi: ut Aegyptum & Danaum; Atreum & Thyesten; Eteoclem & Polynicem, significare videatur. Bene autem dicendo *invisi*, per id, quod leve est, etiam majora complexus est.

609. PULSATUSVE PARENS. Item quod levius est dixit, parricidii comparatione. Possumus autem Oedipum accipere Laii extinctorem. AUT FRAUS INNEXA CLIENTI. Ex lege duodecim tabularum venit, in quibus scriptum est: *Patronus, si clienti fraudem fecerit, sacer esto*. Si enim *clientes* quasi *colentes* sunt; patroni quasi patres: tantum est, clientem, quantum filium, fallere. Et hoc posse fieri, ex Horatii dictis intelligimus, qui, cum loqueretur de avaris potentibus, ait de vicino cliente: *Revellis agri terminos: & ultra Limites clientium Salis avarus, pellitur paternos In sinu ferens deos*. Urbano tamen hoc displicet: & dicit rarum esse hoc, magisque contrarium; cum magis patronos decipiant frequenter clientes. Vult autem intelligi praevaricatores, qui patroni sunt clientum, quos nunc *susceptor* vocamus.

611. NEC PARTEM POSUERE SUIS. Bene addidit *suis*, id est, cognatis, affinibus. Haec enim fuerat apud majores donandi ratio; non profusa passim: nam hoc est velle inaniter perdere: unde Cicero ait in libris Legum: *Stipem prohibeo: nam auget superstitionem & exhaurit domos. Dignis igitur largiendum est*. Unde Horatius: *Cur eget indignus quisquam, te divite?* id est, indignus paupertate.

612. OB ADULTERIUM CAESI. Si occisi, Aegysthum significat, Thyestae filium; si re vera caesi, Sallustium, quem Milo deprehensum sub servi habitu verberavit in adulterio suae uxoris Faustae, filiae Syllae. QUIQUE ARMA SECUTI IMPIA, NEC VERITI DOMINORUM FALLERE DEXTRAS. Hoc loco videtur blandiri Augusto: quia contra Caesarem, patrem ejus, multi, quibus ignovit, arma susceperant. Est namque ejus dictum: *Dare quidem se veniam Pompejanis; sed ab ipsis quandoque esse periturum*. Ut *arma impia*, civilia dixerit, vel ea, quae moverunt Pompejani contra acceptae veniae fidem; sed non procedit: nam si *arma impia* dixit bellum civile, tangit & Augustum & Caesarem, qui & ipsi civilia bella tractarunt. Item si culpat eos, qui contra fidem datae veniae dimicarunt, tangit Augustum: nam transierunt ad eum ab Antonio duo millia equitum, per quos est victoriam consecutus. Horatius: *Ad hunc frementes verterunt bis mille equos Galli canentes Caesarem*. Fecit praeterea injuriam Augusto vel Caesari, si eos *dominos* dixit; quod apud majores invidiosum fuit: unde Tullius: *Dominante Sylla*: nam *Patres patriae* dicebantur, non *domini*. Juvenalis: *Roma parentem, Roma patrem patriae Ciceronem libera dixit*. Melius ergo est, ut bellum a Sexto Pompejo, Pompeii filio, in Siculo freto gestum accipiamus: nam occiso patre Siciliam tenuit: & collectis inde servitiis vastavit sex annis ultro citroque Siciliam: postea victus est ab Augusto & Agrippa. Horatius: *Minatus urbi vincla, quae detraxerat Servis amicus perfidis*. Et hoc sensu tam *arma impia*, quam *dominorum* congruit commemoratio.

PIERII.

Inclusi poenam exspectant. Ne quaere doceri
615 Quam poenam, aut quae forma viros, fortunave mersit.
Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent: sedet, aeternumque sedebit,
Infelix Theseus: Phlegyasque miserrimus omnis
Admonet, & magna testatur voce per umbras:
620 Discite justitiam moniti, & non temnere divos.
Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Inposuit, fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natae vetitosque hymenaeos.

Hoc

SERVII.

614. POENAM EXPECTANT. Quod gravius est: nam in expectatione & praesens metus est, & dolor futurus. In ipsa autem poena, solus est dolor.

615. FORMA VIROS. Regula: singulis enim sceleribus statuta sunt supplicia ex more Romano, quem sequitur.

616. SAXUM INGENS VOLVUNT ALII. Sisyphum dicit, qui deorum consilia hominibus publicavit; qualis ab Homero describitur: *Καὶ μὴν Σίσυφον εἰσεῖδον, κρατέρ' ἄλγε' ἔχοντα, Λᾶαν βαστάζοντα πελώριον ἀμφοτέρῃσιν. Ἤτοι ὁ μὲν σκηριπτόμενος χερσίν τε ποσίν τε Λᾶαν ἄνω ὤθεσκε ποτὶ λόφον.* RADIISQUE ROTARUM. Ixionem dicit, ut alibi ostendit: *Atque Ixionii vento rota constitit orbis.* Licet supra dixerit: *Quos super atra silex:* nam de his fabulis variae sunt in ipsis auctoribus opiniones.

617. AETERNUMQUE SEDEBIT INFOELIX THESEUS. Contra opinionem: nam fertur ab Hercule esse liberatus: quo tempore eum ita abstraxit, ut illic corporis ejus relinqueret partem. Frequenter enim variant fabulas poetae. Hippolytum Virgilius liberatum ab Inferis dicit; Horatius contra: *Neque enim Diana pudicum liberat Hippolytum.*

618. PHLEGYASQUE MISERRIMUS OMNES ADMONET. Si *Phlegyas* est nominativus singularis, hoc dicit: Phlegyas omnes admonet apud Inferos poenas ferentes. Si autem *Phlegyas* accusativus pluralis est, Theseum omnes Phlegyas admonentem debemus accipere. Hi namque secundum Euphorionem populi insulani fuerunt, satis in deos impii & sacrilegi; unde iratus Neptunus percussit tridente eam partem insulae, quam Phlegyae tenebant: & omnes obruit. *Phlegyas* autem, Ixionis pater, habuit Coronidem filiam, quam Apollo vitiavit; unde suscepit Aesculapium. Quo pater dolens, incendit Apollinis templum, & ejus sagittis est ad Inferos trusus. Statius: *Phlegyam subter cava saxa tacentem Aeterno premit accubitu.*

620. DISCITE JUSTITIAM. Hoc est, vel nunc in poenis locati.

621. VENDIDIT HIC AURO PATRIAM. Etiam haec, licet generaliter dicantur, habent tamen specialitatem; nam Lasthenes Olynthum Philippo vendidit; Curio Caesari DC H. S. Romam. De quo Lucanus: *Gallorum captus spoliis & Caesaris auro.* Et illud: *Emere omnes; hic vendidit urbem.*

622. FIXIT LEGES PRETIO, ATQUE REFIXIT. Possumus Antonium accipere, secundum Ciceronem in Philippicis. FIXIT autem ideo, quia incisae in aereis tabulis leges affigebantur parietibus.

623. HIC THALAMUM INVASIT NATAE. Thyestes Pelopeae filiae; unde Aegysthus natus est; item Cinyras filiae Myrrhae, de qua natus est Adonis: nam quod Donatus dicit, nefas est credi, dictum esse de Tullio: quod convitium a Sallustio, Ciceronis inimico, natum est, qui de illo inquit: *Filia matris pellex:* VETITOSQUE HYMENAEOS. Legibus scilicet; nam dicendo Vetitos, ostendit fuisse non vetitos, ut est apud Persas hodieque; unde Catullus ait de concumbentibus cum matre Persis: *Nam magus ex matre & gnato gignatur oportet: Si vera est Persarum impia relligio.* Unde Donatus male ait: *Natura & legibus vetitos.*

PIERII.

602. SILEX JAM JAM LAPSURA CADENTIQUE IMMINET ASSIMILIS. In codicibus pleris que veteribus *que* particula post participium *cadenti* vel minime notata est, vel sublata: in aliquot aliena manu adscripta. Est & *labsura*, per characteristicon sui thematis, de quo alibi.

604. EPULAEQUE ANTE ORA PARATAE. In Rom. cod. legere est, *paternae*, quasi adsimulata es-

Ausi omnes inmane nefas, ausoque potiti.
625 Non, mihi si linguae centum sint, oraque centum,
Ferrea vox, omnis scelerum comprendere formas;
Omnia poenarum percurrere nomina possim.
Haec ubi dicta dedit Phoebi longaeva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, & susceptum perfice munus
630 Acceleremus, ait. Cyclopum educta caminis
Moenia conspicio, atque adverso fornice portas.
Haec ubi nos praecepta jubent deponere dona.
Dixerat, & pariter, gressi per opaca viarum,
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
635 Occupat Aeneas aditum, corpusque recenti
Spagit aqua, ramumque adverso in limine figit.

Ex-

SERVII.

624. AUSI OMNES IMMANE NEFAS, AUSOQUE POTITI. Illic sunt, & qui fecerunt, & qui conati sunt. Dicit autem secundum Romanum ritum, in quo non tantum exitus punitur, sed & voluntas.

625. NON MIHI SI LINGUAE CENTUM SINT ORAQUE CENTUM, FERREA VOX. Lucretii versus sublatus de Homero ἐν τῷ Β Ἰλιάδος. Οὐδ' εἴ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄῤῥηκτος, χάλκεον δὲ μοι ἦτορ ἐνείη. Sed ille *aerea vox* dixit.

626. SCELERUM COMPRENDERE FORMAS. Ut: *Aut quae forma viros fortunave mersit.*

629. PERFICE MUNUS. Hoc est ramum redde: nam supra ait: *Hoc sibi pulchra suum ferri Proserpina munus Instituit.*

630. CYCLOPUM EDUCTA CAMINIS. Hoc est magna: ita enim cujuslibet rei magnitudinem significabant, adeo ut Statius Argivorum muros ab ipsis dicat esse perfectos.

631. FORNICE. Arcu. Cicero: *Vidit ad ipsum fornicem Fabianum.*

634. CORRIPIUNT SPATIUM. Raptim peragunt.

635. OCCUPAT AENEAS ADITUM. Ingreditur, sicut supra diximus. RECENTI. Semper fluenti: & dixit hoc propter paludem Stygem.

636. SPARGIT AQUA. Purgat se: nam inquinatus fuerat, vel aspectu Tartari: vel auditu scelerum atque poenarum: & *spargit*, quia se Inferis purgat: nam superis immolaturi corpus abluunt, ut supra: *Donec me flumine vivo Abluero.*

PIERII.

esset ea edulii species, quam pater ex filio DIS condierat; sed omnino *paratae*, magis eruditis auribus satisfacit.

607. ATQUE INTONAT ORE. Nonnulli codices, *increpat*, legunt; sed multo majoris horribilitatis est *intonat*, dicere.

613. DOMINORUM FALLERE DEXTRAS. In antiquis aliquot exemplaribus, *dextram*, unitatis numero; sed melius, *dextras*, quum *dominorum*, itidem multitudinis numero positum sit.

627. PERCURRERE NOMINA POSSEM. In antiquis pene omnibus, *possim*, non invenuste.

630. ACCELEREMUS, AIT, CYCLOPUM EDUCTA CAMINIS. Praeteribo, quod in aliquot antiquis exemplaribus, *hac celeremus*, legitur; quasi viam alteram, qua progrediendum esset, indicarit Sibylla. Illud non fuit dissimulandum, quod varie legitur *educta*: nam codices aliquot, *obducta*, hoc est, circumducta, habent: aliquot absque praepositiva compositione, *ducta*, tantum, ut alibi: *Pars ducere muros*: & apud Livium: *Murum duxit*. Sunt tamen quibus, *educta*, satisfaciat magis, utpote numerosius, & quod *caminis*, de loco positum sit.

631. ADVERSO IN FORNICE PORTAS. Vulgata aliquot exemplaria, *in fornice*; sed codices omnes antiqui, quotquot habui, *adverso fornice*, absque ea praepositione interjecta legunt.

632. HAEC UBI NOS PRAECEPTA JUBENT DEPONERE DONA. Antiqui nonnulli codices, *hic ubi*, legunt; sed *haec dona*, magis omnino placet.

His demum exactis, perfecto munere divae,
Devenere locos laetos, & amoena vireta
Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
640 Largior hic campos aether & lumine vestit
Purpureo; solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palaestris;
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
645 Nec non Threïcius longa cum veste sacerdos
Obloquitur numeris septem discrimina vocum:
Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.

Hic

SERVII.

638. AMOENA VIRETA. Virentia: & est satis usurpatum. *Amoena* autem, quae solum amorem praestant, velut si dicas, quasi *amunia*, hoc est, sine fructu, ut Varro & Carminius docent. Alludit autem ad insulas Fortunátas: nam & sequenti hoc indicat versu.

640. LARGIOR HIC CAMPOS AETHER ET LUMINE VESTIT PURPUREO. Non nostro largior; sed quam in caetera Inferorum parte. Aut revera largior, si Lunarem intelligis circulum: nam, ut supra diximus, campi Elysii aut apud Inferos, aut in insulis Fortunatis, aut in Lunari circulo. Lucanus: *Illic postquam se lumine vero Induit*. Homerus campos Elysios ad insulas Fortunatas esse testatur his versibus: Ἀλλά σ' ἐς Ἠλύσιον πεδίον, καὶ πείρατα γαίης Ἀθάνατοι πέμψουσιν, ὅθι ξανθὸς Ῥαδάμανθυς Τῇ περ ῥηΐστη βιοτὴ πέλει ἀνθρώποισι, Οὐ νιφετός, οὔτ' ἄρ χειμὼν πολύς, οὔτε ποτ' ὄμβρος· Ἀλλ' αἰεὶ Ζεφύροιο λιγυπνείοντας ἀήτας Ὠκεανὸς ἀνίησιν, ἀναψύχειν ἀνθρώπους. SOLEMQUE SUUM. Sibi congruum, ut: *Fessosque sopor suus occupat artus*.

642. PALAESTRIS. Luctationibus. Graece dixit: nam παλαίειν luctari dicunt Graeci; unde πάλη.

643. CONTENDUNT LUDO. Inter se; *ludo*, non odio. CHOREAS. *Re* corripuit propter metrum. Alibi ait secundum naturam, ut: *Juvat indulgere choreis*. Ergo aut Systolen fecit, aut Antithesin, *i* pro *e* ponens; ut pro χορεία posuit χορία. Nam Graecum est nomen.

645. NEC NON THREICIUS LONGA CUM VESTE SACERDOS. Orpheus, Calliopes musae, & Oeagri fluminis filius fuit, qui primus Orgia instituit: primus etiam deprehendit harmoniam, id est, circulorum mundanorum sonum, quos novem esse novimus: e quibus summus, quem ἄναστρον dicunt; id est, *sine astris*, sono caret: item ultimus, qui terrenus est. Reliqui septem sunt, quorum sonum deprehendit Orpheus; unde utique septem fingitur chordis. LONGAM autem VESTEM, aut citharoedi habitum dicit, aut longam barbam: nam e contrario *imberbes*, *investes* vocamus. SACERDOS autem: quia & theologus fuit, & Orgia primus instituit. Ipse etiam homines de feris & duris mites composuit; unde dicitur arbores & saxa movisse, ut diximus supra. Horatius: *Sylvestres homines sacer interpresque Deorum, Caedibus, & victu foedo deterruit Orpheus: Dictus ob hoc lenire tygres, rabidosque leones*.

646. OBLOQUITUR NUMERIS. Dicendo obloquitur, chordarum expressit laudem, quas dicit verbis loquutas: *obloqui* enim non est nisi contra loquentem loqui: non autem *male dicere*, ut alias. NUMERIS. Rhythmi sonis, ut: *Numeros memini, si verba tenerem*. SEPTEM DISCRIMINA. Quia omnes chordae dissimiliter sonant.

647. JAM PECTINE PULSAT EBURNO. *Jam*, nunc, *Hoc* autem *pecten* declinatur, ut *lien*, *carmen*.

PIERII.

638. ET AMOENA VIRETA. In antiquis exemplaribus, *virecta* per *ct*, & a viridi actu *virectum*, dictionem esse Grammatici tradunt.

640. LARGIOR HIC CAMPOS AETHER, ET LUMINE VESTIT PURPUREO. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Largior hic campus:* inde altero membro, *aether & lumine vestit Purpureo*. In quibusdam aliis: *Largior hic aer campos:* quod veriti sunt ponere aethera apud Inferos, quum tamen & *Solem suum, & sua sidera norint*. Sed vulgata lectio, quae est, *Largior hic campos aether*, magis placet.

Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnanimi heroës, nati melioribus annis,
650 Ilusque, Assaracusque, & Trojae Dardanus auctor.
Arma procul, currusque virum miratur inanis.
Stant terrae defixae hastae, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. Quae gratia currum
Armorumque fuit vivis, quae cura nitentis
655 Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra laevaque per herbam
Vescentis, laetumque choro Paeana canentis,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.

Hic

SERVII.

648. HIC GENUS ANTIQUUM. Quod non omnes viros fortes in Elysio visos esse commemorat, haec ratio est: quia isti divinos meruerant honores: quod Tydeo, vel his, quos supra memoravit, non contigit: nam ideo *antiquum* addidit: quasi & illis Elysii non contigerint campi, si eis annorum non derogasset vetustas.

649. NATI MELIORIBUS ANNIS. Plerumque enim hominum virtus decoloratur temporis infelicitate. Cicero: *Ut illa laus temporum, non hominum, fuisse videatur.*

650. ILUSQUE ASSARACUSQUE. Trojani reges fuerunt. TROJAE DARDANUS AUCTOR. Hunc in septimo inter deos dicit esse relatum, ut: *Et numerum divorum altaribus auget.* Sed, ut diximus supra, Homerum sequitur, qui inducit simulacrum Herculis apud Inferos visum.

652. DEFIXAE HASTAE. Subaudis inanes. Item ut: *equos inanes.*

653. QUAE GRATIA CURRUM. Detraxit unum *u*, licentia, qua Latinitas Graecos secuta genitivo plurali syllabam aut addit, aut detrahit: hoc loco detraxit, sicut: *Arma virum.* Contra addidit: *Alituum pecudumque genus:* pro *alitum*, sicut Graeci, Μυσάων Ελικωνιάδων.

654. NITENTES. Pingues: ab eo, quod sequitur, id quod praecedit intelligis. Per omnia autem quae dicturus est intelligendum hoc: *Quae gratia fuit vivis, eadem sequitur tellure repostos.*

657. PAEANA CANENTES. Proprie Apollinis laudes; quod nunc congruit propter lauri nemus: abusive, omnium deorum: sic Orgia proprie Liberi, abusive, omnium deorum sacra.

658. ODORATUM. Pro, *odorum*, ut supra diximus.

659. UNDE SUPERNE PLURIMUS ERIDANI PER SYLVAM VOLVITUR AMNIS. *Eridanum* Aratus in caelo esse dixit, haud longe a Ceto. Hic & in terris est, qui in Italia, id est, in Venetia Padus vocatur: quem alii etiam ad Inferos volunt tendere; alii nasci apud Inferos, & exire in terras. Ideo autem ista finguntur, quia de Apennini parte oritur, quae spectat Inferum mare, & tendit usque ad Superum. Ergo hic sensus est: Canebant in locis, unde superne, id est, ad superos plurimus Eridani amnis per sylvam volvitur; namque verisimile est: quoniam legimus de Aristeo: *Omnia sub magna labentia flumina terra Spectabat diversa locis.* Et congrue: nam omnis humor ex terrae nascitur venis. Alii Eridanum pro quocumque accipiunt, & dicunt κατ' ἐξοχὴν dictum, nam legimus *Fluviorum rex Eridanus.* Et amant poetae pro appellatione ponere magnae rei proprietatem, ut alibi: *Poculaque inventis Acheloia miscuit uvis.* Melius tamen est si distinguamus; *Unde superne plurimus;* unde ad superos plurimus, id est, magnus amnis volvitur per sylvam Eridani, id est, Populos. Fabula namque haec est: Eridanus Solis filius fuit: hic, a patre impetrato curru, agitare non potuit: & cum ejus errore mundus arderet, fulminatus, in Italiae fluvium cecidit: & tunc a luce ardoris sui, Phaeton appellatus est, & pristinum nomen fluvio dedit; unde mixta haec duo nomina inter Solis filium & fluvium invenimus. Postea ejus sorores flendo in Populos versae sunt, ut in decimo: *Populeas inter frondes umbramque sororum.* Et hoc Virgilius: nam alii in alias arbores dicunt.

PIE-

660 Hic manus, ob patriam pugnando volnera passi,
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat,
Quique pii vates, & Phoebo digna locuti,
Inventas aut qui vitam excoluere per artis,
Quique sui memores alios fecere merendo:
665 Omnibus his nivea cinguntur tempora vitta.
Quos circumfusos sic est adfata Sibylla;
Musaeum ante omnis: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris exstantem suspicit altis:

Di-

SERVII.

660. HIC MANUS OB PATRIAM PUGNANDO VULNERA PASSI. *Manus*, id est, multitudo eorum, qui ob patriam passi sunt vulnera: & est figurate dictum. Sane animadvertendum illud, quod ait Horatius in Arte poetica: *Et simul & jucunda & idonea dicere vitae*. Nullam enim majores nostri artem esse voluerunt, quae non aliquid reipublicae commodaret; unde Virgilius hoc per transitum facit: nam dicendo puniri patriae venditores; contra praemia defensoribus solvi, nihil utique aliud nisi fugienda vitia & sectandas docet esse virtutes: ubi veram fortitudinis definitionem expressit; cum utilitate publica suscipiatur fortitudo; videlicet *ob patriam:* & locum fortitudinis expressit, cum dixit *pugnando:* quia fortitudo, est rerum magnarum & terribilium invasio.

661. SACERDOTES CASTI DUM VITA MANEBAT. Quasi quis castus possit esse post mortem; sed aliud dicit: id est, qui fuerunt casti dum in communione vitae versarentur: nam hi, qui maxima sacra accipiebant, renuntiabant omnibus rebus; nec ulla in his nisi numinum cura remanebat. Herbis etiam quibusdam emasculabantur; unde jam coire non poterant. Dicit ergo eos sacerdotes, qui casti fuerunt, etiam ante sacra suscepta.

662. PII VATES. Vaticinantes, non mendaces. PHOEBO DIGNA LOCUTI. Aut veridici, qui talia loquebantur, qualia decebant Apollinem. Multi enim mentiebantur, ut in Lucano Phoebas, ad quam Appius Claudius: *Et nobis dabis improba poenas, Et Superis, quos fingis, ait*.

663. INVENTAS AUT QUI VITAM EXCOLUERE PER ARTES. Qui erudierunt & ornaverunt vitam per inventa artificia. Significat autem Philosophos, qui aliquid excogitaverunt, unde vita coleretur.

664. QUIQUE SUI MEMORES ALIOS FECERE MERENDO. Et qui aliquos sui memores fecere praestando, id est, beneficium dando reliquerunt sui apud quosdam memoriam, ut: *Nunquam regina negabo Promeritam*, id est, praestitisse. Terentius: *Ego, Carine, neutiquam officium liberi esse hominis puto: cum is nihil promereat, postulare id gratiae poni sibi*.

665. OMNIBUS HIS NIVEA CINGUNTUR TEMPORA VITTA. Per quod eos ostendit meruisse divinos honores; ut diximus supra.

667. MUSAEUM ANTE OMNES. Theologus fuit iste post Orphepm: & sunt variae de hoc opiniones: nam eum alii Lini filium; alii Orphei volunt, cujus eum constat fuisse discipulum: nam ad ipsum primum carmen scripsit, quod appellatur *Crater*.

668. HUMERIS EXTANTEM SUSPICIT ALTIS. Quasi Philosophum, ac si diceret Platonem. Alludit enim poeta: nam Plato ab humerorum dictus est latitudine, quam Graeci πλάτος vocant. Athleta enim fuit, qui post omnium victoriam se philosophiae dedit.

PIERII.

651. CURRUSQUE VIRUM MIRANTUR INANIS. In antiquis sane omnibus codicibus, Longobardico excepto, *miratur* est, singulari numero; ut de Aenea tantum id dicatur. Quid enim Sibylla miraretur, quae sibi alias innotuerant?

652. STANT TERRAE DEFIXAE HASTAE. Antiqui plerique codices, *Stant terra defixae*, legunt ablativo casu: utrumque enim dicitur eleganter.

653. PER CAMPOS PASCUNTUR EQUI. In antiquis aliquot exemplaribus, *campum*, legitur unitatis numero; sed non displicet, *campos*, pluraliter, ad amplitudinem indicandam. QUAE GRATIA CURRUM ARMORUMQUE FUIT. Sunt antiqui codices, Mediceus, & alii, in quibus, *curruum*, integra dictione scriptum habeatur. Prisciano placet syncopam fieri: neque tamen negat *uu* duplex scribi posse, ut fiat synalepha cum subsequente versu.

664. SUI MEMORES ALIOS FECERE. Non placet, quod

Dicite, felices animae, tuque, optime vates;
670 Quae regio Anchisen, qui habet locus? illius ergo
Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnis.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
Nulli certa domus. Lucis habitamus opacis,
Riparumque toros & prata recentia rivis
675 Incolimus. Sed vos, si fert ita corde voluntas,
Hoc superate jugum; & facili jam tramite sistam.
Dixit, & ante tulit gressum, camposque nitentis
Desuper ostentat: dehinc summa cacumina linquont.
At pater Anchises penitus convalle virenti
680 Inclusas animas, superumque ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens, omnemque suorum
Forte recensebat numerum, carosque nepotes,

Fa-

SERVII.

669. Tuque optime vates. Quia theologus fuit. Et sciendum, hoc loco Sibyllam jam a numine derelictam; unde & interrogat, quod alias non faceret.

670. Quae regio Anchisen, quis habet locus? Bene & generalitatem requirit & speciem, quo possit facilius inveniri: nam locus in regione est. Illius ergo. Propter illum, vel causa illius. *Ergo* autem conjunctio fuit; sed per accentus mutationem in adverbium transit: & est sola particula, quae habet in fine circumflexum. Multi male putant nomen esse indeclinabile: & dicunt positum esse pro caussa: (Caussa autem, nomen est, quod ponitur pro ratione) qui casus declinatione caret. Graece autem χάριν, vel ἕνεκα.

671. Magnos amnes. Aut magna fluenta: aut quia novem sunt, quae odiosum fuerat commemorare per singula.

673. Nulli certa domus. Id est, habitatio, quam animae tamdiu certam habent, quamdiu in corporibus sunt: post quorum solutionem vagantur pro vitae merito in circulis. Lucis habitamus opacis. Varia dicit, quae pro vitae varietate contingunt. In his autem locis Heroum animae coluntur.

674. Recentia rivis. Virentia: rivorum scilicet caussa.

676. Jugum. Ita enim dividuntur montes: in radices, latera, juga, vertices, pro locorum qualitate.

678. Dehinc summa cacumina linquunt. Non linquit: hoc enim dicit: Aeneas & Sibylla, perducti ad summum, in plana descendunt.

679. Penitus convalle virenti. Valde virenti, ut: *Penitusque sonantes Accestis scopulos*.

680. Inclusas animas. Non re vera inclusas; sed a multitudine separatas, quo facilius agnoscerentur.

681. Lustrabat studio recolens. Circuibat studiose tractans. Inclusas autem, aut segregatas: aut secundum ritum antiquum. Multitudinem enim si numerare non poterant, eam in locum certum includebant per partes, & ex unius numero quanta esset videbant. Quod Xerxes de suo fecit exercitu.

682. Clarosque nepotes. Posteros: sicut per nurus foeminas dicunt.

PIERII.

quod in exemplaribus plerisque veteribus, *aliquos*, legitur: plus enim est *alios* dicere.

674. Et prata recentia rivis. In Rom. codice, *silvis*, pro *rivis* legitur; sed enim *rivi* in caussa sunt, cur prata sint recentia.

675. Si fert ita corde voluntas. In codicibus aliquot antiquis, *voluptas*, habetur. Errore, ut puto, quia alibi simili indiligentia *voluptant*, pro, *volutant*, scriptum animadverti.

676. Et facili jam tramite sistam. In codicibus aliquot antiquis, *facili vos tramite*, legitur; sed *jam* in antiquioribus.

Fataque, Fortunaſque virum, moreſque, manuſque.
Iſque ubi tendentem adverſum per gramina vidit
685 Aenean, alacris palmas utraſque tetendit:
Effuſaeque genis lacrimae; & vox excidit ore:
Veniſti tandem, tuaque ſpectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua; & notas audire & reddere voces?
690 Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per aequora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui, ne quid Libyae tibi regna nocerent!
695 Ille autem: Tua me, genitor, tua triſtis imago,
Saepius occurrens, haec limina tendere adegit.

Stant

SERVII.

683. FATAQUE FORTUNASQUE VIRUM, MORESQUE, MANUSQUE. Felicitas enim aut fatalis eſt, aut fortuita, aut ex virtute deſcendit.

685. ALACRIS. Ipſe alacris. Et ſciendum antiquos & *alacris* & *alacer*, & *acris* & *acer*, tam de maſculino quam de foeminino genere dixiſſe. Nunc maſculino utrumque damus; de foeminino *alacer* & *acer* nunquam dicimus; licet Ennius dixerit: *Aeſtatem Autumnus, poſt acer hyems fit:* nam inde eſt *alacer*.

686. GENIS. Palpebris. Ennius de dormiente: *Imprimitque genae genam*. EXCIDIT ORE. Quaſi ſeni: quod circa Anchiſen reſervat, ut: *Tantumque nefas patrio excidit ore*.

687. VENISTI TANDEM. Hoc ad affectum pertinet deſiderantis. Alias oritur quaeſtio quod dicit: *Sic equidem ducebam animo*. EXPECTATA. Probata, ut: *Et rebus ſpectata juventus*. Hoc autem dicit: Tua pietas mihi ſemper probata, nunc etiam *iter durum* vicit, ſcilicet Inferorum.

688. ET NOTAS AUDIRE ET REDDERE VOCES. Familiariter loqui.

690. REBARQUE FUTURUM. Arbitrabar, ratiocinabar eſſe venturum. Per quod intelligimus fataliter Aeneam ad Inferos deſcendiſſe. Non enim niſi fatalia deprehenduntur.

691. NEC ME MEA CURA FEFELLIT. Nec decepit me dulciſſimus filius: nam vocativus eſt *mea cura*, id eſt, tu: & dictum eſt ſicut, *Veneris juſtiſſima cura*.

692. QUAS EGO TE TERRAS, ET QUANTA PER AEQUORA VECTUM. Pietatis magnitudo oſtenditur, cum pater ejus ingemit caſibus.

694. LIBYAE TIBI REGNA NOCERENT. Aut quia de Junone ait Venus: *Haud tanto ceſſabit cardine rerum:* aut, quod eſt melius, illud dicit: Timui, ne, dum apud regna Carthaginis voluptatibus vacabas, imperium fatale derelinqueres: unde per tranſitum inſinuat, quod intelligatur, Aeneam in Africa apud Didonem divertiſſe; cum utrumque conſtet diverſis aetatibus fuiſſe.

695. TRISTIS IMAGO. Severa, terribilis, ut ſupra: *Et turbida terret imago*.

696. SAEPIUS OCCURRENS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον ſaepius ei dictum intelligimus: aut certe, egit me tua imago ad haec tendere limina, quam ſaepe videre conſuevi.

PIERII.

692. QUAS EGO TE TERRAS. Romanus codex, & aliquot alii vetuſti, *Quas ego per terras*, legunt. Mihi prior lectio facit ſatis: quia etiam ſi *per* legas, *te*, pronomen deſideraretur.

699. HAEC LIMINA TENDERE ADEGIT. In codicibus aliquot pervetuſtis, legere eſt, *adire coegit*; ſed omnino lectio haec ex aliqua paraphraſi deſumpta eſt, pedeſtris enim & exilis eſt. Illud vero *tendere adegit*, longe ſublimior phraſis & elegantior.

Stant sale Tyrrheno classes: da jungere dextram,
Da, genitor; teque amplexu ne subtrahe nostro.
Sic memorans largo fletu simul ora rigabat.
700 Ter conatus ibi collo dare brachia circum:
Ter frustra conprensa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Interea videt Aeneas in valle reducta
Seclusum nemus, & virgulta sonantia silvis,
705 Lethaeumque, domos placidas qui praenatat, amnem.
Hunc circum innumerae gentes, populique volabant.

SERVII.

697. STANT SALE TYRRHENO CLASSES. Affectionis est filii, etiam ea indicare, de quibus non interrogatus.

699. LARGO FLETU. Nato ex gaudio.

701. TER FRUSTRA. Saepius: finitus pro infinito. Est autem locus iste ex Homero sumptus: Ὣς ἔφατ᾽, αὐτὰρ ἐγώ γ᾽ ἔθελον φρεσὶ μερμηρίξας Μητρὸς ἐμῆς ψυχὴν ἑλέειν κατατεθνηυίης. Τρὶς μὲν ἐφωρμήθην, ἑλέειν τέ με θυμὸς ἀνώγει· Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ εἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ, Ἔπτατ᾽· ἐμοὶ δ᾽ ἄχος ὀξὺ γενέσκετο κηρόθι μᾶλλον.

703. INTEREA VIDET AENEAS. Εἱρμός est hoc loco, id est, unus sensus protentus per multos versus: in quo tractat de Platonis dogmate, quod in Phaedone positum est περὶ ψυχῆς, de quo in Georgicis strictim, hic latius loquitur. De qua re etiam Varro in primo Divinarum plenissime tractavit. Hoc autem continet: Aeneas, dum per Inferos pergeret, respexit fluvium quendam loci remotioris, ad quem innumera multitudo tendebat animarum. Interrogavit patrem quis esset fluvius, vel qua ratione ad eum pergerent animae. Pater ait: Lethaeus est; pergunt autem, ut potent & oblivionem patiantur, ut incipiant in corpora velle remeare. Stupefactus Aeneas interrogat: Dic pater, animae, quae per praeteritam vitam tot supplicia pertulerunt, possunt habere votum revertendi in corpora? Non est verisimile, liberatas de corporis carcere ad ejus nexum reverti. Suscepta narratione, haec Anchises exequitur: Primo debere fieri ut redeant; deinde posse; deinde velle: quae, quoniam obscura sunt, aliis subdivisionibus innotescunt. Quid est debere? Cuncta animalia a Deo originem ducunt; quae quia nasci cernimus, revertuntur sine dubio, unde cuncta procreantur. Deinde posse sic probat: quia immortales sunt animae, & sunt quae possunt reverti. Tertium est utrum velint: quod dicit fieri per Lethaeum fluvium. Et hoc est, quod dicturus est; sed incidentes quaestiones faciunt obscuritatem.

704. VIRGULTA SONANTIA SYLVAE. Quae est juxta praerupta fluminis.

705. DOMOS PLACIDAS. Campos Elysios. PRAENATAT. Praeterfluit: & contrarie dictum est: nam non natant aquae; sed nos in ipsis natamus. Ennium igitur secutus est, qui ait: *Fluctusque natantes*. Sane de hoc fluvio quaeritur a prudentioribus: utrum de illis novem sit, qui ambiunt Inferos; an praeter novem: & datur intelligi, quod ab illis novem, qui ambiunt Inferos, separatus est: namque volunt eum esse imaginem senectutis: nam animae nostrae vigent & alacres sunt, & plenae memoria a pueritia usque virentem senectam, postea, in nimia senectute, omnis memoria labitur: qua lapsa, mors intervenit, & animae in aliud corpus revertuntur. Unde fingunt poetae, animas Lethaeo hausto in corpus redire. Ergo *Lethaeus*, est oblivio, morti semper vicina. Lethaeum autem ἀπὸ τῆς λήθης constat, id est, oblivione, esse dictum.

706. GENTES POPULIQUE. Innumerarum gentium & populorum animae.

PIERII.

699. SIMUL ORA RIGABAT. In antiquis plerisque, *rigabant*, plurali numero est; sed de Aenea tantum hoc dictum volunt multi, quod absurdum dicunt dare lacrimas Anchisae in beatorum jam numerum adscito; sed fecit hoc Poeta ad affectum mutuae pietatis exprimendum.

704. SECLUSUM NEMUS. In Rom. cod. *reclusum*, legitur; sed enim Virgilius hujus dictionis primam libentius corripere solet. VIRGULTA SONANTIA SILVIS. Servius *silvae* legit: & Romanus illi codex adstipulatur. Reliqui etiam

Ac veluti in pratis, ubi apes aestate serena
Floribus insidunt variis, & candida circum
Lilia funduntur: strepit omnis murmure campus.
710 Horrescit visu subito, caussasque requirit
Inscius Aeneas, quae sint ea flumina porro,
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchises: Animae, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethaei ad fluminis undam
715 Securos latices & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi atque ostendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia mecum laetere reperta.

O

SERVII.

708. FLORIBUS INSIDUNT. *Insido illi rei*, ut: *Insidat quantus miserae deus*. *Insisto* autem *illam rem*, ut: *Nulli fas casto sceleratum insistere limen*.

709. CIRCUM LILIA FUNDUNTUR. Hoc est, funduntur circum flores; *Lilia* autem pro quibuslibet floribus, speciem pro genere posuit.

711. FLUMINA PORRO. Longe remota: & est Graecum adverbium, scilicet πόῤῥω. Bene autem Aeneam longe a Lethaeo facit: quia adhuc juvenis est.

712. AGMINE. Cursu, impetu: per quod ostendit cito iri ad senectam: quia tota celeritate usus labitur vitae.

713. ANIMAE, QUIBUS ALTERA FATO CORPORA DEBENTUR. Sciendum, non omnes animas ad corpora reverti. Aliquae enim propter vitae merita non redeunt; aliquae redeunt propter malam vitam; aliquae propter fati necessitatem.

714. LETHAEI AD FLUMINIS UNDAM SECUROS LATICES ET LONGA OBLIVIA POTANT. Si anima aeterna est, & summi spiritus pars: qua ratione in corpore non totum videt; nec est tantae vivacitatis, ut omnia possit agnoscere? quia, cum coeperit in corpus descendere, potat stultitiam & oblivionem: unde non potest implere culmen numinis sui, propter naturae suae oblivionem. Obliviscitur autem, secundum poetas, praeteritorum; secundum Philosophos, futuri: unde medium tenuit dicendo OBLIVIA. Docent autem Philosophi, quid anima, ad ima descendens, per singulos circulos perdat, unde etiam disputantes de ratione Mathematici, fingunt, quod singulorum numinum potestatibus corpus & anima nostra connexa sunt, ea ratione: quia, cum descendunt animae, trahunt secum torporem Saturni, Martis iracundiam, libidinem Veneris, Mercurii lucri cupiditatem, Jovis regni desiderium: quae res faciunt perturbationem animabus; ne possint uti vigore suo & viribus propriis.

716. SECUROS LATICES. Qui securos faciunt, id est, sine cura, ἀφροντίστας, ut morbos *pallidos* dicimus, quod pallidos faciunt.

717. JAMPRIDEM. Ex quo ait: *Tum genus omne tuum, & quae dentur moenia disces*.

PIERII.

etiam variant. Advertendum autem, *silvae*, apud Servium accipi genitivo casu. In Mediceo *silvis* habetur.

712. QUIVE VIRI TANTO COMPLERINT AGMINE RIPAS. In vetustis quibusdam exemplaribus legere est, *quidve*, hoc est, quorsum, quanam de caussa; sed non ita placet. In aliquot aliis, *quique viri*, habetur: quod rectius mihi succedere videtur, *quae flumina*, *quique viri*. Est & *complerunt*, finitivo modo, in bona codicum antiquorum parte. In aliquot, ut in Mediceo, *complerent*, per E. Nusquam vero *complerint*, per I legi.

718. QUO MAGIS ITALIA TANDEM LAETERE REPERTA. In codicibus aliquot antiquis, *laetare* imperativo modo: deque re praesenti, ad solidiorem gaudii caussam. In omnibus deinde pro *tandem*, uno exemplo, *mecum*, scriptum est. In Romano totus versus ita mutatus, *Quo magis Italiam mecum laetare repertam*. Jam enim in Italiam descenderat Aeneas, eamque repertam esse plurimum gaudebat; sed eo magis gaudendum ait Anchises, quod non

tan-

O pater, anne aliquas ad caelum hinc ire putandum est
720 Sublimis animas, iterumque ad tarda reverti
Corpora? quae lucis miseris tam dira cupido?
Dicam equidem; nec te suspensum, nate, tenebo:
Suscipit Anchises, atque ordine singula pandit.
Principio caelum ac terras, camposque liquentis,

SERVII.

Lu-

719. PATER. Nova brevitas: nam dicendo *pater*, qui loquatur, ostenditur. AD CAELUM HINC IRE PUTANDUM EST. Miscet Philosophiae figmenta poetica: & ostendit tam quod est vulgare, quam quod continet veritas & ratio naturalis: nam secundum poetas hoc dicit: credendum est, animas ab Inferis reverti posse ad corpora? ut *caelum*, superos intelligamus, id est, nostram vitam. Secundum Philosophos vero hoc dicit: credendum est, animas corporis contagione pollutas ad caelum reverti?

720. SUBLIMES ANIMAS? Non omnes; sed sublimium. AD TARDA REVERTI CORPORA? Animae comparatione, qua velocius nihil est: uno enim momento potest universa discurrere.

721. QUAE LUCIS MISERIS TAM DIRA CUPIDO? Ut id desiderent, propter quod se sentiunt poenas apod Inferos, dum purgantur, dedisse, scilicet vitam.

722. SUSPENSUM. Sollicitum, incertum, ut: *Multo suspensum numine ducit*.

723. SUSCIPIT ANCHISES, ATQUE ORDINE SINGULA PANDIT. Hysteron proteron. Post hunc enim versum sequi debuit: *Dicam equidem; nec te suspensum nate tenebo*.

724. PRINCIPIO CAELUM AC TERRAS, CAMPOSQUE LIQUENTES. Interrogatus Anchises, quare animae velint reverti ad corpora, quasi aliud dicit, tamen illuc recurrit, quod Graece τὸ πᾶν dicitur, id est, *omne quod est*. Quatuor sunt elementa: terra, aer, aqua, aether; & Deus. Praeter haec nihil est aliud: & hoc mundum non possumus dicere: nam mundus non est totum. Ergo Deus est quidam spiritus divinus, qui per quatuor infusus elementa gignit universa. Igitur si de elementis & Deo nascuntur omnia, unam originem habent, & par est natura omnium. Sed videamus; quid in nobis est a Deo: & quid a quatuor elementis? Quantum datur intelligi, ab elementis habemus corpus; a Deo animam: quod ideo probatur: quia est in corpore, terra, humor, anhelitus, calor; (quae omnia videntur, sicut etiam elementa) animus invisibilis est, sicut etiam Deus, unde originem ducit. Illa praeterea irrationabilia sunt, sicut corpus: contra Deus habet consilium, sicut etiam animus. Deinde, elementa mutantur, quod est eorum proprium, sicut etiam corpus, quod inde originem ducit. Contra, Deum non perire manifestum est; ergo nec animus perit, qui inde originem ducit: nam pars semper sequitur genus. Huc igitur tetendit primam intentionem suam, ut animos immortales diceret. Sed occurrit illud: Si immortales sunt, & unum habent principium; qua ratione non omnia animalia sentimus similiter? Et dicit, non esse in animis dissimilitudinem, sed in corporibus, quae, prout fuerint vel vivacia, vel torpentia, ita & animos faciunt: quod potest etiam in uno eodemque corpore probari. In sano enim corpore alia est vivacitas mentis; in aegro pigrior: insanis invalida & ratione carens, ut in phreneticis cernimus; adeo, cum ad corpus venerit, non natura sua utitur, sed ex ejus qualitate mutatur. Inde Afros versipelles; Graecos leves; Gallos pigrioris videmus ingenii: quod natura climatum facit, sicut Ptolemaeus deprehendit, qui dicit, translatum ad aliud clima hominem naturam ex parte mutare: de toto enim non potest: quia in principio accepit sortem corporis sui. Ergo anima pro qualitate est corporis. Et qua ratione res melior est in potestate deterioris? Atqui divinus animus debuit corpus habere in potestate; non mortale corpus naturam animi corrumpere. Sed hoc ideo fit, quia plus est quod continet, quam quod continetur: ut si leonem includas in caveam, impeditus vim suam non perdit; sed exercere non potest: ita animus non transit in vitia corporis, sed ex ejus conjunctione impeditus, nec exercet vim suam. Occurrit & illud: Omne quod corrumpitur, aeternum non est: si animus insanit, irascitur, desiderat, timet, caret aeternitate, cui sunt ista contraria: nam passio aeternitatem resolvit. Quod ideo falsum esse dicimus: quia animus nihil per se patitur; sed laborat ex corporis conjunctione. Et aliud est, per suam naturam corrumpi; aliud per contactum rei alterius. Videmus enim tale aliquid, ut in lucerna, quae per se clara est, & locum, in quo est, sine dubio illuminat; sed, si qua re tecta fuerit

&

725 Lucentemque globum Lunae, Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, & magno ſe corpore miſcet.
Inde hominum pecudumque genus, vitaeque volantum,
Et quae marmoreo fert monſtra ſub aequore pontus.
730 Igneus eſt ollis vigor, & caeleſtis origo

SERVII.

& incluſa, non perdit ſplendorem proprium, qui in ea eſt (remoro namque impedimento apparet) nec tamen, quia impeditus eſt ejus vigor, ideo etiam corruptus. Ita ergo & animus, quamdiu eſt io corpore, patitur ejus contagiones; ſimul atque depoſuerit corpus, recipit ſuum vigorem, & natura utitur propria. Si ergo propriam recipit naturam, quare poenas apud Inferos patitur? ideo, quia res, quae ſimul diu fuit, non poteſt, depoſita ipſa re, ſtatim ad ſuum nitorem reverti: ut, ſi ſpeciem candidam in lutum polluas, & eam ſtatim auferas, non idcirco ſordibus caret; ſed ablutionem requirit, ut in priſtinum nitorem poſſit redire; ſic anima, ex eo, quo datur corpori, inquinata, etiam ſi corpus deponat, neceſſe habet purgari. Si ergo purgantur, & recipiunt naturam ſuam, cur volunt reverti? Quia potant (inquit) oblivia. Eſt etiam illud ambiguum; nam aut praeteritarum obliviſcuntur poenarum; aut certe, ut ignarae futuri, habent redeundi deſiderium in corpora, quod ſine paſſione non fit: oam animus, in quo eſt paſſio, meretur reverti. CAELUM. Pro aere, & aethere poſuit, ut: *Jam caelum terrasque*. CAMPOSQUE LIQUENTES. Id eſt, maria.

725. LUCENTEMQUE GLOBUM LUNAE. Ideo uſus eſt participio, ut oſtendat eam ſuum lumen non habere: nam *lucens*, eſt quod aliunde illuminatur; *lucibile*, quod per ſe lucet, ut *patulum* & *patens*; *patulum*, eſt quod ſemper patet: *patens*, quod & aperitur & clauditur, ut oculus. GLOBUM autem ideo, quia dicitur Luna σωματώδης eſſe. TITANIAQUE ASTRA. Aut ſtellas dicit: aut Solem, quem & ſupra unum fuiſſe de Titanibus diximus.

726. SPIRITUS. Divinus ſcilicet: & unum eſt, ſive mentem dicat, ſive animum, ſive ſpiritum. INTUS ALIT. Vegetat, & in aeternitatem cuſtodit: quia mixtus eſt, & nulla pars eſt elementi ſine Deo. PER ARTUS. Per elementa, quae membra ſunt mundi: corporalia namque ſunt: quippe quae poſſunt videri.

727. MENS AGITAT MOLEM. Magnitudinem mundi mens agitat: & ſi, ut Cicero dicit in Tuſculanis, *aeternum eſt, quidquid in aeterno motu eſt*, ſine dubio etiam animus aeternus eſt: Se-ſemper enim in motu eſt; adeo ut ne nobis quidem quieſceutibus conquieſcat. MAGNO SE CORPORE MISCET. Aut Antiptoſis eſt, pro corpori, ut: *Haeret pede pes, denſusque viro vir*: quod potius credendum eſt: aut certe ſecundum eos locutus eſt, qui dicunt Deum corporalem eſſe: & eum ita definiunt, πῦρ νοερὸν, id eſt, *ignem ſenſualem*. Quod ſi verum eſt, corpus eſt, nec per Antiptoſim dixit; ſed per definitionem, *magno corpore*, id eſt, non communi.

728. INOE HOMINUM PECUDUMQUE GENUS. De quatuor elementis, & Deo.

730. ET CAELESTIS ORIGO SEMINIBUS, QUANTUM NON NOXIA CORPORA TARDANT. Quod ſupra diximus: In tantum quidem in omnibus viget pars divinitatis, in quantum ſinit corporum qualitas.

PIERII.

tantum erroribus finis ſit impoſitus, quodque ſedes ſato debitae jam apprehenſae; ſed quod praeter haec tot illuſtres viri ſint ex ſuo genere propagandi, totque & tantae ſanguini ſuo acceſſiones praeparatae: quocirca, *Laetare*, ait, *nunc magis ac magis*.

720. ITERUMQUE AD TARDA REVERTI CORPORA. In codicibus aliquot antiquis, *in tarda*, legere eſt. Utrumque placet.

721. QUAE LUCIS MISERIS TAM DIRA CUPIOO? In codic. aliquot antiquis, *cupido eſt*, una plus dictione legitur; ſed abſque ea ſuavius.

723. SUSPICIT ANCHISES. In probatioribus codicibus antiquis, *ſuſcipit*, habetur: quod ſignificat reſpondet. Et in evangelica lectione, multa eo modo reponenda animadvertas: recte quidem prius traducta, ſed imperitia ſaeculi poſtmodum corrupta. Huic vero lectioni Priſciani etiam ſubſcribit auctoritas dicentis: Illi ὑπολαμβάνω, pro, reſpondeo: ὡς ὑπολαβὼν ἔφη. Nos, *ſuſcipiens*, inquit. Hinc Virgilius: *Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit*: pro, reſpondit ad interrogationem Aeneae.

724. PRINCIPIO COELUM AC TERRAS. In Romano codice, *Terram*, unitatis numero ſcriptum eſt. Alibi tamen eadem pene ſententia dictum: *Deum ire per omnes Terrasque tractusque maris, coelumque profundum*.

Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
Hinc metuunt,cupiuntque: dolent,gaudentq; neq; auras
Despiciunt clausae tenebris & carcere caeco.
735 Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeae excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur poenis, veterumque malorum
740 Supplicia expendunt. Aliae panduntur inanis
Suspensae ad ventos: aliis sub gurgite vasto

In-

SERVII.

732. TERRENIQUE HEBETANT ARTUS. In quantum non hebetant artus. MORIBUNDAQUE MEMBRA. Morienti similia, hoc est, semper morientia: nunquam enim in eodem statu sunt; sed aut minuuntur, aut crescunt. Ergo animus idem est; sed uti viribus suis non potest, propter corporis conjunctionem.

733. HINC METUUNT, CUPIUNTQUE, DOLENT, GAUDENTQUE. Ex corporis conjunctione, & hebetudine. Varro, & omnes Philosophi, dicunt quatuor esse passiones; duas a bonis opinatis; & duas a malis opinatis rebus; nam dolere, & timere, duae opiniones malae sunt; una praesentis, altera futuri. Item gaudere, & cupere, opiniones bonae sunt; una praesentis, altera futuri. Haec ergo nascuntur ex ipsa conjunctione; nam neque animi sunt, neque corporis propria: pereunt enim facta segregatione animae a corpore; quam mortem esse definit, hoc est, λυσιν σωματος καὶ ψυχῆς.

734. NEQUE AURAS DESPICIUNT. Nam, quia cohaerent corpori, obliviscuntur naturae suae, quam *auras* vocavit: scilicet caelestem & divinam. CLAUSAE TENEBRIS, ET CARCERE COECO. Definitiones sunt corporis: nam Graeci δέμας, quasi δεσμὸν, corpus vocant, quasi vinculum animi.

735. QUIN ET SUPREMO CUM LIMINE VITA RELIQUIT. Quia, ut diximus, occurrit, debere eas statim post corpus depositum redire in suum vigorem: & dicit non posse: quae enim diu conjuncta sunt, invicem se tenent, & trahunt reliquias sordium antiquarum.

736. NON TAMEN OMNE MALUM. Cedit quidem, sed non omne; nam remanet; quod ut purgetur, necesse est. Inde est, quod dicit: *Eadem sequitur tellure repostos*. Bene autem MISERIS, quae etiam post corpus habeant corporis sordes; unde est: *Nec funditus omnes Corporeae excedunt pestes*.

738. DIU CONCRETA. Id est, conjuncta & conglutinata. INOLESCERE. Crescere, ut: *Udeque docent inolescere libro*.

739. ERGO EXERCENTUR POENIS. Quia deposito corpore sordes supersunt. Poenas autem minime perferunt animae; sed illius conjunctionis reliquiae, quae fuit inter animam & corpus: nam licet ista duo per se poenas perferre non possint; homo tamen perfert, qui de his duobus est factus.

740. SUPPLICIA EXPENDUNT. Ideo agunt supplicia; non ut animas puniant; sed ut eas peccatis exuant pristinis.

741. ALIAE PANDUNTUR INANES SUSPENSAE AD VENTOS. Loquitur quidem poetice de purgatione animarum; tangit tamen, quod & Philosophi dicunt: nam triplex est omnis purgatio; aut enim in terra purgantur, quae nimis oppressae sordibus fuerint, deditae scilicet corporalibus blandimentis, id est, transeunt in corpora terrena: & haec igni dicuntur purgari: ignis enim ex terra est, quo exuruntur omnia: nam caelestis nihil perurit. Aut in aqua, id est, transeunt in corpora marina, si paulo melius vixerint: aut certe in aere, transeundo scilicet in aeria corpora; si satis bene vixerint: quod & in Statio legimus, ubi de auguriis tractat: *Seu quia mutatas, nostraque ab origine versis Corporibus subiere notas:* Unde etiam in sacris Liberi omnibus tres sunt istae purgationes: nam aut taeda purgantur & sulphure; aut aqua abluuntur; aut aere ventilantur; quod erat in sacris Liberi. Hoc est enim, quod dicit in secundo Georg. *Tibique Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu:* nam genus erat purgationis. Id autem & apud Juve-

Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.
Quiſque ſuos patimur Manis: exinde per amplum
Mittimur Elyſium, & pauci laeta arva tenemus:
745 Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem, purumque reliquit
Aetherium ſenſum, atque auraï ſimplicis ignem.
Has omnis, ubi mille rotam volvere per annos,
Lethaeum ad fluvium deus evocat agmine magno:
Sci-

SERVII.

Juvenalem tangitur: *Quoties hinc talis ad illos Umbra venit, cuperent luſtrari, ſi qua darentur Sulphura cum taedis; & ſi foret humida laurus*. Et in ipſis purgationibus bonorum meritorum ſecutus eſt ordinem; ut ante aeriam; inde aquae; poſt ignis diceret purgationem.

743. QUISQUE SUOS PATIMUR MANES. Supplicia varia, quae ſunt apud manes; ut ſi quis dicat, *judicium patimur*, & ſignificet ea, quae in judicio continentur. Eſt & aliud veris: nam cum naſcimur, duos Genios ſortimur; unus eſt, qui hortatur ad bona; alter, qui depravat ad mala: nec incongrue dicuntur *Genii*; quia, cum unuſquiſque genitus fuerit, ei ſtatim obſervatores deputantur: quibus aſſiſtentibus poſt mortem, aut aſſerimur in meliorem vitam, aut condemnamur in deteriorem: per quos aut vacationem meremur, aut reditum in corpora. Ergo MANES, Genios dicit, quos cum vita ſortimur. EXINDE. Una pars orationis eſt, & in tertia a fine accentum habet, licet penultima longa ſit: quod ideo factum eſt, ut oſtenderetur una pars eſſe orationis, ne praepoſitio jungeretur adverbio, quod vitioſum eſſe non dubium eſt.

744. PAUCI LAETA ARVA TENEMUS. Non omnes: qui enim minus purgantur, ſtatim redeunt ad corpora.

745. DONEC LONGA DIES PERFECTO TEMPORIS ORBE. Quia etiam poſt purgationem opus eſt tempore, ut perſeveret in purgatione, & ſic redeat. Et quaeritur, utrum animae per apotheoſin (de quibus ait: *Pauci laeta arva tenemus*) poſſint mereri perpetuam vacationem; quod non poteſt fieri. *Merentur* enim temporis multi, non perpetuitatis: & quae male vixerunt, ſtatim redeunt; quae melius, tardius; quae optime, diutiſſimo tempore ſunt cum numinibus. Paucae tamen ſunt, quae & ipſae, exigente ratione, licet tarde, coguntur reverti. PERFECTO TEMPORIS ORBE. Finito legitimo tempore.

746. CONCRETAM. Affixam & inhaerentem.

AETHERIUM SENSUM. Sydereum, τὸ νοερὸν, *ignem ſenſualem*, id eſt, Deum: per quod, quid ſit anima, oſtendit. AURAI SIMPLICIS IGNEM. Non urentis. *Simplicis* autem, noſtri comparatione; qui conſtat de ligno & aere: ille enim ἀσύνθετος, per ſe plenus eſt & aeternus: quia ſimplex. Omnia enim σύνθετα, id eſt, *compoſita*, exitum ſortiuntur; unde & atomos, perpetuas dicunt: quia ſimplices ſunt, nec recipiunt ſectionem.

748. HAS OMNES. Ac ſi diceret, etiam has omnes; nam ſupra non omnes dixit; ſed *Animae, quibus altera fato Corpora debentur*. ROTAM VOLVERE PER ANNOS. Exegerunt ſtatutum tempus per annorum volubilitatem. Eſt autem ſermo Ennii.

749. DEUS EVOCAT. Non dicit quis, ſicut ſupra: *Dii, quibus imperium eſt animarum*. Sed alii Mercurium volunt, propter hoc: *Animas ille evocat Orco Pallentes; alias ſub Tartara triſtia mittit*. Et eſt ratio: nam νοῦς dicitur, id eſt, *ſenſus*, quo Philoſophiam, quae haec indicat, intelligimus, quia ipſe etiam invenit literas. AGMINE MAGNO. Impetu: & dictum eſt imperative, ἐπιτακτικῶς: non enim blanditiis inductae redeunt; ſed neceſſitate quadam coguntur, ut potantes velint reverti.

PIERII.

733. NEC AURAS RESPICIUNT. In antiquis omnibus codicibus quos viderim, eodem exemplo legitur, *neque auras deſpiciunt*. Alicubi etiam, *reſpiciunt*, habetur.

747. ATQUE AURAI SIMPLICIS IGNEM. Antiqua omnia exemplaria quae legi, *aurae*, quidem legunt: verſumque abſque colliſione ſcandendum offerunt; ſed enim ab eruditis omnibus, *auraï*, triſyllabum receptum video. Et unum hunc inter eos quatuor locos, quibus ea diaereſi Virgilius ſit uſus, enumerat Valerius Probus.

750 Scilicet inmemores ſupera ut convexa reviſant,
Rurſus & incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchiſes: natumque unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, turbamque ſonantem:
Et tumulum capit, unde omnis longo ordine poſſit
755 Adverſos legere, & venientum diſcere voltus.
Nunc age, Dardaniam prolem, quae deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Inluſtris animas, noſtrumque in nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
760 Ille, (vides) pura juvenis qui nititur haſta,

Pro-

SERVII.

750. IMMEMORES. Vel praeteritorum, vel futurorum.

752. DIXERAT ANCHISES. Antedicta de reverſione animarum probatio huc tetendit; ut celebret Romanos, & praecipue Auguſtum: namque qui bene conſiderant, invenient omnem Romanam hiſtoriam ab Aeneae adventu, uſque ad ſua tempora ſummatim celebraſſe Virgilium: quod ideo latet, quia confuſus eſt ordo: nam everſio Ilii, & Aeneae errores, adventus, bellumque, manifeſta ſunt: Albanos autem reges, Romanos etiam conſules, Brutos, Catonem, Caeſarem, Auguſtum, & multa ad hiſtoriam Romanam pertinentia hic indicat locus. Caetera, quae hic intermiſſa ſunt, in [illegible] commemorat; unde etiam in antiquis invenimus, opus hoc appellatum eſſe non Aeneidem; ſed Geſta populi Romani: quod ideo mutatum eſt, quia nomen non a parte, ſed a toto debet dari.

753. TURBAMQUE SONANTEM. Aut quae tunc propter feſtinationem ſonabat: aut *turbae* perpetuum eſt epitheton.

754. LONGO ORDINE. Non, quo nati ſunt; ſed quo apud Inferos ſtabant: non enim eo, quo regnarunt, dicturus eſt ordine.

755. ADVERSOS LEGERE. Conſiderare, relegere.

756. DARDANIAM PROLEM. Albanos reges, qui tredecim fuerunt de Aeneae & Laviniae genere; unde ait: *Itala de gente*.

758. ILLUSTRES. Hoc nomen notitiae fuit, non meriti; unde etiam in meretricibus invenitur; nam & nobiles & illuſtres vocantur. IN NOMEN ITURAS. In gentem, ut ipſe: *Nomen Echionium, matrisque genus Peridiae*.

760. ILLE (VIDES) PURA JUVENIS QUI NITITUR HASTA. Aeneas, ut Cato dicit, ſimul ac venit ad Italiam, Laviniam accepit uxorem: propter quod Turnus iratus, tam in Latinum, quam in Aeneam bella ſuſcepit, a Mezentio impetratis auxiliis. Quod & ipſe oſtendit dicens: *Se ſatis ambobus, Teucrisque venire Latinisque*. Sed, ut ſupra diximus, primo bello periit Latinus; ſecundo pariter Turnus & Aeneas; poſtea Mezentium interemit Aſcanius, & Laurolavinium tenuit: cujus Lavinia timens inſidias, gravida confugit ad ſylvas; & latuit in caſa paſtoris Tyrrhi. Ad quod alludens ait: *Tyrrhusque pater, cui regia parent Armenta*. Et illic enixa eſt Sylvium. Sed cum Aſcanius flagraret invidia, evocavit novercam, & ei conceſſit Laurolavinium; ſibi vero Albam conſtituit: qui quoniam ſine liberis periit, Sylvio, qui & ipſe Aſcanius dictus eſt, ſuum reliquit imperium; unde apud Livium error eſt, qui Aſcanius Albam condiderit. Poſtea Albani omnes reges, Sylvii dicti ſunt, ab hujus nomine: ſicut hodieque Romani Imperatores, Auguſti vocantur; Aegyptii, Ptolemaei; Perſae, Arſacidae; Latini, Murrhani, ut: *Murrhanum hic atavos & avorum antiqua ſonantem Nomina, per regesque actum genus omne Latinum*. PURA JUVENIS QUI NITITUR HASTA. Id eſt, ſine ferro: nam hoc fuit praemium apud majores ejus, qui tunc primum viciſſet in praelio; ſicut ait Varro in libris de Gente populi Romani.

PIERII.

750. SUPERA UT CONVEXA REVISANT. In codicibus aliquot antiquis, *ſupera in convexa*, eſt: quod non ita placet.

754. LONGO ORDINE POSSIT. In antiquis pleriſque codicibus, *poſſet*, habetur. Et *Longo ordine*, ſecus a Servio No. Marcellus interpretatur, *ingenti multitudine*.

Proxima ſorte tenet lucis loca; primus ad auras
Aetherias Italo commixtus ſanguine ſurget
Silvius, Albanum nomen, tua poſtuma proles:
Quem tibi longaevo ſerum Lavinia conjux
765 Educet ſilvis regem, regumque parentem:
Unde genus Longa noſtrum dominabitur Alba.
Proximus ille Procas, Trojanae gloria gentis,
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddet
Silvius Aeneas, pariter pietate vel armis
770 Egregius, ſi umquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas oſtentant, aſpice, vires!
Atque umbrata gerunt civili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum, & Gabios, urbemque Fidenam,

Hi

SERVII.

763. SYLVIUS, ALBANUM NOMEN. Quia omnes Sylvii dicti ſunt. TUA POSTHUMA PROLES. *Poſthumus*, eſt poſt humationem parentis creatus. Per hoc autem Aenean cito oſtendit eſſe periturum: & ſtatim infert conſolationem dicens.

764. QUEM TIBI LONGAEVO. Id eſt, Deo: *aevum* enim, proprie aeternitatis eſt, quae non niſi in deos venit. Ennius: *Romulus in caelo cum diis genitalibus aevum Degit*. Male autem vindicat uſus, per quem dixit: *Longaevoſque ſenes*.

766. UNDE. A quo, ut: *Genus unde Latinum*: nam poſteri ejus fuerunt, qui poſtea apud Albam regnaverunt civitatem.

767. PROXIMUS ILLE PROCAS. Standi ordine; non naſcendi: nam duodecimus fuit. ET CAPYS, ſextus eſt rex Albanorum: item NUMITOR tertiusdecimus fuit.

770. SI UNQUAM REGNANDAM ACCEPERIT ALBAM. Aeneas ſcilicet Sylvius. Et hic oſtendit, omnes Albanos reges Sylvios dictos. Recepit autem a tutore, qui ejus invaſit imperium: quod ei vix anno quinquageſimo tertio reſtituit. Et rem plenam hiſtoriae per tranſitum tetigit.

772. CIVILI TEMPORA QUERCU. *Civica* debuit dicere; ſed mutavit. At e contra Horatius: *Motum ex Metello conſule civicum*, pro, *civilem*. Querceam autem coronam accipiebant, civilem, qui in bello civem ſervaſſent: ideo, quia ante cauſſa vitae in hac arbore hominibus fuit, qui glandibus veſcebantur: unde Ovidius in Metam. *Et quae deciderant patula Jovis arbore glandes*. Unde Jovis arbor dicitur: quaſi per quam Jupiter ſuos aleret populos. Aliae enim erant murales: aliae agonales, id eſt, lemniſcatae. Muralis dabatur ei, qui prior murum adſcendiſſet.

773. HI TIBI NOMENTUM, ET GABIOS. Hae civitates ſunt priſcorum Latinorum ab Albanis regibus conſtitutae: quanquam *Collatiam* Tarquinius conſtituiſſe dicatur: qui, ut erat ſuperbus, eam ex *collata pecunia* conſtituit: unde & *Collatia* dicta eſt. Poteſt tamen fieri, ut ab Albanis fundata ſit, aucta a Tarquinio; ſicut ſupra de Tarento diximus: quod Taras fecit, auxit Phalantus. Romam etiam Romulus feciſſe dicitur, quam ante Euander condidit, ut: *Tunc pater Euandrus Romanae conditor arcis*. URBEMQUE FIDENAM. *Fidenae* dicuntur, ut *Thebae*; ſed dixit ut Juvenalis: *Atque vetus Thebe centum jacet obruta portis*: nam varietati ſtudet: unde etiam ait *Pometios*, cum dicatur numero ſingulari *Pometia*.

PIERII.

762. ITALO COMMIXTUS SANGUINE SURGET. Sunt codices admodum antiqui, in quibus legere eſt, *Italo mixtus de ſanguine*. Vulgata tamen lectio plures fautores habet.

768. ET QUI TE NOMINE REDDET. In Romano codice, *reddat*, legitur, optativo modo non invenuſte.

772. ATQUI UMBRATA GERUNT CIVILI TEMPORA QUERCU. Antiqui omnes codices quotquot legi, *atque umbrata*, per conjunctionem copulativam, non per *at*, & relativum *qui* ſcriptum habent.

Hi Collatinas inponent montibus arces,
775 (Laude pudicitiae celebres, addentque superbos)
Pometios, Castrumque Inüi, Bolamque, Coramque.
Haec tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terrae.
Quin & avo comitem sese Mavortius addet
Romulus; Assaraci quem sanguinis Ilia mater
780 Educet. Viden'ut geminae stant vertice cristae,
Et pater ipse suo superum jam signat honore?
En, hujus, nate, auspiciis illa inclita Roma
Imperium terris, animos aequabit Olympo,
Septemque una sibi muro circumdabit arces,

Fe-

SERVII.

776. CASTRUMQUE INUI. *Innum*, est in Italia civitas, *Castrum novum* dicitur. De hac autem ait, *Castrum Inui*, id est, Panos, qui illic colitur. *Inuus* autem Latine appellatur, Graece Πὰν: item Ἐφιάλτης Graece, Latine *Incubo*: idem Faunus: idem Fatuus, Fatuellus. Dicitur autem *Inuus*, ab *ineundo* passim cum omnibus animalibus: unde & Incubo dicitur. CASTRUM autem, civitas est: nam *castra* numero plurali dicimus: licet legerimus in Plauto: *Castrum poenarum*: quod etiam diminutio ostendit: nam *castellum* dicimus.

777. NUNC SUNT SINE NOMINE TERRAE. Atqui in Catologo hinc est dicturus aliquas civitates; sed ex persona sua praeoccupat.

778. QUIN ET AVO COMITEM SESE MAVORTIUS ADDET ROMULUS. Amulius, & Numitor fratres fuerunt; sed Numitorem regno Amulius pepulit: & Iliam, ejus filiam, sacerdotem Vestae fecit. De hac, & Marte, nati sunt Remus & Romulus: qui, cum adolevissent, occiso Amulio, avum Numitorem in regnum revocarunt: & cum eo uno anno regnaverunt. Postea propter angustias imperii, Romam captatis auguriis condiderunt. Ergo *avo se addet comitem*: aut avito se junget imperio: aut certe, secundum Ennium, referetur inter deos cum Aenea. Dicit namque Iliam fuisse filiam Aeneae: quod si est, Aeneas avus est Romuli: unde etiam addidit. ASSARACI QUEM SANGUINIS: nam hoc epitheton non sine caussa est introductum: quod est proprium Aeneae: nam *Assaracus*, pater est Capyos; Capys Anchisae; Anchises Aeneae.

780. VIDEN'. DEN naturaliter longa est; brevem tamen eam posuit, secutus Ennium: & adeo ejus est immutata natura, ut jam ubique brevis inveniatur. GEMINAE STANT VERTICE CRISTAE. Omnino in omnibus hoc egit Romulus, ut cum fratre regnare videretur; ne se reum parricidii judicaret: unde omnia duplicia habuit, quasi cum fratre communia. Etenim ad captanda auguria montem Palatinum Romulus tenuit; Aventinum Remus, qui prior sex vultures vidit; post Romulus duodecim. Et cum ille tempore, hic numero, de condenda urbe certarent, orta contentione de urbis nomine inter exercitum, a Romuli militibus Remus occisus est. Fabulosum enim est, quod a fratre propter muros dicitur interemptus.

781. ET PATER IPSE SUO SUPERUM JAM SIGNAT HONORE? Merito virtutis Mars Romulum deum esse significat. *Superum* enim accusativus est singularis, ab eo, quod est *superus*, *superi*. ILLA. Quam tibi saepe fata promiserunt. INCLYTA. Graecum est: nam κλυτὸν gloriosum dicunt.

783. IMPERIUM TERRIS. In quantum tenditur terra. ANIMOS AEQUABIT OLYMPO. Magnanimitate aequabitur caelo. De hoc autem loco & Trogus & Probus quaerunt.

784. SEPTEMQUE UNA SIBI MURO CIRCUMDABIT ARCES. Bene urbem Romam dicit septem inclusisse montes: & medium tenuit: nam grandis est inde dubitatio: & alii dicunt breves septem colliculos a Romulo inclusos, qui tamen aliis nominibus appellabantur. Alii volunt hos ipsos, qui nunc sunt, a Romulo inclusos, id est, Palatinum, Quirinalem, Aventinum, Coelium, Viminalem, Aesquilinum, & Janicularem. Alii vero volunt hos quidem fuisse; aliis tamen nominibus appellatos: quae mutata sunt postea, ut de omnibus rebus legimus fieri: ut de multis locis, & de fluminibus legimus, ut saepius: *Et nomen posuit Saturnia tellus*.

PIERII.

785 Felix prole virum. Qualis Berecyntia mater
Invehitur curru Phrygias turrita per urbis,
Laeta deum partu, centum conplexa nepotes,
Omnis caelicolas, omnis ſupera alta tenentis.
Huc geminas nunc flecte acies: hanc aſpice gentem,
790 Romanoſque tuos. Hic Caeſar, & omnis Iuli
Progenies, magnum caeli ventura ſub axem.
Hic vir, hic eſt, tibi quem promitti ſaepius audis,
Auguſtus Caeſar, Divi genus, aurea condet
Saecula qui rurſus Latio, regnata per arva
795 Saturno quondam, ſuper & Garamantas & Indos
Pro-

SERVII.

785. PROLE VIRUM. Virorum fortium. QUALIS BERECYNTHIA MATER. Phrygia: nam *Berecynthos*, caſtellum eſt Phrygiae, juxta Sangarium fluvium: ubi Mater deum colitur. Per hanc autem comparationem nihil aliud oſtendit, niſi Romanos duces inter deos eſſe referendos.

786. TURRITA. Quia ipſa eſt Terra, quae urbes ſuſtinet.

789. HUC GEMINAS NUNC FLECTE ACIES. Totum viſum tuum huc dirige, & huc ſpecialiter intuere; ſic Aſper.

790. HIC CAESAR, ET OMNIS IULI PROGENIES. Ut: *Julius a magno demiſſum nomen Iulo*.

791. CAELI VENTURA SUB AXEM. Nam, cum Auguſtus patri Caeſari ludos funebres exhiberet, ſtella per diem apparuit, quam, perſuaſione Auguſti, Caeſaris eſſe populus credidit. Hinc eſt: *Ecce Dionaei proceſſit Caeſaris aſtrum*. *Sub axem* ergo, id eſt, ad divinos honores.

792. HIC VIR, HIC EST. C litera pro duplici, non niſi in monoſyllabis habetur, ut: *Hoc erat alma parens*. Per eorum ſcilicet privilegium: uode falſum eſt, quod Terentianus dicit, eam pro metri ratione vel duplicem haberi vel ſimplicem: nam, ſi hoc eſſet, etiam in diſſyllabis, pro duabus haberi debuerat; quod nuſquam invenimus. Literae enim naturam ſervari, & in polyſyllabis convenit.

793. DIVUM GENUS. Caeſaris, qui factus eſt deus. *Genus* autem dicit non ſolum jure adoptionis; ſed conſanguinitatis: nam Atiae filius fuit, [quae filia Juliae] quae erat ſoror Caeſaris. Hic autem Auguſtus Caeſar hoc nomen accepit a patre adoptivo: nam ante Octavianus dictus eſt, a patre Octavio; poſt Auguſtus Caeſar.

794. SECULA QUI RURSUS LATIO. Sub Saturno dicit aurea ſecula fuiſſe in orbe terrarum; ſub Auguſto tantum in Italia.

795. GARAMANTAS. Populi inter Libyam & Africam, juxta κεκαυμένην. INDOS. Populi orientis extremi.

PIERII.

776. POMERIOS. In antiquis omnibus codicibus, quos habuerim, *Pometios*, per T, non per R legitur.

780. VIDEN' UT GEMINAE STENT. In antiquis, *ſtant*, finitivo modo eſt. Ita *ſignat*, in inferiore verſu: quod male quaedam exemplaria, *ſignet*, ſcribunt.

793. AUGUSTUS CAESAR DIVOM GENUS. In Romano codice, in Mediceo, & plerisque aliis legere eſt, *divi genus*, id quod in nomiſmatum etiam inſcriptionibus invenias, ut in nummo pulcherrimo, a cujus altera parte C. Caeſaris caput habetur, titulus eſt: DIVOS JULIUS: ab altera vero parte Auguſti Octaviani caput, cum inſcriptione: AUGUSTUS DIVI. F. ad quem titulum crediderim hoc loco Virgilium adluſiſſe. Praeterco vero lapidum inſcriptiones, quae ſunt & in Capitolio, & alibi, in quibus, DIVI. F. ſcriptum obſervavi. Sane etiam in Porcio codice, *divi genus*, prius fuit. In eo vero quem Janus Vitalis praeſtantiſſimi ingenii, neque vulgatae eruditionis juvenis, mihi tradidit, dubio procul, *divi genus* legitur.

794. LATIO REGNATA PER ARVA. In Romano codice legere eſt, non inepte forſitan, *regnata per annos*; ut ſit *ſaecula regnata*, non *arva regnata*. Vulgata tamen lectio adhuc in precio eſt.

Proferet imperium. Jacet extra ſidera tellus,
Extra anni Soliſque vias, ubi caelifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum.
Hujus in adventum jam nunc & Caſpia regna
800 Reſponſis horrent divum, & Maeotia tellus,
Et ſeptem gemini turbant trepida oſtia Nili.
Nec vero Alcides tantum telluris obivit;
Fixerit aeripedem cervam licet, aut Erymanthi
Pacarit nemora, & Lernam tremefecerit arcu.
805 Nec, qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celſo Nyſae de vertice tigris.
Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?

Aut

SERVII.

796. JACET EXTRA SYDERA TELLUS. Nulla terra eſt, quae non ſubjaceat ſyderibus: unde perite addidit: EXTRA ANNI SOLISQUE VIAS: ut oſtenderet duodecim ſigna, in quibus eſt circulus Solis. Significat autem Maurorum Aethiopiam, ubi eſt Atlas: de qua ait Lucanus: *Aethiopumque ſolum: quod non premeretur ab ulla Signiferi regione poli, niſi poplite lapſo Ultima curvati procederet ungula Tauri.*

798. TORQUET. Suſtinet. APTUM. Vicinum, ut diximus ſupra.

799. JAM NUNC ET CASPIA REGNA. Fines Aſſyriorum, in quibus ſunt Πύλαι Caſpiae. Quod autem dicit verum eſt: nam & Suetonius ait in vita Caeſarum, reſponſa eſſe data per totum orbem: naſci invictum imperatorem.

800. MAEOTICA TELLUS. Scythica, cujus palus eſt Maeotis.

801. SEPTEM GEMINI. Septemflui. TURBANT. Turbantur.

803. FIXERIT AERIPEDEM CERVAM. Pro, aeripedem, [illegible]. Vicit autem Cerinytim cervam, dictam a loco. Revera autem vicit cervam, ipſe curſu ſuperavit, quae videbatur aereos pedes habere: unde ille: *Non cervam aeripedem eripuiſſe*. FIXERIT autem, ſtatuerit, delaſſaverit: quia ſi telo fixiſſet, non ita eſſet laudabile. ERYMANTHI PLACARIT NEMORA. Mons Arcadiae, ubi aper ferociſſimus fuit.

804. LERNAM TREMEFECERIT ARCU. Pro Hydra paludem ipſam poſuit; & intelligamus ante eam ſagittis fuiſſe confixam; poſt exſectam & exuſtam.

806. NYSAE DE VERTICE. Mons eſt Indiae, de quo loquitur. Caeterum eſt & *Nyſa*, civitas in monte Parnaſſo, in qua Liber colitur: unde *Nyſaeus* dictus eſt.

807. ET DUBITAMUS. Pro, dubitas. Miſcuit perſonam ſuam. Eſt autem ſenſus: Cum tibi ſit tanta praeparata poſteritas, dubitas virtutem factis extendere? id eſt, gloriam: ab eo, quod praecedit, id quod ſequitur: nam e virtute gloria naſcitur.

PIERII.

799. HUJUS IN ADVENTU. In Romano codice, & quibuſdam aliis legere eſt, *Hujus in adventum:* quam lectionem ſpero eruditis auribus placituram.

800. ET MAEOTICA TELLUS. Alibi *Maeotia*, abſque e littera paſſim in antiquis codicibus ſcribi adnotavimus. Ita hoc loco habetur.

803. FIXERIT AERIPEDEM CERVAM LICET. In Romano codice & quibuſdam aliis, *Fixerat aeripedem*, legitur, & exacta ſpecie, *fixerat*, hic poſitum Cariſius agnoſcit. Ita enim ipſe praeteritum pluſquamperfectum appellat, quae quidem figura Graecanica eſt, & elegantiſſima. Neque tamen ierim inficias ubi *aeripedem*, Epiſynalephen eſſe notat, *fixerit* ſcriptum eſſe. Sed quum ſuperius tempus & modus ſit expreſſus, errore alterum hoc librarii omnino tranſcriptum eſſe credendum eſt.

804. AUT ERIMANTHI PLACARIT NEMORA. In Mediceo, & pleriſque aliis veteribus exemplaribus, *pacarit*, habetur. Si *placarit*, ad monſtri feritatem referri debet; ſi *pacarit*, ad loci quietem, qui hoſte veluti ſublato quieſcere coepiſſet. AUT LERNAM TREMEFECERIT ARCU. Veluti ſuperius, *fixerat*, in codicibus aliquot antiquis legebatur, ita in iiſdem etiam, *tremefecerat*, habetur, eadem ſpecie modoque.

807. VIR-

Aut metus Ausonia prohibet consistere terra?
Quis procul ille autem ramis insignis olivae
810 Sacra ferens? nosco crinis incanaque menta
Regis Romani; primam qui legibus urbem
Fundabit, Curibus parvis & paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit,
Otia qui rumpet patriae, residesque movebit
815 Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina. Quem juxta sequitur jactantior Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & Tarquinios reges, animamque superbam

Ul-

SERVII.

808. AUT METUS. Aut est aliquis timor, qui te a regnis Italiae revocet?

809. QUIS PROCUL ILLE AUTEM. Nunc redit ad Romanos reges, qui septem fuerunt: Romulus, Numa Pompilius, Tullus Hostilius, Ancus Martius, Tarquinius Priscus, Servius Tullius, Tarquinius Superbus. Mira autem utitur phantasia; ut quasi osteodat, se oon agnoscere eum, qui de geote Romana non fuerat. Romulo enim mortuo, cum anno Senatus regnasset per decurias, quod tempus *Interregnum* dictum est, taediosum visum est, & quaesitus est rex, Sed cum in Urbe oullus idoneus esset inventus, orta est bona Pompilii sama, quod esset apud Cures, civitatem Sabinorum. Rogatus itaque per legatos accepit imperium: qui ferociam populi a bellis ad sacra contulit; unde etiam Numa dictus est ἀπὸ τῶν νόμων, ab inventione & constitutione legum; nam proprium nomen Pompilius habuit. Hic etiam canus fuit a prima aetate; ad quod alludens ait: *Incanaque menta*. Item propter sacerdotium: *Ramis insignis olivae*.

814. OTIA QUI RUMPET PATRIAE. De hoc Livius: *Inde Tullum, qui ferocior Romulo fuit, quam Numae similis*. RESIDES. Pigros, otiosos, nimium sedentes.

815. DESUETA TRIUMPHIS. A consuetudine triumphandi desuesceotia.

816. JACTANTIOR ANCUS. Amans populi favorem. Hic Ostiam fecit. ANCUS autem dictus ἀπὸ τοῦ ἀγκῶνος, id est, a cubito, quem incurvum habuisse dicitur.

817. AURIS. Favoribus: unde & *aurarii* dicuntur favitores.

818. VIS ET TARQUINIOS REGES, ANIMAMQUE SUPERBAM. Uous enim de Tarquiniis fuit Superbus.

PIERII.

807. VIRTUTEM EXTENDERE FACTIS. In Romaoo codice hemistichius ita legitur, *virtute extendere vires*. Plerique vero alii, qui priorem lectiooem offerunt, abrasi sunt; nam & apex supra ultimam vocalem in *virtute*, & dictio tota *factis*, aliena manu & atramento notata inspiciuntur; sed quamvis plurimum ita veteres codices legant, non tamen pervincunt, ut ea vulgata lectio, *virtutem extendere factis*, displicere possit.

811. REGIS ROMANI. Multa quidem vetera exemplaria, mutato numero, Tritimemerim faciunt, *Romani regis*; sed vulgata lectio, spondeo suspenso multo plus omnino videtur habere gravitatis. PRIMUS QUI LEGIBUS URBEM FUNDABIT. In plerisque codicibus antiquis, *primam*, legitur, hoc est adhuc recentem: nam ante Numam Romulus leges tulit. In Mediceo, *primum* est: & addita paraphrasis, *In principio*.

813. CUI DEINDE SUBIBIT, OTIA QUI RUMPET. In aliquot veteribus exemplaribus, *quoi*, scriptum: cujusmodi lectiones plerasque missas facio, quum tam paucos videam, qui rerum hujusmodi eruditione delectentur.

815. ET JAM DESUETA TRIUMPHIS AGMINA. Totum hoc in Romano codice longe diversa lectione habetur, quum ibi scriptum sit: *& magnum deinde triumphum agmina*: quod quo pacto quadrare possit, non iotelligo: quum neque ordo structurae ullus, neque sententia congrua discernatur: quare me ad vulgatam refero lectionem.

818. VIS ET TARQUINOS REGES. In cod. omnibus antiquis, *Tarquinios*, quadrisyllabum legitur:

ut

Ultoris Bruti, fascisque videre receptos?
820 Consulis imperium hic primus saevasque securis
Accipiet: natosque pater, nova bella moventis,
Ad poenam pulchra pro libertate vocabit.
Infelix! Utcumque ferent ea facta minores;

Vin-

SERVII.

819. ULTORIS BRUTI, FASCESQUE VIDERE RECEPTOS. Vis videre etiam ultoris Bruti fasces receptos? Historia autem hoc habet: Tarquinius ob multa quidem, Superbus est dictus; praecipue tamen ob hanc caussam: Mandavit aliquando Sexto filio, qui minimus e tribus erat, ut, patris in se saevitiam intollerabilem conquerens, Gabios transfugeret: quo cum venisset, & superbiam patris ab alienis in suos versam diceret, nihil usquam sibi tutum, nisi apud hostem Tarquinii patris credidisse: multisque in Gabiorum fraudem simulatis; ad ultimum dux belli contra patrem legitur. Itaque praeliis quibusdam feliciter gestis; cum tantam charitatem ab omnibus adeptus foret, ut non pater Tarquinius potentior Romae, quam filius Gabiis esset; satis jam virium ad conatus sibi collectum existimans, ex suis unum satellitem sciscitatum apud patrem Romam mittit, quid jam se facere vellet: quod cum Tarquinio satelles renuntiasset, rex ipse, quia dubiae fidei nuntius videbatur, nihil voce respondit; sed deambulans cum virga in hortis, velut deliberabundus, capita decussit papaverum; ut, ea re per satellitem renuntiata, filius quid fieri vellet cognosceret, & primores civitatis quoquo modo interimeret: quod & ab eo factum est. Hujus filius vitiavit nobilissimam matronam Lucretiam; quod illa dolens, se interemit. Tunc ejus avunculus Brutus, rapto ex ejus corpore gladio, processit ad populum, & de hac re concionatus est. Quo facto omnibus placuit, ne reciperetur rex, qui tunc Ardeam expugnabat. Propter quod se Tarquinius cum liberis ad Porsenam regem Tusciae contulit: & bellum gessit gravissimum contra populum Romanum. Tunc duo creati sunt consules, Brutus & Tricipitinus, pater Lucretiae, qui & Tarquinius dicebatur: ob quod solum est Urbe depulsus: & in ejus locum subrogatus est Valerius Publicola, quo mortuo item alter est factus, & alter similiter. Quod cernens taediosum esse Virgilius Brutum solum posuit, qui annum solus implevit. Sed Bruti filii amici erant filiis Tarquinii: cum quibus cum iniissent consilium, ut eos per noctem intromitterent, proditi sunt a servo Vindicio, & a patre interempti. Ideo ergo *ultoris*; scilicet & libertatis publicae, & Lucretiae pudoris.

820. SAEVASQUE SECURES. Quae saevierunt etiam contra liberos.

822. PULCHRA PRO LIBERTATE. Ingenti arte loquitur, consideratione personarum: factum enim laudat dicens: *pulchra pro libertate*; personam vituperat.

823. UTCUMQUE FERENT EA FACTA MINORES. Etiamsi lauderis a posteris, non extorquere debet naturae vim amor patriae.

PIERII.

ut si, quae pene ultimam praecedit, syllaba non corripiatur ratione numeri polysyllabici, certe κατὰ συνίζησιν duae ultimae in unam coeant, quando sunt qui secundam a principio syllabam longam existiment. Hoc eodem modo saepius apud Ovidium ex veteribus codicibus legi: *Illic Tarquinius mandata latentia nati*. Et eodem poemate: *Ultima Tarquinius Romanae gentis habebat*. Qui si dicant his quoque locis, *Tarquinius*, trisyllabum scribi debere: certe quadrisyllabum in eo pentametro non negabunt: *Natus ait Regis, Tarquiniusque vocor*.

821. NATOSQUE PATER. Plerique codices antiqui, *gnatos*, una plus littera scribunt, ut solitos esse veteres, ait Victorinus. At Cornelius Fronto tam asseveranter *gnatum* a *nato* distinguit, ut *gnatum*, cum *g* filium dicat; *natum* vero, vel pullum, vel quid hujuscemodi, cum significatione temporis, ut sit potius participii vox, quam nominis.

823. INFELIX UTCUMQUE FERENT EA FATA MINORES. In antiquis omnibus exemplaribus, quot habere potui, *ea facta*, sub voce participii scriptum animadverti. Quam lectionem divus etiam Augustinus III. De civitate Dei videtur agnovisse: cujus verba, quod ad Virgilianae sententiae declarationem faciunt, subjicere non pigeat: *Quod factum Virgilius postquam laudabiliter commemoravit, continuo clementer exhorruit: quum enim dixisset:* Gnatosque pater nova bella moventis Ad poenam pulchra pro libertate vocabit. *Mox exclamavit & ait:*

In-

Vincet amor patriae, laudumque inmenſa cupido.
825 Quin Decios, Druſosque procul, ſaevumque ſecuri
Aſpice Torquatum, & referentem ſigna Camillum.
Ille autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes animae nunc, & dum nocte prementur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitae
830 Adtigerint, quantas acies ſtragemque ciebunt!
Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monoeci
Deſcendens; gener adverſis inſtructus Eois.
Ne, pueri, ne tanta animis adſueſcite bella:
Neu patriae validas in viſcera vertite vires.

Tu-

SERVII.

825. QUIN DECIOS. Quinimmo Decios reſpice. Hi duo fuerunt, qui Mures dicti ſunt, pater & filius. Horum alter ſe bello Gallico; alter Samnitico vovit pro republica, cum terra & mari univerſum bello vellent exercitum perdere. DRUSOSQUE PROCUL. Et hi duo fuerunt. Horum prior vicit Haſdrubalem; alter eſt filius Liviae, uxoris Auguſti. SAEVUMQUE SECURI ASPICE TORQUATUM. Hic Gallum quendam in ponte Anienis, ſingulari certamine ſuperavit, & ejus ſibi torquem impoſuit; unde nomen accepit. Hic ad Urbem pergens, praecepit filio, ut tantum caſtra tutaretur: ille provocatus ab hoſtibus, nacta occaſione, victoriam conſecutus eſt. Reverſus poſtea pater, laudavit fortunam populi Romani; ſed filium, ut dicit Livius, *Fuſtuario necavit*. Ergo *ſaevum ſecuri*, ſaevum jure occidendi, non ferri genere: nam ſecuri non animadvertit in filium.

826. REFERENTEM SIGNA CAMILLUM. Brenno duce, Galli, apud Alliam fluvium deletis legionibus, everterunt urbem Romam, abſque Capitolio: pro quo immenſam pecuniam acceperunt. Tunc Camillus abſens Dictator eſt factus, cum diu eſſet apud Ardeam in exilio, propter Vejentanam praedam non aequo jure diviſam: & Gallos jam abeuntes ſecutus eſt, quibus interemptis, aurum omne recepit & ſigna. Quod cum illic appendiſſet, civitati nomen dedit: nam Piſaurum dicitur, quod illic aurum penſatum eſt. poſt hoc tamen factum rediit in exilium; unde rogatus, reverſus eſt.

827. FULGERE. Ab eo, quod eſt *fulgo, fulgit*: accentum habet in prima.

828. ET DUM NOCTE PREMUNTUR. Bene alluſit: nam, dum pauperes fuerunt, concordes manſerunt, & concordiam in humilitate tenuerunt; cum nobilitate vero in bella venerunt.

831. AGGERIBUS SOCER ALPINIS. A munimentis Alpium: haec enim Italiae murorum exhibent vicem. *Socer* vero; quia Pompeius habuit Juliam, filiam Caeſaris, quae in partu periit: unde etiam iſti facile in bella venerunt. Hinc Lucanus: *Morte tua diſcuſſa fides, bellumque movere Permiſſum eſt ducibus*. ARCE MONOECI. De Liguria, ubi eſt portus Monoeci Herculis. Dictus autem μόνοικος vel quod pulſis omnibus illic ſolus habitavit: vel quod in ejus templo nunquam aliquis deorum ſimul colitur: ſicut in Jovis, Minerva & Juno; in Veneris, Cupido.

832. ADVERSIS INSTRUCTUS EOIS. Orientis enim auxiliis eſt uſus.

833. ASSUESCITE BELLA. Mite dictum: ab ipſis enim quaſi conſuetudinem fecit populus Romanus bellorum civilium. Septies enim geſta ſunt: ter a Caeſare: contra Pompejum in Theſſalia; item contra ejus filium magnum in Hiſpania; item contra Jubam & Catonem in Africa. Mortuo Caeſare, ab Auguſto contra Caſſium & Brutum in Philippis, civitate Theſſaliae; contra Lucium Antonium in Peruſia, Tuſciae civitate; contra Sextum Pompejum in Sicilia; & contra Antonium & Cleopatram in Epiro.

PIERII.

Infelix! utcumque ferent ea facta minores. *Quomodo libet*, inquit, *ea facta poſteri ferant, id eſt, poſt ferant, & extollant. Qui filios occidit, infelix eſt. Et tanquam ad conſolandum infelicem ſubjunxit:* Vincet amor patriae, laudumque immenſa cupido.

828. NUNC ET DUM NOCTE PREMUNTUR. In antiquis codic. legere eſt: *prementur*, futuro tempore,

835 Tuque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo:
Projice tela manu, ſanguis meus.
Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, caeſis inſignis Achivis.
Eruet ille Argos, Agamemnoniasque Mycenas,
840 Ipſum Aeaciden, genus armipotentis Achilli;
Ultus avos Trojae; templa & temerata Minervae.
Quis te, magne Cato, tacitum, aut te, Coſſe, relinquat?
Quis Gracchi genus, aut geminos duo fulmina belli
Scipiadas, cladem Libyae, parvoque potentem
845 Fabricium: vel te ſulco, Serrane, ſerentem?
Quo feſſum rapitis, Fabii? tu Maximus ille es,

U-

SERVII.

835. TUQUE PRIOR, TU PARCE. Caeſari dicit, quem clementem circa Pompejanos legimus: cui vult tunc hoc eſſe mandatum. Licet Lucanus dicat: *Caeſar in arma furens, nullas niſi ſanguine fuſo Gaudet habere vias*. Item: *Gaudet tamen eſſe timori jam magno populis: & ſe non mallet amari*.

837. ILLE TRIUMPHATA CAPITOLIA AD ALTA CORINTHO. Mummium ſignificat.

840. IPSUMQUE AEACIDEN. Neceſſe eſt ut *ille* ſubaudiamus. Pyrrhum enim, quem *Aeaciden* dicit, Curius & Fabricius vicerunt, ferentem Tarentinis auxilium. Hic poſtea fugit in Graeciam, & illic occiſus eſt in templo, nam cum Argos obſideret, ictu tegulae periit. *Argos* vero & *Mycenas* alii vicerunt, Quiot. Metellus, & Mummius.

841. ULTUS AVOS. Aut hic diſtinguendum, ut ſit: *Trojae Minervae*, pro Trojanae, principale pro derivativo: aut certe *avos Trojae*; non quos Troja habuit avos; ſed qui de Troja fuerunt, id eſt, avos Trojanorum.

842. MAGNE CATO. Cenſorium dicit, qui ſcripſit hiſtorias: multa etiam bella confecit: nam Uticenſem praeiente Auguſto, contra quem pater ejus & dimicavit, & Anticatones ſcripſit, laudare uon poterat. Supra autem, Minervae templa temerata per ſtuprum Caſſandrae dicit. COSSE RELINQUAT? Coſſus, tribunus militum conſulari poteſtate fuit. Hic regem Tuſcorum, Lartem Tolumnium, a loco dictum, occidit: & ſecunda poſt Romulum opima ſpolia reportavit. Erit autem nominativus hic *Lars*, *hujus Lartis*.

843. QUIS GRACCHI GENUS? Gracchos ſeditioſos conſtat fuiſſe; nobiles tamen genere: namque per Corneliam, nepotes Scipionis Africani fuerunt; unde Juvenalis ad eam: *Tolle tuum precor Hannibalem, victumque Syphacem*. Ergo Scipiones dicit per Gracchi genus. Duo autem fuerunt: major Africanus, qui obſidione Carthaginis ab Italia revocavit Hannibalem; Aemilianus minor.

844. SCIPIADAS. Hi gemini fratres fuerunt: qui cum fortiſſime dimicarent in Hiſpania apud Carthaginem novam, quae Spartaria dicitur, inſidiis interempti ſunt: quorum alter, pater; alter, patruus Scipionis Africani majoris fuerunt. CLADEM LIBYAE. Scipiones Africanos duos; maiorem & minorem: quorum alter vicit Carthaginem; alter delevit.

845. FABRICIUM. Paupertate glorioſum. Hic eſt, qui reſpondit legatis Samnitum, aurum ſibi offerentibus: Romanos non aurum habere velle; ſed aurum habentibus imperare. SERRANE SERENTEM. Attilius quidam ſenator fuit; qui, cum agrum ſuum coleret, evocatus, propter virtutem meruit Dictaturam. *Serranus autem*, a *ferendo* dictus eſt.

846. QUO FESSUM RAPITIS FABII? Cur me, o Fabii, feſſum ad veſtram trahitis narrationem? Aut certe *feſſum*, triſtem, ut: *Ter feſſus valle reſedit*, ſcilicet propter eorum mortem: nam trecenti ſex fuerunt de una familia: qui conjurati cum ſervis & clientibus ſuis contra Vejentes dimicarunt, & inſidiis apud Cremeram fluvium interempti ſunt. Unus tantum ſuperfuit, ſcilicet Fabius Maximus, qui propter teneram adhuc pueritiam in civitate remanſerat: a quo, per temporis ſucceſſionem longioris, Fabius ille Maximus creatus eſt, qui poſtea, cum

Han-

Unus qui nobis cunctando restituis rem.
Excudent alii spirantia mollius aera:
Credo equidem, vivos ducent de marmore voltus:
850 Orabunt caussas melius, caelique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hae tibi erunt artes) pacisque inponere morem,
Parcere subjectis, & debellare superbos.
855 Sic pater Anchises, atque haec mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis Marcellus opimis
Ingreditur, victorque viros supereminet omnis!
Hic rem Romanam magno turbante tumultu
Sistet: eques sternet Poenos, Gallumque rebellem,

Ter-

SERVII.

Hannibalis impetum ferre non posset, mora eum elusit, & ad Campaniam traxit; ubi deliciis Carthaginensium virtus obtorpuit. Notandum est de secunda persona dictum. Hic autem est, de quo ait Ennius: *Unus qui nobis cunctando restituit rem*. Sciens enim Virgilius quasi pro exemplo hunc versum posuit.

848. EXCUDENT ALII. Cudendo efficient: & est rhetoricus locus. SPIRANTIA. Animata. Horatius: *Et molles imitabitur aere capillos*.

849. VIVOS VULTUS. Hoc est, quod dixit *spirantia*. Et per *aes*, Corinthios indicat; per *marmor*, Parios; per actionem caussarum, Athenienses; per Astronomiam, Aegyptios & Chaldaeos.

853. PACIS MOREM. Leges pacis.

856. SPOLIIS MARCELLUS OPIMIS. Hic Gallos & Poenos equestri certamine superavit. Viridomarum etiam, Gallorum ducem, manu propria interemit, & opima retulit spolia, quae dux detraxerat duci; sicut Cossus Larti Tolumnio.

857. SUPEREMINET OMNES. Virtutis scilicet genere. REM ROMANAM. Statum reipublicae.

858. TURBANTE TUMULTU. Ideo tumultu; quia res in Italia adversus Gallos geritur.

859. SISTET. Confirmabit, corroborabit.

PIERII.

pore, quod multo magis placet, quum praesens per adverbium *nunc*, fit jam expositum.

846. QUO PESSUM RAPITIS FABII. In Romano codice, *Quo gressum rapitis*, habetur; ut ex hoc tacite ad trecentos illos adludat, una pugna trucidatos: quos omnes ad bellum missos, ut apud Ovidium est, *Abstulit una dies*. Sed elocutio illa, *Rapere gressum*, insolita videtur, magisque placet, *Quo fessum rapitis*, legere, ut variata in orationis genere figura loquendi, non Anchisem tantum longa ea oomenclatura delassatum levet, verum etiam lectori consuluisse videatur.

847. CUNCTANOO RESTITUIS REM. In Romano, in Mediceo, & aliis quibusdam antiquis exemplaribus, *restitues*, futuro tempore positum est: quod non displicet.

853. PACIQUE IMPONFRE MOREM. In Longobardico, & quibusdam aliis codicibus vetustis, *pacis*, genitivo casu legitur: quam lectionem Servius agnoscit.

859. SISTET EQUES STERNET POENOS GALLUMQE REBELLFM. Parum me movet, quod in Romano codice *equis*, legatur, quum eadem sit sententia, sive *eques*, sive *equis*, dicas. Illud curiosius animadvertendum, quod in plerisque veteribus exemplaribus coma praejecta est dictioni, *eques*, ut clausula superioris membri sit, *sistet*, totumque id simul legatur: *Hic rem Romanam magno turbante tumultu Sistet:* Inde altero membro; *Eques*, sive malis, *Equis sternet Poenos, Gallumque rebellem:* Nam quum ad eam diem rem Punicam equitatu potiorem esse, pluribus praeliis compertum esset: Marcellus is, qui primus Hannibalem terga ostendere docuit, equis rem gessit, hostemque ab obsidione Nolae turpiter recedere coegit: & eo genere pugnae saepius res hostiles adflixit.

860 Tertiaque arma patri ſuſpendet capta Quirino.
Atque hic Aeneas; una namque ire videbat
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Sed frons laeta parum, & dejecto lumina voltu:
Quis, pater, ille, virum qui ſic comitatur euntem?
865 Filius, anne aliquis magna de ſtirpe nepotum?
Qui ſtrepitus circa comitum! quantum inſtar in ipſo eſt!
Sed nox atra caput triſti circumvolat umbra.
Tum pater Anchiſes, lacrimis ingreſſus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quaere tuorum:
870 Oſtendent terris hunc tantum fata, neque ultra

Eſſe

SERVII.

860. TERTIAQUE ARMA PATRI CAPTA. Hic tertia opima ſpolia ſuſpendet patri, id eſt, Jovi. CAPTA QUIRINO. Qualia & Quirinus ceperat, id eſt, Romulus, de Acrone, rege Ceninenſium, & ea Jovi ſuſpenderat. Poſſumus, & quod eſt melius, ſecundum legem Numae hunc locum accipere, qui praecepit, prima opima ſpolia Jovi Feretrio debere ſuſpendi, quod jam Romulus fecerat: ſecunda Marti, quod Coſſus fecit: tertia Quirino, quod fecit Marcellus. Quirinus autem, eſt Mars, qui praeeſt paci: & intra civitatem colitur: nam belli Mars extra civitatem templum habuit. Ergo aut ſuſpendet patri, id eſt, Jovi: aut ſuſpendet patri, Quirino. Varie de hoc loco tractant commentatores, Numae legis immemores, cujus facit mentionem & Livius.

862. EGREGIUM FORMA JUVENEM ET FULGENTIBUS ARMIS. Tria ſunt ſecundum Carminium; pulchritudo, aetas, virtus. Significat autem Marcellum, filium Octaviae, ſororis Auguſti, quem ſibi Auguſtus adoptavit. Hic decimo ſexto anno incidit in valetudinem; & periit decimo octavo, in Bajano, cum aedilitatem gereret. Hujus mortem vehementer civitas doluit: nam & affabilis fuit; & Auguſti filius. Ad funeris hujus honorem Auguſtus ſexcentos lectos intrare civitatem juſſit: hoc enim apud majores glorioſum fuerat: & dabatur pro qualitate fortunae: nam Sylla ſex millia habuit. Igitur cum ingenti gloria & pompa relatus, & in campo Martio eſt ſepultus. Ergo modo in Auguſti adulationem, quaſi epitaphion ei dicit. Et conſtat, hunc librum tanta pronuntiatione Auguſto & Octaviae eſſe recitatum, ut fletu nimio imperarent ſilentium; niſi Virgilius finem eſſe dixiſſet, qui pro hoc aere gravi donatus eſt, id eſt, maſſis: nam ſic & Livius *argentum grave* dicit, id eſt, maſſas.

863. SED FRONS LAETA PARUM. Omen eſt mortis futurae. Et contra alibi: *Incipe parve puer riſu cognoſcere matrem.*

864. VIRUM QUI SIC COMITATUR EUNTEM. Marcellum, cui ſimilis eſt.

866. QUIS STREPITUS. Propter aedilitatem. INSTAR. Similitudo: & eſt nomen, quod non recipit praepoſitionem: *ad inſtar* enim non dicimus, quod Probus declarat.

870. OSTENDENT TERRIS HUNC TANTUM FATA. Parum illuceſcet, mox peribit.

PIERII.

860. TERTIAQUE ARMA PATRI SUSPENDET CAPTA QUIRINO. Non placet, quod in Rom. cod. legitur, *triſtiaque arma*, quum ex Numae Regis lege Tertia ſpolia opima Quirino ſuſpendenda eſſent, quod Interpretes tangunt. Apud Livium quidem legimus Flamines inſtitutos a Numa Marti, Jovi, & Quirino. Nihil ibi de ſpoliis. Idem quarto ab Urbe condita de Coſſo ait: *Spolia in aede Jovis Feretrii prope Romuli ſpolia, quae opima appellata, ſola ea tempeſtate erant, cum ſolenni dedicatione dono fixit.* Ubi adnotandum eſt, vulgata exemplaria una plus dictione legere, *quae prima opima appellata*; ſed in veteri codice, *prima*, non habetur. Satis enim eſt dixiſſe *ſola*.

866. QUANTUM INSTAR IN IPSO EST. In Romano, & aliquot aliis codicibus antiquis, *eſt*, non habetur; ſed appoſitum addit ornatum orationi.

868. LACHRYMIS INGRESSUS ABORTIS. Romanus codex, uti etiam ſuperius obſervatum, & hic, & alibi, *obortis*, legit, & *lacrimis*, more ſuo per i Latinum abſque adſpiratione.

870. NE-

Eſſe ſinent. Nimium vobis Romana propago
Viſa potens, Superi, propria haec ſi dona fuiſſent.
Quantos ille virum magnam Mavortis ad urbem
Campus aget gemitus! vel quae, Tiberine, videbis
875 Funera, cum tumulum praeterlabere recentem!
Nec puer Iliaca quiſquam de gente Latinos
In tantum ſpe tollet avos: nec Romula quondam
Ullo ſe tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu priſca fides, invictaque bello
880 Dextera! non illi ſe quiſquam inpune tuliſſet
Obvius armato, ſeu cum pedes iret in hoſtem,
Seu ſpumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu, miſerande puer! ſi qua fata aſpera rumpas,
Tu Marcellus eris. Manibus date lilia plenis:
885 Purpureos ſpargam flores, animamque nepotis
His ſaltem adcumulem donis, & fungar inani
Munere. Sic tota paſſim regione vagantur

SERVII.

872. VISA POTENS SUPERI. Cum indignatione dicit: Invidiſtis & gloriae Romanae, & veſtris muneribus: nam felicitas, veſtra ſunt munera. PROPRIA. Perpetua, ut: *Propriamque dicabo*.

873. MAVORTIS CAMPUS. In quo eſt ſepultus.

875. FUNERA CUM TUMULUM PRAETERLABERE RECENTEM. Propter ſexcentos lectulos.

877. IN TANTUM SPE TOLLET AVOS. Eriget generis antiquitatem. Et rhetorice ſpem laudat in puero, quia facta non invenit. Eſt autem Ciceronis in Dialogo: *Fanni, cauſa difficilis, laudare puerum: non enim res laudanda, ſed ſpes eſt*. NEC ROMULA QUONDAM. Pro Romulea, ut: *Quos Africa terra triumphis Dives alit*. *Quondam* autem, poteſt & praeteriti eſſe & futuri.

879. PRISCA FIDES. Quia fidelitas non requirit juvenes; ſed ſenes: unde Lucanus: *Quippe fides robuſtos exigit annos*.

882. FODERET CALCARIBUS ARMOS. Species pro genere. *Equi armos*, pro equo poſuit: non enim poſſunt *armi* calcaribus fodi.

883. FATA ASPERA RUMPAS. Poſſe aliqua ratione fata diſrumpi, per tranſitum docet.

884. TU MARCELLUS ERIS. Talis, qualis fuit Marcellus, ille vir ampliſſimus, ſuperius dictus.

885. PURPUREOS FLORES. Ut ſaepe diximus, propter ſanguinis ſimilitudinem: qui aut anima eſt, aut animae ſedes. NEPOTIS. Poſteri: non enim re vera nepos fuit.

886. INANI MUNERE. Secundum Epicureos, non profuturo. SIC. Iſta noſcentes.

PIERII.

870. NEQUE ULTRA ESSE SINENT. In pluribus antiquis codicibus, *nec*, monoſyllabum eſt; ſed enim *neque ultra*, ea vocalium colliſione neſcio quid miſerabilius oſtendit, verſu etiam ejulatum quodammodo emittente.

871. NIMIUM VOBIS ROMANA PROPAGO VISA POTENS, SUPERI. In Romano codice, *ſuperis*, legitur; ſed neque id placet: longe enim melius eſt: *Viſa potens* vobis, *o ſuperi*, quam, *vobis ſuperis*.

877. IN TANTUM SPE TOLLET AVOS. Neque id ſatisfacit, quod in Romano codice legitur, *ſpes*, quamvis antiquo declinatu genitivi caſus eſſe poteſt, ut ſit: *in tantum ſpei*.

Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quae postquam Anchises natum per singula duxit,
890 Incenditque animum famae venientis amore:
Exin bella viro memorat quae deinde gerenda,
Laurentisque docet populos, urbemque Latini:
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminae Somni portae: quarum altera fertur
895 Cornea; qua veris facilis datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa ad caelum mittunt insomnia Manes.
His ibi tum natum Anchises unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna.
900 Ille viam secat ad navis; sociosque revisit.
Tum se ad Cajetae recto fert litore portum.
Ancora de prora jacitur: stant litore puppes.

SERVII.

888. AERIS IN CAMPIS. Collisionem fecit. Locutus est autem secundum eos, qui putant Elysium lunarem esse circulum.

890. INCENDITQUE ANIMUM. Nam supra ait: *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* EXIN. Deinde. Confert autem in compendium narrationis prolixitatem. Sic Terentius propter longum actum ait: *Intus despondebitur, intus transigetur, si quid est quod restat.*

894. SUNT GEMINAE SOMNI PORTAE. Pro somniorum. Est autem in hoc loco Homerum secutus. *Ξεῖν', ἤτοι μὲν ὄνειροι ἀμήχανοι ἀκριτόμυθοι Γίγνοντ', οὐδέ τι πάντα τελείεται ἀνθρώποισι. Δοιαὶ γάρ τε πύλαι ἀμενηνῶν εἰσὶν ὀνείρων. Αἱ μὲν γὰρ κεράεσσι τετεύχαται, αἱ δ' ἐλέφαντι. Τῶν οἳ μέν κ' ἔλθωσι διὰ πριστοῦ ἐλέφαντος, Οἵ ῥ' ἐλεφαίρονται ἔπε' ἀκράαντα φέροντες, Οἳ δὲ διὰ ξεστῶν κεράων ἔλθωσι θύραζε, Οἵ ῥ' ἔτυμα κραίνουσι, βροτῶν ὅτε κέν τις ἴδηται.* Hoc tantum differt, quod ille per utramque portam somnia exire dicit; hic umbras veras, per quas somnia indicat vera: & poetice apertus est sensus. Vult autem intelligi falsa esse omnia quae dixit. Physiologia vero hoc habet: Per *portam corneam*, oculi significantur, qui & cornei sunt coloris, & duriores caeteris membris: nam frigus non sentiunt: sicut etiam Cicero dixit in libris. De natura deorum. Per *eburneam* vero *portam* os significatur, a dentibus. Et scimus quia quae loquimur, falsa esse possunt; ea vero quae videmus, sine dubio vera sunt. Ideo Aeneas per eburneam emittitur portam. Est & alter sensus: Somnum novimus cum cornu pingi: & qui de Somniis scripserunt, dicunt ea, quae secundum fortunam & personae possibilitatem videntur, habere effectum: & haec vicina sunt cornu: unde cornea vera fingitur porta: ea vero, quae supra fortunam sunt, & habent nimium ornatum, vanamque jactantiam, dicunt falsa esse: unde eburnea, quasi ornatior porta, fingitur falsa.


897. FALSA INSOMNIA. Id est, somnia. SECAT. Tenet: unde *sectas* dicimus, ab eo, quod propositum non teneant.

901. AD CAIETAE PORTUM. A persona Poetae Prolepsis: nam *Cajeta* nondum dicebatur.

PIERII.

898. HIS UBI TUM NATUM. In Romano codice, & aliquot aliis veteribus legere est, *His ibi tum:* quod si advertas, melius quadrabit.

900. ILLE VIAM SECAT AD NAVES. Quod antiqui codices, *navis*, per *i* scriptum ostendunt, id etiam in veteribus Prisciani codicibus eodem modo scribitur: *Fessas non vincula navis. Quoque magis fessas cupiam dimittere navis. Muneraque in navis.* Et ita reliqua.



P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER SEPTIMUS.

Tu quoque litoribus nostris, Aeneïa nutrix,

Ae-

SERVII.

Vs. 1. TU QUOQUE LITORIBUS NOSTRIS AENEIA NUTRIX. Ut & in principio diximus, in duas partes hoc opus divisum est: nam primi sex libri ad imaginem Odysseae dicti sunt, quos personarum & allocutionum varietate constat esse graviores. Hi autem sex ad imaginem Iliadis dicti sunt, qui in negotiis validiores sunt: nam & ipse hoc dicit: *Majus opus moveo*. Et re vera tragicum opus est, ubi tantum bella tractantur. TU QUOQUE. Sicut Misenus, Palinurus etiam. NOSTRIS. Hoc est, Italicis, ut: *Non eadem arboribus pendet vindemia nostris*. Non, ut Donatus ait, in comparationem Oceani navigabilibus. AENEIA NUTRIX. Hanc alii Aeneae; alii Creusae; alii Ascanii nutricem volunt. Lectum tamen est in Philologis, in hoc loco classem Trojanorum casu concrematam; unde *Cajeta* dicta est, ἀπὸ τῦ καίειν.

PIERII.

Vs. 1. TU QUOQUE LITORIBUS NOSTRIS. Quod *litus*, ubique simplici *t* scripserim, id me movit, quod in antiquioribus codicibus ita scriptum inveni. Et vetera quaedam monumenta nomen id unico *t* notatum ostendunt, ut illud apud aedem D. Laurentii in Lucina:

Li-

Aeternam moriens famam, Cajeta, dedisti.
Et nunc servat honos sedem tuus, ossaque nomen
Hesperia in magna (si qua est ea gloria) signant.
5 At pius exsequiis Aeneas rite solutis,
Aggere composito tumuli, postquam alta quierunt
Aequora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adspirant aurae in noctem, nec candida cursus
Luna negat: splendet tremulo sub lumine pontus.

Pro-

SERVII.

3. SERVAT. Tenet, possidet, ut: *Servantem ripas, alta non vidit in herba*. HESPERIA IN MAGNA. *Magna*, ad Hispaniae discretionem.

4. SI QUA EST EA GLORIA. Secundum Epicureos; cum ea res nihil ad mortuorum voluptatem attineat sentiendam. Bene autem interest funeri, postquam ab Inferis rediit: sicut interfuit, ante quam descenderet, ut medium actum ostenderet.

6. QUIERUNT. Hebrus QUIERANT legit.

7. TENDIT ITER VELIS. Quia, prout vela extensa fuerint, ita etiam cursus extenditur, in quo navis est iter. *Iter tendit* multi dicunt improprie dictum; multi nimium proprie. Constat tamen secundum illud dictum, quod supra ait: *Flecte viam velis*. Quod si dicimus, bene procedit &, *Tende viam velis*; ut in ipsis velis ratio sit viae.

8. ASPIRANT AURAE IN NOCTEM. Quia, ut diximus, temporum mutatione, ventus vel minuitur vel augetur. IN NOCTEM autem, aut circa noctem. Et quotiens tempus exprimitur, accusativum regit ista praepositio.

9. LUNA NEGAT. Litotes: nam dicit, large praestat, ut: *Munera nec sperno*. TREMULO SUB LUMINE. Ita enim mobilitas aquae facit videri.

PIERII.

LITORE PHOCAICO PELAGI VI EXANIMATAS. Non enim abraduntur, aut transcribuntur marmora veluti codices. Praeterea uti per unum *t* scribatur, deposcere videtur analogia, sive a *lido*, *lidis*, forte descendat: quippe quod assidue fluctibus illidatur: sive, ut multi volunt, a *lino*: nam *litus* est ex M. Tullii Arbitri sententia, *quousque maximus fluctus a mari provenit*. Ti. Donatus aliquanto simplicius, *ubi aqua maris finitur, ita & finis terrae, quae litore jungitur*: ideoque alibi dixit Virgilius: *Navis sicco litore subductas*, quia est, & udum litus. Sed hoc etiam animadvertendum tris continuos versus vocabulum idem repetere: *Tum se ad Caietae recto fert litore Portum*. *Anchora de prora jacitur, stant litore puppes*: *Tu quoque litoribus nostris Aeneia nutrix*. Quod siquis tertium hoc nihil facere ad superiora dixerit, quia sit alterius libri principium; videant unum esse corpus totam Aeneida, duodecim veluti membris compactum: neque ita ut in Georgicis heterogeneum, quod ibi ostendunt prooemia distinctas materias, argumentaque dissimilia dividentia, *Agrorum* quippe *cultum*, *Arborum naturam*, *Armentorum curam*, *Apum studium*. At Aeneis uno tantum comprehenditur argumento: *De rebus ab Aenea gestis*: librique ipsi ita invicem colligati sunt, ut verborum etiam structura uniuscujusque finem cum alterius principio connectat. Hinc *omnes conticuere*, quamprimum audivere Dido poscere ab Aenea, *ab origine prima ederet insidias Danaum, casusque suorum*. Et *postquam jam non spes opis ulla dabatur*, *Resque Asiae*, *Priamique gens*, *superbumque Ilium*, & *omnis Troja conciderat*, *Diversa exilia*, & *desertas quaerere terras dis auspicibus* coactus est Aeneas, qui ad finem usque tertii libri *Fata renarrabat Divom cursusque docebat*. *At Regina gravi jamdudum saucia cura Vulnus alit venis*. Cui dum Iris Junonis jussu dextra *crinem secat*, *omnis & una dilapsus calor*, *atque in ventos vita recedit*: *Interea medium Aeneas jam classe tenebat Certus iter*. Qui, Palinuro mox in mare excusso, quum *amisso fluitantem errare magistro navem sensisset*, *animum concussus amici casu*, *Sic Fatur lacrimans*. *O nimium coelo & pelago confise sereno*, *Nudus in ignota Palinure jacebis harena*. Ab Avernis inde quum se *ad Cajetae portum recto litore tulisset*, *arrepta tellure*, dum interim *stant litore puppes*, *Nutrix ejus Cajeta aeternam moriens litoribus nostris famam dedit*. Atque ita libri reliqui invicem connectuntur.

7. PORTUMQUE RELINQUIT. Non placet, *reliquit*, tempore praeterito, ut codices plerique veteres habent: nam & *tendit*, & *aspirant*, praesentia sunt.

10 Proxima Circaeae raduntur litora terrae:
Dives inaccessos ubi Solis filia lucos
Assiduo resonat cantu, tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina cedrum,
Arguto tenuis percurrens pectine telas.
15 Hinc exaudiri gemitus iraeque leonum,
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum:
Saetigerique sues, atque in praesepibus ursi
Saevire, ac formae magnorum ululare luporum:
Quos hominum ex facie dea saeva potentibus herbis
In-

SERVII.

10. CIRCAEAE RADUNTUR LITORA TERRAE. Ut diximus supra: mons iste antea insula fuit: paludibus enim a continenti segregabatur: exclusit limus de Albanis montibus fluens. Et dicebatur Aeaeus, ab horrore transeuntium, quod homines mutabantur in feras. In hoc summo oppidum fuit, quod & *Circaeum* dictum est, a *Circe*, & *Circaei*: nam utrumque Livius dicit.

11. DIVES. Non addidit cujus rei, cum soleat, ut: *Dives equum, dives pictai vestis & auri*. INACCESSOS. Inaccessibiles, inaccedendos: nam Ulysses illuc venit. Ergo *inaccessos*, non ad quos nullus accessit; sed ad quos nullus debeat accedere, ut: *Aut illaudati nescit Busyridis aras*: hoc est illaudabilis: nam ab Isocrate constat esse laudatum.

12. RESONAT CANTU. Resonare facit. Hoc ex Homero: *Εὗρον δ' ἐν βήσσῃσι τετυγμένα δώματα Κίρκης, Ξεστοῖσιν λάεσσι, περισκέπτῳ ἐνὶ χώρῳ. Ἀμφὶ δέ μιν λύκοι ἦσαν ὀρέστεροι ἠδὲ λέοντες, Τοὺς αὐτὴ κατέθελξεν, ἐπεὶ κακὰ φάρμακ' ἔδωκεν.* Et paulo post: *Κίρκης δ' ἔνδον ἄκουον ἀειδούσης ὀπὶ καλῇ, Ἱστὸν ἐποιχομένης μέγαν, ἄμβροτον, οἷα θεάων Λεπτά τε, καὶ χαρίεντα, καὶ ἀγλαὰ ἔργα πέλονται.* SUPERBIS. Nobilibus, propter antiquam oppidi magnitudinem.

13. ODORATAM. Pro odoriferam. Et hoc ideo, quia usus olei apud majores non fuit, praecipue in Italia.

14. ARGUTO PECTINE. Garrulo, stridulo, sonanti, ut: *Forte sub arguta consederat ilice Daphnis*. PERCURRENS PECTINE TELAS. Aut manu percurrens: aut ictu pectinis, ut videmus: aut quia apud majores stantes texebant: ut hodie linteones videmus. Est autem Homeri, qui ait, *ἱστὸν ἐποιχομένην*.

15. GEMITUS IRAEQUE. Gemitus irascentium leonum: [illegible].

16. SERA SUB NOCTE. Quasi eo tempore, quo naturali libertate uti consueverunt. *Sub sera nocte*, per noctem seram. RUDENTUM. Naturaliter *ru* longa est. Persius: *Findor ut Arcadiae pecuaria rudere dicas*. Systolen ergo fecit. *Ruditus* autem proprie est asinorum clamor, ut *grunnitus*, porcorum, ranarum, *coax*: quae nomina a sono vocis constat esse composita.

17. PRAESEPIBUS. Caveis, ubi aluntur: non enim re vera praesepia habent.

19. DEA SAEVA. Aut per se: aut herbis potentibus saeva. Circe autem ideo Solis fingitur filia, quia clarissima meretrix fuit: & nihil est Sole clarius. Et hoc ex Homero: *Αἰαίην δ' ἐς νῆσον ἀφικόμεθ', ἔνθα δ' ἔναιε Κίρκη εὐπλόκαμος, δεινὴ θεὸς αὐδήεσσα, Αὐτοκασιγνήτη ὀλοόφρονος Αἰήταο. Ἄμφω δ' ἐκγεγάτην φαεσιμβρότου Ἠελίοιο, Μητρός τ' ἐκ Πέρσης, τὴν Ὠκεανὸς τέκε παῖδα.* Haec libidine sua, & blandimentis homines in ferinam vitam ab humana deducebat; ut libidini & voluptatibus operam darent; unde datus est locus fabulae. Aperte Horatius: *Sub domina meretrice fuisset turpis & excors*.

PIERII.

12. ASSIDUO RESONAT CANTU. In Romano codice, *adsiduo* per *d* scriptum est. Eos vero reprehendit Caper, qui *assiduus*, proferre malebant: quod eadem littera *e* in *sedeo* primitivo reperiatur: dici enim *adsideo* notat; unde *adsiduus*. Contra cujus sententiam Fl. Sosipater, *adsiduus*, ait, quidam per *d* scribunt, quasi sit a *sedendo* figuratum; sed errant; nam quum a Servio Tullio populus in quinque classes divisus esset, ut tributum, prout quisque possideret, inferret, ditiores, qui asses dabant, *assidui*, dicti sunt. Et quoniam soli negotiis publicis frequentes aderant, eos, qui frequenter adsunt, *assiduos*, *ab assibus* dixerant. Hinc ait Gellius: *Assiduum in Duodecim tabulis & pro locuplete, &*

 fa-

20 Induerat Circe in voltus ac terga ferarum.
Quae ne monstra pii paterentur talia Troës
Delati in portus, neu litora dira subirent;
Neptunus ventis implevit vela secundis:
Atque fugam dedit, & praeter vada fervida vexit.
25 Jamque rubescebat radiis mare, & aethere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis:
Cum venti posuere, omnisque repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsae.
Atque hic Aeneas ingentem ex aequore lucum
30 Prospicit. Hunc inter fluvio Tiberinus amoeno,
Vorticibus rapidis & multa flavus arena,

SERVII.

In

20. IN VULTUS AC TERGA FERARUM. Corrumpebatur enim in illis sensus & vultus: animus namque idem manebat: *Οἱ ἢ συῶν μὲν ἔχον κεφαλὰς, φωνήν τε, δέμας τε, Καὶ τρίχας, αὐτὰρ νοῦς ἦν ἔμπεδος, ὡς τὸ πάρος περ.*

21. PII PATERENTUR TROES. Ergo impii, qui pertulerunt. Impii autem, propter occisa Solis armenta.

23. NEPTUNUS VENTIS IMPLEVIT VELA SECUNDIS. Physice autem locutus est: motu enim aquae ventus creatur, ut videmus in bombis organorum.

24. PRAETER VADA FERVIDA. Periculosa navigantibus: & est Tmesis.

26. IN ROSEIS FULGEBAT LUTEA BIGIS. *Lutea*, est crocei coloris, ut: *Croceo mutabit vellera luto*. Unde multi jungunt *inroseis*, id est, non rubicundis, ne sit contrarium. Tamen secundum Homerum dictum est, qui interdum ῥοδοδάκτυλον, id est, *rosei coloris digitos habentem*, interdum κροκόπεπλον dicit Auroram: id est, *crocei coloris veste circumdatam*.

27. CUM VENTI POSUERE. Cum ortu diei quievere: *posuere* enim, quievere est: sicut contra, *ferre*, flare dicimus, ut: *Fieret vento mota aequa ferenti*, id est, flanti. OMNISQUE REPENTE RESEDIT FLATUS. *Omnis*, id est, & qui ripae est, & qui pelagi, qui *altanus* vocatur.

28. TONSAE. *Tonsae*, remi dicti, a decutiendis fluctibus: sicut *tonsores*, a *tondendis* & decutiendis capillis.

29. LUCUM PROSPICIT. In quo erat fluminis numen: diximus enim nunquam sine religione esse *lucum* a Virgilio positum.

30. HUNC INTER. Per hunc. Terentius: *Dum rus eo, coepi egomet mecum inter vias*. Est autem crebra Frontonis elocutio. AMOENO. Umbroso, sylvis circumdato.

31. MULTA FLAVUS ARENA. Epitheton proprium. Et sciendum, exitum Tyberini fluminis naturalem non esse, nisi circa Ostiam, ubi prima Aeneas castra constituit: nam aliter non procedit quod ait: *Murorum in parte sinistra Opposuere aciem: nam dextra cingitur amni*. Postea enim in Laurolavinio castra fecit ingentia, quorum vestigia adhuc videntur.

PIERII.

facile munus faciente, dictum ab assibus, id est, aere dando, quum id tempora Reipub. postularent: aut a muneris pro familiari copia faciendi assiduitate. Et alibi: *Assiduum quasi per Antitheton opponit Proletario*. Ex quibus manifestius constat, quid sibi velit M. Tullius, quum in Topicis argumentum ex vi verbi sic assumi posse docet: *Quum lex Aelia Sentia Assiduo assiduum vindicem esse jubeat, locupletem jubet locupleti. Locuples enim assiduus, ait Aelius, appellatus est ab asse dando*.

20. IN VULTUS AC TERGA FERARUM. Veteres quidam codices, *in voltus & terga*, legunt, sed *ac* magis placet: quia magis unit.

31. VORTICIBUS RAPIDIS. In Romano codice, in Mediceo, & in plerisque aliis sane quamvetustis passim, *verticibus* per *e* scriptum observes. Tametsi Caper, ut alibi diximus, differentiam interjicit. Sed enim Arusianus Messus non alia ratione *vertex*, pro, *vortex*, scribi solitum tradit, quam *volnus*, pro *vulnus*: atque ita quoquo scribatur modo, idem significare. Quid vero contra Plinius, quid Sosipater

tra-

In mare prorumpit. Variae circumque ſupraque
Adſuetae ripis volucres & fluminis alveo
Aethera mulcebant cantu, lucoque volabant.
35 Flectere iter ſociis, terraeque advertere proras
Imperat, & laetus fluvio ſuccedit opaco.
Nunc age, qui reges, Erato, quae tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit ſtatus, advena claſſem
Cum primum Auſoniis exercitus adpulit oris,
40 Expediam, & primae revocabo exordia pugnae.
Tu vatem, tu, diva, mone. Dicam horrida bella:
Dicam acies, actoſque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque ſub arma coactam
Heſperiam. Major rerum mihi naſcitur ordo:
45 Majus opus moveo. Rex arva Latinus & urbis
Jam ſenior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno & nympha genitum Laurente Marica

Ac-

SERVII.

33. ASSUETAE RIPIS VOLUCRES. Bono compendio uſus eſt.

34. AETHERA MULCEBANT CANTU. Leniebant. Corporalia enim ſunt elementa, ut diximus ſupra: non enim mulcetur, niſi quod corporale eſt. Supra enim ait: *Totamque infuſa per artus*.

37. NUNC AGE. Hinc eſt ſequentis operis initium. Ante dicta enim ex ſuperioribus pendent. ERATO. Vel pro Calliope, vel pro qualicumque Muſa poſuit ſane. QUAE TEMPORA RERUM. Quia, ut diximus ſupra, ſecundum Lucretium, tempora, niſi ex rebus colligantur, per ſe nulla ſunt.

38. LATIO ANTIQUO. Quia duo ſunt, vetus & novum: ſicut & in Jure lectum eſt.

40. EXORDIA PUGNAE. Cervi interitum.

42. ACTOS. Aut collectos, aut re vera compulſos: quod eſt veriſimile, propter illud: *Longa placidas in pace regebat*.

43. TOTAMQUE SUB ARMA COACTAM. Collectam, ut: *Tityre coge pecus*. *Totam* autem Hyperbolicos dixit.

47. HUNC FAUNO, ET NYMPHA GENITUM LAURENTE MARICA ACCIPIMUS. Quidam deus eſt *Fatuellus*: hujus uxor eſt *Fatua*. Idem *Faunus*, & eadem *Fauna*. Dicti autem ſunt *Faunus* & *Fauna* a vaticinando, id eſt, fando: unde & *fatuos* dicimus inconſiderate loquentes. Ergo *Faunae* & *Fatuae* nomen quaſi aſperum fugit Poeta: & *Maricam* dicit uxorem fuiſſe *Fauni*. Eſt autem *Marica*, dea Littoris Minturnenſium, juxta Lirin fluvium. Horatius: *Et innantem Maricae littoribus tenuiſſe Lirin*. Quod ſi voluerimus accipere uxorem *Fauni Maricam*, non procedit. Dii enim topici, id eſt, locales, ad alias regiones nunquam tranſeunt. Sed poteſt dictum eſſe per poeticam licentiam, *Laurente Marica*; cum ſit Minturnenſium. Dicunt alii per *Maricam*, Venerem intelligi debere; cuius fuit ſacellum juxta *Maricam*, in quo erat ſcriptum: ΝΑΟΣ ΤΗΣ ΑΦΡΟΔΙΤΗΣ. Sane Heſiodus Latinum, Circes & Ulyſſis filium dicit: quod & Virgilius tangit dicendo: *Solis avi ſpecimen*. Sed quia temporum ratio non procedit, illud accipiendum eſt Hygini, qui ait Latinos plures fuiſſe, ut intelligamus Poetam abuti (ut ſolet) nominum ſimilitudine.

PIERII.

tradant, in primo dictum eo verſu: *Torquet agens circum, & rapidus vorat aequore vortex*. Addam illud ex Quintiliano, ut Aruſianum recte ſenſiſſe videamus: *Quod vortices, & vorſus, primo Scipio Africanus in e litteram ſecundam vertiſſe dicitur*.

35. FLECTERE ITER SOCIIS, TERRAEQUE ADVERTERE PROAS IMPERAT. In codicibus

aliquot

Accipimus. Fauno Picus pater: isque parentem
Te, Saturne, refert: tu sanguinis ultimus auctor.
50 Filius huic, fato divum, prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est.
Sola domum & tantas servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno e Latio totaque petebant
55 Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnis
Turnus, avis atavisque potens: quem regia conjunx
Adjungi generum miro properabat amore;
Sed variis portenta deum terroribus obstant.
Laurus erat tecti medio in penetralibus altis,
60 Sacra comam, multosque metu servata per annos:
Quam pater inventam, primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phoebo sacrasse Latinus,
Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densae (mirabile dictu)

Stri-

SERVII.

48. ACCIPIMUS. Propter varias opiniones hoc adjecit, ut Sallustius: *Urbem Romam, sicuti ego accepi, condidere atque habuere in initio Trojani*.

49. ULTIMUS AUCTOR. Primus: ut supremum, summum dicimus: *Pro supreme Jupiter*.

51. PRIMAQUE ORIENS EREPTA JUVENTA EST. Per transitum tangit historiam: Amata enim duos filios, voluntate patris Aeneae spondentes Laviniam sororem, factione interemit: unde & *erepta* dixit, quasi per vim. Hos alii coecatos a matre tradunt, postquam amisso Turno Lavinia Aeneae juncta est. FATO autem, dicit voluntate: nam dii id fantur, quod sentiunt; non ut homines, de quibus lectum est: *Aliud clausum in pectore, aliud in lingua promptum habere*.

53. JAM MATURA VIRO, JAM PLENIS NUBILIS ANNIS. Non est iteratio; sed secundum Jus dictum: in quo & ex annorum ratione, & ex habitu corporis aetas comprobatur. Primum ergo ad habitum; secundum ad annos pertinet.

54. LATIO. *Latium*, pars est Ausoniae: unde dixit primo quod minus est, sic intulit: *Totaque petebant Ausonia*.

56. PETIT ANTE ALIOS PULCHERRIMUS. Aut *ante alios* petit: aut *pulcher* ante alios. MIRO AMORE. Nova intemperantia.

58. SED VARIIS. Propter apes, & incendium, & oraculum Fauni. PORTENTA. Signa, quae sunt media: a *portendendo*: nam & bona & mala sunt *portenta*.

59. LAURUS ERAT. Latinus, post mortem fratris Lavini, cum Lavinium amplificaret, ab inventa lauro, Laurolavinium id appellavit. IN PENETRALIBUS. *Penetrale*, est omnis interior pars domus; licet sit intecta: unde *laurum* in penetralibus fuisse non est mirum.

60. METU. Religione, quae nascitur per timorem.

61. PRIMAS CUM CONDERET ARCES. *Primas*, circa laurum scilicet: nam jam civitas fuerat.

PIERII.

aliquot antiquis, *feries*, accusativo casu legitur; quod minime displicet.

38. QUIS LATIO ANTIQUO FUERIT STATUS. In quibusdam antiquis codicibus, *fuerat*, legitur, exacta specie; sed *fuerit*, magis placet.

65. Stridore ingenti liquidum trans aethera vectae,
Obsedere apicem; &, pedibus per mutua nexis,
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates, Externum cernimus, inquit,
Adventare virum, & partis petere agmen easdem
70 Partibus ex isdem, & summa dominarier arce.
Praeterea, castis adolet dum altaria taedis,
Et juxta genitorem adstat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante cremari:
75 Regalisque accensa comas, accensa coronam,
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis Volcanum spargere tectis.
Id vero horrendum, ac visu mirabile ferri:
Namque fore inlustrem fama fatisque canebant
80 Ipsam; sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus monstris, oracula Fauni,
Fatidici genitoris, adit, lucosque sub alta
Consulit Albunea: nemorum quae. maxima sacro

Fon-

SERVII.

65. TRANS AETHERA. *Aethera* pro aere posuit.

66. OBSEDERE APICEM. Verbum oppugnationis est *obsedere*, quo usus signate propter bellum futurum. PER MUTUA. Invicem: & est absolutum. Melissus, qui de Apibus scripsit, ait: *Duobus pedibus se tenent: & duobus alias sustinent*.

68. VATES. Divinus; per quam autem artem non dixit, nec nomen ejus; sed datur intelligi e conjecturis eum quibusdam futura dixisse.

69. PARTES PETERE AGMEN EASDEM. Intelligimus ab infero mari apes venisse; unde & Trojani. *Partes* autem *easdem* summitates rerum petere dicit, sicut apes apicem lauri, per quam advenarum victoria praenuntiatur.

71. CASTIS, Piis: & sciendum, Latinum sacrificasse juxta astante Lavinia.

73. NEFAS. Absoluta parenthesis; & est Hypallage. COMPRENDERE CRINIBUS IGNEM. Cum ignis crines comprehendebat.

76. FUMIDA. In fumo est causa lachrymarum & belli.

77. VULCANUM SPARGERE. Incendium bellicum significat: his autem duobus hoc ab augurio distat Ascanii: fumo, & aspersione flammarum.

81. FAUNI. Faunus, [illegible] dictus; quod voce, non signis ostendit futura.

82. LUCOSQUE. In lucis.

83. SUB ALBUNEA. In Albunea. ALTA. Quia est in Tyburtinis altissimis montibus. Et *Albunea* dicta est ab aquae qualitate, quae in illo fonte est: unde etiam nonnulli Leucotheam volunt. Sciendum sane, unum nomen esse fontis & sylvae.

PIERII.

69. ET PARTES PETERE AGMEN EASDEM. In Romano codice, & quibusdam aliis legere est, *partis petere agmine*, ut comitatu potentem eum subindicet.

72. ET JUXTA GENITOREM ASTAT LAVINIA VIRGO. In antiquis aliquot codicibus, *Ut juxta genitorem adstat*, legitur, quod non displicet: quia structura est ita colligata magis, *Adolet dum altaria flammis, Ut juxta genitorem adstat Lavinia virgo, Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem*.

Fonte ſonat, ſaevamque exhalat opaca mephitim.
85 Hinc Italae gentes, omniſque Oenotria tellus,
In dubiis reſponſa petunt. Huc dona ſacerdos
Cum tulit, & caeſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit,
Multa modis ſimulacra videt volitantia miris:
90 Et varias audit voces, fruiturque deorum
Conloquio, atque imis Acheronta adfatur Avernis.
Hic, & tum pater ipſe petens reſponſa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentis,
Atque harum effultus tergo ſtratiſque jacebat
95 Velleribus. Subita ex alto vox reddita luco eſt:
Ne pete connubiis natam ſociare Latinis,
O mea progenies, thalamis neu crede paratis.
Externi veniunt generi, qui ſanguine noſtrum
No-

SERVII.

84. SACRO FONTE. Nullus enim fons non ſacer: propter attributos illis deos, qui fontibus praeeſſe dicuntur. MEPHITIN. *Mephitis*, proprie eſt terrae putor, qui de aquis naſcitur ſulphuratis: & eſt in nemoribus gravior ex denſitate ſylvarum. Alii *Mephitin*, deum volunt Leucotheae connexum: ſicut eſt Veneri Adonis; Dianae Virbius. Alii *Mephitin* Junonem volunt, quam aerem eſſe conſtat. Novimus autem putorem non niſi ex corruptione aeris naſci: ſicut etiam bonum odorem de aere incorrupto, ut ſit *Mephitis*, dea odoris graviſſimi, id eſt, grave olentis.

85. HINC ITALAE GENTES. Commendatio oraculi ipſius. OENOTRIA TELLUS. Proprie Sabinorum tractus; ab Oenotro rege. INCUBUIT. *Incubare* dicuntur proprie hi, qui dormiunt ad accipienda reſponſa: unde eſt: *Ille incubat Jovi*, id eſt, dormit in Capitolio, ut reſponſa poſſit accipere.

87. SUB NOCTE SILENTI. Per noctem ſilentem: id eſt, per noctis ſilentium, cum omnes tacent.

90. VARIAS AUDIT VOCES. Scilicet propter multa ſimulachra, petentibus oracula apparentia. FRUITUR. Paſcitur: quod de rebus tantum bonis dicimus.

91. ACHERONTA AFFATUR AVERNIS. Poteſtates, quae ſunt in Acheronte, ad quem per Avernum venitur. Hoc autem ideo, quia Faunus infernus dicitur deus: & congrue: nam nihil eſt terra inferius: in qua habitat Faunus. Hinc eſt, quod eum Horatius inducit nocentem, dicens: *Levis incedas, abeaſque parvis Aequus alumnis*.

92. PATER IPSE. Aut honoris eſt; aut re vera pater Laviniae.

93. CENTUM. Aut pro qualitate fortunae: unde & RITE dixit: aut finitum pro infinito poſuit.

94. TERGO. Pro tergoribus, id eſt, coriis.

97. THALAMIS NEC CREDE PARATIS. Propter Turnum.

98. VENIENT. Melius VENIUNT, ut jam eos venire ſignificet. GENERI. Plurali uſus eſt pro ſingulari.

PIERII.

86. HUC DONA SACERDOS CONTULIT. Scribendi modus, quod in codicibus aliquot antiquis, *qom tulit*, legebatur, per Q & O, effecit, ut alii poſtmodum unica dictione ſcribere coeperint. Sed enim in antiquioribus codicibus duae ſunt partes, *cum tulit*, ſive malis *quum*, ſive *quom* ſcribere.

94. ATQUE HARUM EFFULTUS TERGO. Tametſi non probo lectionem, *atque tarum*, ex codicibus nonnullis antiquis, quae κατὰ συνίζησιν ſtare poſſet; fuit tamen adnotandum, quia non uno tantum loco repertum erat.

98. EXTERNI VENIUNT GENERI. In antiquioribus omnibus exemplaribus, quotquot habui, *venient*, le-

Nomen in aſtra ferent, quorumque ab ſtirpe nepotes
100 Omnia ſub pedibus, qua Sol utrumque recurrens
Aſpicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Haec reſponſa patris Fauni, monituſque ſilenti
Nocte datos, non ipſe ſuo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam Fama per urbis
105 Auſonias tulerat; cum Laomedontia pubes
Gramineo ripae religavit ab aggere claſſem.
Aeneas, primique duces, & pulcher Iulus,
Corpora ſub ramis deponunt arboris altae:
Inſtituuntque dapes, & adorea liba per herbam
110 Subjiciunt epulis, (ſic Juppiter ipſe monebat)
Et Cereale ſolum pomis agreſtibus augent.
Conſumtis hic forte aliis, ut vertere morſus
Exiguam in Cererem penuria adegit edendi,

SERVII.

99. A STIRPE. *Stirpem*, cum de genere dicimus, tantum foemininum eſt; cum de arbore, & maſculini generis & foeminini invenitur, ut: *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum*. Contra Horatius: *Stirpeſque raptas, & pecus, & domos*.

100. SUB PEDIBUS. Sub imperio ſuo ac poteſtate.

102. MONITUSQUE. Alibi monita dixit; ut: *Carmentis Nymphae monita, & deus auctor Apollo*. NON IPSE SUO PREMIT ORE LATINUS. Quo a ſe repelleret generos.

104. SED CIRCUM LATE VOLITANS. Tmeſis eſt, circumvolitans.

109. ADOREA LIBA. *Ador*, proprie eſt genus farris. *Liba* autem, ſunt placentae de farre, melle, & oleo, ſacris aptae.

110. SUBJICIUNT EPULIS. Subponunt in epularum locum. IPSE. Qui per Harpyiam vaticinatus eſt, ut: *Quae Phoebo pater omnipotens*.

111. ET CEREALE SOLUM. *Solum*, dicitur omne quod aliquid ſuſtinet; unde de mari ſupra ait: *Subtrahiturque ſolum*: & Ovidius primo Metamorphoſeon: *Aſtra tenent caeleſte ſolum*. Sic nunc panicias menſas, id eſt, epularum ſuſtentaculum, *ſolum* vocavit.

112. FORTE ALIIS. Abundat *forte*.

PIERII.

legere eſt, futuro tempore: quamquam *veniunt*, inſtanti tempore, magis efficax videtur, & magis interpreti Servio ſatisfacit: niſi quis dicat oracula de futuris eſſe debere.

102. HAEC RESPONSA PATRIS FAUNI. Sunt codices antiqui, in quibus *haec praecepta*, ſcriptum eſt. Illud enim praecipiendo dictum fuerat: *Ne pete connubiis natam ſociare Latinis*: monendo vero, *Externi venient generi*, & quae ſequuntur; ſed enim Latinus ſuperius *reſponſa* petierat: & hujuſmodi oracula eleganter & uſitate reſponſa nuncupantur.

109. ET ADOREA LIBA PER HERBAS SUBJICIUNT. In antiquis pleriſque codicibus, *per herbam*, unitatis numero legitur: & ita in veteribus Priſciani codicibus ſciptum eſt, eo citato verſu: ſed *herbas* legere magis nunc placet eruditis viris.

110. SIC JUPITER IPSE MONEBAT. Priſcianus agnoſcit, *Juppiter ille*. Quae quidem lectio, prius erat in codice Mediceo. Ait vero Priſcianus, *ille*, demonſtrativum eſt. Terentius in Eunucho: *Viden' tu illum Thais?* Relativum, Virgilius in ſeptimo: *Sic Juppiter ille monebat*. Apud Servium *ipſe* ſcriptum eſt; ſed nihil prohibet, quin *ille* illic etiam eſſe potuerit, & ita legi, *ille*, qui per Harpyiam vaticinatus eſt.

112. ET VERTERE MORSUS. In pleriſque veteribus codicibus, *morſum*, ſingulari numero ſcriptum eſt: ſed parvi hoc momenti.

Et violare manu malisque audacibus orbem
115 Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris;
Heus! etiam mensas consumimus? inquit Iulus.
Nec plura adludens. Ea vox audita laborum
Prima tulit finem, primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
120 Continuo, Salve fatis mihi debita Tellus,
Vosque, ait, o fidi Trojae salvete Penates.
Hic domus, haec patria est. Genitor mihi talia, (namque
Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
125 Accisis coget dapibus consumere mensas;
Tum sperare domos defessus, ibique memento
Prima locare manu molirique aggere tecta.
Haec erat illa fames. haec nos suprema manebat,

Exi-

SERVII.

115. Fatalis crusti. Ad negotium respexit Aeneae, cui hic erat finis laborum. *Crustum* autem, & *crusta*: neutraliter dicimus de his, quae comedi possunt. Horatius: *Ut pueris olim dant crustula blandi Doctores*. Juvenalis: *Nec colaphum incutimus lambenti crustula servo*. Foeminino autem genere fragmenta dicimus, quae comesse non possumus, ut: *Concrescunt subitae currenti in flumine crustae*. Quadris. Aut mensis: & est Antonomasia: nam supra *orbem* dixit: aut *quadris*, fragmentis accipimus, ut: Juvenalis: *Ut bona summa putes aliena vivere quadra*.

117. Adludens. Aut vacat *ad*: & ludentem significat. Aut certe *adludens*, ad responsi fidem verba componens. Laborum finem. Scilicet maritimorum: nam in terra multa passurus est, ut ait Sibylla: *Sed terrae graviora manent*.

118. Primamque loquentis ar ore Eripuit pater. Hoc est, adhuc loquente Ascanio intellexit famem, quam fata praedixerant.

119. Numine pressit. Oraculi fide ab Heleno, & Anchisa praedicti. *Pressit* autem vocem Ascanii; quo posset ipse numina deprecari.

120. Fatis mihi debita tellus. Bona Periphrasis est, ne *fatalis* diceret, quod est medium: & in precibus nihil ambiguum esse debet.

121. O fidi Trojae Salvete penates. Aeneae scilicet, non Trojae, quam nequivere servare.

122. Hic domus. Aut familia, ut: *Da propriam Tymbraee domum*. Aut ordo est: Hic est patria, hic domus: ante enim patria est, & sic domus.

123. Nunc repeto, Anchises &c. Nusquam legimus, quod Anchises praedixerat fame in Italia laboraturos Trojanos.

125. Accisis. Undique concisis vel consumptis: & hoc est apud nos *am*, quod apud Graecos ἀμφὶ, & hoc *accisi*, valde undique *caesi*, id est, [illegible]. Hinc est: *Amsancti valles*, id est, undique sancti.

128. Haec erat illa fames. Ac si diceret: Hoc fuerat timendum periculum: quod pericula determinat.

PIERII.

116. Heus etiam mensas consumimus inquit Iuius. In Mediceo codice, & aliquot aliis antiquis, *consumpsimus*, praeterito tempore scriptum est.

119. Eripuit pater ac stupefactus numine pressit. In codicibus aliquot antiquis, *& stipefactus*, habetur, ut: *Obstipuit*, & similia; sed nos usum sequamur.

125. Accisis coget dapibus consumere mensas. In codicibus aliquot antiquis, *ambesis*, legitur: ut in III. *Ambesas subigat malis absumere mensas*. Servius, *accisis*, agnoscit, & particulas *ac*, *oc*, *an*, idem apud Graecos ἀμ: & crediderim ego, *ambesis*, loco hoc ex paraphrasi desumptum esse.

128. Haec nos suprema manebat. In Rom. ccdice, *suprema manebant*. Ac de *supreme* quidem

Exitiis pofitura modum.
130 Quare agite, &, primo laeti cum lumine Solis,
Quae loca, quive habeant homines, ubi moenia gentis,
Veftigemus, & a portu diverfa petamus.
Nunc pateras libate Jovi, precibusque vocate
Anchifen genitorem, & vina reponite menfis.
135 Sic deinde effatus frondenti tempora ramo
Implicat, & Geniumque loci, primamque deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, noctisque orientia figna,
Idaeumque Jovem, Phrygiamque ex ordine Matrem,
140 Invocat, & duplicis Caeloque Ereboque parentes.
Hic Pater omnipotens ter caelo clarus ab alto
Intonuit: radiisque ardentem lucis & auro
Ipfe manu quatiens oftendit ab aethere nubem.

Di-

SERVII.

131. HABEANT. Habitent. Hoc enim frequentativum eft, ab eo, quod eft *habeo*. UBI MOENIA GENTIS. Laurolavinium fignificat.

133. NUNC PATERAS LIBATE JOVI. Abeo, quod continet, id quod continetur.

134. ANCHISEN GENITOREM. Bene Jovem & Anchifen, qui cauffa oraculi fuerunt. REPONITE MENSIS. Aut timore verborum Afcanii interrupta renovate: aut *reponite*, frequenter ponite, id eft, crebro libate, bibite.

135. TEMPORA RAMO IMPLICAT. Diebus feftis ita epulabantur.

136. GENIUMQUE LOCI. Apollinem vult intelligi: in tutela enim ejus tota fuerat regio, ut: *Quam pater inventam primas cum conderet arces, Ipfe ferebatur Phoebo facraffe Latinus*. Aliter iniquum eft, fi, cum omnes invocet, Apollinem praetermittat; praefertim cum Helenus dixerit: *Aderitque vocatus Apollo*. PRIMAMQUE DEORUM. Quia ipfa eft Mater deorum.

137. NYMPHASQUE, ET ADHUC IGNOTA PRECATUR FLUMINA. Bonum ordinem fequitur. Sic alibi: *Nymphae Laurentes, Nymphae, genus amnibus unde eft*.

138. NOCTEM, NOCTISQUE ORIENTIA SIGNA. Quae noctem fequuntur, ut Nymphas flumina. Invocat enim fibi conjuncta.

139. PHRYGIAMQUE EX ORDINE MATREM. Aut contigue, quia Idaeum dixerat Jovem: aut certe rite, id eft, more folemni.

140. DUPLICES. Duos. CAELO autem, Venerem: EREBO, Anchifen.

141. CAELO CLARUS AB ALTO. In ferenitate, quod eft augurii; nam fi caelo nubilo fuerit, cauffa eft.

142. RADIISQUE ET AURO. Radiis aureis. ARDENTEM NUBEM. Alii fulmen *nubem ardentem* dicunt, ut Lucanus: *Atque ardens aere folo*, quos hoc loco fecutus eft. Alii fulmen dicunt aeris fciffione ardentem rimam: quos alibi fequitur dicens: *Ignea rima micans percurrit lumine nimbos*.

PIERII.

dem alibi, quibus locis, quibusque marmorum teftimoniis aliquando gemino *pp* fcribi folitum. Quod vero *manebant*, plurali numero fcriptum fit, fubintelligendum effet, adverfa: nam Celeno, quum multa horrenda moneret, fupremum hoc addidit, ut graviffimum infortunium. Fuitque femper Aeneas fuper obfcoena ea fame follicitus, qua quidem adverfa omnia terminanda Helenus pollicetur, futurumque, ut fit requies ea certa laborum. Placet & *manebat*, quod effet ea fames exitiis pofitura modum: nam quo ad labores, *Terra graviora manent*.

Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor,
145 Adveniſſe diem, quo debita moenia condant.
Certatim inſtaurant epulas, atque omine magno
Crateras laeti ſtatuunt, & vina coronant.
Poſtera cum prima luſtrabat lampade terras
Orta dies; urbem, & finis, & litora gentis
150 Diverſi explorant: haec fontis ſtagna Numici,
Hunc Thybrim fluvium, hic fortis habitare Latinos.
Tum ſatus Anchiſa delectos ordine ab omni
Centum oratores auguſta ad moenia regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes:
155 Donaque ferre viro, pacemque expoſcere Teucris.
Haud mora: feſtinant juſſi, rapidisque feruntur
Paſſibus. Ipſe humili deſignat moenia foſſa,
Moliturque locum; primasque in litore ſedes,
Caſtrorum in morem, pinnis atque aggere cingit.

Jam-

SERVII.

146. CERTATIM INSTAURANT EPULAS. Id eſt, *Et vina reponite menſis.*

147. VINA CORONANT. Pro pateris: ut alibi: *Magnum cratera, corona Induit.* MAGNO autem OMINE, caeleſti dicit. Alibi: *Nam te majoribus ire per altum Auſpiciis manifeſta fides.*

150. HAEC FONTIS STAGNA NUMICI. Iſta jam ab incolis diſcuntur. Quod autem ait *fontis ſtagna*, verum eſt: nam Numicus, ingens ante fluvius fuit: in quo repertum eſt cadaver Aeneae, & conſecratum. Poſt paulatim decreſcens, in fontem redactus eſt, qui & ipſe ſiccatus eſt, ſacris interceptis. Veſtae enim libari nonniſi de hoc fluvio licebat.

152. ORDINE AB OMNI. Ex omni qualitate dignitatum: quod apud Romanos in legatione mittenda, hodieque ſervatur.

153. AUGUSTA AD MOENIA. Augurio conſecrata. Hinc paulo poſt illud eſt: *Tectum auguſtum, ingens.* Et niſi in auguſto loco conſilium ſenatus habere non poterat; unde templum Veſtae non fuit augurio conſecratum, ne illuc conveniret ſenatus, ubi erant virgines; nam haec fuerat regia Numae Pompilii: ad Atrium autem Veſtae conveniebat, quod fuerat a templo remotum.

157. FOSSA. Sulco: & ſunt iſta reciproca: nam & *ſulcum* ponit pro foſſa, ut: *Auſim vel tenui vitem committere ſulco*, id eſt, foſſa.

158. MOLITURQUE LOCUM. Praeparat; alias fabricat, ut: *Et Phrygiae molimur montibus Idae.* PRIMASQUE IN LITTORE SEDES. Ideo *primas*, quia imperium Lavinium translaturus eſt. Et ſciendum, civitatem, quam primo fecit Aeneas, Trojam *dictam*, ſecundum Catonem & Livium: quod ipſe dicit: *Nec te Troja capit.*

159. CASTRORUM IN MOREM. Brevem ſcilicet. PINNIS ATQUE AGGERE CINGIT. Muro, in quo pinnae ſunt: & eſt Synecdoche. *Aggere* autem, foſſa.

PIERII.

144. DEDITUR HIC SUBITO TROJANA PER AGMINA RUMOR. In antiquis *diditur*, quo ſaepe utitur Lucretius pro ſpargitur, diffunditurve.

145. QUO DEBITA MOENIA CONDANT. In antiquis aliquot codicibus, *condent*, habetur, futuro tempore modi finitivi; ſed *condant*, eodem tempore modi optativi elegantius eſt, & vocale magis.

148. POSTERA CUM PRIMA. Vetera aliquot exemplaria *primo* legunt, adverbialiter; ſed *prima lampade*, multo magis placet.

160 Jamque iter emensi, turres ac tecta Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primaevo flore juventus,
Exercentur equis, domitantque in pulvere currus:
Aut acris tendunt arcus, aut lenta lacertis
165 Spicula contorquent, cursuque ictuque lacessunt.
Cum praevectus equo longaevi regis ad auris
Nuntius ingentis ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat, & solio medius consedit avito.
170 Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis,
Ur-

SERVII.

160. JAMQUE ITER EMENSI, TURRES AC TECTA LATINORUM. Hypermetrus versus.

161. MUROQUE SUBIBANT. Alibi per accusativum, ut: *Aeneae subiit mucronem, ipsumque morantem sustinuit*. Et hoc secundum naturam est; nam, *it sub mucronem*, dicimus: nam per dativum figuratum est.

162. PUERI ET PRIMAEVO FLORE JUVENTUS. Bene Romanae militiae exprimit morem; nam post pubertatem armis exercebantur: & sexto decimo anno militabant. Quo etiam solo sub custodibus agebant. Nec est contrarium, *Longa populos in pace regebat*: nam licet in pace esset, exercitium tamen vigebat armorum.

163. DOMITANTQUE IN PULVERE CURRUS. Equos sub curribus.

164. ACRES ARCUS. Forte: & est κατάχρησις: nam acrimonia, mentis; non autem inanimatarum rerum, ut *arcuum*. LENTA. Mollia. ICTU. Jaculatione.

167. INGENTES. Ex stupore nuntii laus ostenditur Trojanorum. Et bene novitatis ostendit opinionem: ingentes enim esse, quos primum vidimus, opinamur. REPORTAT. Aut RE vacat: aut RE pro AD posuit, ut sit adportat.

168. INTRA TECTA VOCARI. Dissentit hoc loco a Romana consuetudine; nam legati si quando incogniti venire nuntiarentur, primo quid vellent, ab exploratoribus requirebatur: post ad eos egrediebantur magistratus minores: & tunc demum senatus extra Urbem postulata noscebat, & ita, si visum fuisset, admittebantur. Sed hoc prudenter fecit: Latinum namque memorem vult esse responsi, & avidum satis ad externos videndos: per quos promittebatur felicitas.

169. SOLIO MEDIUS CONSEDIT. Ut supra diximus, *solium*, est veluti armarium de uno ligno ad regum tutelam; secundum alios, a *soliditate* dictum; secundum Asprum per Antistoechon, quod *solum unum* capit: quasi *sedium*, a *sedendo*: nam & *sella*, quasi *sedda* dicta est.

170. TECTUM AUGUSTUM, INGENS. Domum, quam in Palatio diximus ab Augusto factam, per transitum laudat: & quasi in Laurolavinio fuisse commemorat.

PIERII.

160. TURRES AC TECTA LATINORUM. In codicibus nonnullis admodum vetustis, *turris ac tecta Latini* legitur. Servius *Latinorum*, hypermetrum agnoscit: quod etiam in Mediceo codice habetur. In plerisque aliis aliena id manu scriptum, priore abrasa lectione. In Porcio *orum* ultimae duae syllabae derasae sunt; sed fuit haec eorum imperitia, qui figurarum id genus in carmine non intelligebant. Porro Asper Grammaticus, ita *Latinorum* Virgilianum putat, ut versu etiam in suos pedes dividendo, neque syllabam, neque litteram ullam deerrare permittat. Exemplaque insuper alia oggerit, quibus Virgilium Hypermetro libenter usum ostendat: est etiam in aliquot antiquis, *turris & tecta*, pro, *ac tecta*: quod in aliorum sit arbitrio.

161. MUROQUE SUBIBANT. In Romano codice, *muros*, per accusativum est: quod secundum naturam esse ait Servius; *muro* vero, per dativum, figuratum.

166. CUM PROVECTUS EQUO LONGAEVI REGIS AD AURES. In codicibus omnibus antiquis, quotquot habuit, uno exemplo legitur, *praevectus*: quod magis ostendit anticipationem.

Est

Urbe fuit ſumma, Laurentis regia Pici,
Horrendum ſilvis & relligione parentum.
Hic ſceptra accipere, & primos attollere faſcis
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
175 Hae ſacris ſedes epulis: hic ariete caeſo
Perpetuis ſoliti patres conſidere menſis.
Quin etiam veterum effigies ex ordine avorum
Antiqua e cedro; Italuſque, paterque Sabinus,
Vitiſator, curvam ſervans ſub imagine falcem,
180 Saturnuſque ſenex, Janique biſrontis imago,

Ve-

SERVII.

172. HORRENDUM. Venerandum; non quod horrori ſit.

173. HINC SCEPTRA ACCIPERE. Hoc in Palatio fiebat.

174. CURIA TEMPLUM. Quia, ut diximus ſupra, *curia* non erat niſi in augurato loco.

175. ARIETE CAESO. Hoc ſacrificium in janua Palatii fiebat feſtis diebus.

176. PERPETUIS MENSIS. Longis, ad ordinem exaequatis ſedentium: majores enim noſtri ſedentes epulabantur: quem morem habuerunt a Laconibus & Cretenſibus, ut Varro docet in libris de Geute populi Romani: in quibus dicit quid a quaque traxerint gente per imitationem.

177. EX ORDINE. Prout ſibi ſucceſſerant. Sane intelligendum eſt, ita ut nati fuerant, ſic eorum imagines fuiſſe compoſitas.

178. EX CEDRO. Quod lignnm non facile conſumitur vetuſtate. Hoc genus ligni tineam neſcit: corruptionemque ex antiquitate non ſentit: unde eſt *cedria*, quae chartam reſervat. Hinc eſt illud: *Et cedro digna locuti*. Aut *Cedria peruncta*, quoniam ligna cuſtodit ac conſervat.

179. VITISATOR. Non inventor vitis; ſed qui genus vitis demonſtravit Italis populis. SUA IMAGINE FALCEM. Aut ſtatuae exprimit geſtum, ut dicat: Ita tenebat falcem, ut eam ſub vultu haberet: aut *ſub imagine*, ſub theca dicit, quae falcis ſimilis eſt. Quare *ſub imagine falcem?* cum imagine enim pictus eſt Saturnus. Solvitur: aut *ſub* pro *in* poſuit: aut ipſius quoque falcis non veritas, ſed imago, vagina quaedam falcis putatur.

180. SATURNUSQUE SENEX. Antiqui reges nomina ſibi plerumque vendicabaut deorum. Ergo *Saturnus*, rex fuit Italiae: nam & ſupra ait: *Veterum effigies ex ordine avorum*. Et infert: *Aliique ab origine reges*. Hinc eſt, quod apud Cretam eſſe dicitur Jovis ſepulchrum. Gabalus etiam, Romanus imperator, Solem ſe dici voluit: nam *Heliogabalus* dictus eſt.

PIERII.

Eſt & ubi loco particulae *quum*, ſcriptum ſit *tum*; ſed hoc ob ſimilitudinem litterarum c & T, quae eadem pene forma ſunt in notis Longobardicis, ut alibi dictum.

171. URBE FUIT MEDIA. Veteres codices nonnulli una cum Mediceo, *ſumma*, nonnulli *media*, legunt. Utrumque placet: ſi *ſumma*, propter arcem, quae ſolita eſt editiori loco poni: ſi *media*, quia domus regia in medio eſſe debet, ut de angue in orbem voluto cum domo in medio ſita, quod imperatorem ſignificet, in commentis Aegyptiorum habetur.

173. HINC SCEPTRA ACCIPERE. In antiquis pleriſque codicibus, *hic ſceptra adcipere*, hoc eſt, in loco conſiſtentibus. Quanquam placet & *hinc*, de loco adverbium, veluti etiam omen erat, coronas laureas Caeſaribus triumphaturis ex eo carpere laureto, quod in Vejentano Livia poſt Auguſti ſtatim nuptias pangi juſſerat: de quo plura Suetonius. Neque vero illud diſſimulabo, eſſe codices veteres, qui *ſceptrum*, unitatis numero legant: quod aliorum arbitrio relinquimus.

175. HAE SACRIS SEDES EPULIS. In Romano codice, *haec*, unitatis numero legitur: ut ſit, *haec ſedes*. In reliquis plurale eſt. In Mediceo, *ſacrae ſedes*; ſed melius *ſacris*, ut in Porcio.

178. ANTIQUA EX CEDRO. In veteribus codicibus, quos legerim, vel *antiqua e cedro*, abſque x littera, quod omnino ſuavius videtur: vel abſque ulla praepoſitione *antiqua cedro*, ut in Mediceo habetur.

Vestibulo adstabant: aliique ab origine reges,
Martia qui ob patriam pugnando volnera passi.
Multaque praeterea sacris in postibus arma,
Captivi pendent currus, curvaeque secures,
185 Et cristae capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clipeique, ereptaque rostra carinis.
Ipse Quirinali lituo parvaque sedebat
Succinctus trabea, laevaque ancile gerebat
Picus, equum domitor: quem capta cupidine conjunx
190 Aurea percussum virga, versumque venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divom patriaque Latinus
Sede sedens Teucros ad sese in tecta vocavit:
Atque haec ingressis placido prior edidit ore:

Di-

SERVII.

181. AB ORIGINE REGES. Pro, Aboriginum reges; sed est metro prohibitus.

182. PUGNANDO VULNERA PASSI. Quasi reges.

183. SACRIS IN POSTIBUS. Ubi spolia consecrabantur.

184. CAPTIVI. Pro, captivorum: nota figura est.

185. CRISTAE. Galeae: a parte totum posuit.

186. EREPTAQUE ROSTRA CARINIS. Bene de omni genere praeliorum spolia illic demonstrat fuisse.

187. QUIRINALI LITUO. *Lituus*, est incurvum augurum baculum, quo utebantur ad designanda caeli spatia: nam manu non licebat. *Quirinalem* autem, ex persona sua dixit, qualem postea Quirinus habuit: nam tunc adhuc non fuerat Romulus. Vel *lituum*, dicit regium baculum, in quo potestas esset dirimendarum litium.

188. SUCCINCTUS TRABEA. Toga est augurum, de cocco & purpura. ANCILE. Scutum breve. Regnante Numa caelo hujusmodi scutum lapsum est: & data responsa sunt, illic fore summam imperii, ubi illud esset. Quod ne aliquando posset auferri, aut ab hoste cognosci, per Mammurium fabrum multa similia fecerunt: cui & diem consecrarunt, quo pellem virgis feriunt ad artis similitudinem. Dicimus autem *hoc ancile*, & *haec ancilia*. *Anciliorum* vero usurpavit Horatius: *Anciliorum, & nominis, & togae oblitus*. Septem fuerunt paria, quae imperium Romanum tenerent: acus Matris deum; quadriga fictilis Vejorum; cineres Orestis; sceptrum Priami; velum Ilionae; Palladium; ancilia.

190 AUREA CONJUX. Sic conjungendum: nam aliter non stat versus. Et *aurea* per Ironiam dixit. *Conjux* vero, non quae erat; sed quae esse cupiebat, ut: *Quos ego sim totiens jam dedignata maritos*. Fabula talis est: Ficum amavit Pomona, dea pomorum, & ejus volentis est sortita conjugium. Postea Circe, cum eum amaret, & sperneretur, irata eum in avem, picum Martium, convertit: nam altera est pica. Hoc autem ideo fingitur, quia augur fuit: & domi habuit picum, per quem futura noscebat: quod & Pontificales indicant libri. Bene autem huic supra *lituum* dedit: quod est augurum proprium: nam *ancile* & *trabea* communia sunt cum Diali, vel Martiali, sacerdotibus.

194. PLACIDO PRIOR EDIDIT ORE. Bene *placido*: legatorum enim fuerat, ut ipsi ante loquerentur. Sic in secundo: *Ultro flens ipse videbar*.

PIERII.

182. MARTIA QUI OB PATRIAM PUGNANDO VULNERA PASSI. In Romano codice, *Martiaque*, legitur, per particulam copulativam, ut cum regibus eos etiam pari propemodum honore decoratos indicet, qui pro patria pugnando vulnera passi fuerint; sed longe omnino magnificentius, id ornamenti regibus ipsis addere.

192. TALI INTUS TEMPLO DIVUM PATRIAQUE LATINUS. In antiquis nonnullis exemplaribus legere est, *Tali intus temploque deum patriaque;*

195 Dicite Dardanidae, (neque enim nescimus & urbem,
Et genus, auditique advertitis aequore cursum)
Quid petitis? quae caussa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada caerula vexit?
Sive errore viae, seu tempestatibus acti,
200 (Qualia multa mari nautae patiuntur in alto)
Fluminis intrastis ripas, portuque sedetis;
Ne fugite hospitium, neve ignorate Latinos,
Saturni gentem, haud vinclo nec legibus aequam,
Sponte sua veterisque dei se more tenentem.
205 Atque equidem memini (fama est obscurior annis)
Auruncos ita ferre senes, his ortus ut agris
Dardanus Idaeas Phrygiae penetrarit ad urbis,

Threï-

SERVII.

195. DICITE DARDANIDAE. Aut ex veste eos Trojanos esse cognoscit, quae erat propria gentium singularum: aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus famam, quae eos venire praenuntiaverat, eandem etiam Trojanos esse dixisse: unde infert: AUDITIQUE ADVERTITIS AEQUORE CURSUS. *Dardanidae* autem, ac si diceret, cognati.

198. VADA CAERULA. *Caeruleum*, est viride cum nigro, ut est mare.

199. ERRORE VIAE, SEU TEMPESTATIBUS ACTI. Duo quaerit: Si voluntate venistis, quid petitis? Si necessitate, tempestas vos, an error advexit?

200. QUALIA MULTA. Ad duo respexit, errorem, & necessitatem.

201. PORTUQUE SEDETIS. Ante enim pro portu erat illic exitus fluminis.

202. NE FUGITE. Ne fugiatis. NEVE IGNORATE. Ne ignoretis.

203. SATURNI GENTEM. Laus generis.

204. SPONTE SUA, VETERISQUE DEI SE MORE TENENTEM. Xenocratis est, qui, cum primus Philosophiae scholam aperuisset (quod antea in porticibus de Philosophia tractaretur) & interrogatus esset: quid praestare posset discipulis, respondit: *Ut id voluntate faciant, quod alii jure coguntur*. VETERIS. Antiqui: ac si diceret, aurei seculi imagine vivimus.

205. FAMA EST OBSCURIOR ANNIS. Ac si diceret, nisi esset, jam vos sciretis.

206. AURUNCOS ITA FERRE SENES. Apud veteres Historiae hoc genus fuit, ut majores natu anteacta posteris indicarent: quod hic indicat locus. Lucanus apertius, cum esset de Antaeo narraturus, ait: *Cognita per multos docuit rudis incola patres*. Quia adhuc nec Annales erant, nec Historiae. *Aurunci* vero, Italiae populi antiquissimi fuerunt. *Ferre* autem, quasi cum ostentatione jactare.

207. DARDANUS. Juppiter cum Electra, Atlantis filia, Corithi regis Italiae uxore, concubuit. Sed ex Jovis semine natus est Dardanus; ex Corithi Iasius. Dardanus profectus ad Phrygiam, Ilium condidit: Iasius vero Thraciam tenuit, ubi est Samos: quam hic Samothraciam nominavit: nam Junonis alia est Samos insula. Quanquam civitas Thraciae, quae est Cephalenia, Same dicatur: unde postea, cum responsum esset: *Antiquam exquirite matrem*: & Aeneas Italiam peteret, profectus ad Thraciam, Samothracas deos sustulit, & pertulit secum propter originem matris, quod superius plenius dictum est. IDAEAS PHRYGIAE PENETRAVIT AD URBES. Quia erant & Cretae, addidit *Phrygiae*, ad discretionem.

PIERII.

que; sed illud, *templo divom*, in pluribus habetur, aut *Tali intus divum templo*, ut in Mediceo est.

200. QUALIA MULTA MARI NAUTAE PATIUNTUR IN ALTO. Veteres aliquot codices, *qualia saepe mari* legunt; sed *multa*, interpretes agnoscunt.

204. VETERISQUE DEI SE MORE TENENTEM. Sunt veteres codices, in quibus *ferentem*, pro *tenentem*, scriptum invenias; sed quum superiore versu facta sit mentio vinculi & legum, *tenentem*, magis placet.

206. AURUNCOS ITA FERRE SENES. Quanquam non sum nescius, quod subjiciam, risu a multis exci-

Threïciamque Samum, quae nunc Samothracia fertur.
Hinc illum Corythi Tyrrhena ab sede profectum
210 Aurea nunc solio stellantis regia caeli
Accipit; & numero divorum altaribus addit.
Dixerat. Et dicta Ilioneus sic voce secutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hiems vestris succedere terris,
215 Nec sidus regione viae litusve fefellit.
Consilio hanc omnes animisque volentibus urbem
Adferimur pulsi regnis, quae maxima quondam
Extremo veniens Sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis: Jove Dardana pubes
220 Gaudet avo. Rex ipse Jovis de gente suprema
Troïus Aeneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idaeos saevis effusa Mycenis
Tempestas ierit campos; quibus actus uterque
Europae atque Asiae fatis concurrerit orbis;
225 Audiit, & si quem tellus extrema refuso

Sum-

SERVII.

209. CORYTHI. Oppidum & mons, dicta a rege Corytho, ut putatur a quibusdam, patre Dardani, ibi sepulto. ADDIT. Auget, adjectione scilicet nominis sui.

212. VOCE SECUTUS. Plerumque enim consentimus & taciti.

213. REX. Conciliatio ab honore; deinde a genere.

214. SUCCEDERE TERRIS. Ut: *Succedoque oneri*.

215. NEC SYDUS. Aspectus syderum: nam tempestatem supra dixit: nec est bis idem positum.

217. URBEM ADFERIMUR. Ad urbem ferimur.

218. EXTREMO VENIENS. Id est, primo: nam alias *rediens* diceret, non *veniens*.

220. DARDANA PUBES GAUDET AVO. Generis origine: nam avus non est Trojanorum Jupiter; sed Aeneae solius, per Venerem.

222. QUANTA PER IDAEOS. Ad illud respondit: *Audiitique advertitis aequore cursum*: id est, non mirum est haec te audisse, quae universus orbis apnovit.

223. TEMPESTAS. Vis bellorum. ACTUS. Conlisus. FATIS. Per transitum: & excusat Trojanos, & Graecorum laudem minuit.

225. TELLUS EXTREMA. Ut est Britanniae, & omnium insularum Oceani. REFUSO autem refluo, ut Lucanus indicat: *Quaque jacet littus dubium, quod terra fretumque Vendicat alternis vicibus, quum funditur ingens Oceanus, vel quum refugis se fluctibus aufert*. Et est Homeri: Αὐτὰρ ἐπεὶ ποταμοῖο λίπεν ῥόον Ὠκεανοῖο Νηῦς, ἀπὸ δ' ἵκετο κῦμα θαλάσσης εὐρυπόροιο.

PIERII.

cipiendum esse, dicam tamen in codicibus aliquot antiquis, *Auricomos*, positum ab iis, qui forte quid sibi vellet *Aruncos*, minus intelligebant.

207. IDAEAS PHRYGIAE PENETRAVIT. In Romano codice, & quibusdam aliis, *penetrarit*, legitur: quod melius quadrat, ut penetrarit.

221. ACCIPIT ET NUMERUM DIVORUM ALTARIBUS AUGET. In nonnullis antiquis codicibus, *addit*, legitur, ut alibi: *Decus addite Divis*: sed enim melius *auget*, dicendo numerum.

214. VESTRIS SUCCEDERE TERRIS. Sunt & qui *tectis*, legant. Codices tamen emendatiores, *terris*, plurimum habent.

2r4. CONCURRERIT ORBIS. In Rom. codice,

con-

Summovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
Diluvio ex illo tot vasta per aequora vecti
DIs sedem exiguam patriis litusque rogamus
230 Innocuum, & cunctis undamque auramque patentem.
Non erimus regno indecores: nec vestra feretur
Fama levis, tantive abolescet gratia facti:
Nec Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Aeneae juro, dextramque potentem,
235 Sive fide, seu quis bello est expertus & armis;
Multi nos populi, multae (ne temne, quod ultro
Praeferimus manibus vittas ac verba precantia)

Et

SERVII.

226. ET SI QUEM EXTENTA PLAGARUM QUATUOR. Audierunt etiam illi, qui separantur Zona ea, quae est in medio quatuor, id est, fervens. Significat autem Antipodas.

227. INIQUI. Intemperati, vel ardentis.

228. DILUVIO EX ILLO. Ex illa vastitate. Alii distinguunt, & mutant sensum, ut sit: Quos dirimit plaga Solis ardentis, ex quo mundus est constitutus: hoc est, ex quo chaos esse desiit. TOT. Pro, multa.

229. DIIS SEDEM EXIGUAM PATRIIS. Pia & verecunda petitio. LITTUSQUE ROGAMUS INNOCUUM. Non quod nulli noceat; sed quod vindicatum nulli possit nocere. Aliter *serpentes innocuos* dicimus.

230. CUNCTIS UNDAMQUE AURAMQUE PATENTEM. Ista enim communia sunt.

231. INDECORES. *Decus decoris*, *pecus pecoris*, *nemus nemoris*, *o* in genitivo correptum est: omnia enim in *us* exeuntia neutra, in genitivo singulari penultimam corripiunt, excepto *pelagus*, quod Graecum est; unde & *ulceris* dicitur secundum regulam; licet de hoc nomine aliud auctoritati placuerit. *Decor* vero *decoris* facit penultimam in genitivo productam: omnia enim in *or* exeuntia in genitivo producuntur, exceptis 5. *arbor*, *marmor*, *memor*, *immemor*, *aequor*; unde quaeritur, *indecores*, a quo sit nominativo; ab eo, quod est *indecus*, non potest venire: quia lectum non est, & quia *decus* neutrum regit genus, non masculinum: restat, ut dicatur ab eo, quod est *indecor*, venite *indecores*: nam & lectum est; sed *decor decoris* facit, producta penultima, quam Virgilius corripuit. Ergo aut Systole est; aut certe dicendum hujus nominis nominativum non inveniri, sicut in multis nominibus fit, quod & melius est: nam Systole sine exemplo fieri non debet. Verecunde autem hoc dicit, sua conjunctione etiam ornari Italos.

232. ABOLESCET. Abolebitur: & usus est inchoativa forma, cum opus non esset.

233. TROJAM. Id est, Trojanos.

234. FATA PER AENEAE JURO. Quem jam novit Latinus, oraculo scilicet Fauni, per quod audivit: *Externi veniunt generi*.

235. SIVE FIDE, SEU QUIS BELLO EST EXPERTUS, ET ARMIS. In his enim dextera comprobatur, fide & virtute.

237. VITTAS. Quae religabantur ad ramum. Alibi: *Et vitta comptos voluit praetendere ramos*.

PIERII.

concurreret, habetur: sive familiari vitio *i* mutarit in *e*: sive, vel tunc auditum dicat, quum res gereretur. Utcumque autem, magis placet *concurrerit*, perfecto praeterito.

225. AUDIIT ET SI QUEM TELLUS EXTREMA REFUSO SUBMOVET OCEANO. Praeteribo, *audit*, unico *i*, quod pro duplici oblongiore nota scribi solitum est. In Romano codice, *siquam*, legitur foeminino genere, ubi intelligendum esset terram, aut plagam; sed enim virili genere melius.

235. SIVE FIDE SEU QUIS BELLO EST EXPERTUS ET ARMIS. In Mediceo absque verbo *est*, legitur, *Sive fide sive quis bello expertus & armis*. In qua lectione Pentimemeris ratione caesurae produceretur.

237. VITTAS AC VERBA PRECANTUM. In codic. plerisque veteribus legere est, vel &, vel *ac verba precantia*, hypermetro versu. In aliquot

vero

Et petiere sibi & voluere adjungere gentes.
Sed nos fata deum vestras exquirere terras
240 Imperiis egere suis. Hinc Dardanus ortus
Huc repetit, jussisque ingentibus urguet Apollo
Tyrrhenum ad Thybrim, & fontis vada sacra Numici.
Dat tibi praeterea Fortunae parva prioris
Munera, reliquias Troja ex ardente receptas.
245 Hoc pater Anchises auro libabat ad aras:
Hoc Priami gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populis; sceptrumque, sacerque tiaras,
Iliadumque labor vestes.
Talibus Ilionei dictis defixa Latinus
250 Obtutu tenet ora, soloque inmobilis haeret,
Intentos volvens oculos. Nec purpura regem
Picta movet, nec sceptra movent Priameïa tantum,
Quantum in connubio natae thalamoque moratur:

Et

SERVII.

241. HUC REPETIT. Scilicet Dardanus, id est, Aeneas, qui & Dardanus, ut diximus supra, vocabatur. Et bene *repetis*, non *petis*, quasi sua. INGENTIBUS. Deliis, quae magna constat fuisse.

243. FORTUNAE PARVA PRIORIS. Bene medium tenuit: nam ne laudare videretur, ait *parva*, ne deformaret, (nam durum est aliquid ab infelicibus accipere) ait: *Fortunae prioris*.

245. HOC PATER ANCHISES AURO LIBABAT AD ARAS. Pateram significat.

246. HOC PRIAMI GESTAMEN ERAT. Diadema dicit: nam sceptrum dicturus est.

247. SACERQUE TIARAS. Pileum Phrygium dicit. Et sciendum, *hic tiaras* per usurpationem dictum: nam *haec tiara* dicitur. Melius ergo Juvenalis: *Et Phrygia vestitur bucca tiara*.

250. OBTUTU TENET ORA. Ordo est: Latinus defixa tenet ora: & *obtutu*, id est, intuitu solo haeret immobilis.

251. INTENTOS VOLVENS OCULOS. Cogitantis est gestus; sic de Boccho Maurorum rege, Sallustius: *Vultu & oculis pariter atque animo variis*.

252. REGEM PICTA MOVET. Quippe regem: & hoc est, labor Iliadum.

PIERII.

vero aliis satis inemendate: *Proferimus manibus vittasque precantia verba:* nam quum precantia omnino legerent, neque hypermetrum agnoscerent, ita carmen interturbare sunt adgressi. Quoniam vero non temere credendum tot in codicibus, *precantia*, scriptum esse, eam ego lectionem minime rejecerim. Sane vero in colloquiis de pace, *precari verba* dicuntur: ut illud apud Livium libro decimo de secundo bel. Pun. *Itaque infecta pace, ex colloquiis quum se ad suos recepissent, frustra verba precata renunciant, armis decernendum esse*. *Precata* enim in veteri codice habetur, quod in vulgatis, *pacata*, substitutum est.

240. IMPERIIS EGERE SUIS. In codic. aliquot antiquis, *cogere* legitur: quod forte *coegere* fuit κατὰ συνίζησιν, ut illud: *Trojaeve opulentia deerit: &, Vir gregis ipse Caper deerraverat*. Utcumque vero, *imperiis egere*, castior mihi lectio videtur. HINC DARDANUS ORTUS HUNC REPETIT, JUSSISQUE INGENTIBUS URGET APOLLO TYRRHENUM AD TYBRIN, ET FONTIS VADA SACRA NUMICI. Quia plerique sunt, qui vel nevos ex Romano praesertim codice requirunt, subjicienda ex eo lectio est, quae mihi minime probatur: *Hinc Dardanus ortus, Hunc repetit, jussisque ingentibus urguet Apollo Tyrrhenum & Tybrin & fontis vada sacra Numici*.

Et veteris Fauni volvit ſub pectore ſortem.
255 Hunc illum fatis externa ab ſede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auſpiciis: huic progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quae viribus occupet orbem.
Tandem laetus ait: DI noſtra incepta ſecundent,
260 Auguriumque ſuum. Dabitur, Trojane, quod optas.
Munera nec ſperno. Non vobis rege Latino
Divitis uber agri Trojaeve opulentia deerit.
Ipſe modo Aeneas (noſtri ſi tanta cupido eſt,
Si jungi hoſpitio properat, ſociusve vocari)
265 Adveniat; voltus neve exhorreſcat amicos.
Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Eſt mihi nata, viro gentis quam jungere noſtrae,

Non

SERVII.

256. PORTENDI. Porro tendi, praedici, ſignificari.

257. PARIBUS AUSPICIIS. Pari poteſtate: & tractum eſt ex comitiis, ut diximus in quarto.

259. DII NOSTRA INCEPTA SECUNDENT. Antiquo more locuturus de publicis rebus, id eſt, pace, & nuptiis filiae, facit ante deorum commemorationem, ſicut etiam in Catonis orationibus legimus. Hinc eſt in Divinatione Ciceronis: *Si quid ex aliqua vetere oratione eſt, Jovem ego optimum & maximum*. Ipſe etiam Virgilius alibi: *Praefatus divos ſolio rex infit ab alto*.

260. AUGURIUM. Propter ea, quae dicta ſunt ſupra. QUOD OPTAS. Id eſt, pax.

261. NEC SPERNO. Quia dixerat: *Fortunae parva prioris Munera*. Et eſt Litotes, id eſt, libenter accipio.

262. UBER AGRI. Ubertas. Alibi: *Pecorique & vitibus almis Aptius uber erit*. Et eſt major petitione promiſſio: nam illi tantum littus petierant.

266. PACIS ERIT. Foederis: ab eo, quod ſequitur, id quod praecedit. TYRANNI. Graece dixit, id eſt, regis; nam apud eos *tyranni* & *regis* nulla diſcretio eſt; licet apud nos incubator imperii, *tyrannus* dicatur. Sane apud Graecos *hic* & *haec tyrannos* declinatur.

268. EST MIHI NATA. Male multi arguunt Virgilium, quod Latinum induxit ultro filiam pollicentem: nec oraculum conſiderantes, quia Italo dari non poterat; nec Aeneae meritum, quem decebat rogari: nam antiquis mos fuit meliores generos rogare. Sic Terentius: *Hac fama impulſus Chremes, ultro ad me venit, unicam gnatam ſuam cum dote ſumma filio uxorem ut daret*. Heſiodus etiam Περὶ γυναικῶν, inducit multas Heroidas optaſſe nuptias virorum fortium.

PIERII.

254. FAUNI VOLVIT SUB PECTORE SORTEM. In codicibus aliquot antiquis, *volvens* legitur: quod uſque ad verbum *ait* protraheretur, id vero mihi ſatis nequaquam facit.

255. EXTERNA A SEDE PROFECTUM. In antiquis omnibus codicibus *ab ſede*. Et in aliquot, *provectum*; ſed ſyllaba repugnante, prima enim in *provehor* longa eſt: *Provehimur pelago*.

257. HINC PROGENIEM VIRTUTE FUTURAM EGREGIAM. In Oblongo codice Vaticanae bibliothecae, & in Mediceo, *hinc*, adverbium; ſcriptum obſervavi: in reliquis omnibus *huic*: quod apte quadrare videtur: *Hunc portendi generum Huic futuram progeniem virtute egregiam*; ſed neque inconcinnum eſt *hinc* legere.

264. SOCIUSQUE VOCARI. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis, *ſociusve*, legitur: quod magis placet.

Non patrio ex adyto sortes, non plurima caelo
270 Monstra sinunt: generos externis adfore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant. Hunc illum poscere fata
Et reor, & (si quid veri mens augurat) opto.
Haec effatus, equos numero pater eligit omni.
275 Stabant ter centum nitidi in praesepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos ostro alipedes pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent:
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus aurum.
280 Absenti Aeneae currum geminosque jugalis,
Semine ab aetherio, spirantis naribus ignem,
Illorum de gente, patri quos daedala Circe
Subposita de matre nothos furata creavit.

Ta-

SERVII.

269. SORTES. Modo abusive pro oraculis posuit: nam non proprie dicuntur *sortes*. Hic autem a Fauno oraculum, non *sortes* acceperat. PLURIMA CAELO MONSTRA SINUNT. Aut per augmentum dixit: aut & alia visa intelligamus: nam duo, non sunt plurima.

271. HOC LATIO RESTARE CANUNT. Hoc Italiam manere significant: nam sic dicimus, hoc *mihi restat*, id est, *manet me illa res*.

273. MENS AUGURAT. *Auguro* dicimus secundum Plinium, cum praesagio mentis futura colligimus; *auguror* vero tunc, cum futura veris captamus auguriis.

274. NUMERO OMNI. Utrum equorum numero, an legatorum? Sed si de equis trecentis dixit, perite locutus est: nam in legione non nisi trecenti equites erant, quae tamen legio habebat sex millia virorum. Per quod ostendit, unam habuisse legionem Latinum. Item alio loco: *Tercentum scutati omnes Volscente magistro*.

275. IN PRAESEPIBUS ALTIS. Multa non propter se, sed propter aliud dicuntur: nam per *praesepia alta*, equorum magnitudo monstratur. Homerus, τανύπεπλον Ἑλένη, id est, longas vestes habens.

276. ORDINE. Pro meritis singulorum.

277. TAPETIS. Tertio declinatur hoc nomen, *tapetum tapeti*, ut *templum templi*; unde est, *pictis tapetis*, hoc loco. Item, *hoc tapete*, *hujus tapetis*, ut *sedile*, *sedilis*, unde est: *Qui forte tapetibus altis Exstructus*. Declinatur & Graece ὁ τάπης, τοῦ τάπητος: unde est: *Pulchrosque tapetas*, τοὺς τάπητας.

278. DEMISSA MONILIA PENDENT. Suspendenda pronuntiatio est, & ambitus major est: nam *monilia* non nisi hominum dicimus, quae nunc ad laudem pro phaleris posuit.

282. PATRI QUOS DAEDALA CIRCE. Ingeniosa: & hoc fingit eam fecisse. Tractum autem est de Homero, qui tales equos habuisse inducit Anchisen: Τῆς γὰρ τοι γενεῆς, ἧς Τρωΐ περ εὐρύοπα Ζεὺς Δῶχ' υἷος ποινὴν Γανυμήδεος· οὕνεκ' ἄριστοι ἵπποι, ὅσσοι ἔασιν ὑπ' ἠῶ τ' ἠέλιόν τε. Et bene est compositum ad illud, quod supra ait: *Trojaeve opulentia deerit*: ut Trojanis nihil de prisca rerum copia abesse videretur. GENTEM autem de equis abusive dixit, quod est hominum proprium.

283. NOTHOS. Materno ignobiles genere. Est autem nomen hoc Graecum: nam Latine quemadmodum dicatur, non est.

PIERII.

277. INSTRATOS OSTRO ALIPEDES. Non placet, quod in plerisque legitur exemplaribus, *instructos*, quum *equos insterni* dicatur, & *stragula*, quae dorso insternuntur.

Talibus Aeneadae donis dictisque Latini
285 Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem Inachiis sese referebat ab Argis
Saeva Jovis conjunx, aurasque invecta tenebat:
Et laetum Aenean, classemque ex aethere longo
Dardaniam Siculo prospexit ab usque Pachyno.
290 Moliri jam tecta videt, jam fidere terrae:
Deseruisse rates. Stetit acri fixa dolore.
Tum quassans caput, haec effundit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, & fatis contraria nostris
Fata Phrygum! num Sigeis occumbere campis,
295 Num capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam; at (credo) mea numina tandem
Fessa jacent, odiis aut exsaturata quievi.

Quin

SERVII.

284. DONIS DICTISQUE LATINI. Et equis, & pacis, nuptiarumque promissione.

286. INACHIIS SESE REFEREBAT AB ARGIS. Bene *Inachiis*: non enim una est Argos: fuit enim & in Italia, quam Diomedes condidit, quae primo *Argi*, post *Argyrippa*, post *Arpi* dicta est. Fuit & in Thessalia. Lucanus: *Ubi nobile quondam, Nunc super Argos erat*. Fuit & haud longe ab Athenis, quod a siti *Argos Dipsion* dictum est: apud quos magna erat societas inter eos, qui uno puteo utebantur: unde & *fratrias* dixerunt, ἀπὸ τ̃ φρέατος, quas *tribus* vocamus. Et notandum, quod, ubicumque bonus sequitur eventus Trojanos, Juno removetur: & congrue, quasi numen inimicum, quod praesens posset nocere.

287. AURASQUE INVECTA TENEBAT. Per elementum suum ibat.

289. ABUSQUE. *Abusque*, & *adusque*, usurpative dicimus: praepositio enim nec adverbio jungitur, nec praepositioni; *usque* autem, aut praepositio est, aut adverbium.

290. JAM FIDERE TERRAE. Per dativum jungendum, aliter non procedit, ut: *Fidere nocti*.

291. STETIT. Quod solet esse cogitantum.

293. FATIS. Voluntatibus.

295. CAPTI POTUERE CAPI? Cum felle dictum est: nam, si hoc removeas, erit oxymorum. Dicit autem, omnia, quae contigerunt, non videri contigisse: quia non obfuerunt. *Capti* autem *capi* sic dixit, ut Cicero: *Ut in uberrima Siciliae parte, Siciliam quaereremus*.

297. AT CREDO MEA NUMINA TANDEM. Nec fatigata destiti; nec satiata requievi.

PIERII.

290. JAM FIDERE TERRAE. Antiqui plerique codices, *fidere terrae*, legunt, ut eo significato *confidere* saepe dictum: quod enim proxime futurum videbatur, jam actu esse sibi proponit: ideoque etiam illud eodem modo dictum: *Moliri jam tecta videt*. Priscianus tamen, *fidere terrae*, agnoscit: perinde ac illud etiam: *Fidere nocti*.

298. ODIIS HAUD EXSATURATA QUIEVI. In Oblongo illo pervetusto Vaticanae bibliothecae codice, *exsatiata* legitur, praeter differentiam, quam Cornelius Fronto ponit, ut *satiatus ventris*, *saturatus animi* sit. Contra quem Fl. Sosipater ita: *Saturitas in cibo tantum dicitur. In caeteris vero, satietas*. Sed Virgilius: *Odiis haud exsaturata quievi*, dixit, superstitiosa nimirum utriusque observatione, quum & *saturo*, & *satio*, *saturitas*, & *satietas*, ad omnes sensus pertinere M. Tullii, Sallustii, Columellae, & aliorum auctorum testimoniis comprobetur, quae ideo non apposui, quod ea omnibus in promptu esse satis sciebam.

Quin etiam patria excuſſos infeſta per undas
300 Auſa ſequi, & profugis toto me opponere ponto.
Abſumtae in Teucros vires caelique mariſque.
Quid Syrtes, aut Scylla mihi, quid vaſta Charybdis
Profuit? optato conduntur Thybridis alveo,
Securi pelagi atque mei. Mars perdere gentem
305 Inmanem Lapithum valuit: conceſſit in iras
Ipſe deum antiquam genitor Calydona Dianae: (tem?
Quod ſcelus aut Lapithas tantum, aut Calydona meren-
Aſt ego magna Jovis conjunx nil linquere inauſum
Quae potui infelix, quae memet in omnia verti,
310 Vincor ab Aenea. Quod ſi mea numina non ſunt
Ma-

SERVII.

299. PATRIA EXCUSSOS. Satis ſignate locutus eſt.

300. ME OPPONERE PONTO. Plus eſt, quam ſi diceret tempeſtates. ME autem, per phyſiologiam imbres, tonitrua, tempeſtates.

302. AUT SCYLLA MIHI. Bene MIHI: ac ſi diceret: Etiam quae per ſuam naturam ſolent nocere, me rogante, minime obſuerunt.

303. CONDUNTUR TYBRIDIS ALVEO. *Condi* proprie dicuntur, qui ſibi ſtatuunt civitatem. *Conduntur* ergo, ſedem ſtabilem locant. Salluſtius: *Parte conditor orbis terrarum*. Et ſunt propria verba, quae nulla ratione mutantur: nam ut *ſacerdotes creari*, *virgines capi*, dicimus.

304. PELAGI. Propter illud: *Sed terrae graviora manent*. MARS PERDERE GENTEM. Bene belli & vaſtationis quaerit exempla in rebus hujuſmodi: ſicut in primo, naufragii. Pirithous, Lapitharum rex, cum uxorem duceret, vicinos populos Centauros, etiam ſibi cognatos, & deos omnes, excepto Marte, ad convivium convocavit: unde iratum numen immiſit furorem, quo Centauri & Lapithae in bella venerunt.

306. ANTIQUAM GENITOR CALYDONA DIANAE. Oeneus, Calydonis rex, de primitiis omnibus numinibus ſacrificavit, excepta Diana, quae irata aprum immiſit, qui cuncta vaſtabat, donec a Meleagro occideretur. CONCESSIT autem, ideo dixit, ut oſtenderet minora numina, niſi impetraverint, nocere non poſſe. Statius de Venere: *Infandum natae conceſſit honorem*.

307. QUOD SCELUS AUT LAPITHIS TANTUM, AUT CALYDONE MERENTE? Haec eſt vera lectio: ſic & ſenſus procedit, ut uterque ablativus ſit: nam ſi *Calydona* legas, vitium erit, nec ſenſus procedet. Scelus, autem, pro poena poſuit: ab eo, quod praecedit, id quod ſequitur, ut: *Et ſcelus expendiſſe merentem*.

309. QUAE POTUI INFELIX. Id eſt, nocens, irata, ut contra: *Sis felix*, id eſt, propitia: ut etiam diximus ſupra.

PIERII.

300. TOTO ME OPPONERE PONTO. In antiquis aliquot codicibus, *exponere*, habetur; quaſi ipſa quoque Juno ſeſe periculis objecerit; ſed *opponere*, quod in pluribus habetur, omnino melius, & conatum adverſus Trojanos ingentem oſtendit.

302. QUID VASTA CARYBDIS? Sunt quidem antiqui codices, in quibus, *dira Carybdis*, habeatur; ſed *vaſta*, longe decentius dictum, idque ex Synepeia Catulli: *Quae Syrtis, quae Scylla mihi, quae vaſta Carybdis?*

307. QUOD SCELUS AUT LAPITHIS TANTUM AUT CALYDONE MERENTE. Priſcianus, ubi non ſemper copulativas eoſdem caſus ſibi adjungere diſſerit, teſtimonium hinc citat. Ubi ſcriptum agnoſcat: *Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut Calydona merentem*. Utrumque tamen melius, accuſativo vel ablativo caſu quibuſdam in codicibus inveniri, ut ſit *conceſſit* verbum: cui ſubjiciatur per repetitionem: *Quod ſcelus, aut Lapithas tantum, aut Calydona merentem*: vel in modo conſequentiae (ut jam paſſim legitur) *Quod ſcelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente*.

Magna ſatis;dubitē haud equidē implorare quod uſquam
Flectere ſi nequeo Superos, Acheronta movebo. (eſt.
Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis,
Atque inmota manet fatis Lavinia conjunx.
315 At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos exſcindere regum.
Hac gener atque ſocer coēant mercede ſuorum.
Sanguine Trojano & Rutulo dotabere, virgo:
Et Bellona manet te pronuba. Nec face tantum
320 Ciſſeïs praegnans ignis enixa jugalis:
Quin idem Veneri partus ſuus, & Paris alter,
Funeſtaeque iterum recidiva in Pergama taedae.
Haec ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
Luctificam Alecto Dirarum ab ſede ſororum
325 Infernisque ciet tenebris: cui triſtia bella,
Iraeque, inſidiaeque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipſe pater Pluton, odere ſorores

Tar-

SERVII.

311. Implorare quod usquam est. Ac ſi diceret, etiam humilia. Quod autem Juno ubique alieno uti introducitur auxilio, phyſicum eſt: natura enim aeris per ſe nihil facit, niſi aliena conjunctione, ventorum ſcilicet, qui creant nubes & pluvias.

315. Atque moras tantis licet addere rebus. Oſtendit deos retardare poſſe fata; non penitus tollere, ut: *Decemque alios Priamum ſupereſſe per annos*. Quae autem dicit, etiam a Creuſa dicta ſunt, ut: *Regnumque & regia conjux Parta tibi*.

318. Sanguine Trojano, et Rutulo dotabere virgo. Ambitioſae execrationes.

319. Nec face tantum. Tantummodo.

320. Cisseis. Regina Hecuba ſecundum Euripidem filia *Ciſſei*, quem Ennius, Pacuvius, & Virgilius ſequuntur. Nam Homerus, loquens de Aſio, Hecubae fratre, *Dimantis* dicit: Α᾿υτὸς κασίγνητος Ε᾿κάβης, υἱὸς δὲ Δύμαντος, Ο῾ς φρυγίῃ ναίεσκε ῥοῇς ἔπι Σαγγαρίοιο. Ovidius etiam: *Proles enixa Dimantis*. Haec ſe facem parere in ſomniis vidit, & Parin creavit, qui cauſa fuit incendii. Ergo nunc hoc dicit: *Talis erit Veneri partus ſuus:* nam ſicut per Parin Troja injuria conſumpta eſt, ſic per Aeneam reliquiae Trojanorum. Comparatio autem injurioſa: nam Veneri Hecubam, Parin Aeneae, Helenam Laviniae comparavit. Jugales. Conjugales, matrimonio conceptos.

321. Idem. Talis, ſimilis.

322. Funestaeque iterum recidiva in Pergama tedae. Sic tedae recidivae, ut Pergama.

324. Luctificam Alecto. Graecus accuſativus eſt. Hujus autem declinationis tres tantum caſus uſurpamus, genitivum ut Α᾿λήκτοῦς, *Alectus*, nominativum, & accuſativum, ut Α᾿λήκτω, *Alecto*.

327. Odit et ipse pater Pluton. Venerationis eſt, *ipſe pater:* nam Furiae, Acherontis & Noctis filiae ſunt.

PIERII.

313. Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis. In Mediceo codice ita legitur: *Non dabitur, eſto, regnis prohibere Latinis:* forte mutatum ab iis, qui Tritimemerim brevem aufugiebant.

316. At licet amborum populos exscindere regum. In Mediceo codice, *excidere*, ſed *exſcindere*, plus eſt.

Tartareae monſtrum: tot ſeſe vertit in ora,
Tam ſaevae facies, tot pullulat atra colubris.
330 Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, virgo ſata Nocte, laborem,
Hanc operam, ne noſter honos, infractave cedat
Fama loco: neu connubiis ambire Latinum
Aeneadae poſſint, Italoſve obſidere finis.
335 Tu poter unanimos armare in proelia fratres,
Atque odiis verſare domos: tu verbera tectis
Funereaſque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes. Fecundum concute pectus,
Disjice compoſitam pacem, ſere crimina belli:
340 Arma velit, poſcatque ſimul, rapiatque juventus.

SERVII.

330. HIS ACUIT VERBIS. Inritavit, & inſtigavit ejus inſaniam.

331. PROPRIUM. Aut tibi aptum: aut certe perpetuum, indefeſſum, uſque ad finem perducendum. Et ſciendum, ideo Furiae nihil pro praemio dari: quia praeſtatur hoc ipſum Furiae, ut bella commoveat: & ut dicatur defendiſſe Junonem.

332. INFRACTA. Aut valde fracta: aut quae fuit antehac ſemper infracta, ut; *Turnus ut infractos adverſo Marte Latinos*.

333. CEDAT FAMA LOCO. Vincatur. Cicero: *Loco ille motus eſt, cum eſt ex urbe depulſus*. AMBIRE LATINUM. Amplecti, circum retinere: & dictum eſt non ab *ambitu*: nam *ambio ad illum* dicimus, non *ambio illum*.

335. TU POTES UNANIMES. A majore ad minus.

336. VERSARE. Vertere: & uſus eſt frequentativo ad vim augendam.

337. TIBI NOMINA MILLE. Id eſt, facies, ut: *Et ſine nomine corpus*. *Mille* autem, ſecundum Euripidem, in cujus tragoedia dicit Furia, non eſſe unius poteſtatis, ſed plurimarum, ſe Fortunam, ſe Nemeſin, ſe Fatum, ſe eſſe Neceſſitatem. Ita dicit etiam Aſper.

338. FOECUNDUM CONCUTE PECTUS. Plenum pectus malitiae efficacia.

339. COMPOSITAM PACEM. Quam ſuper Latinus dederat. CRIMINE BELLI. Cauſſas, ut: *Crimen, amor veſtrum*.

PIERII.

329. TOT PULLULAT ATRA COLUBRIS. In veteribus pleriſque codicibus, *pullulat ora*, figurate poſitum invenias: quamvis, *atra*, magis placet eruditis. Eſt & illud more quodam ſuo ſcriptum in Rom. codice: *pollulat ora colobris*; cujus ſcriptionis rationem alibi retulimus.

330. HIS ACUIT VERBIS. In antiquis aliquot codicibus, *dictis*, legitur.

331. HUNC MIHI DA PROPRIUM VIRGO SATA NOCTE LABOREM. In Romano codice, *laborum*, legitur: quippe hunc ex laboribus tuis; ſed elocutio non placet. Caſtior enim lectio: *hunc laborem*, id eſt, hanc operam, quod expoſitive ſtatim ſubjungit.

335. TU POTES UNANIMES. In antiquis pleriſque codicibus: *Unanimes*: legitur & *unanimis*, utrumque recte, ex proba Grammaticorum diſciplina.

339. DISJICE COMPOSITAM PACEM. In antiquis omnibus codicibus, quotquot legi, *diſſice*, *ſ* geminato & unico *i* ſcriptum obſervavi, & hic, & in aliis locis; ea forte ratione, ut concitatius enuntiaretur, quod in *imperioſſus*, in *auſſus*, in *odioſſus* fieri ſolitum a veteribus oſtendimus.

340. ARMA VELIT POSCATQUE SIMUL, RAPIATQUE JUVENTUS. In antiquis quibuſdam codicibus legere eſt: *Arma velit poſcatque ſimul Trojana juventus*: quod ſi admittendum ſit, magnitudo rei, quam petit, demonſtrabitur, ſi, qui placida nunc pace quieſcunt, & quibus jam certa laborum requies promiſſa eſt, *Arma velint poſcantque ſimul*. Quanquam poſito velle, & poſcere, tumultuantium furorem oſtendat, addito *rapiatque*: nam & antiqua paraphraſis eſt, *Contra Trojanos*.

Exin Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta tyranni
Celsa petit, tacitumque obsedit limen Amatae:
Quam super adventu Teucrum Turnique hymenaeis
345 Femineae ardentem curaeque iraeque coquebant.
Huic dea caeruleis unum de crinibus anguem
Conjicit, inque sinum praecordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem.
Ille, inter vestis & levia pectora labsus,
350 Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam. Fit tortile collo
Aurum ingens coluber, fit longae taenia vittae,
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublabsa veneno
355 Pertentat sensus, atque ossibus inplicat ignem;
Necdum animus toto percepit pectore flammam;
Mollius, & solito matrum de more, locuta est;
Multa super nata lacrimans Phrygiisque hymenaeis:

Ex-

SERVII.

341. Exin. Statim, & est adverbium ordinis. Gorgoneis autem, pessimis, saevis, a Gorgone.

343. Tacitum. Pro tacite; bene autem obsedit, quasi quae insidiabatur.

345. Femineae. Vehementissimae, & impatientes. Curaeque, iraeque coquebant. Perverso ordine respondit; nam ira in Trojanos est; cura vero de nuptiis, & primo adventu Teucrorum. *Coquebant* vero, macerabant.

346. Huic dea. Figura ὑπέρβατον: namque talis est ordo: Huic dea unum anguem in sinum conjicit, & usque ad intima subdit praecordia, quae sunt loca cordi vicina, quibus sensus percipitur. Anguem autem injecit, partem sui, id est, furoris.

349. Levia. Pulchra.

350. Attactu nullo. Sine morsu, sine sensu. Fallitque furentem. Injicit furorem sine accipientis sensu. *Furentem* autem, ut furore teneatur: nam nondum furebat.

352. Taenia vitta. *Taenia*, est vittarum extremitas.

354. Udo sublata veneno. Hypallage in sensu: venenum enim *udum* dixit, quod est de udo corpore: namque serpentum uda sunt corpora, adeo ut, qua eunt, viam humore designent.

357. Solito matrum de more locuta est. Nondum ad plenum furebat; unde per muliebrem iracundiam mista asperitate loquebatur; nam hoc est, *matrum de more*: Paulo post enim vero furore quatietur.

PIERII.

349. Et levia pectora lapsus. In quibusdam antiquis codicibus, *levia corpora labsus* legitur; sed *pectora*, receptum magis.

354. Ac dum prima lues udo sublapsa veneno. In codicibus aliquot antiquis, *at dum*, legitur. Missum vero facio, *uno sublapsa veneno*: quod habetur in Romano codice, quum *udo* Servius agnoscat, cui reliqui veteres codices adstipulantur.

356. Nec dum animus toto percepit pectore flammam. In Romano codice, quod minime displicet: *toto concepit pectore*, legitur, etsi plus est, *percepit*.

Exſulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
360 O genitor? nec te miſeret nataeque, tuique?
Nec matris miſeret, quam primo aquilone relinquet
Perfidus, alta petens abducta virgine, praedo?
At non ſic Phrygius penetrat Lacedaemona paſtor,
Ledaeamque Helenam Trojanas vexit ad urbes.
365 Quid tua ſancta fides, quid cura antiqua tuorum,
Et conſanguineo totiens data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque ſedet, Faunique premunt te juſſa parentis;
Omnem equidem ſceptris terram, quae libera noſtris
370 Diſſidet, externam reor, & ſic dicere divos.
Et Turno, ſi prima domus repetatur origo,
Inachus Acriſiusque patres, mediaeque Mycenae.

His

SERVII.

359. EXSULIBUSNE DATUR? Propter diſſuaſionem ſignate loquitur, *exſules* vocans eos, qui propria regna repetebant. DUCENDA. Abducenda. PRAEDO. Quaſi piratam dicit hominem diu in mari morantem.

363. AT NON SIC PHRYGIUS. Legitur & AN NON; ſed hoc abſolutum eſt. Si autem AT legeris, copulativa particula eſt, ad ornatum ſolum pertinens. Horatius: *At o deorum quidquid in coelo regit terras, & humanum genus*.

366. QUID CONSANGUINEO. Filius enim eſt Veniliae, ſororis Amatae.

367. SI GENER EXTERNA PETITUR DE GENTE LATINIS. De qualitate tranſit ad finem; nam vult Turnum extraneum eſſe definire per callidam argumentationem: quia imperio Latini non ſubjacet; cum oraculum de Latinis omnibus caverit. Poſtea etiam huic argumento alia ſubvenit argumentatione, Turnum Graecum eſſe, ab Acriſio ortum commemorans: per quod duas res agit latenter: nam dicendo originem conſiderandam, docet & Turnum Graecum eſſe, ab Inacho & Acriſio; & Aeneam Latinum a Dardano.

368. PREMUNT TE JUSSA. Urgent, in hoc compellunt. JUSSA. Sortes, oracula.

372. INACHUS ACRISIUSQUE PATRES. Danae, Acriſii regis Argivorum filia, poſtquam eſt a Jove vitiata, pater eam intra arcam incluſam praecipitavit in mare: quae delata ad Italiam, inventa eſt a piſcatore cum Perſeo, quem illic enixa fuerat, & oblata regi, qui eam ſibi fecit uxorem: cum qua etiam Ardeam condidit, a quibus Turnum vult originem ducere.

PIERII.

359. EXULIBUSNE DATUR DUCENDA LAVINIA TEUCRIS. In antiquis, *exſulibus* per *xs*, veteribus Grammaticis adſentientibus. Praeterea totus verſus in nonnullis codicibus antiquis ita legitur: *Exſulibus ducenda datur Lavinia Teucris*. In ſexto enim dubitatum eſt, utrum *Lavini* prima correpta poni debeat, eo loco, *in regna Lavini Dardanidae venient*: quod nonnulli, *Latini*; legere malunt. Siquis vero orationem abſque *ne* languere dixerit, Poeta ipſe tradit, Amatam initio mollius locutam eſſe. Inemendate vero codices aliquot, *exulibus abducenda*, legunt: nam colliſionem ejusmodi in principio Virgilius non admiſiſſet: qui vel parciſſime, vel fere nunquam, ea utatur; vel in medio, ubi plus licentiae eſſe ſolet. Sed enim quantum pertinet ad ſyllabam, in primo, *promiſſa Lavini moenia*. Et paulo poſt: *Regnumque ab ſede Lavini*. Et a Tibullo: *Ante oculos Laurens caſtrum murusque Lavini eſt*: prima nimirum brevi poſitum eſt. Et apud Aſprum Grammaticum antiquo codice: *ducenda Lavinia*, legitur.

363. AT NON SIC PHRYGIUS. In aliquot codicibus, *an non*, habetur; ſed *at* magis placet eruditis.

His ubi nequidquam dictis experta, Latinum
Contra ſtare videt, penitusque in viſcera labſum
375 Serpentis furiale malum, totamque pererrat;
Tum vero infelix, ingentibus excita monſtris,
Inmenſam ſine more furit lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans ſub verbere turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
380 Intenti ludo exercent: ille actus habena
Curvatis fertur ſpatiis: ſtupet inſcia ſupra
Inpubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagae. Non curſu ſegnior illo
Per medias urbis agitur populosque feroces.
385 Quin etiam in ſilvas, ſimulato numine Bacchi,
Majus adorta nefas, majoremque orſa furorem,
Evolat, & natam frondoſis montibus abdit;

Quo

SERVII.

377. SINE MORE FURIT. Sine exemplo: & hoc jam contra decus eſt regium. LYMPHATA. Percuſſa furore Lympharum, ſicut *Cerritos* a *Cerere* dicimus.

378. TURBO. Catullus *hoc turben* dicit, ut *hoc carmen*. Hic turbo, unde *turbinis* facit: nam ſi *turbonis* ſit, erit a proprio nomine genitivus; ut Horatius: *Turbonis in armis*.

382. IMPUBISQUE MANUS. Aut multitudo puerorum: aut a parte totum poſuit, ut pro manu puerum ipſum intelligas.

385. SIMULATO NUMINE BACCHI. Talem patiebatur furorem, ut ſperaret ſe Liberi ſacra celebrare: non enim ipſa ſimulabat, quod eſt ſanorum; nam & paulo poſt dicturos: *Alecto ſtimulis agit undique Bacchi*. Quo. Ut.

PIERII.

378. CEU QUONDAM TORTO VOLITANS SUB VERBERE TURBO. *Turbonem* ait Soſipater Cariſius a Virgilio vocari, qui apud Tibullum *turben* eſt. *Namque Agor ut per plana citus ſola verbere turben*, ut obiter locum etiam apud eum indicemus: eſſe vero, qui paſſim, *hic turben*, dici debere putent: quia & homo, & tempeſtas, & buxum eodem poſſint nominativo perhiberi. Sed hoc ſtulte dictum ajunt nonnulli: nam alii ſic diſtinguunt, ut *turbo turbonis*, ſi proprium ſit hominis nomen: cujusmodi apud Cornelium Tacitum invenias; *turbinis*, ſi procellam voluerimus exprimere: *aut in eo*, inquit Plinius, *nominando*, *qui eſt in luſu puerorum*. Sed Caeſar de Analogia ſecundo: *turbonem*, non *turbinem*, etiam in tempeſtate dici debere ait, ut *caro caronis*, non, ut *homo*, *hominis*.

380. ILLE ACTUS HABENA. In antiquis aliquot codicibus, *habenis*, numero multitudinis; ſed *habena* magis placet.

381. STUPET INSCIA TURBA IMPUBISQUE MANUS. Sunt qui legant: *ſuper inſcia turba*; ſed enim in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus legere eſt: *Stupet inſcia ſupra impubesque manus*: quanquam & *impubis* recte, quorum neutrum Priſcianus excludit.

385. QUIN ETIAM IN SILVAS SIMULATO NUMINE BACCHI. In codicibus nonnullis pervetuſtis legere eſt: *in ſilvis ſimulato nomine Bacchi*. Ut *evolat* abſolute ponatur, & in ſilvis res geratur; ſed enim prior lectio mihi caſtior videtur, remque magis augere numinis vi intercedente, niſi *nomine* eo modo ſcriptum ſit, quo *fonus* in Legibus duodecim tabularum.

386. MAJUS ADORTA NEFAS, MAJOREMQUE ORSA FUROREM. In antiquis quibusdam exemplaribus, *adorſa*, legitur, uti ſuperius etiam obſervatum. Praeterea etiam in Romano cod. *majorem exorſa furorem*, abſque particula copulativa habetur.

Quo thalamum eripiat Teucris, taedaſque moretur:
Evoe Bacche, fremens, ſolum te virgine dignum;
390 Vociferans. Etenim mollis tibi ſumere thyrſos,
Te luſtrare choros, ſacrum tibi paſcere crinem.
Fama volat: Furiiſque accenſas pectore matres
Idem omnis ſimul ardor agit, nova quaerere tecta.
Deſeruere domos: ventis dant colla comaſque.
395 Aſt aliae tremulis ululatibus aethera complent,
Pampineaſque gerunt incinctae pellibus haſtas.
Ipſa inter medias flagrantem fervida pinum
Suſtinet, ac natae Turnique canit hymenaeos,
Sanguineam torquens aciem; torvomque repente
400 Clamat: Io matres, audite ubi quaeque, Latinae.
Si qua piis animis manet infelicis Amatae
Gratia, ſi juris materni cura remordet;
Solvite crinalis vittas, capite orgia mecum.

SERVII.

389. EVOHE BACCHE. Bacchantis vox eſt.

390. TIBI SUMERE THYRSOS. Pro ſumebant: & ſunt infiniti pro indicativis.

396. PAMPINEAS HASTAS. Pampinis tectas. INCINCTAE PELLIBUS. Nebridum ſcilicet.

397. PINUM SUSTINET. Facem pineam; ut fiebat in Liberalibus.

398. NATAE TURNIQUE CANIT HYMENAEOS. Hic aperte expreſſit dementiam: nam cum conſecraverit filiam Libero, hymenaeum canit ejus & Turni. *Hymenaeum* autem, nunc carmen nuptiale dixit.

399. TORVUM. Pro torve. Io. Vox clamantis: & eſt tragicus ſermo.

401. PIIS ANIMIS. Id eſt, maternis.

403. CRINALES VITTAS. Quae ſolarum matronarum erant: nam meretricibus non dabantur.

PIERII.

389. EVOHE BACCHE FREMENS. Sunt, in *evohe* qui unam tantum adſpirationem notent, eamque interjiciant inter ultimas vocales duas. Sunt, qui ſtatuant in medio, duabus hinc inde vocalibus adnotatis *evhoe*. Sunt, qui etiam dictionem incipiant ab adſpiratione, *hevhoe*. Apud Cariſium una tantum in medio ſita adſpiratione ſcribitur *evhoe*. Sane apud nos oe ex οι diphthongo Graeca factum eſt: nam quod illi εὐοῖ, nos *evoe* dicimus. Demoſthenes in oratione contra Cteſiphonem, Βακχικὸν [illegible] ἐστὶ τὸ εὐοῖ. Quare potius *Evoe* ſpondeum eſſe dicendum. Hor. ſecundo Carminum: *Evoe recenti mens trepidat metu*. Et alibi: *Evoe Bacche precor*. Catullus: *Evoe Bacchantes, Evoe capita inflectentes*.

391. TE LUSTRARE CHORO. In pleriſque veteribus codicibus cum Romano & Mediceo legitur: *choros*; non tamen diſplicet, *choro*.

394. DESERUERE DOMOS. In codicibus aliquot antiquis, *domus*, forma declinationis quartae; niſi mutatum ſit o in u, ut: SACERDUS DEI BROTONTIS. In antiquo marmore in aede ſancti Martini in Montibus.

400. IO MATRES, AUDITE, UBICUMQUE LATINAE. Sunt, qui ex Priſciano legant: *ubi quaeque*: atque ita in Mediceo, & antiquis omnibus codicibus Vaticanae bibliothecae legere eſt. Verba vero Priſciani ponere non pigeat: *O matres audite, ubiquaeque Latinae*, *pro*, *quaecumque*. Poteſt tamen hic, & ibi pro ubicumque accipi. Atque ego crediderim ex hac Priſciani paraphraſi ſupra dictionem ſcripta crediſſe multos, *ubicumque*, pro *ubiquaeque*, reponendum eſſe: atque ita legitima ſublata dictione adulterinam inſertam.

Talem inter ſilvas, inter deſerta ferarum,
405 Reginam Alecto ſtimulis agit undique Bacchi.
Poſtquam viſa ſatis primos acuiſſe furores,
Conſiliumque omnemque domum vertiſſe Latini:
Protenus hinc fuſcis triſtis dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
410 Acriſioneis Danaë fundaſſe colonis,
Praecipiti-delata noto. Locus Ardea quondam
Dictus avis: & nunc magnum manet Ardea nomen.
Sed fortuna fuit. Tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
415 Alecto torvam faciem & furialia membra
Exuit: in voltus ſeſe transformat anilis,
Et frontem obſcaenam rugis arat. Induit albos
Cum vitta crinis: tum ramum innectit olivae.

Fit

SERVII.

406. ACUISSE FURORES. Ut ſupra: *Quam Juno bis acuit dictis*.

407. CONSILIUMQUE OMNEMQUE DOMUM VERTISSE LATINI. Quod habuerat, ut, filiam dando Aeneae, bella removeret, quae ſignificaverat ſumus augurii.

410. ACRISIONEIS DANAE. Patronymicon eſt: nam filiam Acriſii ſignificat; non *Acriſioneis colonis:* ſola enim venerat, non cum colonis.

411. PRAECIPITI DELATA NOTO. Intra arcam, ut diximus ſupra.

412. MAGNUM TENET ARDEA NOMEN. Bene alluſit: nam *Ardea*, quaſi *ardua* dicta eſt, id eſt, magna & nobilis: licet Hyginus in Italicis urbibus ab augurio avis *ardeae*, *Ardeam* dictam velit. Illud namque Ovidii in Metamorphoſi fabuloſum eſt, incenſam ab Annibale *Ardeam*, in hanc avem eſſe converſam. Sciendum tamen, *Ardeam* per Antiphraſin dictam, quod brevitate pennarum altius non volat. Lucanus: *Quoque auſa volare, Ardea ſublimis pennae confiſa natanti*.

416. MEMBRA EXUIT. Bene *exuit:* nam dii, cum volunt videri, induunt ſe corporibus, propter mortalium oculos: nam incorporei ſunt.

417. ALBOS CUM VITTA. Id eſt, etiam vittas albas.

418. RAMUM INNECTIT OLIVAE. Aut coronam accipit: aut ramum illigat vittis. Quod aperte in octavo oſtendit: *Et vitta comptos voluit praetendere ramos*. Supra etiam: *Praeferimus manibus vittas*.

PIERII.

407. CONSILIUMQUE OMNEMQUE DOMUM VERTISSE LATINI. Praetereamus, quod in pleriſque codicibus eſt, *concilium:* non enim id placet. Legitur etiam, *evertiſſe;* ſed hoc quoque minus proprium.

411. LOCUS ARDEA QUONDAM DICTUS AVIS, ET NUNC MAGNUM TENET ARDEA NOMEN. Antiqui aliquot codices legunt: *locus Ardua quondam:* ut non temere dictum a Servio ſit, *Bene alluſit: nam* Ardea, *quaſi* ardua *dicta eſt*. Eſt & pro *tenet*, *manet Ardua nomen*, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus.

414. JAM MEDIAM NIGRA CARPEBAT NOCTE QUIETEM. Codices nonnulli pervetuſti legunt: *jam media nigra:* ut utrumque ſit noctis epitheton: alterum temporaneum, alterum proprium. In aliis invenio: *jam media nigram;* ſed vulgata lectio magis placet.

415. ALECTO TORVAM FACIEM, ET FURIALIA MEMBRA EXUIT, IN VULTUS SESE TRANSFORMAT ANILES. In veteribus aliquot codicibus legere eſt, *furialia membra Exit, & in voltus ſeſe transformat anilis*. In aliquot aliis, quod minus placet, *exuit & vultus*, abſque *in*; ſed illud mihi adridet, ut figuratum magis, *Exit & in voltus*. Quanquam non improbo *exuit*, cujus antitheton ſubjunctum ſtatim videam, *induit albos cum vitta crinis*.

Fit Chalybe, Junonis anus templique ſacerdos;
420 Et juveni ante oculos his ſe cum vocibus offert:
Turne, tot incaſſum fuſos patiere labores,
Et tua Dardaniis tranſſcribi ſceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quaeſitas ſanguine dotes
Abnegat; externuſque in regnum quaeritur heres.
425 I nunc, ingratis offer te, inriſe, periclis:
Tyrrhenas, i, ſterne acies: tege pace Latinos.
Haec adeo tibi me, placida cum nocte jaceres,
Ipſa palam fari omnipotens Saturnia juſſit.
Quare age, & armari pubem portiſque moveri
430 Laetus in arma para, & Phrygios, qui flumine pulchro
Conſedere, duces, pictaſque exure carinas.
Caeleſtum vis magna jubet. Rex ipſe Latinus,
Ni dare conjugium, & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.

Hic

SERVII.

419. JUNONIS ANUS TEMPLIQUE SACERDOS. Ordo eſt: ut Junonis templi anus ſacerdos.

421. FUSOS PATIERE LABORES? Probus de Temporum connexione libellum compoſuit, in quo docet, quid cui debeat accommodari: ex quo intelligimus, hanc, quam fecit, arduam eſſe connexionem: nam *patiere* futuri temporis eſt; *fuſos* vero participium eſt praeteritum. Dicit autem: Patieris, ut tot tui labores fundantur in caſſum, id eſt, in irritum cadant. *Incaſſum* autem tractum eſt a *caſſibus*, id eſt, retibus.

422. TRANSSCRIBI. Tradi. Sermo autem hic tractus eſt de pecunia: nam *ſcribi*, eſt dari. Horatius: *Scribe decem Nerio. Non eſt ſatis: adde Cicutae*. *Reſcribi*, reddi. Horatius: *Dictantis quod tu nunquam reſcribere poſſis*. Terentius: *Argentum illud denuo reſcribi jube, Phormio*.

424. QUAERITUR HAERES. De Jure traxit, ut non generum, ſed haeredem diceret: nam per coemptionem facto matrimonio ſibi invicem ſuccedebant.

426. TYRRHENAS, I, STERNE ACIES. Ut: *I, ſequere Italiam ventis*. Sane notum eſt, bello multum potuiſſe Tyrrhenos, & fuiſſe praecipue infeſtos Latinis, ut: *Hi bellum aſſidue ducunt cum gente Latina*.

427. HAEC ADEO TIBI ME. Addidit auctoritatem, quia ſcit anui credi difficile. *Adeo* autem, valde ſcilicet juſſit, ut Terentius: *Adoleſcentem adeo nobilem*.

430. LAETUS. Alacer, feſtinus: nam laetari non poterat, qui perdebat uxorem. Sic ſupra in primo: *Vela dabant laeti*. FLUMINE PULCHRO. Ut ſupra: *Fluvio Tyberinus amoeno*.

432. CAELESTUM VIS MAGNA JUBET. Aut per definitionem, ipſa Juno eſt vis deorum: aut per augmentum ſuaſit; primo per ſe; deinde per Junonem; poſtremo per omnium vim deorum.

434. TURNUM EXPERIATUR IN ARMIS. Id eſt, probet contra ſe, quem pro ſe laborantem probare non potuit.

PIERII.

423. REX TIBI CONJUGIUM ET QUAESITAS. In antiquis aliquot codicibus non habetur &; ſed id librarii negligentia: & enim eo loco poſitum addit verſui gravitatem.

426. TYRRHENAS, I, STERNE ACIES. Veteres aliquot codices legunt: *Tyrrhenas & ſterne*: ut: *Teſtilis & rapido*: ſed I, geminatum verbum longe venuſtius & elegantius.

433. ET DICTO PARERE FATETUR. In codicibus aliquot antiquis: *parere jubetur*, legere eſt, quod non ita receptum mihi videtur.

435 Hic juvenis, vatem inridens, ſic orſa viciſſim
Ore refert: Claſſis invectas Thybridis alveo
Non (ut rere) meas effugit nuntius auris.
Ne tantos mihi finge metus: nec regia Juno
Inmemor eſt noſtri.
440 Sed te victa ſitu verique effoeta ſenectus,
O mater, curis nequidquam exercet, & arma
Regum inter falſa vatem formidine ludit.
Cura tibi, divum effigies & templa tueri:
Bella viri pacemque gerant, quis bella gerenda.
445 Talibus Alecto dictis exarſit in iras.
At juveni oranti ſubitos tremor occupat artus:
Deriguere oculi: tot Erinnys ſibilat hydris,
Tantaque ſe facies aperit: tum flammea torquens
Lumina cunctantem & quaerentem dicere plura
450 Reppulit, & geminos erexit crinibus angues,

Ver-

SERVII.

435. HIC JUVENIS VATEM IRRIDENS. Caluit, quia juvenis. Horatius: *Non ego hoc ferrem calidus juventa conſule Planco*.

440. VICTA SITU SENECTUS. Temporis longinquitate, ex qua naſcitur *ſitus*. VERIQUE EFFOETA. Caſſa veritatis.

441. O MATER. Inriſionis eſt, non honoris.

442. FALSA VATEM FORMIDINE LUDIT. Quia *vatem*: nam eam defendebant a bellis, ſi non aetas, ſaltem religio ſacerdotii.

445. EXARSIT IN IRAS. Communis ſermo habet, *ardeo illa re*; ſed figuratius, *ardeo in illam rem* dicimus: & eſt ſpecialis Cornelii elocutio..

446. ORANTI. Loquenti: unde etiam *oratores* dicimus. TREMOR OCCUPAT ARTUS. Vicinitate ſcilicet Furiae: nam tremor furoris eſt.

448. TANTAQUE SE FACIES APERIT. Semoto anili vultu, quem finxerat, & quo ſe induerat. Sic ſupra de Venere: *Et vera inceſſu patuit dea*.

450. GEMINOS EREXIT CRINIBUS ANGUES. Similes: nam omnes eam dixit erexiſſe, non duos.

PIERII.

436. CLASSES INVECTAS TYBRIDIS UNDAM. Romanus codex, Porcius, & aliquot alii veteres, legunt: *Tybridis alveo*: ſed *undam* plerique malunt.

444. BELLA VIRI PACEMQUE GERANT. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *gerent*, futuro tempore ſcriptum obſervavi: quod multo magis placet, quia ex affirmativo modo ſententia videtur abſolutior. Si *gerunt* malueris, ſententia definitiva eſt, ex morum conſuetudine.

446. SUBITUS TREMOR OCCUPAT ARTUS. In antiquis aliquot exemplaribus: *ſubito*, adverbium eſt; ſed epitheton receptius.

447. DIRIGUERE OCULI. In Romano codice, & in quibuſdam aliis ſcriptum eſt, *Deriguere* per *de* ſignificat vero, utcumque legeris, *induruere*, quod eſt inſaniae ſignum. Inde apud Plautum in Menaechmis, interrogat medicus eum, quem inſanum eſſe credebat: *Solentne tibi unquam oculi duri fieri?*

448. TUM FLAMMEA TORQUENS LUMINA. In Rom. cod. *fumea*; ſed enim hic *flammea* lectio caſtior; niſi velimus ad pineam facem adludere, quam intorſerit, quae alibi eodem modo circumſcribitur a Virgilio: *Nec fumea tedis lumina*: nam & Ovidius, & eum ſecutus Claudianus, fingunt Furias etiam facem geſtare: & inferius Virgilius ait: *Sic effata facem juveni conjecit, & atro Lumine fumantes fixit ſub pectore tedas*. Sed utcumque haec accipiantur, placet hic de oculis dictum, ut in VI. *Lumina flaminea*, non ſine codicum varietate legi diximus.

Verberaque inſonuit, rabidoque haec addidit ore:
En, ego victa ſitu, quam veri effoeta ſenectus
Arma inter regum falſa formidine ludit:
Reſpice ad haec: adſum dirarum ab ſede ſororum:
455 Bella manu letumque gero.
Sic effata facem juveni conjecit, & atro
Lumine fumantis fixit ſub pectore taedas.
Olli ſomnum ingens rumpit pavor: oſſaque & artus
Perfundit toto proruptus corpore ſudor.
460 Arma amens fremit; arma toro tectiſque requirit.
Saevit amor ferri, & ſcelerata inſania belli:
Ira ſuper, magno veluti cum flamma ſonore
Virgea ſuggeritur coſtis undantis aëni,
Exſultantque aeſtu latices; furit intus aquaï
Fu-

SERVII.

451. VERBERAQUE INSONUIT. Pro, verberibus inſonuit, id eſt, per verbera. RABIDO ORE. Habitum futurae orationis oſtendit.

454. RESPICE. Multi hic diſtinguunt, & ſuperioribus jungunt, ut ſit ſenſus: Reſpice eam, quam dicis falſa deludi formidine. AD HAEC ADSUM. Id eſt, ad regum arma, & ad bella. Quomodo ergo dicis, quod ſuperflue his inferar rebus, ad quas veni? Alii RESPICE AD HAEC legunt, ut ſit quaſi demonſtrantis, *Reſpice, bella & lethum gero.*

445. FACEM JUVENI CONJECIT. Satis conſiderate *facem juveni injecit*, quae cito exardeſcit & deſinit. Supra vero: *Amatae ſerpentem injecit:* quod in mulieribus ſemper viget venenum.

457. ATRO LUMINE FUMANTES CONJECIT TAEDAS. Atri luminis taedas, ut: *Et pulchra faciat te prole parentem.* *Atro* autem *lumine*, furiali, inferno; alias ratione caret. SUB PECTORE. Ubi fellis locus eſt, id eſt, iracundiae.

460. FREMIT. Cum clamore depoſcit. Bene autem AMENS, quia in thoro requirebat.

461. SCELERATA INSANIA BELLI. Nihil enim tam inſanum, quam deſiderare id, per quod poſſis perire.

463. VIRGEA. De viminibus, vel virgis facta; unde eſt flamma validior. COSTIS autem, lateribus, ut: *Tardi coſtas agitator aſelli.* Et bene antiquum reſpexit morem: nam ollas non ſuſpendebant: ſed poſitis circum circa ignem adhibebant.

464. FURIT INTUS AQUAI FUMIDUS ATQUE AMNIS. Id eſt, fumidus aquae amnis: nec immerito: nam poteſt eſſe & alterius rei amnis, ut: *Fluvios videt ille cruoris.* Hanc autem Diaereſim Tucca & Varrus fecerunt: nam Virgilius ſic reliquerat: *Furit intus aquae vis, Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis:* quod ſatis aſperum fuit. Notandum, quod in toto Virgilio non reperiuntur, niſi quatuor diaereſes; hoc loco; & in tertio, ut: *Aulai in medio libabant pocula Bacchi:* & in VI. ut: *Aurai ſimplicis ignem:* & in IX. *Dives pictai veſtis & auri.*

PIERII.

451. RAPIDOQUE HAEC ADDIDIT ORE. In Rom. & paucis aliis, *rabido*, legitur per *b*.

453. FALSA FORMIDINE LUDIT. In Romano codice, *falſo*, adverbialiter ſcriptum eſt; ſed longe melius, *falſa formidine*, ut objecta per verba eadem eludat.

458. OLLI SOMNIUM INGENS RUPIT PAVOR. In Rom. codice, & in quibuſdam aliis legere eſt, *Illi ingens ſomnum rumpit pavor;* ſed vulgata lectio venuſtior habetur: & *olli*, agnitum a Grammaticis. OSSAQUE ET ARTUS PERFUDIT TOTO PRORUPTUS CORPORE SUDOR. Et hic *perfundit*, eodem praeſenti tempore: alibi enim adnotavimus rem geſtam per praeſentis temporis formam enarrari, majoris eſſe vehementiae; niſi putare voluerimus *n* illud in antiquis fuiſſe accentus notam. Praeterea ſunt vetuſti codices, in quibus *praeruptus* legatur; ſed *proruptus*, omnino melius.

464. FURIT INTUS AQUAI FUMIDUS ATQ. ALTE

465 Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis:
Nec jam ſe capit unda; volat vapor ater ad auras.
Ergo iter ad regem polluta pace Latinum
Indicit primis juvenum, & jubet arma parari,
Tutari Italiam, detrudere finibus hoſtem:
470 Se ſatis ambobus Teucriſque venire Latiniſque.
Haec ubi dicta dedit, divoſque in vota vocavit;
Certatim ſeſe Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formae movet atque juventae;
Hunc atavi reges; hunc claris dextera factis.
475 Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis ſe concitat alis;
Arte nova ſpeculata locum, quo litore pulcher

In-

SERVII.

466. NEC JAM SE CAPIT UNDA. Melius quam ſi diceret: *Nec jam vas undam capit*. Homerica eſt comparatio: Ὡς δ' ὅτε λέβης ζεῖ ἔνδον ἐπειγόμενος πυρὶ πολλῷ, Κνίσην μελδόμενος ἁπαλοτρεφέος σιάλοιο Πάντοθεν ἀμβολάδην, ὑπὸ δὲ ξύλα κάγκανα κεῖται.

467. ERGO. Id eſt, quia ſic incenſus eſt. POLLUTA PACE. Vel ſua, vel Trojanorum.

468. INDICIT. Signate verbum bellicum poſuit.

471. IN VOTA VOCAVIT. Quia nuncupatis votis bella ſumebant.

473. HUNC DECUS EGREGIUM FORMAE MOVET. Turni ſcilicet decus; nam hoc dicit: Alios pulchritudo Turni; alios nobilitas; alios virtus movebat ad bellum: nam hoc eſt, ANIMIS AUDACIBUS IMPLET, id eſt, fortibus: adfectione ſui injicit omnibus magnanimitatem. Quidam haec ad ſingulos, qui ſe in arma hortabantur, referri volunt.

477. ARTE NOVA. Dolo. SPECULATA LOCUM, QUO LITORE. Pronomen pro nomine ponitur, non pro nominibus; unde modo nove inter duo nomina, unum pronomen poſuit: nam recte *quo loco* diceret: & hoc ſemel tantum fecit.

PIERII.

SPUMIS EXUBERAT AMNIS. Sane Servius, *aquai*, repoſitum a Tucca, & Varro aſſerit, quum Virgilius, *aquae amnis*, ſcriptum reliquiſſet, ut in vulgatis eſt Servii commentariis, quod an ſit fide dignum, alii viderint: nam Probus Valerius, quum Virgilium quatuor locis tantum Diezeuxi uſum ex *ae* diphthongo, in *a* & *i* aſſeveret, unum ex his recenſet, *furit intus aquai*. In antiquis vero codicibus omnibus, quotquot verſare contigit, *furit intus aquae vis* ſcriptum animadverti: neque tot codices temere convenire crediderim. Praeterea, ſi Virgilius uſquam varietatis amator fuit, in hac praecipue comparatione eam affectaſſe videtur: aquam enim efferveſcentem dicere cum velit, modis circiter ſenis eandem ſententiam variavit. Mira eloquentiae vis, & ſermonis copia, ubertaſque facundiae vere redundantis, dum enuntiatur: *Undantis aheni, Exultant aeſtu latices, furit intus aquae vis, Fumidus atque alte ſpumis exuberat amnis, Nec ſe jam capit unda, volat vapor ad auras*. Quocirca, quum veteres codices, *aquae vis* legant: & unum plus membrum in hac varietate, neque id indecorum acquiratur, ſi aliter quam *aquai* legendum ſit (Valerio enim libenter ſuas partes integras relinquo) eo modo Virgilium crediderim ſcriptum reliquiſſe. Praeterea ita habetur in Servii commentariis manu ſcriptis, quae mihi Petrejus Zancus, juvenis utraque lingua optime peritus, legenda dedit, quamvis vulgata, *aquae amnis* habeant.

473. HUNC DECUS EGREGIUM FORMAE MOVET ATQUE JUVENTAE. In codicibus aliquot antiquis, *juventa* legitur, ſed omnino melius *decus formae*, & *decus juventae* legere.

474. HUNC CLARIS DEXTERA FACTIS. In Mediceo codice, *clari factis*, ſcriptum eſt: cum paraphraſi, virtutis; ſed melius videtur, *claris factis*, ſic ſit hypallage, pro dextera clara factis.

Inſidiis curſuque feras agitabat Iulus.
Hic ſubitam canibus rabiem Cocytia virgo
480 Objicit, & noto naris contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: quae prima laborum
Cauſſa fuit, belloque animos accendit agreſtis.
Cervus erat forma praeſtanti & cornibus ingens,
Tyrrhidae pueri quem matris ab ubere raptum
485 Nutribant, Thyrruſque pater, cui regia parent
Armenta, & lati cuſtodia credita campi.
Adſuetum imperiis ſoror omni Silvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua ſertis,
Pectebatque ferum, puroque in fonte lavabat.
490 Ille, manum patiens, menſaeque adſuetus herili,
Errabat ſilvis; rurſuſque ad limina nota
Ipſe domum ſera quamvis ſe nocte ferebat.

Hunc

SERVII.

478. INSIDIIS CURSUQUE. Curſu agitabat: nam *inſidiis* circumvenimus, non agitamus.

479. CANIBUS RABIEM. Studium mutavit in rabiem.

480. NOTO ODORE. Cervino: ſolent enim ita inſtitui. Horatius: *Venaticus ex quo Cervinam catulus pellem latravit in aula*.

481. MALORUM CAUSSA FUIT. Hoc eſt: *Et primae revocabo exordia pugnae*.

482. ANIMOS ACCENDIT AGRESTES. Plus eſt, quam ſi *agreſtium* diceret *animos*.

483. CORNIBUS INGENS. *Ingens*; & ad praeſtantem formam pertinet, & ad magnitudinem cornuum.

484. TYRRHIDAE PUERI. *Tyrrhi* filii: & ut diximus ſupra, alludit ad nomen: nam *Tyrrhus* dictus eſt paſtor, apud quem Lavinia peperit.

485. CUI REGIA PARENT ARMENTA. Magiſtrum hunc pecoris vult fuiſſe, & ſaltuarium: nam hoc eſt: *Et late cuſtodia credita campi*. Magiſter autem pecoris eſt, ad quem omnia pertinent animalia. Cicero: *Nominat hominem, quem magiſtrum pecoris eſſe dicebat*.

487. SYLVIA. Bonum puellae ruſticae nomen formavit.

489. PECTEBATQUE FERUM. Quadrupedem, ut: *In latus inque feri curvam compagibus alvum*: ſic dictae, quod velocitate pedum ferantur.

490. MANUM PATIENS. *Patiens illius rei* dicimus; unde apparet unum *u* cauſſa metri eſſe detractum. MENSAE HERILI. Nove dixit: nam herum nonniſi dominum dicimus; niſi forte ideo dixit, quia dat ei humanum ſenſum; nam ait paulo poſt: *Imploranti ſimilis*.

491. ERRABAT SYLVIS. Paſcebatur, ut: *Mille meae Siculis errant in montibus agnae*. IPSE. Id eſt, ſua ſponte.

PIERII.

481. QUAE PRIMA MALORUM CAUSSA FUIT. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *laborum* legitur; eo enim vocabulo Virgilius adverſa ſolet exprimere.

486. ET LATE CUSTODIA CREDITA CAMPI. In Romano codice, *lati*; ſed familiari vitio; nam, *late*, adverbium omnino melius judicatur.

489. PECTEBATQUE FERUM. In codicibus aliquot antiquis: *patabat*, legitur: quod non ita venuſtum videtur: neque adeo cicurationi adcommodatum.

490. ILLE MANUM PATIENS. In codicibus aliquot, *manuum*, ubi manifeſta Synizeſis; ſubtractum tamen *u* alterum plerique malunt: & ita codices emendatiores habent. Quanquam nihil prohibet, *manum*, quarto caſu, inſervire participio.

Hunc procul errantem rabidae venantis Iuli
Commovere canes: fluvio cum forte secundo
495 Deflueret, ripaque aestus viridante levaret.
Ipse etiam, eximiae laudis succensus amore,
Ascanius curvo direxit spicula cornu:
Nec dextrae erranti deus absuit; actaque multo
Perque uterum sonitu perque ilia venit arundo.
500 Saucius at quadrupes nota intra recta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque cruentus
Atque inploranti similis tectum omne replebat.
Silvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros conclamat agrestis.
505 Olli (pestis enim tacitis latet aspera silvis)
Inprovisi adsunt: hic torre armatus obusto,

Sti-

SERVII.

493. RABIDAE CANES. Quare feminino genere *canes* posuit? Solvitur; Ideo noluit masculino *canes* nominare: quia in feminis plus sit iracundiae.

494. SECUNDO DEFLUERET. *Secundo*, id est, cum aqua; unde & *adverso* dicimus, contra aquam; nam ideo *deflueret* dixit: & *secundo*, ideo, quia cursus fluminis post natantem videtur.

498. DEUS ABFUIT. Alecto deum dicit; sicut de Venere: *Descendo, ac ducente deo:* nam ut diximus, numina utriusque sexus videntur ideo, quia incorporea sunt, &, quod volunt, assumunt corpus. Ut autem *deum* dicamus pro *dea*, non aperte ponitur; sed in subauditione. ERRANTI. Licet enim certum esset feritura, tamen bene *errantem* dixit: quia non usquequaque semper certus est ictus. Horatius: *Nec semper feriet quodcumque minabitur arcus*.

499. PERQUE ILIA. *Hoc ile*, & *haec ilia* facit. Hinc & Juvenalis: *Vir frater ab ipsis Ilibus?* Nam quod Marullus, mimographus, dixit: *Tu Hectorem imitaris: ab Ilio nunquam recedis:* cum de guloso diceret, allusit ad civitatis nomen: nam *ab ili* debuit dicere. Bene autem ea loca vulnerata dicit, quae statim mortem afferre non possent, ut domum rediret, & esset caussa bellorum: nam si statim periret, aut ipse cervus, aut vulneris auctor lateret.

503. SYLVIA PRIMA SOROR. Bene puellae dat doloris impatientiam.

504. DUROS CONCLAMAT AGRESTES. Aut qui semper duri sunt: aut *duros*, qui cervi interitum non dolebant.

505. PESTIS. Furia. TORRE. *Hic torris* facit, ut *hic fustis*.

PIERII.

493. RAPIDAE VENANTIS IULI COMMOVERE CANES. In codicibus aliquot antiquis, *rapidi*, virili genere; sed in Romano, atque in Porcio, significatione, & genere mutato, *rabidae*, legitur, quod ideo placet, quia superius rabiem canibus objectam legimus.

495. RIPAQUE AESTUS VIRIDANTE LEVARET. Missum faciam, quod plerique codices antiqui, *lavaret*, legunt: quum magis omnino placeat, *levaret*. Id minime dissimulaverim, quod in codicibus aliquot manuscriptis invenitur: *Ripaque aestus undante levaret:* nihil enim hoc displicet, quamvis *viridante*, gratius, & lascivius.

498. NEC DEXTRAE ERRANTI DEUS ABFUIT. Hoc varie reperitur in codicibus antiquis scriptum: nam *affuit*, & *afuit*, & *adfuit*, & etiam *asfuit* legitur. Vera tamen lectio, & antiqua magis, *absfuit*, est.

505. OLLI (PESTIS ENIM.) Plerique codices antiqui, cum Mediceo, legunt, *illi;* sed puto hoc ex paraphrasi emanasse, quae, *olli*, vocabulum vetus interpretaretur.

506. ARMATUS OBUSTO. Exemplaria vetera Palatina legunt: *abusto*. Sunt tamen alia, in quibus, *adusto*, legere est; sed *obusto*, nulli displicet, ut in Mediceo,

Stipitis hic gravidi nodis. Quod cuique repertum
Rimanti, telum ira facit. Vocat agmina Thyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
510 Scindebat, rapta spirans inmane securi.
At saeva e speculis tempus dea nacta nocendi
Ardua tecta petit stabuli; & de culmine summo
Pastorale canit signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protenus omne
515 Contremuit nemus, & silvae intonuere profundae.
Audiit & Triviae longe lacus, audiit amnis
Sulfurea Nar albus aqua, fontesque Velini:
Et trepidae matres pressere ad pectora natos.

SERVII.

507. GRAVIDI. Gravis; propter nodos scilicet,

509. QUADRIFIDAM. Quae findi partes posset in quatuor. CUNEIS COACTIS. Satis signate *coactis* dixit. Exprimit autem antiquum morem, ut: *Sed primi cuneis scindebant fissile lignum*.

512. DE CULMINE SUMMO. Bene *culmine*: quia de tectis agrestium loquitur.

514. TARTAREAM. Aut terribilem, aut fortem secundum usum dixit.

515. NEMUS. Locus, haud longe ab Aricia, in quo lacus est, qui *Speculum Dianae* dicitur. Et notandum, quia vocem ejus paulatim fecit procedere: quod locorum indicat commemoratio.

516. TRIVIAE LACUS. Hic est, qui *Dianae Speculum* dicitur.

517. SULFUREA NAR ALBUS AQUA. In LX Flaminiae est civitas Naroia, in montibus posita, quibus subest *Nar* fluvius, qui Tyberino conjungitur. *Sulfurea* vero, sulfurei saporis; aut *sulfurea*, id est, subviridi. Ideo autem dicit, *Sulfurea Nar albus aqua*, quia, dum currit, est sulfurei coloris; dum hauritur, albi: & Sabini lingua sua *Nar* dicunt *sulfur*. Ergo hunc fluvium ideo dicunt esse *Nar* appellatum, quod odore sulfureo nares contingat: sive quod in modum *narium* geminos habeat exitus. FONTESQUE VELINI. Ultra Interamnam sunt, in Sabinis. Ut diximus, vox Furiae paulatim processit.

518. PRESSERE AD PECTORA NATOS. Statius: *Pressitque Palaemona mater*. Item e contra; *Nec natos ausae deponere matres*.

PIERII.

507. QUOD CUIQUE REPERTUM RIMANTI TELUM IRA FACIT. In omnibus Vaticanae bibliothecae codicibus *repertum est* habetur: & pro *ira facit*, in codicibus aliquot antiquis *ira fuit*, legitur, quod aliorum judicio relinquimus.

508. VOCAT AGMINA TYRRHUS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *Tyrrheus*, eaque de caussa superius in Romano codice scriptum est: *Tyrrhaedae*; sed enim pene ultima EI esse deberet: est vero passim in obliquis *Tyrrhei*, ut *Orphei*, *Ilionei*, eodem codice.

511. AT SEAVA E SPECULIS. In plerisque codicibus manu scriptis, non habetur E; sed id male.

514. INTENDIT VOCEM. In Romano codice, *incendit*, quod non aeque placet: pleraque vero ita immutata sunt in omnibus pene auctoribus: quia, ut alias admonuimus, plerisque in libris manu scriptis C & T eadem pene forma notata reperiuntur.

515. SILVAE INTONUERE. In Romano codice, & quibusdam aliis antiquis: *Sylvae insonuere*, legitur; sed *intonuere* melius.

516. AUDIIT, ET TRIVIAE LONGE LACUS AUDIIT AMNIS. In antiquis codicibus plerisque, *audit*, unico I utroque loco scriptum est; quod tamen pro duobus pronuntiari debeat, ut antiquo marmore, *filis*, pro *filiis* scriptum observavimus: & alia quaedam hujusmodi. Neque praeterierim in Romano codice, & quibusdam allis, *audit & amnis*, legi; sed omnino magis placet, *audiit*, dactylus, una dictione.

517. SULPHUREA NAR ALBUS AQUA. In Romauo codice, *sulpurea*, per P scribitur: ut alibi etiam *sulpura*: ex quo patet *sulphur* aliquando per PH scribi solitum; quum tamen dictio Latina sit: id enim Graece θέιον, & θεάφιν dicitur.

Tum

Tum vero ad vocem celeres, qua buccina ſignum
520 Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolae: nec non & Troïa pubes
Aſcanio auxilium caſtris effundit apertis.
Direxere acies. Non jam certamine agreſti,
Stipitibus duris agitur, ſudibuſve praeuſtis;
525 Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
Horreſcit ſtrictis ſeges enſibus, aeraque fulgent
Sole laceſſita, & lucem ſub nubila jactant:
Fluctus uti primo coepit cum albeſcere vento,
Paullatim ſeſe tollit mare, & altius undas
530 Erigit, inde imo conſurgit ad aethera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem ſtridente ſagitta,

Na-

SERVII.

519. AD VOCEM. Buccinae, ut: *Senſit, & ad ſonitum vocis veſtigia torſit*: nam quicumque ſonus dici *vox* poteſt. Sed, cum Dii inferi inducantur, quare ſignum buccina datur? Solvitur: quod buccina ex cornu caprae fiat, & quod ſit proprie Ditis patris hoſtia: & quia capra ſemper febriculoſa ſit: nam & ipſam febrim eſſe dicunt. Ergo recte ab hac dea hoc ſignum dixit dari.

521. AUXILIUM CASTRIS EFFUNDIT APERTIS. Id eſt, ipſa in auxilium effunditur.

523. DIREXERE ACIES. Ordinarunt in latitudinem.

524. PRAEUSTIS. *Prae* brevis fit propter ſequentem vocalem: quod in una parte orationis factum tolerabile eſt: quia compoſitus eſt ſermo.

525. FERRO ANCIPITI. Utrinque noxio. Dicit autem aut gladios, aut bipennes.

526. SEGES. Terra modo, ut: *Quid faciat laetas ſegetes*. Per ATRAM vero, fertilem ſignificat, ut in Georgicis oſtenditur.

527. SOLE LACESSITA. Naturale enim eſt, ut metallorum ſplendor plus fulgeat alia luce percuſſus.

529. PAULATIM SESE TOLLIT MARE. Sic bella dicit ſurrexiſſe paulatim, ſicut ventis flantibus ſenſim mare turgeſcit.

531. HIC JUVENIS. Hic confundit nomina: nam & puerum & juvenem nonnunquam indiſcrete ponit Virgilius, ut hoc loco: nam Almonem, quem modo *juvenem* dicit, paulo poſt ait *puerum*, ut: *Almonem puerum*. Movet autem miſerationem ab aetate, cum dicit *juvenis*: a virtute, quod dicit: *Primam ante aciem*: a vulneris etiam crudelitate.

PIERII.

520. RAPTIS CONCURRUNT UNDIQUE TELIS. In veteribus aliquot codicibus, *occurrunt*, non ita proprie legitur; ſed dicamne illud, *curro*, verbum eandem olim habuiſſe pronuntiationem, quae nunc in ore vulgi eſt? *concorrunt* enim in antiquiſſimis codicibus notatum animadverti: ne credamus ſola illa *vortom*, *divom*, *ſaevom*, & alia hujuſmodi u in o mutaſſe.

524. STIPITIBUS DURIS AGITUR SUDIBUSVE PRAEUSTIS. Nonnulli, *ſtypitibus*, per y prima ſyllaba ſcribunt: ut ἀπὸ τ͂ στύπου veniat: idem enim ſignificat. Quidam malunt per i Latinum, uti etiam ſtipare per i, quamvis στύπον, unde verbum deductum volunt, per y ſcribatur, quae apud nos in u tranſit: *Stupam* enim dicimus. Eſt & illud animadverſione dignum, quamvis & hoc κατὰ πάρεργον, apud T. Livium libro primo primae decadis deſiderari lectionem caſtam: *Sudem praeuſtam*: nam ita in codice vetuſto legimus: *Ut Fecialis haſtam ferratam, aut ſudem praeuſtam, ad fines eorum ferret*. Vulgata enim exemplaria legunt, *haſtam ferratam, aut ſanguineam*.

527. ET LUCEM SUB NUBILA JACTANT. In codicibus aliquot antiquis, *lumen*, legitur; ſed *lucem*, melius. In aliquot aliis, *lucem ſub lumina*, habetur cum paraphraſi ſolis; ſed, *nubila*, ob antitheton magis receptum eſt.

528. COEPIT CUM ALBESCERE VENTO. In Romano codice, *ponto*, legitur, hoc eſt, prima parte ponti; ſed magis placet omnino, *vento*, quo ſpirante criſpantur in ſpumas undae, & ita albeſcunt.

Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almo
Sternitur. Haesit enim sub gutture volnus, & udae
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.
535 Corpora multa virum circa, seniorque Galaesus,
Dum paci medium se offert: justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
540 Atque ea per campos aequo dum Marte geruntur,
Promissi dea facta potens, ubi sanguine bellum
Inbuit, & primae commisit funera pugnae,
Deserit Hesperiam, & caeli convexa per auras
Junonem victrix adfatur voce superba:

En,

SERVII.

532. ALMON. Bene rustici nomen usurpavit a fluvio.

533. HAESIT ENIM SUB GUTTURE VOLNUS. Id est, sagitta, ut: *Illum ardens infesto volnere Pyrrhus Insequitur*. UDAE VOCIS ITER. Hoc est, udum iter vocis: non enim vox uda est; sed per udam arteriarum labitur viam: unde in febrientibus deficit.

535. CORPORA MULTA VIRUM CIRCA. Constrata sunt. Rhetorice viles trudit in medium; nobiles vero primo & ultimo commemorat loco.

536. DUM PACI MEDIUM SE OFFERT. Reddit causam: nam quid senex bellis intererat?

537. OLIM DITISSIMUS ARVIS. Secundum antiquum morem. Horatius: *Dives antiquo censu*.

538. QUINA REDIBANT ARMENTA. Pro quinque, sicut *bina hastilia*.

539. ET TERRAM CENTUM VERTEBAT ARATRIS. Duo dixit a Catone memorata, qui, interrogatus qui esset paterfamilias, respondit, eum, *qui bene pascit, & bene arat*: nam pascere per *armenta* intelligit; arare vero, per *aratra*.

540. AEQUO DUM MARTE. Aperta contentione, bello manifesto: nam sic dicimus. *Aequum* autem pro aequali non possumus dicere; cum soli interempti sint Itali.

541. PROMISSI DEA FACTA POTENS. Honesta elocutio *Potens promissi*. Promisisse autem eam consensione intelligimus: nam non promisit.

542. IMBUIT. Initiavit. Et bene SANGUINE: nam potest bellum & a discordia, vel a dissensione inchoari.

543. ET CAELI CONVEXA PER AURAS. Probus, Asper, Donatus, dicunt, hoc loco *per* bis accipiendum, ut adloquatur Junonem *per caeli convexa*, & *per auras*. Potest tamen esse Epexegesis *per auras*, id est, *caeli convexa*: nec enim aliud sunt *aurae*. Dicit etiam quidam commentarius CONVECTA legendum, ut sit *ipsa convecta*, quod difficile in exemplaribus invenitur.

544. VICTRIX. Voti compos. AFFATUR. Jam cum superbia. Bene autem ei in principio denegavit orationem, quasi ad scelera festinanti: quam modo tribuit post bella jam coepta.

PIERII.

532. NATORUM TYRRHI, FUERAT QUI MAXIMUS, ALMON. Veteres quidam codices versum ita scribunt: *Gnatorum Tyrrhei fuerat qui maximus Almo*: dicitur vero *Almo* per o finale, ut *Plato*, *Solo*: nullum enim nomen Latinum ON litteris finiri, ait Sosipater. Plinius quaedam designat usu recepta, ut *Pluton*, *Xenophon*. Juniores Grammatici plura recepere.

533. HAESIT ENIM SUB GUTTURE VOLNUS. In antiquis aliquot codicibus, *exit*, legitur: ubi, *volnus*, pro telo ponetur, veluti superius: *Illum infesto volnere Pyrrhus Insequitur*. Est huic simile, *transabiit costas*, de quo suo loco dictum. *Haesit* tamen, Medicei codicis lectio, haud quaquam contemnenda.

535. SENIORQUE GALESUS. In Romano codice, & hic, & inferius, *Gelaesus*, scribitur per E prima syllaba, & AE diphthongo pene ultima. In reliquis *Galesus*.

537. DITISSIMUS ARVIS. In Mediceo, *agris*; sed *arvis*, hic receptum.

543. COR-

545 En, perfecta tibi bello discordia tristi.
Dic, in amicitiam coëant, & foedera jungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros.
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbis,
550 Accendamque animos insani Martis amore:
Undique ut auxilio veniant. Spargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum & fraudis abunde est.
Stant belli caussae: pugnatur comminus armis.
Quae fors prima dedit, sanguis novus inbuit arma.
555 Talia connubia, & talis celebrent hymenaeos
Egregium Veneris genus & rex ipse Latinus:
Te super aetherias errare licentius auras,
Haud Pater ille velit summi regnator Olympi.

Cede

SERVII.

545. BELLO DISCORDIA TRISTI. Juno enim belli popoſcerat semina. Haec ipsa etiam bella perfecit.

546. DIC IN AMICITIAM COEANT. Ac si dicat: Ita bella commovi, ut ne tuo quidem imperio possint in pacem redire. Et hoc est, quod dicit: *Affatur voce superba*. Alii dicunt: Ego inter hos bella commisi; tu vicinos populos foederibus junge, & partibus favere compelle: quod tamen, si vis, ego faciam; ut hinc sit: *Ego, si qua super fortuna laborum est, Ipsa regam*.

548. CERTA VOLUNTAS. Si tua in hoc consentit auctoritas.

550. INSANI MARTIS AMORE. Homeri epitheton: Θέρειν Ἄρηα.

551. SPARGAM ARMA PER AGROS. Meminit sui: nam supra dixit: *Sere crimina belli*.

552. TERRORUM ET FRAUDIS. *Terrorum*, ex morte tot hominum; *fraudis* vero, ex cervi vulneratione.

553. STANT BELLI CAUSSAE. Manifestae sunt, vel placent, ut: *Stat conferre manum*.

555. TALIA CONNUBIA. Concessio ex indignatione.

556. EGREGIUM VENERIS GENUS. Ironicos dictum est, ut alibi: *Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis*. IPSE LATINUS. Ac si diceret: quem Aeneae caussa cogor odisse: unde & Amatae nulla fit mentio, quae est Trojanis inimica. Urbanus tamen totum hunc locum accipit per interrogationem: *Terrorum & fraudis abunde est? Stant belli caussae?* ut Terentii illud: *Quia plus cupio, minus credo, Quia tam misere cupio, eo vereor magis*.

557. SUPER AETHERIAS. Quia dixerat: *Caeli convexa per auras*.

PIERII.

543. COELI CONVEXA PER AURAS. Sunt qui *convecta* legant: sed in exemplaribus non inveniri Servius attestatur.

545. EN PERFECTA TIBI BELLI DISCORDIA TRISTI. In codicibus aliquot antiquis legitur: *Belli discordia tristis*; sed magis placet, *bello tristi*: quo medio discordia perfecta esset.

546. DIC IN AMICICIAM COEANT. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Sic in amiciciam coeant*: ironice. Servius tamen, & alii agnoscunt, *dic*: idque late exponunt.

548. QUANDOQUIDEM AUSONIO RESPERSI SANGUINE TEUCROS. In Romano codice legitur: *Quando equidem*; sed, *quandoquidem*, in aliis omnibus habetur.

552. ET FRAUDIS ABUNDE EST. In Romano codice per apostrophen, *abundest* legitur, ut: *in test*: & hujusmodi pleraque in antiquis marmoribus scribi solita adnotavimus.

555. TALIA CONNUBIA. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *conjugia*, legi: & alibi observatum, pro *conubio*, *conjugio*, haberi in manu scriptis exemplaribus plerisque.

558. HAUD PATER IPSE VELIT. In antiquis omnibus

Cede locis. Ego, si qua super fortuna laborum est,
560 Ipsa regam. Talis dederat Saturnia voces.
Illa autem attollit stridentis anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
Est locus Italiae medio sub montibus altis
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
565 Amsancti valles. Densis hunc frondibus atrum
Urguet utrimque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis & torto vertice torrens.
Hic specus horrendum, saevi spiracula Ditis,
Monstratur, ruptoque ingens Acheronte vorago
570 Pestiferas aperit faucis: quis condita Erinnys,

SERVII.

561. ATTOLLIT STRIDENTIS ANGUIBUS ALAS. Honesta volantis periphrasis.

563. EST LOCUS ITALIAE IN MEDIO. Hunc locum umbilicum Italiae Chorographi dicunt. Est autem io latere Campaniae & Apuliae, ubi Hirpini sunt, & habet aquas sulphureas, ideo graviores, quia ambitur sylvis. Ideo autem ibi aditus dicitur Inferorum, quod gravis odor juxta accedentes necat: adeo ut victimae circa hunc locum non immolarentur; sed odore perirent ad aquam applicatae: & hoc erat genus litationis. Sciendum sane, Varronem eoumerare quot loca in Italia sint hujusmodi: uode etiam Donatus dicit Cauusiae esse, vel Lucaniae, qui describitur locus circa fluvium, qui Calor vocatur: quod ideo non procedit: quia ait: *Italiae medio sub montibus altis*. Hoc enim, si ad totam Italiam referas, non procedit, ut sit: Est in vallibus Italiae montosae: nam in hoc loco montes penitus non sunt.

564. NOBILIS. Notus, quod & sequentia indicant.

565. AMSANCTI VALLES. Loci *amsancti*, id est, omni parte sancti: quem dicit & sylvis cinctum; & fragosum torrente fluvio.

568. HIC SPECUS HORRENDUM. Hoc nomen apud majores trium generum fuit. Ennius foeminino posuit: *Sub monte specus altae*. Horatius masculino: *Quae nemora, aut quos agor in specus?* Virgilius neutro, quo hodie io numero singulari tribus tantum utimur casibus: *hoc specus, hujus specus, o specus:* nam pluralem tantum a geoere masculioo habemus in omnibus casibus. Hic est: *Ipse in defossis specubus*. Quanquam antiqui codices habeant: *Hic specus horrendus*. SPIRACULA DITIS. Aditus, a *spirando*, quod ibi hostiae admotae concidant & moriantur. Antiqui codices *piracula* habent, quae dicta sunt ἀπὸ τῶν κάτω, hoc est, a finibus Inferorum.

569. VORAGO. Acherontis exaestuatio.

570. CONDITA ERINNYS. Recepta; alii CONDIT legunt, & *se* subaudiuot.

PIERII.

bus codicibus, *pater ille*, uti etiam mutatum superius pronomen hoc adootavimus, eo loco: *Sic Juppiter ille monebat*.

559. FORTUNA LABORUM EST. In plerisque codicibus antiquis, *est*, noo habetur.

563. ITALIAE IN MEDIO. Antiqua omnia exemplaria leguot: *Italiae medio*, absque *in*. Succurrit vero ad hoc ex Solino, quod Varro tradidisse fertur: *Italiae umbilicum in agro Reatino esse*.

565. AMSANCTI VALLES. Io Romano codice, *amfracti*, legitur, ioemendate: nam Servius, & alii veteres Grammatici, *amsancti*, agnoscunt: cui quidem lectioni Claudianus etiam adstipulatur.

566. MEDIOQUE FRAGOSUS DAT SONITUM SAXIS, ET TORTO VORTICE TORRENS. In codicibus aliquot antiquis, *fragosis*, ut cum *saxis* jungatur; sed longe magis placet: *Torrens fragosus saxis, & torto vortice*. In aotiquis vero aliquot, *vertice:* quod, ut dictum superius, tantundem esse vult Arusianus.

568. SPECUS HORRENDUM ET SAEVI. Io ant. plerisque non habetur, *&:* dictum vero per appositionem, *saevi spiracula ditis*, ostendit verbum unitatis numero positum, *monstratur*, in iisdem codicibus; sed enim exemplaria pleraque, *monstrantur*, legunt numero multitudinis.

Invisum numen, terras caelumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Inponit regina manum. Ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus, caesosque reportant,
575 Almonem puerum, foedatique ora Galaesi:
Inplorantque deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine caedis & igni
Terrorem ingeminat: Teucros in regna vocari,
Stripem admisceri Phrygiam; se limine pelli.
580 Tum quorum attonitae Baccho nemora avia matres
Insultant thiasis, (neque enim leve nomen Amatae)
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti contra omina bellum,
Contra fata deum perverso numine poscunt.
585 Certatim regis circumstant tecta Latini.

SERVII.

571. CAELUMQUE LEVABAT. Relevabat, recreabat: cui praesentia sui erat oneri.

572. EXTREMAM SATURNIA BELLO IMPONIT REGINA MANUM. Quod superest, perficit. Et est translatio a pictura, quam manus complet, atque ornat extrema.

575. FOEDATI. Cruentati. IMPLORANTQUE DEOS. Ad auxilium & ultionem.

576. OBTESTANTURQUE LATINUM. Propter caedem factam testem adhibent: & dicunt, auctores rupti foederis esse Trojanos, cum ipsi pacis jura temerarint.

577. ET IGNIS. In ipso scilicet seditionis incendio ac fervore.

578. TEUCROS IN REGNA VOCARI. Subaudis dicit. Et *Teucros*, injuriose, ac si diceret exules, & perfidos.

579. SE LIMINE PELLI. Interiori familiaritate, ut Juvenalis: *Limine submoveor*.

580. ATTONITAE BACCHO. Veluti Baccho: Furiis enim agebantur. Et sic est dictum, ut: *At medias inter caedes exultat Amazon*. NEMORA AVIA. Per nemora.

581. THIASIS. Choreis. NEQUE ENIM LEVE NOMEN AMATAE. Juvenalis: *Quae non faciet quod principis uxor?*

582. MARTEMQUE FATIGANT. Praelium cum clamore deposcunt.

583. CONTRA OMINA. Superius de apibus & Lavinia.

584. FATA DEUM. Propter Fauni oraculum. PERVERSO NUMINE. Irato.

PIERII.

570. QUEIS CONDITA ERYNNIS. In Mediceo codice, *condit*, verbi voce scriptum est: quam lectionem non ignoravit Servius.

571. TERRAS CAELUMQUE LEVABAT. In aliquot antiquis codicibus, *terram*, legere est, unitatis numero: & *levavit*, praeterito tempore; quum tamen imperfectum Servius agnoscat.

577. MEDIOQUE IN CRIMINE CAEDIS ET IGNIS. In Romano codice, *igni*, legitur: quippe medio; sed *caedis & ignis*, melius.

583. CONTRA OMINA BELLUM. In antiquis aliquot codicibus omnino legere est, *contra omnia*: quam lectionem agnoscit Servius, quamvis ibi mutilus videatur, interpretesque *auguria* subaudiendum ajunt; sed utcumque illi, *omnia* magis placet: & antiquorum exemplarium bona pars ita legendum persuadent.

585. CERTATIM REGIS CIRCUMSTANT TECTA LATINI. In Mediceo, *tecta tyranni*, scriptum cum paraphrasi, *Latini*. Dubitarunt forte aliqui nugationem esse, *Regis Tyranni*: atque ideo paraphrasin admisere. Verum hoc ego in medio relinquo.

Ille, velut pelagi rupes inmota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quae sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet, scopuli nequidquam & spumea circum
590 Saxa fremunt, laterique inlisa refunditur alga.
Verum, ubi nulla datur caecum exsuperare potestas
Consilium, & saevae nutu Junonis eunt res,
Multa deos aurasque pater testatus inanis,
Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella!
595 Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas,
O miseri. Te, Turne, nefas, te triste manebit
Supplicium; votisque deos venerabere seris.
Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura locutus

Se-

SERVII.

586. VELUT PELAGI RUPES. Cum Cicero seditionem fluctibus comparaverit, *In illis dumtaxat fluctibus concionum:* bene Virgilius eum, qui resistit seditioni, *rupem* vocavit.

589. MOLE TENET. Hic distinguendum; ut SCOPULI nominativus pluralis sit.

591. COECUM CONSILIUM. Fremitui populi bonum nomen imposuit.

594. FRANGIMUR. Permansit in rupis translatione.

595. SACRILEGO SANGUINE. Quia bellum sumebant contra voluntatem deorum.

597. VOTISQUE DEOS VENERABERE SERIS. Quia religio rigida dicit, semel male commissa nulla ratione revocari, Horatius: *Dira detestatio nulla expiatur victima.*

598. PARTA QUIES. Scilicet vicinae mortis beneficio. IN LIMINE PORTUS. Securitas omnis in portu est.

599. FUNERE FELICI SPOLIOR. Exequiis tantum regalibus careo.

PIERII.

586. ILLE VELUTI PELAGI RUPES IMMOTA. In antiquis nonnullis codicibus legere est: *pelagi moles*, propterea quod statim subsequitur, *ut pelagi rupes*. Verum hujusmodi repetitio magno cum decoro, & venustate summa facta mihi videtur: & probatiora omnia exemplaria, *rupes*, habent: nam de *mole* statim subjicit: *Quae sese multis circum latrantibus undis, Mole tenet scopuli nequidquam, & spumea circa Saxa fremunt.* Ubi Servius *tenet* distinguendum dicit, ut *scopuli*, nominativus sit casus. In antiquis tamen codicibus distinctio est post dictionem, *scopuli*, ut legitur; *mole scopuli*. Sequitur vero absque & in iisdem codicibus vetustis: *nequicquam spumea circum Saxa fremunt;* sed copulativa ea inserta, multum habet venustatis, & gratiae.

590. LATERIQUE ILLISA REFUNDITUR ALGA. Variat haec lectio in codicibus antiquis; aliis, *aspersa*, aliis *infusa;* aliis aliter legentibus; sed enim, *illisa*, vulgata lectio magis placet.

591. COECUM EXSUPERARE POTESTAS CONSILIUM. In aliquot antiquis codicibus, *expugnare;* sed *exsuperare*, in pluribus habetur.

592. NUTU JUNONIS EUNT RES. In Romano codice una dictione legitur, *euntes*, quippe populos. Sed enim *eunt res*, longe venustius: & figura apud auctores frequentiori dictum videtur.

593. TESTATUS INANES. In antiquis aliquot codicibus, *testatur inanis*, legitur; sed alterum illud magis placet, ut cum verbo, *frangimur*, connectatur.

594. FERIMURQUE PROCELLA. In antiquis aliquot codicibus, *procellis*, est numero multitudinis; sed, *procella*, suavius.

598. OMNISQUE IN LIMINE PORTUS. Nonnulli veteres codices absque particula *que:* *Omnis in limine*, legunt; sed, *omnisque*, multo melius.

600 Sepsit se tectis, rerumque reliquit habenas.
Mos erat Hesperio in Latio, quem protenus urbes
Albanae coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in proelia Martem,
Sive Getis inferre manu lacrimabile bellum,
605 Hyrcanisve, Arabisve parant, seu tendere ad Indos,
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.

SERVII.

Sunt

601. MOS ERAT. Varro vult morem, communem consensum omnium simul habitantium, qui inveteratus, coosuetudinem facit. HESPERIO IN LATIO. Hoc est in antiquo; nam, ut in primo diximus, duo Latia fuerunt; unde non frustra *Hesperio* addidit. Quod autem dicit hanc consuetudinem antiquam fuisse, falsum est; nam a Numa Pompilio primum instituta est; sed carmioi suo, ut solet, miscet historiam. Notandum sane, inconnexum esse hunc locum, si quis totius libri consideret textum; nam supra ait: *Longa placidas in pace regebat*. Item dicturus est: *Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante*. Et nunc dicit: *Mos erat Hesperio in Latio*. Supra etiam: *Captivi pendent currus*. Item: *Tyrrhenas, i, sterne acies*. Quae ne sint contraria; accipiamus Italiam primo caluisse bellis, medio tempore quievisse: & ad antiquum studium nunc reverti, sicut Romani bello flagravere sub Romulo; quievere sub Numa; sub Tullo Hostilio pristina studia repetiverunt. Hinc est, quod & ipse Virgilius ait: *Longa placidas in pace regebat*; non perpetua. Item: *Desuetaque bello Agmina in arma vocat subito, ferrumque retractat*. Nam retractare, est repetere, quod omiseras. Tale aliquid dicit de genere Syllaoo Sallustius: nam volens ostendere, antiquos majores ejus consulares fuisse; vicinos vero ignavissimos; Syllam vero florentissimum, ait: *Igitur Sylla patriciae gentis fuit, familia jam extincta majorum ignavia*. QUEM PROTINUS. Jugiter, deinde: nam nunc temporis est adverbium; alibi loci, ut: *Cum protinus utraque tellus Una foret*.

602. MAXIMA RERUM ROMA. Imperii potita.

603. MOVENT IN PRAELIA MARTEM. Nam moris fuerat, indicto bello, in Martis sacrario ancilia commovere; unde est in octavo: *Utque impulit arma*.

604. GETIS INFERRE BELLUM. Getarum fera gens etiam apud majores fuit: nam ipsi sunt Mysi, quos Sallustius a Lucullo dicit esse superatos.

605. HYRCANISVE. Gens est, dicta a sylva Hyrcania, ubi sunt tigres. ARABISVE PARANT, SEU TENDERE AD INDOS. Hic dativus venit ab eo, quod est *hic Arabus*: nam ab eo, quod est *hic Arabs*, *ab hoc Arabe*, *Arabibus* facit: sicut *Hiberis*; unde est in Lucano: *Occurrit Hiberibus alter*: & *Hiberus*; nam Horatius dicit: *Discet Hiberus, Rhodanique potor*. Item lectum est *Aethiopus*; sed modo tantum *Aethiops* dicimus.

606. AURORAMQUE SEQUI. Ingenti ambitu dixit ipsum ortum diei pro populis. PARTHOSQUE REPOSCERE SIGNA. Hoc in honorem Augusti posuit, quo imperante a Parthis repetita sunt signa, quae Crassus, Triumvir, perdiderat. Qui cum aviditate sua contra auspicia bellum suscepisset, intercedentibus Tribunis plebis, captus cum filio est, & necatus, infuso in os auro, cujus amore pugnaverat.

PIERII.

600. SEPSIT SE TECTIS. In Romano codice, *saepsit*, cum diphthongo, veluti etiam, *saepta*, superius adnotavimus. Ejusdem enim analogiae, *saepe*, *saepes*, & *saepio*.

601. MOS ERAT HESPERIO IN LATIO. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Mos erat in Latio Hesperio*: quod non aeque placet.

605. HIRCANISVE ARABISVE PARANT. In Mediceo cod. & plerisque aliis per copulativam, *que*, scriptum est: *Hircanisque Arabisque*. Advertendum vero, quod a genitivo Graeco Ἄραψ, Ἄραβος, Latini nominativum, *Arabus*, faciunt, ut *elephantus* ab Ἐλέφαντος; ita *Delphinus*, *Abacus*, *Titanus*: quanquam & Graeco etiam declinatu interim delectemur. Agnoscit Sosipater *Arabs*, *Arabis*; & *Arabus*, *Arabi*, utrumque positum a Virgilio: Cinnamque ait in Propemptico Pollionis, *Belidis* dixisse, ut Virgilium, *Arabis*: atque haec ex Plinio subjungit: *es* num. plur. finita nominativo, dativo, *bus* recipiunt: idque commentatores jubent. Quid ergo si sic declinavit, ut Plautus in Bacchidibus: *Arabus*. Et in Penulo: *Murrinus odor Arabus*. Lucillius XXV. *Arabus Artemo*. Deinde & C. Cassius in epistola, quam de Dolabella scripsit: *Arabi mirifico animo erga nos fuerunt*, inquit. *Arabs*, Maro: *Omnis Arabs; omnes verterunt terga Sabaei*. Florus

Sunt geminae belli portae (ſic nomine dicunt)
Relligione ſacrae, & ſaevi formidine Martis:
Centum aerei cludunt vectes, aeternaque ferri
610 Robora: nec cuſtos abſiſtit limine Janus.
Has, ubi certa ſedet patribus ſententia pugnae,
Ipſe Quirinali trabea cinctuque Gabino
Inſignis reſerat ſtridentia limina Conſul;

Ipſe

SERVII.

607. SUNT GEMINAE BELLI PORTAE. Sacrarium hoc Numa Pompilius fecerat circa imum Argiletum, juxta theatrum Marcelli: quod fuit in duobus breviſſimis templis. Duobus autem, propter Janum bifrontem. Poſtea captis Faliſcis, civitate Tuſciae, inventum eſt ſimulacrum Jani cum frontibus quatuor. Unde quod Numa inſtituerat, translatum eſt ad Forum tranſitorium, & quatuor portarum unum templum eſt inſtitutum. Janum ſane apud aliquos bifrontem; apud aliquos quadrifrontem eſſe non mirum eſt: nam alii eum diei dominum volunt, in quo ortus eſt & occaſus. Horatius: *Matutine pater, ſeu Jane libentius audis*. Alii anni totius, quem in quatuor tempora conſtat eſſe diviſum. Anni autem eſſe deum illa res probat: quod ab eo prima pars anni nominatur: nam ab Jano Januarius nuncupatus eſt.

608. RELLIGIONE SACRAE. Tremendae, execrabiles: nam & paulo poſt dicturus eſt: *Triſteſque recludere portas*.

609. FERRI ROBORA. Bene addidit *ferri*: nam omne quod forte eſt, *robur* vocamus.

610. JANUS. Quidam *Janum*, *Eanum* dicunt ab *eundo*, eumque eſſe Martem; & quod apud Romanos plurimum poteſt, ideo primum in veneratione nominari. Alii *Janum* aerem credunt; & quia vocis genitor habeatur, idcirco mandari ei preces noſtras ad deos perferendas. Alii *Janum* mundum accipiunt, cujus caulae ideo in pace clauſae ſunt, quod mundus undique clauſus eſt; belli tempore aperiuntur, ad auxilium petendum ut pateant: Nam quaſi mundo ei duas facies dederunt, Orientis & Occidentis; quod jam ſupra dictum eſt: alii quatuor, ſecundum quatuor partes mundi. Alii *Cluſium* dicunt, alii *Patulcium*, quod patendarum portarum habeat poteſtatem. Idem *Junonius*; inde pulchre Juno portas aperire inducitur. Idem *Quirinus*; unde trabeatum Conſulem aperire portas dicunt, eo habitu, quo Quirinus fuit.

612. IPSE QUIRINALI TRABEA. Aut regali; aut qua uſus eſt Romulus. Horatius: *Trabeati jura Quirini*. Suetonius in libro de Genere veſtium, dicit tria eſſe genera trabearum: unum diis ſacratum, quod eſt tantum de purpura; aliud regum, quod eſt purpureum; habet tamen album aliquid; tertium, augurale, de purpura & cocco. *Quirinali* ergo, regali. CINCTUQUE GABINO. *Gabinus cinctus*, eſt toga ſic in tergum rejecta, ut ima ejus lacinia a tergo revocata hominem cingat. Hoc autem veſtimenti genere veteres Latini, cum necdum arma haberent, praecinctis togis bellabant: unde etiam milites *in procinctu eſſe* dicuntur. Hoc rurſus utebatur Conſul bella indicturus, ideo quia, cum Gabii, Campaniae civitas, ſacris operaretur, bellum ſubito evenit: tunc cives cincti togis ſuis ab aris ſunt ad bella profecti, & adepti victoriam. Propter quod omen tali habitu ſemper utebantur in bellis: unde hic ortus eſt mos.

613. INSIGNIS RESERAT STRIDENTIA LIMINA CONSUL. Is, qui prior creatus eſt. *Inſignem* accipe, primo loco creatum: licet alter ſimilem habeat poteſtatem.

PIERII.

rus ad Hadrianum: *Quaſi de Arabe, aut Sarmata manubias*. Haec a magnis viris accepta ideo libenter retuli, ut eorum calumniis obviam irem, qui ſaepe incuſant me, nimis ad humilia nonnunquam declinare, videantque ſummos viros haec eadem non incurioſe pertractaſſe, quae delicata noſtra aetas quodammodo faſtidit.

612. CINCTUQUE GABINO. In pleriſque codicibus antiquis, inemendate legitur: *Sabino*, quum *Gabino*, ſit omnino legendum: de quo *cinctu*, ut obiter locum apud Livium corrigamus, ita habetur in veteri codice Parrhaſiano. *Sacrificium erat ſtatutum in Quirinali colle genti Fabiae: ad id faciendum C. Fabius Dorſo, Gabino cinctu ſacra manibus gerens, cum de Capitolio deſcendiſſet*. Vulgata exemplaria habent, *Gentis Fabiae*, genitivo caſu, & pro, *C. Fabius Dorſo*, corrupta verba, *Claudius Fab. Dorſum*.

Ipſe vocat pugnas: ſequitur tum cetera pubes:
616 Aereaque adſenſu conſpirant cornua rauco.
Hoc & tum Aeneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, triſtiſque recludere portas.
Abſtinuit tactu pater, averſuſque refugit
Foeda miniſteria, & caecis ſe condidit umbris.
620 Tum Regina deum caelo delabſa morantis
Inpulit ipſa manu portas, & cardine verſo
Belli ferratos rupit Saturnia poſtes.
Ardet inexcita Auſonia, atque inmobilis ante.
Pars pedes ire parat campis; pars arduus altis
625 Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars levis clipeos, & ſpicula lucida tergent
Arvina pingui, ſubiguntque in cote ſecuris:
Signaque ferre juvat, ſonituſque audire tubarum.
Quinque adeo magnae poſitis incudibus urbes

Tela

SERVII.

614. IPSE VOCAT PUGNAS. Tria ſunt, ut diximus ſupra, militiae genera: Sacramentum, in quo jurat unuſquiſque miles, ſe non recedere, niſi praecepto conſulis, poſt completa ſtipendia, id eſt, militiae tempora: Conjuratio, quae fit in tumultu, id eſt, Italico bello, & Gallico, quando vicinum Urbis periculum ſingulos jurare non patitur; ut inter Fabios fuit: Evocatio; quod genus nunc tangit: nam ab ſubitum bellum evocabantur: unde etiam conſul ſolebat dicere: *Qui Rempublicam ſalvam eſſe vult, me ſequatur*.

615. CONSPIRANT CORNUA RAUCO. Nam & tubae ſimul inflabantur.

619. FOEDA MINISTERIA. Cruenta; more ſuo.

620. MORANTES. Scilicet bella, differentes.

622. RUPIT SATURNIA POSTES. Acyrologiam fecit, commutando Ennii verſum: Nam ille ait: *Belli ferratos poſtes, portaſque refregit*.

623. IMMOBILIS ANTE. Non ſemper; ſed antehac. Poteſt tamen & immobilis a Furia: nam ante geſſit bella; ſed jure indicta per Feciales, & Patrem patratum.

626. TERGENT. Ab eo, quod eſt *tergeo*, *terges*, venit: & *tergunt*, a *tergo*, *tergis*, quod de uſu penitus receſſit.

627. ARVINA. Secundum Suetonium in libro de Vitiis corporalibus: *Arvina, eſt durum pingue, quod eſt inter cutem & viſcus*. Alii *arvinae* nomine laridum dicunt.

629. ADEO MAGNAE. Valde magnae, ut Terentius: *Adoleſcentem adeo nobilem*.

PIERII.

626. LUCIDA TERGUNT. Quamvis codices nonnulli, *tergunt*, legant; plures tamen & probatiores, *tergent*, legunt: & *Tergo*, *tergis*, ex uſu penitus receſſiſſe Servius adfirmat.

627. ARVINA PINGUI. In antiquo codice ſolita mutatione ex U digammo, in B mutam, *arbina*, ſcriptum eſt: perinde ac, *Jubentutis*, pro *Juventutis*. In antiquis aliquot marmoribus notatum inſpicitur:

EX LONGO TEMPORE JUBENTUTIS.

Et ita JUBENTIUS CELSUS, pro, JUVENTIUS. Jam vero BIXIT, pro VIXIT ſexcenties notatum obſervavi. Sed illud non praeterierim ob vitae longioris memoriam, quod in aede D. Ceciliae trans Tyberim legitur:

T. FIELLENIUS. JANUARIUS
SE. VIBO. FECIT. SIBI. QUI
VIXIT. ANNIS. LXXXXVIII.

630 Tela novant, Atina potens, Tiburque ſuperbum,
Ardea, Cruſtumerique, & turrigerae Antemnae.
Tegmina tuta cavant capitum, flectuntque ſalignas
Umbonum cratis: alii thoracas aënos,
Aut levis ocreas lento ducunt argento.
635 Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Ceſſit amor: recoquunt patrios fornacibus enſis.
Claſſica jamque ſonant: it bello teſſera ſignum.
Hic galeam tectis trepidus rapit: ille frementis
Ad juga cogit equos; clipeumque, auroque trilicem
640 Loricam induitur; fidoque accingitur enſe.
Pandite nunc Helicona, deae, cantuſque movete,
Qui bello exciti reges, quae quemque ſecutae

Com-

SERVII.

630. ATINA POTENS. Civitas haec eſt juxta Pontinas paludes, dicta *Atina* a morbis, qui Graece ἄται dicuntur, quos paludis vicinitas creat. TYBURQUE SUPERBUM. Aut nobile: aut per tranſitum tetigit illud, quod, cum aliquando a ſenatu auxilia poſcerent Tyburtes, ſub commemoratione beneficiorum, hoc tantum a ſenatu reſponſum acceperunt: *Superbi eſtis*.

631. CRUSTUMERIQUE. Mutavit: Nam *Cruſtumerium* dicitur. Caſſius Hemina tradidit, Siculum quendam, nomine uxoris ſuae *Clytemneſtrae*, condidiſſe *Clytemeſtrum*, mox corrupto nomine *Cruſtumerium* dictum. Alii volunt a *cruſtula panis*, quam Trojaoi coacti fame exediſſe dicuntur, appellatum. TURRIGERAE ANTEMNAE. Bene muratae. *Antemnae* autem dictae ſunt, quod eas amnis praeterfluit, quaſi ante amnem poſitae.

632. SALIGNAS UMBONUM CRATES. Ut dicit Salluſtius de Lucanis: *Qi de vimine facta ſcuta, recentibus detractis coriis, quaſi glutino adoleſcebant*.

633. THORACAS AHENOS. Quia apud majores loricae tantum pectora tegebant, ut Statius: *Triplici ſervantur pectora ferro*. *Pectora*: nam tergo nullus metus.

634. LENTO DUCUNT ARGENTO. Flexili argento ducunt, id eſt, extendunt. Eſt autem ſpondaicus & reciprocus verſus.

637. CLASSICA JAMQUE SONANT. Bene poſuit amphibolicam: nam *claſſicum*, dicimus & tubam ipſam, & ſonum. *Claſſicum* autem, eſt flexilis tuba. TESSERA SIGNUM. Symbolum bellicum, quod ad pugnam exeuntibus datur: ſcilicet propter confuſionem, ut fuit in exercitu Marii, *Lar deus*: in Syllae, *Apollo Delphicus*: in Caeſaris, *Venus Genitrix*.

638. TREPIDUS. Feſtinus: more ſuo.

640. LORICAM INDUITUR. Dicimus & *induor illa re*, & *illam rem*.

641. HELICONA DEAE. Parnaſſus, mons Theſſaliae, dividitur in Citheronem, Liberi, & Heliconem, Apollinis, cujus ſunt Muſae. Eſt autem Homeri verſus:

Ἔσπετε νῦν μοι Μοῦσαι Ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι·
Ὑμεῖς γὰρ θεαί ἐστε πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.
Ἡμεῖς δὲ κλέος οἶον ἀκούομεν οὐδέ τι ἴδμεν·
Οἵτινες ἡγεμόνες Δαναῶν καὶ κοίρανοι ἦσαν.

MOVETE. Legitur & MONETE.

PIERII.

635. VOMERIS HUC ET FALCIS HONOS, HUC OMNIS ARATRI. Valerius Probus in Artium inſtitutis, *Honor*, habere ultimam natura longam tradit, hoc loco citato.

636. REQUOQUNT. In codicibus aliis, *recoquunt*, ſecunda ſyllaba per c. In Romano, *Recocunt*, utraque per c: nam ſuperius diximus, referente Velio Longo, Q litteram olim a multis excluſam fuiſſe: neque a Nigidio Figulo unquam in Commentariis ſuis poſitam, teſte Victorino. Praeterea diximus placuiſſe aliis, quoties poſt c ſequeretur u, ſemper Q adnotare, ut MEQUM, TEQUM SEQUM, ſcribendum procurarent. Quocirca, *requoqunt*, hi ſcriberent.

642. QUAE QUEMQUE SECUTAE COMPLERINT CAMPOS ACIES. In antiquis pleriſq; codic. *quem-*

que

Complerint campos acies; quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arſerit armis.
645 Et meminiſtis enim, divae, & memorare poteſtis:
Ad nos vix tenuis famae perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis aſper ab oris
Contemtor Divum Mezentius, agminaque armat.

Fi-

SERVII.

644. QUIBUS ARSERIT ARMIS. Aut ſplenduerit: aut amore flagraverit.

647. PRIMUS INIT BELLUM. Non mirum, ſi ſacrilegus & contemptor Divum Mezentius contra piam gentem prior arma ſuſceperit. Et ſcienda eſt poetae affectatio: nam ablepſiam nefas eſt dicere: hic enim aliquos commemorat, quos in bello non invenis. Item in ſequentibus aliquos invenimus, quorum hic nullam fecit commemorationem. TYRRHENIS ASPER AB ORIS. Oriundus; non qui nunc de Tuſcia venit, quem antea pulſum a civibus conſtat.

648. AGMINAQUE ARMAT. Aut eorum, qui eum ſecuti fuerant, ſicut ejus filium: nec enim credibile eſt, ſolum fugiſſe: nam & Statius dicit: *Vel quot movet exul & baeſit Triſtibus aucta fides*. Aut certe eorum, quos Turnus ei ante dederat, ut Adraſtus Polynici in Statio, qui ait: *Ne parva movens inglorius arma Iret*.

PIERII.

que per M, & *complerunt*; ſed quia *floruerit* ſequitur, placet *complerint*. Taceo *compulerint*: quod alibi legitur inemendate.

643. QUIBUS ITALA TANTUM FLORUERIT TERRA ALMA VIRIS. In antiquis omnibus exemplaribus, legere eſt: *Quibus Itala jam tum Floruerit*: quod mirifice placet, ut non modo nunc dicat Italiam viris florere; verum ab eo jam tempore floreſcere coepiſſe.

648. CONTEMPTOR DIVOM MEZENTIUS. In antiquis cod. *divom*. Cur vero *Divum contemptor* habitus ſit, cauſſam ponit Macrobius. Eum quippe Rutilis imperaſſe, ut ſibi offerrent, quas diis primitias offerebant. Quoniam vero paſſim in Romano codice *Mezzentius*, geminato zz notatum invenitur, & Grammaticorum plerique ſcriptionis ejuſmodi rationem graviter improbarunt, libuit inveſtigare, numquid temere id a librariis, an ex uſu temporum factum eſſet. Quumque uſum fuiſſe comperiſſem, pro antiquiſſimi illius codicis auctoritate tuenda, viſum eſt, quod bona lectorum venia factum velim, aliquanto latius evagari: nam veteres etiam Grammatici ſuper hujus ſcriptionis ratione diu multumque decertarunt. Confidenter vero Terentius Scaurus eos dubioprocul falli dicit, qui *Mezzentium*, per duo zz ſcribunt: ignorantes duplicem litteram non debere geminari. Verum idem non inficiatur, colligere quoſdam duplicem non eſſe eam. Negat & Valerius Probus, z dupliciter ſcribi poſſe, eadem objecta ratione, quoniam duplex ſit: quam tamen, ſiquis aure ſinceriore voluerit explorare, non eſſe forte duplicem inveniet: ea ratione, quod duplices pronuntiatione ipſa quas contineant intra ſe litteras oſtendunt, ut ξ & ψ: de quibus nemo dubitarit: nam quum *dixit* proferimus, c quae fuit in *dico*, *cis*, & s, quae formam praeterito dat, articulatim diſcernuntur, non aliter quam ſiquis, *diſcit*, prout in Longobardicis aliquot exemplaribus notatum eſt, pronuntiaverit. Ita in *finxit*, G & S audiuntur. Habet vero G magnam cum C cognationem, ut apparet in *negotio*, quod a *nec otio* factum eſt: ob quam ſcribendi rationem Val. Probus ait, quoſdam exiſtimaſſe x litteram ſupervacuam. Id vero quod de duplicium ſono quaerimus, liquidius apparet in ψ, ut, quum Διψας Graece protulerimus, ſcriptum apud Latinos in eas litteras reſolvetur, quae auditu excipiebantur, P ſcilicet & S. *Eſt quaedam nomine Dipſas anus*. Hinc nonnulli *opſtitis*, per P, non *obſtitis*, per B ſcribendum praecipiunt, quod ejus pronuntiationis ſonus ſit ψ. Sed enim eadem affinitate copulatae ſunt B & P, qua C itidem & G. Itaque ξ nunc CS, uno eodemque ſono videtur auribus inferre; ψ vero nunc PS, nunc BS repraeſentare. Miſſas facio litteras alias, in quas duplices ipſae multipliciter reſolvuntur, quum de iis tantum, quae auditu diſcernuntur, nunc ſermo ſit. Sed enim quum κάζω dicimus, aut φράζω, vel alia ejuſmodi, nullas in z pronuntiato diſtinctas litteras, auribus quantumlibet arrectis excipimus; ſed unum eundemque ſonum ſimplicem, & ejus litterae proprium: neque vero quis huc δ', Δωρικῶς & φράσδω, vel μέσδος, vel κωμάσδω objiciat, quaeque multa Grammatici de quartae conjugationis futuro, deque praeterito medio & aoriſto ſecundo, dicere conſuerunt: nihil enim horum in φράζω, μάζα, & κωμάζω, aurium ſenſu percipimus. Sed ecco, cognoſcatur ex reſolutione vis duplicium z quidem, ſiquan-

Filius huic juxta Lauſus, quo pulchrior alter

SERVII.

ſiquando in alias abeat litteras, aut in *c* aut in *s*, aut in g reſolvi videmus: nam quod eam in geminum *ss* reſolvi dicunt, nondum liquet: in *c* quidem eam abire ex eo manifeſtum eſt, quod *Zethum*, & *Cethum*, pro Amphionis fratre promiſcue Graeci ſcribere conſuerunt, ut Martianus Capella ſe obſervaſſe tradit. Quin etiam nomen idem per *s* notatum *Sethum*, nonnulli prodidere. *Smyrna*, unico *s*, quae prius, ut idem Martianus auctor eſt, *Zmyrna*, ζ ante *m* praepoſita, dicebatur: cujusmodi inſcriptionis exempla & nos in antiquorum monumentis obſervavimus. Romae enim in Divae Anaſtaſiae antiquo marmore legitur:

CASSIA L. L. ZMYRNA NUTRIX V. A. XXIX.

Et in Campo Florae:

POMPONIA ZMYRNA TESTAMENTO.

Eadem porro ratione *Smaragdum*, & *Zmaragdum*, ſcriptum animadvertimus. Ut in Veientibus in Arce Caſtri novi Urna vetus admodum indicat, ita inſcripta:

DIS MANIBUS
OSSUIS
ZMARAGDI

Et in hortis Joannis Coritii, quos in Fo. Trajani Academiae Ro. Genio conſecravit, antiquiſſimo lapide legere eſt:

M. AEMILIO M. F. APPRONIANO FILIO DULCISSIMO M. AEMILIUS ZMARAGDUS ET SPERATA PARENTES.

Quid vero *Lesbia*? nonne & *Lezbia*, per ζ ſcribi ſolita eſt? Sane apud Marium Maffeum Volaterranum, Aquinatum Antiſtitem, monumentum eſt ſane quam antiquum, in quo ſcriptum:

LEZBIAE OSSA HIC SITA SUNT

Ac ne nomen id aliud eſſe dubites, eodem marmore & LESBIA legitur:

SEI NOMEN QUAERIS, SUM LESBIA

Idem in *Mezzentio* crediderim eveniſſe: quod nomen gemino *ss* aliquando ſcribi ſolitum Velius Longus ait: quo loco, ſunt qui pro *ss* geminato, *s* & *c* ſubſtituere malunt: quod mihi tantumdem eſt, quum ſupra oſtenderimus ζ & κ pro eadem littera aliquando Graecis agnitas. Has vero qui mutuarunt, in ζζ geminatum tranſtulere: vel cum antiquitus *Mezzentius*, duplicato ζζ ſcriberetur, in geminum inde *ss* utrumque ζ commutatum eſt. Quod vero minus ζ ſit duplex, id ſatis ſuperque potuerit indicare, quod ante *m* ſyllaba praejici ſolita ſit ab antiquis: quae ſi duplex fuiſſet, dubioprocul reſilire coacta foret. Multa praeterea reperiuntur exempla tam apud Graecos, quam apud Latinos, in quibus ζ vocalem praecedentem minime producat: quod quidem facere non poſſet, ſi duplex eſſet. Id forte Latini neglexerunt, qui etiam in nonnullis ipſa re geminatis, praecedentem vocalem corripuere, ut, *ponite ſpes*. Sed enim Graeci regulam eam religioſiſſime ſuſcepere. Quare Homerum aiunt nunquam ſcripturum ὑλήεσσα Ζάκυνθος, ſi ζ duplicem agnoviſſet. Quod quia veritus Theocritus ſit, eum aiunt ſubſequentem etiam vocalem ob ζ litterae duplicitatem produxiſſe in hoc eodem nomine καλὰ πόλις ἁ Ζάκυνθος. Verſum enim hunc ſpondaicum eſſe volunt. Sed enim utrum duplex littera vim habeat producendi vocalem ſubſequentem, an α littera dichrona ſuapte vi in Zacintho produci potuerit, viderint eruditi: mihi ſane minime diſplicet eorum ſententia, qui Δ[illegible]κυνθος per reſolutionem ſcriptum a Theocrito contendunt. Atque ita facile perſuaſum habuerim eam minime duplicem eſſe litteram, quae id nequaquam praeſtet, quod eſt duplicium maxime proprium. Quantum vero pertinet ad ejus naturam, ζ aliter ſonat ſimplex, aliter geminata: quae ſi duplex eſſet, neque quidem in dictionibus inarticulatis pronuntiari poſſet geminata: nedum in nominibus aliquid ſignificantibus ex nullorum idiomatum uſu frequenter adeo geminaretur: geminatas enim, quas iſti ſemper duplices ajunt, vel ξξ vel ψψ, nemo unus unquam expreſſerit. At *Mezzentius*, geminato ζζ etiam Balbus non difficulter enuntiarit. Sed quaenam, bone Deus, religio ſit, ζ vel non eſſe duplicem, vel non ſemper duplicem aſſeverare, quam peritiſſimorum hominum conſenſu, ne *x* quidem ſemper duplex habeatur: quorum opinionem plerique ſecuti longa annorum ſerie *s* litteram ſemivocalem illi ſuppetias ferre juſſerunt; unde toties in veterum monumentis VIXSIT, ALEXSANDER, AUXSILIUM, CAPPADOXS, & in Galbae nummis, PAXS, inveniuntur. Sed quia hujusmodi pleraque nonnulli audent imperitiae ſaeculorum adſcribere, audiamus obſecro Probum in Arte ſuper ζ ita diſſerentem. *Nam & hoc monemus, quod pauci ſciunt: ſiquidem non ſemper x littera duplex ſit accipienda, quando ſubjecta ſyllabam conformat, ut puta nox, & noct, lex & lege, felix & felici, & caetera talia: ſiquidem tunc & ſonum duarum litterarum contineat. At vero quando praepoſita ſyllabae exiſtat, non duplex, ſed ſimplex eſt accipienda, ut puta Maximus, Anxius; nunquid nam maſcimus, aut anſcius, & caetera talia? & ideo, ut diximus, quoties x littera ſyllabae exiſtat ſimplex eſt ſupputanda, ſcilicet cs, & gs, litterae geminatae, ſi vocalibus praeponantur, nunquam ſonum ſyllabae ſuſcitabunt.* Haec Probus. At quanto ho-

650 Non fuit, excepto Laurentis corpore Turni.

SERVII.

nestius haec de ζ dici possunt, quae in Latinis & Graecis nominibus syllabae praeposita fere semper existat. In alterius vero linguae nominibus nunc subjecta syllabam conformet, nunc expresso & intelligibili sono non aliter geminari sentiatur, quam *ss* in *esse*; *ll* in *tollo*; *rr* in *borreo*, & similia: namque soni diversitatem in ζ simplici, & in geminato, nomen hoc ostenderit μάζα, pro pane dulciario, in quo unum quidem ζ tantum, & id leniter enuntiatum auditur; Si vero *mazza*, quo vocabulo vulgo *clavam* appellant, & utrumque ζ distinctum, & vox plenior & crassior percipitur, non aliter quam si *terat*, a *tero teris*, & *Terrasque, tractusque maris* enuntiaveris. Liceat vero mihi exempla quaedam, ex ea, quae nunc in Italia viget, lingua desumere. Quod & Adamantio, & Capro, & aliis, ubi de hujusmodi aliqua re disputandum sit, bona est venia concessum. Neque clarissimi aetate superiori viri, Jovianus Pontanus, & Hermolaus Barbarus, talia sunt aspernati. Quinimmo illud forte non temere asseverarim, ζ aliam apud Graecos litteram, aliam apud Latinos esse: si quo apud Graecos, & quo apud Latinos sono pronuntietur, diligentius animadverterimus; nam quum Graeci νίζω, hoc est lavo dicunt, aut φύζα fuga, aut ὑλήεσσα Ζάκυνθος, aut Ζάμα oppidum, non aliter fere apud Latinos sonat ejus litterae vox in ore Graecanico: quam si *niso*, simplicis *s*, aut *physis*, *Sacynthus*, *Sama*, ore Latino pronuntientur. Contra vero, si Graecus Latinum hominem audierit pronuntiantem vel *Asiam*, vel *Aspasiam*: si quem audierit sonum suae linguae litteris scribere voluerit, Ἀζίαν dubioprocul, & Ἀσπαζίαν scribet. Siquidem *s* apud ipsos pleniori sono vibratusque pronuntiatur quam apud Latinos, apud quos ea littera nescio quo pacto languidior videtur esse. Et, ut Caper ait, in Etruria raro exprimitur ob exilitatem. Longe vero validius sonat *s* quum Graeci φύσιν dicunt, quam quum Latini *confusim*. Ea autem de pronuntiatione loquor, quae viget aetatis nostrae usu; nam quae fuerit in antiquis, tam Graecis, quam Romanis, pronuntiatio ignoratur prorsus; usque adeo tam apud illos, quam apud nos, omnia pessum iere, vel a pristina illa Venere praevalente barbarie degenerarunt. Audivi tamen Patavii M. Musurum, quum Graecas litteras summa omnium admiratione profiteretur. Et jucundissima ejus consuetudine, quamdiu Romae vixit, in eodem conturbenio, apud Clarissimum Principem Julium Cardinalem Med. fruebar, Janum Lascarin, tanti nominis virum, & Venetiis, quum Regis Galliarum Orator esset, & Romae colui: cum Basilio Chalcondylo, Demetrii F. dum in gymnasio Romano Graece profiteretur, familiarissime vixi: omnes eo, quem dixi sono, litteras has proountiare memini. Nostri vero, quum Latine loquuntur, ζ eo sonn pronuntiant, quo Bononienses, & Aemilia ferme tota *g* consonantem quintam; nam quod Latini *legere* dicunt, Bononienses *lezere* proferunt: & *Zeorzium*, pro, *Georgium*, & hujusmodi reliqua. Denique idem in ζ apud Latinos sonus, qui apud Hebraeos in Zain: ea enim simpliciter scribitur, nisi quum daghes punctum, qui duplicem facit literam, admittit, quum ipsi interim alias quasdam litteras ostentent, quibus sonus ille nunc plenior nunc incitatior evibretur, suis modo punctis, modo notis quibusdam & apicibus, distinctas; quas tamen omnes in unum ζ, tam apud Latinos quam apud Graecos, abire necesse sit. Quod, nisi Latinis concedatur, ut in aliquibus litteris Hebraeos imitari valeant, id impium saltem fuerit, nolle in Etruscis nominibus Etrusci nos usum idiomatis imitari. Nomen Etruscum est, *Mezzentius*. Consonantes ea natio tum reliquas tum praecipue ζ geminare gaudet. Quod si, ut Velius Longus ait, *Messentius* scribi solitum sit, *s* geminato; *s* vero, uti ex marmoribus antiquis comprobatum est, in ζ abire consueverit, non est mihi mirum, utrumque *ss* in ζζ totidem transmutata. *Nissa* urbs, ut auctor est Theodorus, in Orthographiae praeceptis, *ss* duplicato scribitur: eadem apud Etruscos & universos Italos, ζζ geminato, *Nizza*, passim & scribitur & enuntiatur, & pleraque alia: quae in Latinis dictionibus unica & simpliei consonante proferuntur, per geminatum ζζ scriptitamus; & hujusmodi pronuntiatio aequis omnium auribus totius jam Italiae lingua comprobata est. Neque vero ausit quisquam eam barbaram appellare linguam, quam nunc Itali viri omnes, ut quisque maxime excellit litteratura, ita majori studio ostentare ac posteritati commendare affectant. Neque minorem ex Poematibus ea lingua conscriptis gloriam sibi proponunt, quam ex Latinis Graecis velitteris, quas studiosissime fuerint assecuti. Quique omnino politiores haberi volunt, tam facere ad litterarum & bonarum artium ornamentum idiomatis Italici cognitionem putant, quam Graecas litteras ad Latinarum necessitatem. Sed quid a vulgo exempla mutuemur, quum ipsamet natura ostendat ζ in medio nomine proferri non posse, nisi geminatum? Nam si *Mezentius*, enuntiaveris, adeo sonus ille primae secundaeque vocali inhaerebit, ut cui prorsus adcommodata sit ea consonans ignores; quod

Lau-

Lausus, equum domitor, debellatorque ferarum,
Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos

Mil-

SERVII.

652. AGILLINA EX URBE. De Cerete oppido. NEQUIDQUAM. Quia in praelio periit, nec patrium recepit imperium.

PIERII.

quod Valerius Probus non inficiatur, tametsi in ea est sententia, ut ζ geminatum scribi non debeat. Aut igitur *Mezen*, unicam esse syllabam dicendum erit, quod absurdum est: aut, si distinguere velis, suum unicuique vocali, ζ fuerit applicandum. Sed esto, noluisse Graecos ζ unquam duplicari, dum aequo forsan delicatius omnes pronuntiandi veneres affectant: quos ideo nostri elusere, quod sermo ille nimium mollis haberetur, & illecebris, adblanditionibusque amantium praecipue conveniret: vel hujusmodi sit eorum lingua, ut in ζ geminati pronuntiationem flecti nequeat. Quid tum, non ideo poterunt Latini quicquam pronuntiare, quod Graeci proferre nequiverint? Atqui tertias utriusque numeri voces in verbis nos per *t* proferimus, quod illis adeo est a natura negatum, *q* litteram tam frequentem apud nos, tamque concinnam, neque forma, neque enuntiatione quisquam apud eos invenerit: quare pro *Quintus*, Κόιντος illi scribere coguntur, quod ad Graecorum morem scriptum in aliquot adhuc inscriptionibus antiquis inspicitur, ut in aede D. Steph. Rotundi: COINTO AUG. LIB. AFRUM MINISTRAT. Proinde nos *h* inter litteras, non illitteratorum hominuum consensu recepimus, illique figuram litteris parem, ordinem inter alias octavo loco adsignavimus, sonumque proprium & potestatem obtulimus, quam in *mihi*, in *nihil*, nonnullisque aliis hujusmodi, palam exercere posset: quum ea inter accentuum apices apud eos pro nota cujusdam spiritus recenseatur. Praeterea nos non omnes Graecorum litteras admisimus: non enim ψῖ, neque θῆτα, neque χῖ, neque φῖ, Latinorum quisquam adnotavit. Sed has, quas illi densas appellant, maluimus nos per duas potius litteras explicare: si modo *h* in litterarum collegium adscitam non exigamus. Ητα vero adjectione tantum temporis sub *e* vocalis figura expressimus. Quid vero illud, quod *i* & *u* litteras vocales, consonantes nonnumquam appellamus, & tot in dictionibus duplices etiam esse profitemur? An non licebit hoc facere Latinis, quia non ita Graeci faciunt? Denique quum tam multa sint, quae Latini diversa a Graecorum modis esse voluerunt, infirmum mihi videtur argumentum, ea de caussa ζ passim duplicem asseverare, quia nunquam apud Graecos geminetur. At dicet aliquis, Latinam olim linguam neque *k*, neque *y*, neque ζ recepisse: neque harum unquam mentionem apud Romanos extitisse, nisi postquam peregrina nomina sonum hunc intulere: quumque omnia, quae litteram ζ admittunt, nomina peregrina sint, tametsi civitate donentur, habitum ea, non naturam commutare. Sed de *k* deque *y* alibi latius disseruimus. Ut vero, quod nunc instat, agamus: Velius Longus auctor est ζ in Saliari carmine reperiri, ac perinde sermoni nostro non alienam. Quare quum ea littera uno modo habeat apud Graecos, alio apud Etruscos, & per Italiam universam; apud Hebraeos vero multipliciter & notetur, & enuntietur, ut Graeca quaedam nomina, quae in Italiam commigrarunt, ad Graecorum normam scribenda censuerim. Ita Etrusca & Hebraea suis legibus vivere permiserim: neque absurdum unquam judicaverim, *Mezzentium* Etruscum nomen, ad Etruscae, sive dicere malis Italicae linguae, consuetudinem notari ζζ geminato: qui tam multa hujus linguae vocabula eo modo citra ullam offensionem audiamus, & non gravate proferamus. Quod vero *divom* per *v* & *o* in antiquis codicibus habetur: non ignoro esse litteratissimos viros, qui scriptionis hujusmodi rationem haud quaquam admittere voluerint, quod *divum* ajunt per syncopam, ex dictione *divorum*, *o* & *r* mediis litteris expunctis, factum. Sed hoc nihil prohibet, quin veteres illi suo jure facerent, qui terminationem eam, quae per *uu* geminatum esset, in omnibus formis abhorrebant: quare tam accusativo, quam genitivo casu *divom* scriptitabant: ita *aevom*, *salvom*, *rivom*: & distinctis etiam syllabis, SUOM MAREITUM, & sexcenta hujusmodi: quorum exempla ex inscriptionibus antiquis passim toto opere disposuimus. Et nos ita saepe scribendum curavimus, quia saepissime ita scriptum in antiquis Virgilii codd. offenderamus: & Fab. Quintilianum affirmare videbamus, ad tempora usque praeceptorum suorum *cervom*, & *servom*, & similia *v* & *o* litteris scripta, ea adjecta ratione, quod subjecta sibi vocalis in unum sonum coalescere, & confundi nequiret. Sed quoniam satis superque sumus evagati, quod eruditorum quorundam amicorum gratiae dedimus, tempus est, ut ad instituti operis negotium revertamur.

649. FILIUS HUIC JUXTA LAUSUS. Codices aliquot antiqui legunt, *Filius huic fuerat Lausus*: Aliquot alii: *Filius hunc Lausus juxta*. Alii: *huc juxta*: quae quamvis ita multipliciter legantur, non tamen a vulgata lectione,

 quae

Mille viros; dignus, patriis qui laetior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.
655 Post hos insignem palma per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, satus Hercule pulchro
Pulcher Aventinus: clipeoque insigne paternum
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus Hydram:
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
660 Furtivum partu sub luminis edidit oras,
Mixta deo mulier, postquam Laurentia victor,

Ge-

SERVII.

653. PATRIIS QUI LAETIOR ESSET IMPERIIS. Dignus, qui haberet imperatorem potius, quam exulem patrem.

656. PULCHRO. Forti, ut diximus supra.

657. PULCHER AVENTINUS. *Aventinus*, mons urbis Romae est, quem constat ab avibus esse nominatum, quae de Tyberi ascendentes illic sedebant, ut in octavo legimus: *Diram nidis domus opportuna volucrum*. Quidam etiam rex Aboriginum, Aventinus nomine, illic & occisus & sepultus est; sicut etiam Albanorum rex Aventinus; cui successit Procas. Varro tamen dicit in Gente populi Romani: *Sabinos a Romulo susceptos istum accepisse montem, quem ab Avente, fluvio provinciae suae, appellaverunt Aventinum*. Constit tamen has varias opiniones postea secutas: nam a principio *Aventinus* dictus est, vel ab *Avibus*: vel a rege Aboriginum: unde hunc Herculis filium constat nomen a monte accepisse; non ei praestitisse. INSIGNE PATERNUM. Absolute dixit.

658. CENTUM ANGUES. Secundum Simonidem, ut diximus supra; nam alii dicunt IX. fuisse: cum centum angues, & quinquaginta fuerint serpentes, uti dictum est, ut: *Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra*: Solvitur magnitudine clypei: per id quod erat, ostendit non ideo pictum, quia sublata capita interim crescebant.

659. COLLIS AVENTINI SYLVA. In sylva collis Aventini. Et dicendo *Aventini*, ostendit jam ante ita nominatum. RHEA SACERDOS. Alludit ad nomen matris Romuli, quae dicta est Ilia, Rhea, Sylvia.

660. FURTIVUM. Illicite conceptum: quippe a sacerdote: Sic ait: *Et dulcia furta*.

661. MISTA DEO. Μιγεῖσα, Graece dixit. MULIER. Compendiose mortalem dixit: consequens namque fuerat, ut diceret, *Mista deo mortalis*. LAURENTIA ARVA: *Laurentum* civitas plurimum potuit: nam omnia vicina loca ejus imperio subjacuerunt; unde nunc ait, *arva Laurentia*: cum juxta Tyberim armenta Hercules paverit. Sed secundum antiquum situm, ante Albam & Romam, Tyberis Laurentini fuit territorii.

PIERII.

quae est, *Filius huic juxta Lausus*, discedendum est.

656. SATUS HERCULE PULCHRO PULCHER AVENTINUS. Sunt codices, in quibus *Hercule forti* legatur. Observatum vero est alibi, *Herculi* nomen a fortitudine inditum: nam *Alcides*, ἀπὸ τῆς ἀλκῆς, hoc est, *a robore* atque viribus appellatus est. Puto vero ego *forti*, loco hoc Servianam esse paraphrasim, qui *pulchrum*, pro *forti* poni dicit. Multum praeterea venustatis & decoris est in agnominatione. *Satus Hercule pulchro Pulcher Aventinus*: ut id denique sit, quod Horatius ait: *Fortes creantur fortibus*. Est & *ostendit equos*, in aliquot antiquis; sed longe melius, *ostentat*.

659. COLLIS AVENTINI SILVA. In codd. aliquot antiquis, *in silva*, legitur. Magis vero Virgilianum videtur absque praepositione dictum.

660. FURTIVUM PARTU SUB LUMINIS EDIDIT AURAS. Antiqui plerique codices, legunt, *furtivo partu*: & *oras*, non *auras*: quanquam exemplaria itidem vetera non desunt, in quibus *ad sublimis edidit auras*, legere est; sed enim *sub luminis edidit oras*, magis omnino placet, ut Lucretianum illud sapiat: *Dias in luminis oras*: nam qui *auras* scripsere, forte secuti sunt eorum superstitionem, qui *clam*, *aulam*, *plostra*, *plaustra*, & alia eodem modo scribere malebant. Atque ut de mutatione huiusmodi aliquid ulterius referamus, scimus *Oratam* ex Verrio Flacco, teste Festo, piscis genus a colore auri appellari, quod veteres *o* per *au* ponebant. Hinc Sergium, quod annulis aureis & gradibus uteretur, *Oratam* appellatum.

Geryone exſtincto, Tirynthius attigit arva,
Tyrrhenoque boves in flumine lavit Iberas.
Pila manu, ſaevoſque gerunt in bella dolones:
665 Et tereti pugnant mucrone veruque Sabello.
Ipſe pedes tegumen torquens inmane leonis,
Terribili inpexum ſaeta, cum dentibus albis
Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat
Horridus, Herculeoque humeros innexus amictu.
670 Tum gemini fratres Tiburtia moenia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catillusque, acerque Coras, Argiva juventus;

Et

SERVII.

662. GERYONE. *Geryones*, rex fuit Hiſpaniae, qui ideo trimembris fingitur: quia tribus inſulis praeſuit, quae adjacent Hiſpaniae; Balearicae minori, & majori, & Ebuſae. Fingitur etiam bicipitem canem habuiſſe: quia & terreſtri & navali certamine plurimum potuit. Hunc Hercules vicit, qui ideo fingitur ad eum olla aerea tranſvectus, quod habuit navem fortem, & aere munitam. Hinc *Geryonem* alii Tarteſſiorum regem dicunt fuiſſe, & habuiſſe armenta pulcherrima, quae Hercules, occiſo eo, abduxit: de cujus ſanguine dicitur arbor nata, quae Vergiliarum tempore poma in modum ceraſi ſine oſſibus ferat. Sane ſciendum, declinari *hic Geryones*, *hujus Geryonae*: unde eſt: *Tergemini nece Geryonae*: ut *Anchiſes*, *Anchiſae*: unde uſurpavit Salluſtius, *Geryonis* dicens. Veniens autem Hercules de Hiſpania per Campaniam in quadam Campaniae civitate pompam triumphi ſui exhibuit: unde Pompei dicitur civitas. Poſtea juxta Bajas, caulas bubus fecit, & eas ſepſit: qui locus Boaulia dictus eſt, hodieque Baulae dicitur. TYRINTHIUS. A Tyrinthia civitate, Argis vicina, in qua nutritus eſt Hercules.

663. TYRRHENOQUE BOVES IN FLUMINE LAVIT IBERAS. Admiratio, locorum longinquitate.

664. PILA MANU. *Pilum*, proprie eſt haſta Romana; ut *geſa*, Gallorum; *fariſſae*, Macedonum. DOLONES. *Dolo*, eſt aut flagellum, intra cujus virgam latet pugio: aut ſecundum Varronem, *ingens contus cum ferro breviſſimo*. *Dolones* autem, a fallendo dicti ſunt, quod decipiant ferro, cum ſpeciem praeferant ligni. Et multi volunt per *teretes mucrones*, *dolones* dici; per *veru Sabellum*, *pila* ſignificari.

666. IPSE PEDES. Ad genus reſpicit: nam & Hercules pedes ſemper inceſſit, cum equos habuerit nobiliſſimos. TORQUENS. Suſtinens, ut: *Axem humero torquet*.

669. HORRIDUS. Tremendus; non revera horribilis.

670. TYBURTIA MOENIA LINQUUNT. De Graecia tres fratres venerunt ad Italiam, Catillus, Coras, Tybur, vel Tyburtus. Hi ſimul omnes unam fecere civitatem, & eam de fratris majoris nomine *Tybur* appellaverunt: licet & alias fecerint ſinguli. Nunc ergo dicit duos ad bella veniſſe, dimiſſo in civitate ad cuſtodiam Tyburto vel Tyburte.

672. CATILLUS. Unde mons *Catilli*, quem *Catelli* dicunt per corruptionem, juxta Tybur. CORAS. A cujus nomine eſt civitas in Italia.

PIERII.

663. BOVES IN FLUMINE LAVIT IBERAS. In codicibus aliquot antiquis, *Iberos*, virili genere legitur; ſed in uſu frequentiori eſt per foemininum dicere, ut: *Reddidit una boum vocem*: &: *Abſtractaeque boves*, cum & tauros etiam abſtraxiſſet.

666. IPSE PEDES TEGMEN. Antiqua omnia exemplaria, *tegimen*, legunt, ut etiam in III. *Conſertum tegimen ſpinis*. Inferius tamen eſt: *tegmen habent capiti*: κατὰ συγκοπήν.

667. TERRIBILI IMPEXUM SETA. In codicibus aliquot, *implexum*, legitur; ſed *impexum*, magis receptum.

671. FRATRIS TYBURTI DICTAM COGNOMINE GENTEM. In Romano codice, *Tyburni* legitur, quod non ignoravit Servius. Adverte vero *Tyburtia* per I prima ſyllaba, non per Y ſcribi apud Graecos, & ita in pleriſque veterum monumentis obſervavi. Eſt & ubi legas, *Tiburtia limina*; ſed *moenia*, omnino agno-

Et primam ante aciem denſa inter tela feruntur.
Ceu duo nubigenae cum vertice montis ab alto
675 Deſcendunt Centauri, Homolen Othrymque nivalem
Linquentes curſu rapido: dat euntibus ingens
Silva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Praeneſtinae fundator defuit urbis,
Volcano genitum pecora inter agreſtia regem,
680 Inventumque focis omnis quem credidit aetas,
Caeculus. Hunc legio late comitatur agreſtis:
Quique altum Praeneſte viri, quique arva Gabinae

Ju-

SERVII.

675. DESCENDUNT CENTAURI. Ex hac comparatione equites eos fuiſſe intelligimus; quod tamen dicturus eſt poſtea: *Nec non celereſque Latini: Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillae*. HOMOLEN, OTHRYNQUE NIVALEM. Montes Theſſaliae.

677. INGENS SYLVA LOCUM, ET MAGNO CEDUNT VIRGULTA FRAGORE. Cum utique cedit ſylva, cedunt & virgulta. Defectus cedit: a minore autem ad majus venire debuerat.

678. NEC PRAENESTINAE FUNDATOR DEFUIT URBIS. De civitatibus totius orbis multi quidem ex parte ſcripſerunt; ad plenum tamen Ptolemaeus Graece; Latine Plinius. De Italicis etiam urbibus Hyginus pleniſſime ſcripſit; & Cato in Originibus. Apud omnes tamen ſi diligenter advertas, de auctoribus conditarum urbium diſſenſio invenitur; adeo ut ne urbis quidem Romae origo poſſit diligenter agnoſci: nam Salluſtius dicit: *Urbem Romam, ſicut ego accepi, condidere atque habuere initio Troiani, & cum his Aborigines*. Alii dicunt ab Euandro; ſecundum quos Virgilius: *Tunc rex Evandrus Romanae conditor arcis*. Alii a Romulo, ut: *En hujus nate auſpiciis illa inclyta Roma*. Si igitur tantae civitatis certa ratio non apparet, non mirum, ſi in aliarum opinione dubitatur: unde nec hiſtoricos, nec commentatores varia dicentes, imperitiae condemnare debemus: nam antiquitas ipſa creavit errorem: & plerique fundant, plerique augent, & ad ſe transferunt nomina: quam rem etiam non parvum errorem afferre manifeſtum eſt: ut ecce, Laurentum a Pico factum eſt, ut: *Laurentis regia Pici*: item a Lavinio, Latini fratre, & *Lavinium* dictum: item a Latino, *Lauretum*: item a Lavinia, *Laurolavinum*. PRAENESTINAE FUNDATOR DEFUIT URBIS. *Praeneſte*, locus eſt haud longe ab Urbe, dictus ἀπὸ τῶν πρίνων, id eſt, ab ilicibus, quae illic abundant. Ibi erant Pontifices, & Dii Indigetes, ſicut etiam Romae. Erant etiam illic duo fratres, qui divi appellabantur. Horum ſoror dum ad focum ſederet, deſiliens ſcintilla, ejus uterum percuſſit: inde dicitur concepiſſe. Poſtea enixa puerum juxta templum Jovis abjecit: quem virgines aquatum euntes juxta ignem inventum ſuſtulerunt, qui haud longe a fonte erat: unde Vulcani dictus eſt filius. CAECULUS autem ideo, quia oculis minoribus fuit: quam rem frequenter efficit fumus. Hic poſtea, collecta multitudine, poſtquam diu latrocinatus eſt, Praeneſtinam civitatem in montibus condidit. Et cum ad ludos vicinos populos invitaſſet, coepit eos hortari, ut ſecum habitarent: & pro gloria jactare ſe filium eſſe Vulcani. Quod cum illi non crederent, invocato Vulcano, ut eum filium comprobaret, omnis illius multitudinis coetus eſt flamma circumdatus. Quo facto commoti omnes ſimul habitaverunt, & Vulcani filium eſſe crediderunt. Hinc eſt: OMNIS QUEM CREDIDIT AETAS: quaſi poſt dubitationem: & quia ſine dubio aetas varia in ſpectaculis fuit.

682. ALTUM PRAENESTE. Cato dicit: *Quia is locus montibus praeſtet, Praeneſte oppido nomen dicit*. Ergo *altum*, quia in montibus locatum. Dicimus autem & *hoc Praeneſte*: *Quique altum Praeneſte viri*. Et *haec Praeneſtis*, unde eſt: *Cum primam aciem Praeneſte ſub ipſa Stravi*. QUIQUE ARVA GABINAE JUNONIS. *Gabii*, diu in agris morati, tandem *Gabios* condiderunt: unde perite *arva* dixit, non moenia. Sane Juno illic religioſiſſime colitur. Eſt autem locus haud longe ab Urbe.

PIERII.

agnoſcitur ab eruditis: ut ad conditores fratres alludatur, quorum unus tantum urbi nomen dedit.

Junonis, gelidumque Anienem, & roſcida rivis
Hernica ſaxa colunt; quos dives Anagnia paſcis,
685 Quos, Amaſene pater. Non illis omnibus arma,
Nec clipei, curruſve ſonant. Pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit: pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti: veſtigia nuda ſiniſtri
690 Inſtituere pedis; crudus tegit altera pero.
At Meſſapus, equum domitor, Neptunia proles,
Quem neque fas igni cuiquam nec ſternere ferro,

Jam

SERVII.

683. GELIDUMQUE ANIENEM. *Anio* fluvius haud longe ab Urbe eſt; ſed hic euphoniam ſecutus eſt: nam Ennius *Anionem* dixit, juxta regulam.

684. HERNICA SAXA COLUNT. Sabinorum lingua, ſaxa *hernae* vocantur. Quidam dux magnus Sabinos de ſuis locis elicuit, & habitare ſecum fecit ſaxoſis in montibus: unde dicta ſunt *Hernica* loca, & populi *Hernici*. DIVES ANAGNIA. Aut fertilis: aut alludit ad hiſtoriam: nam Antonius, Auguſti ſorore contempta, poſtquam Cleopatram duxit uxorem, monetam ejus nomine in Anagnia civitate juſſit feriri.

685. QUOS AMASENE PATER. Aut paſcis; aut ſit Antiptoſis, quos paſcit Amaſenus. Eſt autem fluvius, vicinus civitati Privernatum, quae eſt in Campania: qui Anagnienſes agros irrigat. ARMA. Scuta.

686. NEC CLYPEI. Scuta majora, dicta ab eo, quod celent corpus, ἀπὸ τ͂ κλέπτειν.

688. FULVOSQUE LUPI DE PELLE GALEROS. *Galerus*, genus eſt pilei, quod Fronto genere neutro dicit, *hoc galerum*.

689. VESTIGIA NUDA SINISTRI INSTITUERE PEDIS. Atqui ipſe eſt in pugnantibus primus; ſed bene nudus eſt, quia tegitur ſcuto. Dextrum autem tectum conveniebat eſſe, quaſi ab armis remotum.

690. PERO autem, eſt ruſticum calceamentum: & traxit hoc a Graeciae more, unde iſti tranſierunt, & unde hoc armorum fuerat genus.

691. AT MESSAPUS EQUUM DOMITOR NEPTUNIA PROLES. Hic Meſſapus per mare ad Italiam venit: unde Neptuni dictus eſt filius, quem invulnerabilem ideo dicit, quia nuſquam periit, nec in bello]. Ignem autem ei nocere non poſſe propter Neptunum dicit, qui aquarum deus eſt. Ab hoc Ennius dicit ſe originem ducere: unde nunc & cantantes inducit ejus ſocios: & eos comparat cycnis. *Domitor* autem *equorum*, quaſi animalium, a patre inventorum: quod fuit in contentione cum Pallade, de impoſitione nominis Athenarum.

PIERII.

684. QUOS DIVES ANAGNIA PASCIT. In nonnullis codicibus, *paſcis*, habetur, per apoſtrophen: ut conveniat cum ſequenti membro: *Quos Amaſene pater*.

686. NEC CLYPEI CURRUSVE SONANT. In antiquis aliquot codicibus, per *que*, copulativam, non per *ve*, disiunctivam particulam, legitur: *Nec clypei curruſque*. Sed *curruſve*, receptum magis.

689. TEGMEN HABET CAPITI. In pleriſque codicibus antiquis, *habent*, numero multitudinis notatum eſt, & quod ſuperius adnotavimus *tegimen*, ut *regimen*. Eadem proportione hoc quoque loco ſcriptum inveni *tegimen*, per Proceleumaticum; ſed magis placet eruditis *tegmen*, per ſyncopam. Sicubi enim Proceleumaticus pes apud Virgilium invenitur, ex iis ille dictionibus conſtat, quae vocalium hiatum habeant; vel ut ex figura aliqua ſyllabae duae in unam coire poſſint; vel ex duabus vocalibus altera conſonans fieri, ut in vocabulis, *parietibus*, & *ariete*, I poteſt in conſonantem ſolideſcere, & in *genua labant*, U, ut nonnulli putant, pari modo pro conſonante cenſeri.

691. AT MESAPUS EQUOM DOMITOR. *Meſapus*, varie ſcribitur in codicibus antiqois, aliis SS, aliis PP geminantibus: id quia nondum a veteribus Grammaticis obſervatum, neque in marmoribus uſquam a me lectum eſt, in medio relinquam.

692. NEC STERNERE FERRO. In antiquis aliquot exemplaribus, *nec ſiſtere*, legitur; ſed *ſternere* malunt omnes.

Jam pridem resides populos, desuetaque bello
Agmina, in arma vocat subito, ferrumque retractat.
695 Hi Fescenninas acies, aequosque Faliscos,
Hi Soractis habent arces, Flaviniaque arva,
Et Cimini cum monte lacum, lucosque Capenos.
Ibant aequati numero, regemque canebant:
Ceu quondam nivei liquida inter nubila cycni,
700 Cum sese e pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos, sonat amnis, & Asia longe
Pulsa palus.
Nec quisquam aeratas acies ex agmine tanto
Misceri putet: aëriam sed gurgite ab alto
705 Urgueri volucrum raucarum ad litora nubem.

Ec-

SERVII.

695. HI FESCENNINAS ACIES. *Fescennium*, oppidum Campaniae, ubi nuptialia ioventa sunt carmina. Hi autem populi ab Atheoiensibus ducunt originem. AEQUOSQUE FALISCOS. *Faliscos* Haliscus condidit. Hi autem, immutato *H* io *F*, *Falisci* dicti sunt: sicut *Febris* dicitur, quae ante *Hebris* dicebatur; *Formiae*, quae *Hormiae* fuerunt, ἀπὸ τῆ ὁρμῆς: nam posteritas in multis nominibus *F* pro *H* posuit. *Aequos* autem dicit, id est, justos: quia populus Romanus, missis Decemviris, ab ipsis jura Fecialia & nonnulla supplementa Duodecim tabularum accepit, quas habueraot ab Atheniensibus.

696. HI SORACTIS HABENT ARCES. *Soracte*, qui est mons apud Hirpinos, hnud longe a Flaminia, de quo Horatius: *Vides ut alta Stet nive candidum Soracte*. FLAVINIAQUE ARVA. Locus est in Italia, *Flavinium* nomine.

697. ET CYMINI CUM MONTE LACUM. Et lacus, & mons, hoc nomine appellantur. Sane hoc fabula habet: Aliquando Hercules ad hos populos venit, qui cum a singulis provocaretur ad osteodendam virtutem, defixisse dicitur vectem ferreum, quo exercebatur: qui cum terrae esset affixus, & a nullo potuisset auferri, eum rogatus sustulit; unde immensa vis aquae secuta est, quae *Cyminum* lacum fecit. LUCOSQUE CAPENOS. Hos dicit Cato Vejentum condidisse auxilio regis Propertii, qui eos *Capenam*, cum adolevissent, miserat; unde & *porta Capena*, quae juxta *Capenos* est, nomen accepit.

698. AEQUATI NUMERO. Digesti in ordioem. Hinc saepe: *numero scripsi*, hoc est, ordioe, congruenter, sicut decebat, rationabiliter.

699. LIQUIDA INTER NUBILA. Pura; sed nihil tam contrarium nubibus: nam liquidae non sunt, ut in quinto diximus, ubi est: *Liquidis in nubibus arsit arundo:* uode *nubes* pro aere posuit.

700. ET LONGA CANOROS DANT PER COLLA MODOS. Secundum Plinium, qui ait in Naturali historia: *Cycnos ideo suavius canere, qui a colla longa habent, & inflexa: & necesse est, eluctantem vocem per longum & flexuosum varias reddere modulationes*.

701. SONAT AMNIS ET ASIA. Caystrum in Mysia regione dicit, qui cohaeret *Asiae* paludi, quam cum significamus, *a* longa est; cum sit brevis, si provinciam significare voluerimus, quod significatur in Georgicis, ut: *Atque Asia circum Dulcibus in pratis rimantur prata Caystri*: nam, cum *Asiam* de provincia dicimus, *a* brevis est, ut: *Postquam res Asiae*.

705. VOLUCRUM RAUCARUM. *Raucarum*, τῶ μέσων est, sicut *grave olent:* nam legimus: *Graviter spirantis copia Tymbrae*. Sciendum tamen, Virgilium secundum morem provinciae suae locutum, in qua canentes cycni *rauciores* vocantur. Est autem haec Homeri comparatio, quam ipse etiam de *cygnis* facit: Τῶν δ' ὥς τ' ὀρνίθων πετεηνῶν ἔθνεα πολλά, Χηνῶν, ἢ γεράνων, ἢ κύκνων δουλιχοδείρων, Ἔνθα καὶ ἔνθα ποτῶνται ἀγαλλόμεναι πτερύγεσσι Κλαγγηδὸν προκαθιζόντων, σμαραγεῖ δέ τε λειμὼν Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καϋστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα.

Ecce, Sabinorum prisco de sanguine magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar,
Claudia nunc a quo diffunditur & tribus & gens
Per Latium, postquam in partem data Roma Sabinis.
710 Una ingens Amiterna cohors, priscique Quirites,
Ereti manus omnis, oliviferaeque Mutuscae:
Qui Nomentum urbem, qui Rosea rura Velini,
Qui Tetricae horrentis rupes, montemque Severum,
Ca-

SERVII.

706. ECCE SABINORUM PRISCO DE SANGUINE. Usurpat hoc: nam *Clausus*, Sabinorum dux, post exactos reges cum quinque millibus clientum & amicorum Romam venit: & susceptus habitandam partem Urbis accepit: ex quo *Claudia*, & tribus est, & familia nominata. PRISCO DE SANGUINE. De antiquis Sabinis.

707. MAGNUM AGMEN. Propter quinque millia clientum.

709. PARTEM DATA ROMA SABINIS. Hoc de alia traxit historia: nam post Sabinarum raptum, & factum inter Romulum & Titum Tatium foedus, recepti in urbem Sabini sunt; sed hac lege, ut in omnibus essent cives Romani, excepta suffragii latione: nam magistratus non creabant.

710. AMITERNA COHORS. De *Amiterno* oppido. PRISCIQUE QUIRITES. Id est, Sabini. *Prisci* autem ideo, quia post foedus Tatii & Romuli placuit, ut quasi unus de duobus fieret populis; unde & Romani *Quirites* dicti sunt, quod nomen a Sabinorum civitate, *Curibus*, fuerat: & Sabini a Romulo dicti sunt.

711. ERETI MANUS OMNIS. Oppidum est dictum a Junone, id est, ἀπὸ τῆς Ἥρας, quae illic colitur. OLIVIFERAEQUE MUTUSCAE. Haec Trebia postea dicta est, quam modo Trebulam dicunt: apud quam Hannibal delevit populum Romanum. Lucanus: *Quod non in Punica natae Tempora Cannarum fuimus, Trebiaeque juventus*. QUI NOMENTUM URBEM. Hoc ex sua persona dicit Poeta: nam adhuc civitas Nomentum non fuerat, ut in sexto ait: *Hi tibi Nomentum & Gabios*. Item: *Haec tunc nomina erant, nunc sunt sine nomine terrae*.

712. ROSEA RURA VELINI. *Velinus* lacus est circa Reate, juxta agrum, qui *Rosulanus* vocatur. Varro tamen dicit lacum hunc a Curio consule in Nartem vel Narem fluvium derivatum (nam utrumque dicitur) esse diffusum: post quod tanta est loca secuta fertilitas, ut etiam perticae longitudinem altitudo superaret herbarum: quinetiam quantum per diem demptum esset, tantum per noctes crescebat: quod Virgilius ad suam provinciam transtulit, dicens: *Et quantum longis carpent armenta diebus, Exigua tantum gelidus ros nocte reponet*.

713. TETRICAE HORRENTES RUPES. *Tetricus*, mons in Sabinis asperrimus, unde tristes homines, *tetricos* dicimus. MONTEMQUE SEVERUM. Proprium nomen montis est; sicut agri, *Roseus*.

PIERII.

709. POSTQUAM IN PARTEM DATA ROMA SABINIS. In antiquis aliquot codicibus legere est: *postquam pars est data Roma Sabinis*. Sed *in partem*, usus est superius etiam Poeta noster: *In Partem praedamque*.

711. ERETI MANUS OMNIS, OLIVIFERAEQUE MUTUSCAE. In codicibus aliquot antiquis, *Heriti*. Sed omnino Ἤρητος Graece scribitur: & quamvis ἀπὸ τῆς Ἥρας, in honorem cujus positum oppidum ajunt, deducatur; nusquam tamen in Graecis auctoribus adspirationem observavi: parceque in Latinis, & in antiquis Valerii Maximi codicibus propo, *vicinum Sabinae regionis Eretum*, scriptum est, absque adspiratione, quam dictionem nonnulli ita depravarunt, ut *Fretum* scripserint. *Mutuscae*, quoque varie scribitur; sed inemendate, veluti superius in plerisque codicibus, *lucosque Calenos*, pro, *Capenos*, invenias.

712. QUI ROSEA RURA VELINI. Sunt quidem codices, in quibus *roscida* legatur; sed *rosea* agnoscit Servius a loci nomine; legas tamen apud Plinium: *Sabini, ut quidam existimavere, a religione, & cultu deorum Sevini appellati: Velinos incolunt lacus roscidis collibus*: qui dubio procul ad Virgilianum carmen respexisse videtur, Ῥῶσον tamen agnoscunt Graeci; unde *Rosius*, & *Roseus* gentile nomen. Quare Servius non imperite *Rosea* legit.

Casperiamque colunt, Forulosque, & flumen Himellae:
715 Qui Tiberim Fabarimque bibunt, quos frigida misit
Nursia, & Hortinae classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Saevus ubi Orion hibernis conditur undis,
720 Vel cum sole novo densae torrentur aristae
Aut Hermi campo, aut Lyciae flaventibus arvis;
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mil-

SERVII.

710. CASPERIAMQUE COLUNT. *Casperia* & *Foruli*, civitates sunt. FLUMEN HYMELLAE. *Hymella*, fluvius est: & sic dicit *Hymellae flumen*, ut *Buthroti urbem*.

715. QUI TYBERIM FABARIMQUE BIBUNT. Bene *bibunt*: nam *Tyberis* in Tuscia oritur; sed transit etiam per Sabinos; unde *bibunt*, non *possident* dixit. Et sciendum, Turno dari auxilium a tractu Piceni, Samnii, Campaniae, & pro parte Apuliae: omnis vero Tuscia superior, & Venetia, Aeneae praestat auxilium. *Fabarim* autem quem dicit, etiam ipse per Sabinos transit, & Farfarus dicitur. Plautus: *Dissipabo te tanquam folia Farfari*. Ovidius: *Et amoenae Farfarus umbrae*. FRIGIDA MISIT NURSIA. Piceni civitas. *Frigida* autem, aut re vera, aut certe venenosa, nocens. Gracchi namque ubique in concionibus suis *Nursinos* sceleratos appellaverunt: & scimus amare Virgilium historiarum rem per transitum tangere.

716. HORTINAE CLASSES. *Hortini* equites *classes* dicuntur; unde & eorum tubas classica dicimus: & partes populi *classes* vocamus, quae quinque fuerunt. POPULIQUE LATINI. Qui intererant Albani montis viscerationi.

717. INFAUSTUM INTERLUIT ALLIA NOMEN. *Allia* fluvius haud longe ab Urbe est: juxta quem Galli, Brenno duce, decimoquinto kalendarum Augustarum die deleto exercitu, post triduum deleverunt etiam Urbem, excepto Capitolio. Sane *Alia* dicitur, cui additur unum *L* propter metrum; sicut *reliquias*, *relliquias*; unde apparet bene dixisse Lucanum: *Quas Aliae Clades*.

718. MARMORE. Mari.

720. VEL CUM SOLE NOVO TORRENTUR ARISTAE. Prima aestatis parte: nam proprie *Sol novus* est octavo kalendas Januarias; sed tunc non sunt aristae, quas ab ariditate dictas esse constat.

721. HERMI CAMPO. *Hermus*, Lydiae fluvius, qui superfusus campis gignit fertilitatem; unde arenas aureas fingitur trahere. LYCIAE FLAVENTIBUS ARVIS. Provincia est minoris Asiae, fertilis frugum.

722. PULSUQUE PEDUM TREMIT EXCITA TELLUS. Homerus: *Τῶν ποσὶ μέγα στεναχίζετο γαῖα.*

723. HINC AGAMEMNONIUS TROJANI NOMINIS HOSTIS. Hunc Agamemnonis plerique comitem, plerique nothum filium volunt: qui, cum venisset ad Italiam, audito adventu Aeneae, in bellum ruit, non amore Turni, sed odio hostilitatis antiquae; unde ait: *Trojani nominis hostis*.

PIERII.

714. CASPERULAMQUE COLUNT. Ex antiquis codicibus, omnino *Casperiam* legendum. FORULOSQUE. In antiquis aliquot, *Ferulos* habes; sed inemendate: ita *Himillae*, pro *Himellae*.

715. FABARIMQUE BIBUNT. *Feburum* in antiquis aliquot codicibus sic habetur, sed apud plures, *Fabarim*, lectione auctorum consensu comprobata.

718. VOLVUNTUR MARMORE FLUCTUS. In plerisque codicibus antiquis, pro *marmore*, *litore*, scriptum invenias; sed in Romano, *marmore*, ita in Mediceo, & aliquot aliis.

722. SCUTA SONANT, PULSUQUE PEDUM TREMIT EXCITA TELLUS. In plerisque antiquis codicibus scriptum inveni, veluti prius in impressis legebatur, *Scuta sonant pulsuque pedum conterrita tellus*: lectionem vero illam, *tremit excita tellus*, quam nuper eruditissimi viri publicarunt, in Mediceo, & in Porcio, tantum ex manu scriptis codicibus vidi.

725 Mille rapit populos: vertunt felicia Baccho
Maſſica qui raſtris, & quos de collibus altis
Aurunci miſere patres, Sidicinaque juxta
Aequora, quique Cales linquunt, amniſque vadoſi
Accola Volturni, pariterque Saticulus aſper,
730 Oſcorumque manus. Teretes ſunt aclides illis
Tela: ſed haec lento mos eſt aptare flagello.
Laevas caetra tegit; falcati comminus enſes.
Nec tu carminibus noſtris indictus abibis,
Oebale: quem generaſſe Telon Sebethide nympha
735 Fertur, Teleboum Capreas cum regna teneret
Jam ſenior: patriis ſed non & filius arvis
Contentus, late jam tum ditione premebat

Sar-

SERVII.

725. RAPIT POPULOS. Raptim adducit. Etiam Campaniae loca commemorat: nam *Maſſicus* mons eſt vitibus plenus. *Maſſica* autem dixit, ut *Menala*.

727. AURUNCI MISERE PATRES. Iſti Graece Auſones nominantur. SIDICINAQUE JUXTA AEQUORA. Ab oppido, quod *Sidicinum* dicitur.

728. CALES LINQUUNT. Civitas eſt Campaniae; nam in Flaminia quae eſt, *Cale* dicitur. Eſt & in Gallia hoc nomine, quam Salluſtius captam a Perpenna commemorat. AMNISQUE VADOSI ACCOLA VULTURNI. Fluvius, qui juxta Cumas cadit in mare.

729. SATICULUS ASPER. Populus Campaniae, aſper moribus.

730. OSCRUMQUE MANUS. Capuenſes dicit, qui ante Ophici appellati ſunt, quod illic plurimi abundarere ſerpentes. Nam Graece *ὄφις* dicitur *ſerpens*. ACLIDES ILLIS TELA. *Aclides*, ſunt tela quaedam antiqua, adeo ut nec uſquam commemorentur in bello. Legitur tamen quod ſint clavae, cubito ſemis factae, eminentibus hinc & hinc acuminibus: quae ita in hoſtem jaciuntur religatae loro vel lino; ut peractis vulneribus poſſint redire. Putatur tamen eſſe teli genus, quod per flagellum in immenſum jaci poteſt.

732. LAEVAS CETRA TEGIT. Scutum loreum, quo utuntur Afri & Hiſpani. FALCATI COMINUS ENSES. Affectavit varietatem; nam conſequens fuerat, ut diceret: *Dextras armant gladii falcati*. *Falcatus* autem *enſis* eſt harpe, qua uſus eſt Perſeus. Lucanus: *Harpen, alterius monſtri jam caede rubentem*.

734. OEBALE. *Oebalus*, filius eſt Telonis & Nymphae Sebethidis. Haec autem eſt juxta Neapolim. Sed Telo diu regnavit apud Capreas, inſulam contra Neapolim ſitam. Filius vero ejus, patriis non contentus imperiis, tranſiit ad Campaniam: & multis populis ſubjugatis ſuum dilatavit imperium.

735. TELEBOUM CAPREAS CUM REGNA TENERET. Cum teneret *Capreas*, regna Teleboarum: nam *Teleboae*, Caprearum ſunt populi, quos Telo ſuo regebat imperio. Quidam dicunt *Capreas* a *Capreo*, qui in illis regiunibus potens fuit, nominatas.

PIERII.

730. OSCORUMQUE MANUS. Male in quibusdam antiquis codicibus, *Tuſcorum*, eſt. TERETES SUNT ACLIDES ILLIS TELA. *Aclidas* quidem, teli genus commentatores tradunt; de quo tamen nemo certum aſſeverat. In quodam vero antiquo codice, legimus, *acides*: quod apud Graecos, & *telum*, & *cuſpidem* ſignificare manifeſtum eſt. Forte tamen aliquis erit, qui de *aclide* certius aliquid in medium ferat: nobis enim ad plurima hujusmodi perquirenda otium non fuit.

732. LAEVAM CETRA TEGIT. In aliquot antiquis codicibus, *laevas*, numero multitudinis; ſed & *laevam*, unitatis numero reperitur. *Cetra* quoque varie ſcribitur in vetuſtis exemplaribus: nam & *caetra*, & *ſcetra* reperitur; ſed melius ex Livio *cetra*; unde *cetrati milites*.

736. PATRIIS SED NON ET FILIUS ARVIS CONTENTUS. In antiquis aliquot codicibus, *ſed non jam*, legitur.

Sarrastis populos, & quae rigat aequora Sarnus,
Quique Rufras Batulumque tenent, atq; arva Celennae,
740 Et quos maliferae despectant moenia Abellae:
Teutonico ritu soliti torquere catejas:
Tegmina quis capitum raptus de subere cortex:
Aerataeque micant peltae, micat aereus ensis.
Et te montosae misere in proelia Nersae,
745 Ufens, insignem fama & felicibus armis:

Hor-

SERVII.

738. SARRASTES POPULOS. Populi Campaniae sunt, a Sarno fluvio. Conon, in eo libro, quem de Italia scripsit, quosdam Pelasgos, aliosque ex Peloponneso convenas, ad eum locum Italiae venisse dicit, cui nullum antea nomen fuerit; & flumini, quem incolerent, Sarno nomen imposuisse ex appellatione patrii fluminis, & se *Sarrhastes* appellasse. Hi inter multa oppida Nuceriam condiderunt.

739. RUFRAS BATULUMQUE TENENT. Castella Campaniae, a Samnitibus condita. ARVA CELENNAE. Locus est Campaniae, *Celenna*, sacer Junoni.

740. ET QUOS MALIFERAE DESPECTANT MOENIA BELLAE. Multi Nolam volunt intelligi: & dicunt iratum Virgilium nomen ejus mutasse propter sibi negatum hospitium: & id aperte noluisse dicere; sed ostendere per periphrasin: nam illic Punica mala nascuntur: ut nunc *Bella* pro Nola posuerit. Alii idem a Virgilio in Georgicis fictum memorant, ut etiam ab Aulo Gellio traditur: qui cum a Nolanis aquam petiisset, uti duceret in propinquum rus, Nolanos petitum beneficium non fecisse, Poetam offensum, nomen urbis eorum, quasi ex hominum memoria, sic ex carmine suo detraxisse: nam cum primum ab eo recitatum & editum sic esset: *Talem dives arat Capua, & vicina Vesevo Nola jugo: Ora* pro *Nola* mutavit, atque ita reliquit: *Et vicina Vesevo Ora jugo:* alii volunt accipi *moenia Bellae* ut sit Synaloepha, & legatur *Moeni' Abellae*. Quidam hanc civitatem a rege Murano conditam Moeram nomine vocatam ferunt; sed Graecos primum eam incoluisse, quae ab nucibus *abellanis Abella* nomen acceperit: alii quod imbelle vulgus & otiosum ibi fuerit, ideo *Abellam* appellatam: hujus cives, cum loca circa Capuam possiderent, orto tumultu interiisse, aliosque fugientes Moeranum abiisse, & ejus incolis serviisse, & quod imbelliores fuerint, *Abellanos* dictos.

741. CATEJAS. Tela Gallica: unde & *Teutonicum ritum* dixit. *Catejam* quidam asserunt teli genus esse tale, quale *aclides* sunt, ex materia quam maxime lenta, cubitus longitudine, tota fere clavis ferreis illigata, quam in hostem jaculantes, lineis, quibus eam adnexuerant, reciprocam faciebant. *Catejae* autem lingua Teuthisca hastae dicuntur.

742. RAPTUS DE SUBERE CORTEX. Bene *raptus*, id est, raptim sublatus: quia recens suberis cortex in quamvis formam tota flectitur facilitate.

744. MONTOSAE NURSAE. Civitas in montibus posita.

745. INSIGNEM FAMA. Bene fama: quis occidetur, ut: *Ufentemque Gyas, cadit & Tolumnius augur*.

PIERII.

739. BATULUMQUE TENENT ATQUE ARVA CELENNAE. In Rom. cod. *Batalum*, & *Celemne*, pro *Celennae* legitur: utrumque inemendate.

740. DESPECTANT MOENIA AVELLAE. Antiqui omnes codices, quotquot habui, *moenia Bellae*, legunt; quod vero & *Abellae* legi possit, rationem videris apud Servium; tum etiam apud Strabonem *Abella* legitur, ubi has hoc ordine ponit urbes: Τῆς δὲ Λατίνης ἰδίᾳ καὶ ἡ Σαίσουλα, καὶ Ἀπίλα, καὶ Νῶλα, καὶ Νουκερία καὶ Ἀχέρραι, καὶ Ἄβελλα.

741. SOLITI TORQUERE CATEJAS. Quia in plerisque codicibus, I littera longiori forma notata est, supraque aliarum fastigia alte producta. factum est, ut in Romano codice, & quibusdam aliis, *catelas*, inde *catellas* notatum fuerit: illud enim I longum, L litteram, qua nunc scribentes utimur, esse crediderunt: quod ideo dictum volui, quia Longobardica manus saepe fallat in I litterae scriptione, nisi hoc adverteris.

744. MISERE IN PRAELIA NURSAE. In Romano codice, *Nyrsae*, per Y scribitur, ut *Cymarum*, pro *Cumarum*. Sunt & plerique codices, in quibus *Nersae*, per E scriptum est; sed *Nursae*, receptum.

Horrida praecipue cui gens, adſuetaque multo
Venatu nemorum, duris Aequicula glebis
Armati terram exercent, ſemperque recentis
Convectare juvat praedas, & vivere rapto.
750 Quin & Marrubia venit de gente ſacerdos,
Fronde ſuper galeam & felici comtus oliva,
Archippi regis miſſu, fortiſſimus Umbro:
Vipereo generi, & graviter ſpirantibus hydris,
Spargere qui ſomnos cantuque manuque ſolebat,
755 Mulcebatque iras, & morſus arte levabat.
Sed non Dardaniae medicari cuſpidis ictum
Evaluit; neque eum juvere in volnera cantus
Somniferi, & Marſis quaeſitae montibus herbae.
Te nemus Anguitiae, vitreea te Fucinus unda,
760 Te liquidi flevere lacus.

SERVII.

746. HORRIDA PRAECIPUE CUI GENS. Aequicolam gentem dicit, & morum & vitae qualitate praeduram. Sane aliud pendet ex alio: ideo erant horridi: quia venabantur: ideo venabantur; quia habebant duras glebas, id eſt, infertiles: nam molles, feraces ſunt, ut in Georgicis docet: *Et cui putre ſolum, namque hoc imitantur arando*.

750. QUIN ET MARRUBIA VENIT DE GENTE SACERDOS. Scilicet Medea, quando relictis Colchis Jaſonem ſecuta eſt, dicitur ad Italiam perveniſſe: & populos quoſdam circa Fucinum ingentem lacum habitantes, qui *Marrubii* appellabantur, quaſi circa mare habitantes, propter paludis magnitudinem, docuit remedia contra ſerpentes. Quanquam alii *Marrubios* a rege dictos velint. Hi ergo populi Medeam Angitiam nominaverunt ab eo, quod ejus carminibus ſerpentes angerent. Ab his nunc Umbronem veniſſe dicit, non regem, ſed ducem. Sunt autem iſti Marſorum populi.

751. FRONDE SUPER GALEAM, ET FELICI COMPTUS OLIVA. Frondibus comptus feſtae olivae.

753. VIPEREO GENERI. Terrenis ſerpentibus. GRAVITER SPIRANTIBUS HYDRIS. Aquae ſerpentibus. *Graviter* autem *ſpirantibus*, ſolo nocentibus flatu. Lucanus: *Ante venena nocent*. SPARGERE. Conficere, ut Cicero: *Et ſpargere venena didicerunt*.

755. ARTE LEVABAT. Leviores eſſe faciebat, ut: *Noſtrumque leves quaecumque laborem*.

756. MEDICARI CUSPIDIS ICTUM. *Medicor illam rem*, & *illi rei*; ſicut *modulor*, & *moderor*, & *comitor*.

760. LIQUIDI FLEVERE LACUS. Etiam alii.

PIERII.

747. DURIS AEQUICOLA GLEBIS. In pleriſq; veteribus codic. *Aquicula*, pene ultima per u notata eſt: nam ea terminatio, quae eſt in *ola*, plerumque per u ſcribi animadverti, ut, *epiſtula*: quod non in veteribus tantum codicibus, verum etiam in antiquis monumentis non ſemel obſervavi.

750. QUIN ET MARRUVIA VENIT DE GENTE. Veteres pene omnes codices, *Marubia*, legunt per B mutam. Romanus tamen, *Marula*, habet. Stephanus in iis, quae compilavit ex Hermolao Byzantino, Μαρούβιοι: ſed in Sabinis ponit; verum auctor ille adeo paſſim corruptus eſt, ut parce admodum ei ſit adhibenda fides.

755. NEQUE EUM JUVERE IN VULNERA CANTUS. Antiqui plerique codices, *in volnere*, legunt ablativo caſu, dum vulneraretur; idem tamen ſignificat, *in vulnera*.

758. QUAESITAE IN MONTIBUS HERBAE. Ita habetur in Mediceo; ſed in antiquis pleriſque aliis exemplaribus legitur, *quaeſitae montibus*, abſque IN. Leve hoc fortaſſe videbitur multis, ſed iis, qui ſeſe ſtilo exercere gaudent, penſitatione non injucundum.

759. TE NEMUS ANGITIAE. Antiqua aliquot exemplaria, *Argitiae*, legunt; ſed *Angitiae*, melius, ex Solino, ut etiam habetur in codice Porcio.

Ibat & Hippolyti proles pulcherrima bello
Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum Egeriae lucis, Hymettia circum
Litora, pinguis ubi & placabilis ara Dianae.
765 Namque ferunt fama Hippolytum, postquã arte novercae
Occiderit, patriasque explerit sanguine poenas
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus

Ae-

SERVII.

761. IBAT ET HIPPOLYTI PROLES PULCHERRIMA BELLO VIRBIUS. Theseus, mortua priore uxore Hippolyte, Phaedram, Minois & Pasiphaes filiam, superduxit novercam Hippolyto: qui, cum illam de stupro interpellantem contempsisset, falso delatus ad patrem est, quod ei vim voluisset inferre. Ille Neptunum patrem rogavit, ut se ulcisceretur, qui agitanti currum Hippolyto, immisit focam, qua equi territi eum traxerunt. Tunc Diana, ejus castitate commota, revocavit eum in vitam per Aesculapium, filium Apollinis & Coronidis, qui natus erat exsecto matris ventre, ideo, quod, cum Apollo audisset a Corvo, ejus custode, eam adulterium committere, iratus Coronidem, maturo jam partu, confixit sagittis. Corvum vero nigrum fecit ex albo: & exsecto ventre Coronidis produxit ita Aesculapium, qui factus est medicinae peritus. Hunc postea Juppiter propter revocatum Hippolytum interemit: unde Apollo, iratus ei, Cyclopas fabricatores fulminum confixit sagittis: ob quam rem a Jove jussus est Admeti regis novem annis apud Amfrisum armenta pascere, divinitate deposita. Sed Diana Hippolytum, revocatum ab Inferis, in Aritia, Nymphae commendavit Egeriae: & eum *Virbium*, quasi *bis virum* jussit vocari: cujus nunc filium cognominem dicit in bellum venire: adeo omnia ista fabulosa sunt: nam cum castus ubique inductus sit, & qui semper solus habitaverit, habuisse tamen fingitur filium. Re vera autem, ut supra diximus, *Virbius*, est numen conjunctum Dianae, ut Matri deum Atys, Minervae Erichthonius, Veneri Adonis.

762. QUEM MATER ARICIA MISIT. Civitas juxta Albam. *Mater* autem, propter Augustum dicit, qui fuerat ex Aricina matre Atia progenitus: ac si diceret, quae tanti auctor est generis.

763. EGERIAE LUCIS. Nympha in Aricino nemore, quam amicam suam Numa esse fingebat, ad firmandam legum suarum auctoritatem.

764. PINGUIS UBI ET PLACABILIS ARA DIANAE. *Pinguis*, frequenti sacrificio; *placabilis* autem, ac si diceret, non qualis ante fuit, vel illic, vel apud Tauros, humano gaudens cruore: quam historiam plene in secundo diximus, cum Iphigeniae incidit commemoratio.

765. ARTE NOVERCAE OCCIDERIT. Bene jura sceleris expressit sola novercae commemoratione.

PIERII.

762. VIRBIUS INSIGNEM QUEM MATER ARITIA MISIT. Saepius dictum, in Romano cod. familiarem esse mutationem ex I in E, ut in veterum aliquot monumentis, NEGLEGENTIA. In nummis MAURETANIA, & alia pleraque. Ita hoc loco & *Verbius*, & *Aretia* scriptum est; sed *Verbius*, non in hoc auctore tantum, sed in aliis quoque, per E scriptum observavi; per I vero scribi debere, ostendit analogia: quoniam, ut apud Adamantium est, eum virum bis factum esse memorant. Cavet vero auctor is, ne *Virvius*, littera media per V digammon scribatur: quoniam *bis* numerus per B mutam notetur; quum tamen eo loco, quod superius attigimus, *Favium*, non *Fabium*, contra nostri temporis usum praecipiat scribi. Quantum vero pertinet ad urbem, in Strabonis codicibus Ἀρικία μετὰ τὸ Ἀλβανὸν per ἰῶτα scriptum, quum Ἀρήτιον τῆς Τυῤῥηνικῆς γῆς, per ἦτα scribatur. Non praeteribo vero loco hoc, quod ad litterae mutationem attinet, observasse Quintilianum, ut *sibe*, a Messala, ita *quase*, scriptum in multorum libris, comperisseque se ex Pediano T. Livium ita his usum, qui & ipse eum sequebatur: *Quae nos* (ait ille) I *littera finimus*. Quid vero illud apud Verrium, qui Scipionem Africanum Pauli *F. redorguisse*, per E litteram enuntiasse dicit? Contra vero *pertisum*, per I, cujus meminit Lucilius, cum ait: *Quo facetior videar & scire plus quam caeteri*, pertisum *hominem*, *non* pertesum *dicens*, *ferum natura genus*.

763. HYMETIA CIRCUM LITORA. In Romano codice, legere est, *humentia circum litora*; sed malunt omnes *Hymetia*, ab Atticae monte. Sed id quoque observandum est, apud Graecos geminato ττ scribi Υμηττιος, nomenque observant τὸ υ natura producere.

Aetheria & ſuperas caeli veniſſe ſub auras,
Paeoniis revocatum herbis & amore Dianae.
770 Tum Pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina ſurgere vitae,
Ipſe repertorem medicinae talis & artis
Fulmine Phoebigenam Stygias detruſit in undas.
At Trivia Hippolytum ſecretis alma recondit
775 Sedibus, & nymphae Egeriae nemorique relegat:
Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis aevum
Exigeret, verſoque ubi nomine Virbius eſſet.
Unde etiam templo Triviae luciſque ſacratis
Cornipedes arceantur equi; quod litore currum
780 Et juvenem monſtris pavidi effudere marinis.
Filius ardentis haud ſecius aequore campi

Ex-

SERVII.

769. PAEONIIS REVOCATUM HERBIS. Aut medicinalibus, a *Paeone*, medico deorum, qui Παιὰν, *Paean* ſecundum Doricos dicitur; ſecundum rationem, *Paeon*: aut re vera herbam *Paeoniam* dicit, cujus Creta fetax eſt. ET AMORE DIANAE. *Amore*, id eſt, cura.

772. MEDICINAE TALIS ET ARTIS. Quae etiam fata diſſolveret.

773. POENIGENAM. Matris poena genitum: alii PHOEBIGENAM legunt, ut Probus.

775. RELEGAT. Commendat ab aliis ſegregatum.

776. SOLUS. In ſolis locis: nam *ſolus* quomodo, qui filium dicitur ſuſcepiſſe? IGNOBILIS. Non vilis; ſed ignotus: quanquam poſſit etiam ad illud referri, quod dicunt quibuſdam artibus hominum vitam ultra fata protendi poſſe: ita tamen, ut ſolam habeant vitae imaginationem: videntur enim omnia facere, nec faciunt. AEVUM. *Aevum*, eſt aetas perpetua, cujus neque initium, neque extremum naſcitur; & hoc modo *aevum*, aetatem Hippolyti poſuit. Veteres *aevum* etiam deorum vitam dicebant: nam & VIRBIUS inter deos colitur. *Virbium* autem quidam Solem putant eſſe, cujus ſimulachrum non eſt fas attingere, propterea quod nec Sol tangitur.

777. VERSOQUE UBI NOMINE. De re facto, ut: *Oeſtrum Graii vertere vocantes*.

778. UNDE ETIAM TRIVIAE TEMPLO. Exponit τὸ αἴτιον: nam Callimachus ſcripſit Αἴτια, in quibus etiam hoc commemorat.

779. ARCENTUR EQUI. Quoniam apud quaſdam gentes ad aram equo ſedere permittebatur.

781. HAUD SECIUS. Non ſegnius patre. Dicit autem tantae eum fuiſſe audaciae, ut nec paternae mortis terreretur exemplo.

PIERII.

773. PHOEBIGENAM STYGIAS DETRUSIT AD UNDAS. In antiquis codicibus alibi, *ad undas*, alibi, *in undas*, legitur.

777. EXIGERET VERSOQUE UBI. Plerique codices antiqui abſque particula, *que*, legunt, *verſo ubi*: in qua dictione eruditioribus auribus judicandum relinquo, quam venuſtius ſit legere: *Solus ubi in ſilvis Italis ignobilis aevum Exigeret verſo ubi nomine Virbius eſſet*. Poſſe vero verſum ita nulla colliſione conſiſtere oſtendit, quod ſuperius legimus: *Antiqua e cedro Italuſque paterque Sabinus*: & hujuſmodi pleraque apud hunc eundem poetam.

778. UNDE ETIAM TRIVIAE TEMPLO. Plures antiqui codices habent, *templo Triviae*, quod eorum curae commendamus, qui ſpondeum duobus dactylis interjectum addere carmini majeſtatem agnoſcunt.

779. QUOD LITORE CURRUM, ET JUVENEM MONSTRIS PAVIDI EFFUDERE MARINIS. In codicibus aliquot antiquis, *quo litore*, legitur. Neque obſtat, Hippolytum in Attica, non in his regionibus fuiſſe dilaceratum, quando poetis ea conceſſa licentia, ut & fabulas, & hiſtorias nonnunquam ex commodo ſuo pervertant;

Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipſe inter primos praeſtanti corpore Turnus
Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.
785 Cui triplici crinita juba galea alta Chimaeram
Suſtinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignis.
Tam magis illa fremens, & triſtibus effera flammis,
Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnae.
At levem clipeum ſublatis cornibus Io
790 Auro inſignibat, jam ſaetis obſita, jam bos,
Argumentum ingens, & cuſtos virginis Argus,
Caelataque amnem fundens pater Inachus urna.
Inſequitur nimbus peditum, clipeataque totis
Agmina denſentur campis, Argivaque pubes,
795 Auruncaeque manus, Rutuli, vetereſque Sicani,

Et

SERVII.

784. VERTITUR. Id eſt, agit. ET TOTO VERTICE SUPRA EST. Statius: *Et toto deſpectat pectore bellum*.

786. AETNAEOS EFFLANTEM FAUCIBUS IGNES. Nimios, quantos habet Aetna.

787. TAM MAGIS ILLA FREMENS, ET TRISTIBUS EFFERA FLAMMIS, QUAM MAGIS EFFUSO CRUDESCUNT SANGUINE PUGNAE. Legitur in Arte, quod *tam*, *magis*, *maxime*, *minus*, *minime*, poſitivo tantum jungantur: quod tamen tunc obſervabitur, ſi ponantur ad augmentum iſtae particulae: tunc enim vitioſam faciunt elocutionem. Caeterum ſi ad exaequationem poſitae ſint, poſſunt vel comparativo, vel ſuperlativo, vel pro his gradibus ipſae inter ſe jungi. Hinc ergo eſt: *Tam magis illa fremens & triſtibus effera flammis, Quam magis effuſo crudeſcunt ſanguine pugnae*: non enim ad praelationem poſitae ſunt; ſed ad exaequationem: majores enim noſtri vitia non in dicto, ſed in ſignificatione eſſe voluerunt. Hinc eſt in Salluſtio: *Ita quam quiſque peſſime fecit, tam maxime tutus eſt*: nam & hic exaequatio eſt, non comparatio.

790. IO AURO INSIGNIBAT. Haec Inachi filia Argivorum fluminis fuit. Hanc amavit Jupiter: & dum cum ea eſſet, Juno ſupervenit: timens ille ne deprehenderetur, Io mutavit in vaccam: & eam poſcenti dedit Junoni, ne pellicem confiteretur: cui Juno Argum, oculatum omnibus membris, Areſtoris filium, cuſtodem appoſuit. Quem cum Jupiter per Mercurium interemiſſet, Juno eum in pavonem mutavit; Ioni vero immiſit oeſtrum, quo diu exagitata ad Aegyptum venit, & Jovis voluntate in Iſin mutata, colique coepta eſt. INSIGNIBAT. Signo ſuo clarum eſſe faciebat, ſua pictura inſignem faciebat.

791. ARGUMENTUM INGENS. Aut fabula, ut Cicero: *Argumenta erant in valvis*. Aut re vera *argumentum*, quo ſe Graecum probare cupiebat. Hoc enim etiam Amata ſuperius dixit: *Inachus Acriſiuſque patres, mediaeque Mycenae*. CUSTOS. Ne reverti poſſet in formam priorem.

793. PATER INACHUS. *Pater* non tantum ipſius Ionis; ſed auctor originis Turni.

794. TOTIS AGMINA DENSENTUR CAMPIS. Qui oculis poterant ſubjacere. DENSENTUR autem, *denſeo denſes* dicimus, aliter non. ARGIVAQUE PUBES. Et hoc ad generis, ut ſupra diximus, pertinet probationem; quod eum ſequebantur Argivi.

795. VETERESQUE SICANI. Bene *veteres*: nam ubi nunc Roma eſt, ibi fuerunt *Sicani*: quos poſtea pepulerunt Aborigines.

PIERII.

tant; placet tamen *quod*, ut ſit redditio cauſſae.

781. HAUD SECIUS AEQUORE CAMPI. In antiquis pleriſque codicibus, *ſegnius*, legitur: quam lectionem Servius agnoſcit, quum dicit, *non ſegnius patre*.

797. AGMINA PENSANTUR CAMPIS. In antiquis codicibus, & *denſantur*, & *denſentur*, obſervavi: utrumque recte, ex uſu veterum.

Et Sacranae acies, & picti scuta Labici:
Qui saltus, Tyberine, tuos, sacrumque Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere collis,
Circaeumque jugum; quis Juppiter Anxurus arvis
800 Praesidet, & viridi gaudens Feronia luco:
Qua Saturae jacet atra palus, gelidusque per imas
Quaerit iter vallis, atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentis aere catervas,
805 Bellatrix. Non illa colo, calathisve Minervae

Fe-

SERVII.

796. SACRANAE ACIES. Dicunt quendam Corybantem venisse ad Italiam & tenuisse loca, quae Urbi vicina sunt: & ex eo populos ducentes originem, *Sacranos* appellatos; nam sacrati sunt Matri deum Corybantes. Alii *Sacranas acies* Ardeatium volunt, qui aliquando, cum pestilentia laborarent, ver sacrum voverunt; unde *Sacrani* dicti sunt. *Ver sacrum* autem, immolationis est genus: mos enim Italis fuit, ut magnis in periculis addicti voverent, quaecumque proximo vere nata essent apud se animalia, immolaturos. PICTI SCUTA LABICI. Glaucus, Minois filius, venit ad Italiam: & cum sibi imperium posceret, nec acciperet: ideo quod nihil praestabat, sicut ejus pater praestiterat: Zonam eis transmittendo, cum antehac discincti essent, ostendit scutum militare, a quo & ipse *Labicus* dictus est, & ab eo populi ἀπὸ τῆς λαβῆς, quam Latine *ansam* vocamus. PICTI AUTEM SCUTA, id est, in bello frequenter probati: nam apud majores virorum fortium picta erant scuta; contra inertium & tyronum pura erant; unde est: *Parmaque inglorius alba*, id est, non picta.

797. QUI SALTUS TYBERINE TUOS. Non originem, ut diximus supra. SACRUMQUE NUMICI LITTUS ARANT. Aut jam tunc *saxum*, aut Prolepsis est a cadavere Aeneae: nam consecratus est *Numicus*, postquam inventum est illic cadaver Aeneae.

798. LITTUS ARANT. Littus fluminis, ut: *Viridique in littore conspicitur sus*. Cum *ripae* proprie fluminum sint; *littora* maris, ut Ovidius: *Proripis littora pulsant*.

799. CIRCAEUMQUE JUGUM. Circa hunc tractum Campaniae colebatur puer Juppiter, qui *Anxurus* dicebatur, quasi ἄνευ ξυροῦ, id est, *sine novacula*: quia barbam nunquam rasisset: & Juno virgo, quae Feronia dicebatur. Est autem fons in Campania juxta Terracinam, quae aliquando Auxur est dicta.

800. ET VIRIDI GAUDENS FERONIA LUCO. Non vacat, quod addidit *viridi*: nam, cum aliquando hujus fontis lucus fortuito arsisset incendio, & vellent incolae exinde transferre simulacra, subito reviruit.

801. QUA SATURAE JACET ATRA PALUS. Secundum hanc lectionem revera *Saturam* paludem intelligimus; sed alii ASTURAE legunt: quod si est, paludem pro flumine posuit; nam haud longe a Terracina oppidum est *Astura*, & ejusdem cognominis fluvius.

802. QUAERIT ITER VALLES. Satis signatis verbis expressit flumen angustum. Contra de Tyberino ait: *In mare prorumpit.*

803. HOS SUPER ADVENIT VOLSCA DE GENTE CAMILLA. Prudenter, post impletam commemorationem virorum, transit ad foeminas. Ita enim & de Trojanis legitur, qui ultimum Amazonum auxilium postulaverunt: quae res ab Homero praetermissa est. Sane jam praesagium est infelicitatis futurae, quod inter ipsa principia armantur & foeminae. VOLSCA DE GENTE. De Priverno, Volscorum oppido, ut: *Privernum antiqua Metabus cum excederet urbe*.

804. FLORENTES AERE CATERVAS. Ennius & Lucretius *florere* dicunt omne quod nitidum est: hoc est secutus Virgilius. Aliter Acyrologia est. Lucretius: *Tum mare velivolum florebat navibus pandis*.

805. CALATHISVE MINERVAE. Minerva & armorum dea est, & lanificii; sed Camilla animum ad arma sola contulerat.

PIERII.

799. QUIS JUPPITER ANXURIS ARVIS PRAESIDET. In antiquioribus sane, *Jupiter* unico P habetur. In Romano, & aliquot aliis *Anxirus*. In aliis plerisque, *Axyris*, per Y, ut Graece scribitur. Et *Anxiris*, per I Latinum iis, qui Graece nesciebant.

Femineas adſueta manus; ſed proelia virgo
Dura pati, curſuque pedum praevertere ventos:
Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas:
810 Vel mare per medium, fluctu ſuſpenſa tumenti,
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas.
Illam omnis tectis agriſque effuſa juventus,
Turbaque miratur matrum, & proſpectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius oſtro
815 Velet honos levis humeros, ut Fibula crinem
Auro internectat; Lyciam ut gerat ipſa pharetram,
Et paſtoralem praefixa cuſpide myrtum.

SERVII.

807. CURSUQUE PEDUM. Bene *pedum* adjecit, ne per equum ejus gloria minueretur, quod ei objicitur: *Quid tamen egregium, ſi foemina forti Fidis equo?*

809. ARISTAS. *Ariſtae* autem ſunt primae ſpicae partes, ab eo, quod primae *areſcant*, dictae.

811. TINGERET. Mergeret, ut: *Tingat equor.*

813. JUVENTUS TURBAQUE MIRATUR MATRUM. Ante, ornatum ejus, poſt, arma dicturus eſt; unde hyſteron proteron in reſpondendo eſſe voluerunt, ut ornatum matres, viri vero arma mirentur. Sed melior ſenſus eſt, ſi, ſicut dictum eſt, accipiamus: ea enim ſexus uterque miratur, quae ſunt poſita contra opinionem, ut mirentur foeminae arma in muliere; viri ornatum in bellatrice.

814. INHIANS. Stupore quodam, ore patefacto.

816. LYCIAM PHARETRAM. Quaſi Lyciam, ut legimus: *Cretenſes egere ſagittas.*

817. PASTORALEM PRAEFIXA CUSPIDE MYRTUM. Quia hac pugnare paſtores ſolent. MYRTUM. Non haſtam myrteam, ſed ipſam myrtum. Statius: *Lernaeam facit ille trabem.*


PIERII.

810. FLUCTU SUSPENSA TUMENTI. In aliquot veteribus codicibus legere eſt: *fluctus tumentis*, quod minime placet: non ſum vero neſcius eſſe aliquos uſque adeo naris ſupra modum emunctae, ut, quum quatuor illos verſus legunt:

Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret
Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas.
Vel mare per medium fluctu ſuſpenſa tumenti
Ferret iter, celeris nec tingueret aequore plantas:

adulterinos eos judicent: ut qui a Virgiliana gravitate videantur alieni. Sed valeant tam ſeveri Critici, quando in exemplaribus omnibus antiquis ea carmina reperiuntur: neque hyperbolica ea laſcivia indecora eſt, praeſertim in virgine laudanda, quum toleretur in Apollonio in Polyphemi agilitate deſcribenda, unde locum Poeta noſter mutuatus eſt, cujus verſus non appoſui, quia ſunt jam omnibus in promptu.

816. LYCIAM UT GERAT ILLA PHARETRAM. Sunt antiqui codices, ubi *ferat* ſcriptum eſt. Sunt qui *gerat* magis proprium velint, & alterum illud ex paraphraſi adjectum eſſe. Eſt & *ipſa*, pronomen, pro *illa*, in antiquioribus exemplaribus: verum alterum hoc receptius.



Ant. Visentini f.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER OCTAVUS.

Ut belli ſignum Laurenti Turnus ab arce

Ex-

SERVII.

Vs. 1. UT BELLI SIGNUM LAURENTI TURNUS AB ARCE EXTULIT. Apud majores noſtros tria erant militiae genera in bellis gerendis: nam aut Legitima erat militia, aut Conjuratio, aut Evocatio. Legitima erat militia eorum, qui ſinguli jurabant, pro republica ſe eſſe facturos, nec diſcedebant, niſi completis ſtipendiis, id eſt, militiae temporibus: & ſacramentum vocabatur, ut Aen. 11. *Fas mihi Grajorum ſacrata reſolvere jura*. Aut certe ſi eſſet tumultus, id eſt, bellum Italicum, vel Gallicum, in quibus ex periculi vicinitate erat timor multus; quia ſingulos interrogare non vacabat, qui fuerat ducturus exercitum, ibat ad Capitolium, & exinde proferens duo vexilla, unum roſeum, quo pedites evocabat; & unum caeruleum, quod erat equitum (nam caeruleus color maris eſt, a cujus Deo equum conſtat inventum) dicebat: *Qui rempublicam ſalvam vult, me ſequatur:* & qui conveniſſent, ſimul jurabant: & dicebatur iſta militia, Conjuratio. Alii album & roſeum vexilla tradunt, & roſeum bellorum, album comitiorum ſignum fuiſſe. Fiebat etiam Evocatio: nam ad diverſa loca diverſi propter cogendos mittebantur exercitus. Modo ergo duo ſunt genera militiae.

Extulit, & rauco ſtrepuerunt cornua cantu,
Utque acris concuſſit equos, utque inpulit arma;
Extemplo turbati animi: ſimul omne tumultu
5 Conjurat trepido Latium, ſaevitque juventus
Effera. Ductores primi Meſſapus & Ufens,
Contemtorque deum Mezentius, undique cogunt
Auxilia, & latos vaſtant cultoribus agros.

Mit-

SERVII.

Coniuratio, & Evocatio: quippe in tumultu. Sane incongruum non eſt, quod ſignum belli, id eſt, vexilli elevationem Turno dat: aut quia de rege Latino dixerat ſupra: *Rerumque reliquit habenas*: aut quia Turnus furore ſuccenſus maluit ipſe efficere quam jubere, ut omnes abrumperet moras: aut quia, ſicut dictum eſt, Latinus, cui ſoli imperandi hoc jus erat, abſtinuerat, & nemo, illo abſtinente, parebat. Turnus ergo ideo hujusmodi officium arripuit: quia, etſi ipſe non imperabat, tamen prohiberi non poterat. *Belli* autem *ſignum* generaliter dixit (nam multa ſunt) ſed *vexillum* ſignificat, quod eſt tractum a *veli* diminutione, ut *velum*, *vexillum*. AB ARCE. Quoniam vexillum in arce ſolebat, quod eſſet ſpecimen imperati exercitus.

2. STREPUERUNT CORNUA. Quae ſimul ſonabant, ut: *Aereaque adſenſu conſpirant cornua rauco*. Thucydides ait, Lacedaemonios, non cornuum tubarumve cantu, ſed tibiarum uſos. Homerus de Achaeis: Οἱ δ' ἄρ' ἴσαν σιγῇ. Et antea de Phaliſcis, *Regemque canebant*, dixit.

3. UTQUE ACRES CONCUSSIT EQUOS. Hoc ad equites pertinet. Et utrum, hoc epitheton equorum perpetuum eſt, an, dum concutiuntur? UTQUE IMPULIT ARMA. Hoc ad pedites. Eſt autem ſacrorum: nam is, qui belli ſuſceperat curam, ſacrarium Martis ingreſſus primo ancilia commovebat; poſt, haſtam ſimulacri ipſius, dicens: *Mars vigila*. Quidam ſane ſuos equos, & ſua arma, de Turno tradunt, ſcilicet ut caeteris eſſet exemplum.

4. EXTEMPLO. Aut ſubito, aut re vera ex ipſo templo: id eſt, poſt divina arma commota. TUMULTU TREPIDO. Feſtino: more ſuo: non enim timere poterant, qui pericula vincebant.

5. CONJURAT. Nota, de re bona *conjurationem* dici poſſe: nam *conjuratio* τῶν μέσων eſt. JUVENTUS EFFERA. Efferata per Furiam, ut: *Arma velit poſcatque ſimul*.

6. PRIMI. Utrum ordine, an dignitate? MESSAPUS ET UFENS. Bona electio perſonarum ad delectum habendum: unus eques bonus, id eſt, Meſſapus mittitur; alter pedes egregius, id eſt, Ufens.

7. CONTEMPTORQUE DEUM MEZENTIUS. Quis enim juſtius quam ſacrilegus contra pios & praepararet bellum & gereret?

8. VASTANT CULTORIBUS. Abducendo cultores, vaſtos & deſertos efficiunt. Salluſtius in Jugurtha: *Vaſtus ab natura & humano cultu*. Alibi: *Quippe vaſta Italia rapinis, fuga, caedibus*: hoc eſt, hominibus deſerta.

PIERII.

Vs. 3. ATQUE IMPULIT ARMA. Saepius dictum eſt, praepoſitione IN ſubſequente P in plerisque codicibus antiquis, in *m* minime mutari, id quod non in Virgilianis tantum exemplaribus eſt, verum etiam in Horatianis, Caeſarianis, Ammiani Marcellini hiſtoriis, & aliis auctoribus, qui vel Longobardicis, vel ejus generis litteris notati ſunt. In illis enim praepoſitiones fere omnes in dictionibus omnibus incolumes habentur, ut hoc loco, INPULIT per N. Neque neſcius ſum Grammaticos adverſus hanc ſcriptionis rationem reclamare: quod illius litterae ſonus ante P non niſi M ſonare poſſit, quum neceſſarium ſit, poſt eam particulam enuntiatam, ſtatim occludere labia ſecunda ſyllaba IMPULIT. Sed eſto, vi naturae, M ſonus ipſius litterae ante P pronuntiatae: quid obſtat, ut, & ſi aliter enuntiatur, non tamen integra ſcribi poſſit, quum alia pleraque ſint, quae aliter ſcribimus, aliter pronuntiamus, ut obſervat Velius Longus. Ac ne Graecorum ſermonem in teſtimonium adducamus, qui T quum ſcribunt ante N, D tamen pronuntiant, litterae illius remollita duritie: iidem γ ante γ, κ, χ, ξ, notant. Sed enim litterae, quae eſt N, pro γ ſcripto, ſonum exprimunt. Noluimus nos eos ſuperſtitioſius imitari, ideoque Angelus non Aggelus ſcribimus, Ancora non Agcyra, Anchiſes non Agchiſes, Phalanx non Phalagx, ea enim ſic Graece ſcribuntur, ἄγγελος, ἄγκυρα, Ἀγχίσης, φάλαγξ. Sed M tamen aliquando quum ſcripſimus, alterius litterae ſonum pronuntiamus, ut Quintiliano & Velio Longo teſtibus apparet, in *mul-*

tum.

Mittitur & magni Venulus Diomedis ad urbem,
10 Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Advectum Aenean classi, victosque Penatis
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat, multasque viro se adjungere gentis
Dardanio, & late Latio increbrescere nomen.
15 Quid struat his coeptis, quem, si Fortuna sequatur,
Eventum pugnae cupiat, manifestius ipsi,
Quam Turno regi, aut regi apparere Latino.
Talia per Latium: quae Laomedontius heros

Cun-

SERVII.

9. MITTITUR ET MAGNI VENULUS DIOMEDIS AD URBEM. *Diomedes*, postquam reperit ira Veneris, a se vulneratae, uxorem Aegialeam apud Argos cum Cyllabaro, ut Lucilius, vel Cometa, ut plerique tradunt, turpiter vivere, noluit reverti ad patriam: vel, ut dicitur, ab adulteris proturbatus; sed tenuit partes Apuliae: & edomita omni montis Gargani multitudine, in eodem tractu civitates plurimas condidit: nam & Beneventum & Aequumtuticum ipse condidit, & Arpos, quae & Argiripa dicitur, ad quam nunc Venulus mittitur; non Arpinum, quam constat esse Campaniae: unde Cicero Arpinas. Sane sciendum, Apuliam uno dictam vocabulo; sed hujus partem, quam Diomedes tenuit, Messapiam & Peucetiam a duobus fratribus dictam, qui illic imperarunt. Alii aliter sentiunt de Messapiae nomine: in Anthedonis enim ora, quae Boeotiae est, mons stat Messapius, a duce Messapo nominatus, qui adventans in Iapygiam, ab se Messapiam regionem appellavit: item Dauniam, a Dauno rege Apuliae: a quo hunc *Diomedem* quidam hospitio receptum dicunt. Sane considerate ad *Diomedem* mittitur: movenda est enim indignatio & metus *Diomedi*, ut subveniat Latinis contra Trojanos. Considerate ergo hic ad Diomedem mittitur, ut eum vel quasi civis adduceret, vel citius possit movere. VENULUS. Hunc fuisse constat Argivum: nam Tyburs est, ut ille iodicat locus: *Praedam Tyburtum ex agmine raptam, Portat ovans.* Hunc alii Lavini imperasse olim tradunt.

10. CONSISTERE. Jam esse conditos, id est, fundasse civitatem: plus est enim *consistere*, quam *venisse*.

12. INFERRE. Hic invidiam facit, ut: *Inferretque deos Latio*: proprie enim ioferuntur penates. REGEM SE DICERE POSCI. Unde illud est: *Expectate solo Laurentum*. Et dicendo *posci*, agit subtiliter: nam si non venit errore, sed fato, omnem sibi utique est vendicaturus Italiam; sine dubio & Diomedis imperium. VICTOSQUE PENATES. Ut major sit indignatio: & amat Poeta, quotiens adversum Trojanos poscuntur auxilia, penatibus victorum crimen adscribere, ut apud Aeolum: *Ilium in Italiam portans victosque penates*.

13. VIRO SE ADJUNGERE GENTES DARDANIO. Hic metum injicit: & bene non Aeneae dixit; sed *viro Dardanio*; ut non sit mirum, si sequebantur hominem sibi cognatione sociatum, ut: *Hinc Dardanus ortus*: *Huc repetit*.

15. QUID STRUAT HIS COEPTIS. Cum haec jam coeperit. Et participialiter dixit, ab eo, quod est *incipio*, *coeptus* facit: hinc est *coeptis*. QUEM SI FORTUNA SEQUATUR, EVENTUM PUGNAE CUPIAT. Si eum fortuoa comitetur, quem finem suae velit esse victoriae, ipsum melius nosse, qui jam antiquus est hostis. Ergo *quem*, acute pronunciandum, ut sit ordo: quem eventum pugnae cupiat, si fortuna sequatur.

16. MANIFESTIUS IPSI. Vult autem intelligi, Aeneam etiam contra Diomedem bella gesturum, non tantum propter praesens imperium, sed & caussa hostilitatis antiquae.

18. TALIA PER LATIUM. *Gerebantur*, subaudis: & est forma, Ellipsis.

PIERII.

sum ille, & *Illum ego*. Quare me nihil offenderit, siquis in N etiam eandem esse rationem asseruerit, & IN praepositionem scribendo incolumem servaverit, pronuntiationis vero leges naturae concesserit.

16. EVENTUM PUGNAE CUPIAT. In aliquot antiquis codicibus, *cupiet* legitur: sed longe venustius *cupiat*.

Cuncta videns magno curarum fluctuat aestu:
20 Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partisque rapit varias, perque omnia versat.
Sicut aquae tremulum labris ubi lumen aenis
Sole repercussum, aut radiantis imagine Lunae,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
25 Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat; & terras animalia fessa per omnis
Alituum pecudumque genus sopor altus habebat:
Cum pater in ripa gelidique sub aetheris axe
Aeneas tristi turbatus pectora bello
30 Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci fluvio Tiberinus amoeno
Populeas inter senior se attollere frondis
Visus. Eum tenuis glauco velabat amictu

Car-

SERVII.

19. CUNCTA VIDENS. Mente pertractans: nam non videbat. CURARUM FLUCTUAT AESTU. His verbis futuram praeoccupat comparationem, quae est Apollonii de verbo ad verbum. FLUCTUAT AESTU. Utrumque verbum de mari est.

20. ATQUE ANIMUM NUNC HUC CELEREM, NUNC DIVIDIT ILLUC. Vel quod suis copiis bellum Itali adversus eum parabant; vel quod a Diomede vetere hoste suo auxilia postulabant. *Celerem* autem, ad corporis comparationem, quod tardum est, ut: *Iterumque ad tarda reverti corpora*.

23. SOLE REPERCUSSUM. Aut vacat RE; aut bene *repercussum:* quia primo aquam ferit; inde postea tendit ad tecta. RADIANTIS IMAGINE LUNAE. Negant omnes Physici lumen Lunae aliud ex se reddere, & vituperatur hoc dicto Virgilius: quod tamen tolerabile est, quia non Lunam, sed imaginem dixit Lunae, quam a Sole lumen accipere manifestum est. An ideo *radiantis*, ut, quoniam Luna lumen de Sole mutuatur, idem videatur etiam efficere, quae de Sole procedit.

25. LAQUEARIA. Multi *lacunaria* legunt: nam *lacus* dicuntur: unde est in Horatio: *Nec mea renidet in domo lacunar*. Non enim a *laqueis* dicitur, sed ab eo, quod sunt *lacus*.

27. ALITUUM. Pro, *alitum;* sed metri caussa, ut diximus supra, addidit syllabam.

28. SUB AETHERIS AXE. Id est, sub aere.

30. SERAMQUE DEDIT PER MEMBRA QUIETEM. Tardam: quippe in bellicis curis. *Seram* autem, pro sero, adverbium temporis in nomen deflexum. *Dedit* autem, mire dixit, hoc est, indulsit quietem corpori suo. Ab Homero ductum est, qui dicit: Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα, Ὧι, λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

31. HUIC DEUS IPSE LOCI. Cum ipse fluvius Tyberinus sit, quid ita intulit deus fluvio? Tyberinus enim, deus genius loci. TYBERINUS. Bene *Tyberinus*, quia supra dixerat *deus:* nam in sacris *Tyberinus;* in coenolexia *Tyberis;* in poemate *Tybris* vocatur.

33. TENUIS GLAUCA VELABAT AMICTU CARBASUS, ET CRINES UMBROSA TEGEBAT ARUNDO. Fluvialem aquam purificationi aptam latenter ostendit in tantum, ut etiam harundinibus, quae fluminum germina esse non dubium est, purificatio rite celebretur. Ideo inventa occasione Poeta ab harundinibus tectum fluvium inducit; ut doceat hoc etiam harundinibus in purificatione, quod per aquam, impleri posse, sicut in sacris traditur. Ideo & ubique fluminibus harundinem dat, ut lib. x. *Velatus harundine glauca Mincius*, & lib. II. Georg. *Ripis fluvialis harundo*. Quod autem ait, *tenuis glauco velabat amictu Carbasus*, docet, quaedam sacra pure a linteaceis debere fieri.

Carbaſus, & crinis umbroſa tegebat arundo.
35 Tum ſic adfari, & curas his demere dictis:
O ſate gente deum, Trojanam ex hoſtibus urbem
Qui revehis nobis, aeternaque Pergama ſervas,
Exſpectate ſolo Laurenti, arviſque Latinis;
Hic tibi certa domus: certi (ne abſiſte) Penates:
40 Neu belli terrere minis. Tumor omnis & irae

Con-

SERVII.

ri. *Carbaſus* autem, genus lini eſt: *Linum vero*, ut ait Plinius, *melius irrigatione fluminum, quam pluvia naſcitur*. Ideo & veſtis linea fluminibus tanquam propria datur. SENIOR. Atqui ubique eum *flavum* dixit; ſed *ſenior*, aut propter ſpumas dictum eſt: aut ad reverentiam pertinet: ſic Lucanus de urbe Roma adhuc florente: *Turrigero canos effundens vertice crines*.

35. TUM SIC ADFARI. Subaudis, viſus. CURAS HIS DEMERE DICTIS. Habitum futurae orationis oſtendit.

36. O SATE GENTE DEUM. Alibi: *Deum certiſſima proles: et: ſate ſanguine divum*. Saue interdum haec epitheta non vacant; ſed vim hortandi obtinent.

37. URBEM QUI REVEHIS NOBIS. Ut: *Ilium in Italiam portans: urbem* ergo pro civibus poſuit. *Revehis* autem, propter Dardanum, a quo Trojani deſcendunt. AETERNAQUE PERGAMA SERVAS. Pro ſervas, & aeterna facis, id eſt, efficis ut aeterna ſint.

38. EXSPECTATE SOLO LAURENTI. Dat adfectum etiam locis, ut: *Ipſae te Tityre pinus, Ipſi te fontes, ipſa haec arbuſta vocabant*.

39. HIC TIBI CERTA DOMUS. Quod ſuperius ab Apolline popoſcerat, hoc nunc indicat Tyberis, ut: *Da propriam Thymbraee domum, da moenia feſſis*.

40. TUMOR OMNIS ET IRAE CONCESSERE DEUM. Quidam *conceſſere*, pro *diſceſſere* accipiunt. Alii ita tradunt; qui nondum conceſſerunt, ſed utiliter diſſimulant. Sed aliqua hemiſtichia in Virgilio tam ſunt ſenſu imminuta, quam verbis, ut ecce hoc loco: namque non poſſumus intelligere quieviſſe omnem tumorem & iram deorum, cum & adhuc inimica ſit Juno, & ad Trojanorum perniciem addantur alia numina, ut Furia, & Juturna: unde mire quidam concluſit hunc verſum, dicens: *Conceſſere deum profugis nova moenia Teucris*. *Conceſſere* ergo, indulſerunt, vel ceſſerunt, id eſt, permiſerunt, ut: *Nec, ſi muneribus certes, concedat Iolas*: id eſt, permittat, indulgeat, &: *Extremum hunc Arethuſa mihi concede laborem*. Quod ſi ita acceperimus, ut dicat, Teucros conſtituiſſe civitatem, nec ea numina, quae irata ſunt, vetant, nihil erit contrarium: nam & ipſa Juno hoc dicit: *Non dabitur regnis, eſto, prohibere Latinis: Atque immota manet fatis Lavinia conjux*. Hic autem ſenſus, etiamſi detrahas ſubauditionem, poteſt accipi a ſuperioribus, ut ſit: *Tumor omnis, & irae, Conceſſere deum*: ut: *Hic tibi certa domus, certique penates*.

PIERII.

25. SUMMIQUE FERIT LAQUEARIA TECTI. Miror Servium eos non neglexiſſe, qui *lacunaria* legunt: quum vel ex Horatii exemplo, quod appoſuit, ſyllabae repugnantiam viderit, etſi multi pollyſyllaborum regulam uſurpant.

38. EXPECTATE SOLO LAURENTI. In antiquis aliquot codicibus, *exſpectate*: quamvis nonnulli adimant s, quum opperiri ſignificat.

39. NE ABSISTE PENATES. Inemendate legitur *adſiſte*, in pleriſque codicibus etiam antiquis: quum *abſiſte* dubio procul ſit legendum. Ait enim Tyberinus: Tametſi tantus bellorum motus inſurgit, ne tamen animum deſponde, ſed quod inſtat, audacter exequere.

40. TIMOR OMNIS ET IRAE CONCESSERE DEUM. In veteribus omnibus codicibus, quotquot habui, *tumor* legitur, quod phyſice dictum eſſet. Effuſa enim bile jecur intumeſcit, inde oritur excandeſcentia. Unde apud Hor. *Vae, meum fervens difficili bile tumet jecur*. Et alibi Virgilius: *Tumida ex ira tunc corda reſidunt*. Deque Meleagro apud Ovidium eſt: *Tumida frendens Mavortius ira*. Neque tamen diſplicet *timor*, quia Juno ea tot, quae eventura erant, metuens, veteriſque memor belli, tantas exciverat turbas. In timore praeterea tumor eſt, ut Cornelius Fronto tradit, ut in metu motus animi, in formidine interdum ratio, in pavore nil non puerile.

Conceſſere Deum.
Jamque tibi, ne vana putes haec fingere ſomnum,
Litoreis ingens inventa ſub ilicibus ſus,
Triginta capitum foetus enixa, jacebit;
45 Alba, ſolo recubans, albi circum ubera nati.
(Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum:)
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Aſcanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. Nunc qua ratione, quod inſtat,
50 Expedias victor, paucis (adverte) docebo.
Arcades his oris, genus a Pallante profectum,
Qui regem Euandrum comites, qui ſigna ſecuti,
Delegere locum, & poſuere in montibus urbem,

Pal-

SERVII.

43. LITTOREIS INGENS. Licet poſſimus etiam de fluvio *littus* dicere; ponit tamen diſcretionem, ut hic: *Sub ilicibus:* paulo poſt: *Viridique in littore conſpicitur ſus*. Hanc autem porcam, ut diximus ſupra, ſecum habuere Trojani, quam amiſſam in Campania invenerunt cum foetu circa Laurentum agrum: quam ideo Aeneas immolavit Junoni: quia ipſa dicitur Terra, ut eſt, *Conjugis in gremium laetae deſcendit*. Scimus autem hoc animal inimicum eſſe frugibus; ut caprum vitibus, qui Libero immolatur. Alii de ea ſue dicunt, habuiſſe eam Trojanos, & ubi primum generaſſet, ibi certam ſpem ſedis concepiſſe: alii in littore Laurenti inventam, quam ſecutos Trojanos in eum montem perveniſſe, ubi poſtea *Alba*, a colore porcae, *Longa*, a poſitione, ſit condita. Sane & *littoreis*, & *littoralibus*, dicitur.

44. ENIXA JACEBIT. Participio utens tangit hiſtoriam.

45. SOLO RECUBANS. *Solo*, videtur abundare.

47. EX QUO. Qua ratiocinatione. QUOD INSTAT. Quod ſolum ex laboribus reſtat: cura enim Aeneae praeſentis fuerat neceſſitatis.

51. ARCADES HIS ORIS, GENUS A PALLANTE PROFECTUM. Euander Arcas fuit, nepos Pallantis, regis Arcadiae. Hic patrem ſuum occidir ſuadente matre Nicoſtrata (quae etiam Carmentis dicta eſt, quia carminibus vaticinabatur.) Alii ipſam Nicoſtratam, matrem Euandri, cum eſſet centum decem annorum, a filio peremptam tradunt. Conſtat autem Arcadas plurimum vixiſſe, in tantum, ut quidam uſque ad trecentos annos vivendo pervenerint. Ipſe autem Euander, dimiſſa provincia ſua exilio, non ſponte, compulſus venit ad Italiam, &, pulſis Aboriginibus, tenuit loca, in quibus nunc Roma eſt: & modicum oppidum fundavit in monte Palatino, ſicut ait Varro: *Nonne Arcades exules confugerunt in Palatium, duce Euandro?* Hic autem mons *Palatinus*, ſecundum Virgilium a *Pallante*, avo Euandri, eſt dictus; ſecundum Varronem & alios, a filia Euandri, Pallantia, ab Hercule vitiata, & poſtea illic ſepulta: alii a Pallante, qui de filia Euandri natus, & ibi ſepultus eſt, immaturae aetatis: alii a filio Euandri, qui poſt mortem patris ſeditione occiſus eſt: alii a *balatu* ovium *Balanteum* volunt dictum: & exinde per antiſtoichon, id eſt, mutata littera, *Pallanteum* dictum. Sed ſi a *balatu* hoc nomen venerit, *pa* longa eſt: ſicut eam Martialis ponit plerumque; ſi autem a Pallante, *pa brevis* eſt, ut eam ponit ubique Virgilius, ſecundum ſuam opinionem. GENUS A PALLANTE PROFECTUM. Profectum ad has oras genus a Pallante, non, a Pallante profectum.

52. QUI REGEM EUANDRUM, QUI SIGNA. Id eſt, qui regis Euandri ſigna ſecuti, ut: *Sanguine placaſtis ventos & virgine caeſa:* pro, ſanguine virginis caeſae.

53. IN MONTIBUS. Ut diximus ſupra, eſt in minoribus illis collibus. An, pro monte, an, inter montes?

PIERII.

42. JAMQUE TIBI NE VANA PUTES HAEC FINGERE SOMNUM. In Romano codice, *nec vana putes* legitur, quod minime diſplicet. Sed & *ne* recte.

Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
55 Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, & foedera junge.
Ipse ego te ripis & recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea; primisque cadentibus astris
60 Junoni fer rite preces, iramque minasque
Supplicibus supera votis. Mihi victor honorem
Persolves. Ego sum, pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Caeruleus Thybris, caelo gratissimus amnis.

Hic

SERVII.

54. PALLANTIS PROAVI. Confundit nomina, ut plerumque solet: nam avus fuit: sic & illud dixit: *Luco tunc forte parentis Pilumni Turnus.* Et alibi: *Pilumnusque illi quartus pater*. A quibusdam tamen hic *Pallas*, auctor Euandrii generis, *Aegri* filius suisse dicitur, qui a fratre Theseo Athenis regno pulsus, ad Arcadiam venir, & ibi regnum tenuit. Et hoc Poeta quasi Romanis dicit: nam ad Aeneam non pertinet.

55. HI BELLUM ASSIDUE DUCUNT CUM GENTE LATINA. *Ducunt*, aut gerunt, aut in longum trahunt. Et bene praestandorum auxiliorum exprimit caussam; ne magis Turno, quasi Graeco, favere credantur.

56. FOEDERA JUNGE. Legitur & FOEDERE JUNGE.

57. RECTO FLUMINE DUCAM. Non ad naturam alvei referendum est, nam ait: *Et longos superant flexus:* sed recto fluminis itinere: quia non sunt erraturi. & sic dixit, ut: *Tunc se ad Cajetae recto fert littore portum*. Hoc est, a littore non recedens. Sic ergo & nunc DUCAM, a littore fluvii non recedentem significat. Est & alia expositio, ut, *recto flumine*, edomito, frenato, & in tranquillitatem redacto intelligamus: quod etiam fecit, ut: *Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis*. Ut sit *recto*, praeteriti temporis participium, ab eo, quod est *rego*.

59. PRIMIS. Proprium cadentibus astris: cum primum nox occiderit: & dictum juxta vulgarem opinionem, tanquam oriente die occidant astra.

60. JUNONI FER RITE PRECES. Sicut etiam Helenus monuit. Et sic *fer preces*, quemadmodum *sacri ferri* dicimus.

61. VICTOR HONOREM PERSOLVES. Bene ei adimit bellicam curam, promittendo voti fore compotem.

63. STRINGENTEM RIPAS. Radentem, imminentem: nam hoc est Tyberini fluminis proprium, adeo ut ab antiquis *Rumon* dictus sit, quasi *ripas ruminans*, & exedens: in sacris etiam *Serra* dicebatur; unde ait nunc: *Et pinguia culta secantem:* in aliqua etiam urbis parte Terentum dicitur, eo quod *ripas terat*. Alii *Stringentem*, juxta veterem morem dictum intelligunt: *stringere* enim significare dicunt, tactu modico praeterire; ut ipse ait in x. *Magno strinxit de corpore Turni*.

64. CAERULEUS TYBRIS. Altus, profundus. CAELO GRATISSIMUS. Pro his, qui in caelo sunt.

PIERII.

58. ADVERSUM REMIS SUPERES SUBVECTUS UT AMNEM. In codicibus aliquor, mutato numero *Adversum superet remis*. Sed concursus ille syllabarum *sum*, *su*, *res*, *re*, molestam prae se fert asperitatem. In aliquibus autem manu scriptis, versus hic non habetur.

59. SURGE AGE NATE DEA. In Romano codice, & quibusdam aliis non habetur *age*. In nonnullis altera manu superadditum, quum antea legeretur, *Surge o nate dea*. Sed omnino *Surge age* magis placet. Missum facio *gnate deum*, quod & ipsum in veteri habetur codice.

61. SUPPLICIBUS SUPERA VOTIS. In Romano quidem codice, *votis* legitur. Sed in plerisque aliis, *donis:* ut idem repetatur, quod in III. praeceptum ab Heleno fuerat. Tametsi Ti. Donatus *votis* agnoscit utroque loco.

62. EGO SUM PLENO QUEM FLUMINE CERNIS. In codicibus aliquot antiquis legere est, *Ego sum quem pleno gurgite cernis*. Sed altera lectio magis omnino recepta.

65 Hic mihi magna domus celſis caput urbibus exit.
Dixit, deinde lacu fluvius ſe condidit alto,
Ima petens. Nox Aeneam ſomnusque reliquit.
Surgit, &, aetherii ſpectans orientia Solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
70 Suſtulit, ac talis effundit ad aethera voces:
Nymphae, Laurentes Nymphæ, genus amnibus unde eſt,
Tuque, o Thybri tuo genitor cum flumine ſancto,
Accipite Aenean, & tandem arcete periclis.
Quo te cumque lacus miſerantem incommoda noſtra
Fon-

SERVII.

65. Hic mihi magna domus. Scilicet circa exitum ſuum: quamvis enim alibi ortus, hunc tamen locum incolo. Alii Romam dicunt Tyberini eſſe domicilium, hinc dixiſſe *magnam domum*: alii oſtia dicunt, ab hoc, quod nos, cum per diverſa diſcurrerimus officia, in domum noſtram nos recipimus, ibique requieſcimus; ut idem hic, cum per reliqua ſpatia diſcurrerit, recipiat ſe per oſtia in mare: alii *domum*, non Romam ſignificare, quae adhuc non erat, ſed regionem illam, ut oſtendat ſibi eam domum electam, quae ad totam gloriam perventura ſit. Celsis caput urbibus exit. De Tuſcia, quam illis multum conſtat floruiſſe temporibus: nam & Lucumones reges habebat, & maximam Italiae ſuperaverat partem.

66. Lacu fluvius. Abutitur *lacus* nomine, ut mox: *Quo te cumque lacus*. *Fluvius* autem, hic ipſe ſcilicet deus alvei.

67. Nox Aeneam somnusque reliquit. Ut: *Feſſos cum ſole reliquit:* & cito.

68. Orientia solis Lumina. Pro, orientis ſolis lumina.

69. Undam de flumine palmis Sustulit. Quia dicitur nox etiam ſolo ſomno polluere; unde eſt: *Et noctem flumine purgat*. Secretior etiam ratio eſt: quia ſacrificaturus Superis, de vivo haurit flumine.

70. Nymphae. Hic diſtinguendum, ut generalitatem ſequatur ſpecialitas: ut in Georgicis: *Mater, Cyrene mater*: nam vitioſum eſt, poſt ſpeciem genus inferre. Genus amnibus unde est. Quidam hic hypallagen putant, ut ſit, *Nymphae*, quae ab amnibus genus habetis. Sane, cum *unde* hodie ad locum referamus, veteres etiam perſonis adplicabant, ita ut ad omne genus, & ad omnem numerum referrent, ut hoc loco genus foemininum & pluralem numerum poſuit; cum alibi maſculinum & ſingularem poſuerit, *Genus unde Latinum*, quod plenius in initio primi libri Aeneidos dictum eſt.

72. Tuq. o genitor cum flumine. Sic enim invocatur in precibus: *Adeſto, Tyberine, cum tuis undis*. Tyberim vero alii a rege Aboriginum dictum volunt, qui juxta dimicans interemptus eſt: alii ab eo rege, quem Glaucus, Minois filius, in Italia interemit: alii, inter quos & Livius, ab Albanorum rege, qui in eum cecidit.

73. Arcete periclis. Hypallage: pro, a me prohibete pericula.

74. Quo te cumque lacus tenet. *Lacus*, eſt quoddam latentis adhuc aquae receptaculum: & dictus *lacus*, quaſi *lacuna*, ex qua erumpens aqua efficit fontem, qui cum fluere coepit, alveum facit; unde tria iſta dixit, *lacum*, *fontem*, *alveum*; hoc enim eſt: Quocumque solo pulcherrimus exis. Quanquam multi hoc verſu ſuperfuſionem ejus velint ſignificari: ideo autem hoc dixit Aeneas, quia audierat: *Hic mihi magna domus celſis caput urbibus exit*.

PIERII.

67. Nox Aeneam somnusque reliquit. In antiquis aliquot exemplaribus, *relinquit*, per inſtans, ut conveniat cum ſurgit.

69. Cavis undam de flumine palmis sustulit. In antiquis aliquot codicibus, *ſuſtinet* legitur. Et quod ſubſequitur, *talis effundit*, praeſenti tempore, quod in vulgatis *effudit* habetur.

72. Tuque o Tybri tuo genitor cum flumine sancto. *Tu o Genitor*, diſtinguendum eſſet ex antiquis codicibus, in pronomen & adverbium vocandi. Corriperetur que *tu*, ob ſubſequentem vocalem: quod non ideo appoſui, quia lectionem hujusmodi probarem: ſed, ut codicum tantum varietatem indicarem. Quidam, ut in pleriſque aliis locis, *que* particulam inſeruere. Hinc ple-

75 Fonte tenet, quocumque ſolo pulcherrimus exis;
Semper honore meo, ſemper celebrabere donis,
Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.
Adſis o tantum, & propius tua numina firmes.
Sic memorat, geminasque legit de claſſe biremis,
80 Remigioque aptat; ſocios ſimul inſtruit armis.
Ecce autem, ſubitum atque oculis mirabile monſtrum,
Candida per ſilvam cum foetu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conſpicitur ſus:
Quam pius Aeneas tibi enim, tibi, maxima Juno,

Ma-

SERVII.

76. SEMPER HONORE MEO. Amphiboliam facit. Satis autem pie Aeneas pollicetur, cum Tyberis verecunde popoſcerit: ait namque: *Mihi victor honorem Perſolves*.

77. CORNIGER. Flumina ideo cum cornibus pinguntur, ſive quod mugitum boum imitatur murmur undarum: ſive quod plerumque in cornuum ſimilitudinem curvatas cernimus ripas. HESPERIDUM REGNATOR AQUARUM. Bene addit *Heſperidum*, id eſt, Italicarum: nam Eridanus, rex eſt fluminum Heſperiae, ut: *Fluviorum rex Eridanus*. FLUVIUS vero, vocativus antiquus eſt: quia apud majores in omni forma ſimilis erat nominativo; ſed modo aliter eſt in ſecunda tantum forma: namque ſi proprium fuerit nomen, & *i* ante *us* habuerit, *us* perdita facit vocativum, ut *Terentius*, *Terenti*, nullo excepto; ſit autem appellativum ſit, in *e* mittit vocativum, ut *pius pie*, *fluvius fluvie*, excepto *filius*, nam *fili* facit. Plerumque tamen poetae Euphoniae cauſſa antiquitatem ſequuntur.

78. ET PROPIUS. Legitur & *proprius*. Et, ſi *proprius*, familiarius, ſtabilius ſignificat, ut: *Et proprius res aſpice noſtras*. Si autem *propius*, citius ſignificat. Cicero in Verrinis: *Nec eo quidquam eſt propius factum, quam ut illud exemplum de Adriano Syracuſas referretur*. Et hoc eſt melius: nam ſtatim eſt conſpecta porca, & Aeneas non dubitavit de fide oraculi, ſed expoſcit celeritatem. TUA NUMINA. Tua oracula & promiſſa.

79. GEMINAS. Pro, duas. REMIGIOQUE APTAT. Id eſt, ad remigium, officium remigantium; alibi pro turba remigantium, ut: *Remigia ſupplet*.

81. MONSTRUM. Quia & ſubito, & cum triginta porcellis eſt viſa.

82. FOETU CONCOLOR ALBO. Expedita locutio. VIRIDIQUE IN LITTORE. Fluviali ſcilicet.

83. CONSPICITUR SUS. Horatius: *Et amica luto ſus*. Sciendum tamen, hoc eſſe vitioſum, monoſyllabo finiri verſum; niſi forte ipſo monoſyllabo minora explicentur animalia, ut: *Parturiunt montes, naſcetur ridiculus mus*: Gratiores enim verſus iſti ſunt ſecundum Lucilium.

84. PIUS AENEAS. Opportunum epitheton: quoniam rem divinam facit. TIBI ENIM. Vacat *enim*, & tantum ad ornatum pertinet; integrum eſt ergo *tibi*, ut ex iteratione creſcat augmentum. Terentius: *O Myſis, Myſis*. MAXIMA JUNO. Quaeſitum eſt, quae ſit *Juno maxima*: nam, ut diximus, variae ſunt ejus poteſtates, ut *Curetis*, *Lucina*, *Matrona*, *Regina*: & dicunt Theologi, ipſam eſſe Matrem deum, quae Terra dicitur; unde etiam & porca ei ſacrificatur. Ergo perite elegit epitheton, ut *maximam* diceret.

PIERII.

plerique codices habent, *Tuque o Tybri*, *tuque o Genitor*. Tam imperite quam abſurde. Perinde ac etiam *xancto* pro *ſancto* ſcripſere. Nam *s* etiam ſimplex in *x* mutare quorundam mos fuit, ut habetur in veterum monumentis, CASSIUS XECUNDUS. Et alia quaedam hujuſmodi.

74. QUO TE CUMQUE LACUS MISERANTEM INCOMMODA NOSTRA FONTE TENET. In Romano codice, *tenens*, legitur, ut *lacus*, ſit pluralis numeri: non enim adhuc proprium fontem aut lacus novit.

76. SEMPER CELEBRABERE DONIS. In plerisque codicibus antiquis, *venerabere*, ſpecie Latino ſermoni inſolita; *celebrabere* autem omnino melius novit.

78. ADSIS O TANDEM ET PROPIUS. In Rom. codice, & in Mediceo, *Adſis o tantum*, legitur. In aliquot aliis, *adſis & tandem propius*, ſed omnino venuſtius eſt, *o tandem*.

85 Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram.
Thybris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni placidaeque paludis
Sterneret aequor aquis, remo ut luctamen abesset.
90 Ergo iter inceptum celerant rumore secundo:
Labitur uncta vadis abies: mirantur & undae,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virum, fluvio pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
95 Et longos superant flexus, variisque teguntur

Ar-

SERVII.

85. MACTAT SACRA. Mactatio post immolanem est; uude homo usus est compendio. Sane hysteron proteron est in hoc versu: primum enim est: *Cum grege sistit ad aram*: & sic *mactat*, id est, auget, perficit. Sed sciendum, *sacrum* proprie esse, quod ad deos pertinet: & hic breviter factum sacrificium dixit. CUM GREGE. Ambitiose Poeta triginta filios *gregem* dixit.

86. FLUVIUM. Hic fluvium ipsum aquae cursu lenitum accipiendum est. QUAM LONGA EST NOCTE. In quantum longa est, ut: *Nunc hyemem inter se luxu quam longa fovere*.

87. REFLUENS. Velut in alveum suum recurrens, ut Aeneas, contra undas pergens, descendentis celeritate propemodum uteretur.

88. MITIS. Vel ad Tyberim, vel ad stagnum referes.

89. AEQUOR AQUIS. Aquae ipsius aequilitatem; nam & post ait: *Placido aequore*.

90. RUMORE SECUNDO. Hoc est, bona fama, cum neminem laederent: aut certe dicit, ante eos venisse, quam fama nuntiaret venturos; aut RUMORE pro RUMONE posuit; nam, ut supra diximus, *Rumon* dictus est: unde & *ficus ruminalis*, ad quam ejecti sunt Remus & Romulus: quae fuit ubi nunc est Lupercal in Circo: hac enim labebatur Tyberis, antequam Vertumno factis sacrificiis averteretur: quamvis *ficum ruminalem* alii a Romulo velint dictam, quasi *Romularem*: alii a lacte infantibus dato: nam pars gutturis *ruma* dicitur. Ergo si fuerit *Rumone secundo*, favente fluvio, intelligimus.

91. LABITUR UNCTA VADIS ABIES. Descendentis celeritate prope conscendit. Statius de disco: *Similisque cadenti Crescit in adversum*. MIRANTUR UNDAE. Laus Trojanorum per phantasiam quandam ex undarum vel nemoris admiratione veniens.

94. NOCTEMQUE DIEMQUE FATIGANT. Ut: *Sylvasque fatigant*: pro ipsi fatigantur. An deest *se*, ut sit, fatigant se: an *diem fatigant*: pro, occupant & consumunt?

95. SUPERANT FLEXUS. *Superant*, transeunt, ut: *Fontem superare Timavi*. Et hic ostendit, non esse alveum fluminis rectum: quia Tyberim libri Augurum colubrum loquuntur, tanquam flexuosum. VARIISQUE TEGUNTUR ARBORIBUS. Hoc est, *Hunc inter fluvio Tyberinus amoeno*.

PIERII.

86. QUAM LONGA EST NOCTE. In codicibus aliquot antiquis, non habetur *est*, sed enim figuratam illam priorem lectionem agnoscit Servius.

87. LENIIT ET TACITA. In Romano codice, more suo, *lenit*, unico *i*, quod vel oblonga figura scribi debet, ut pro duobus accipiatur, sicuti *memor beneficI*. Vel spondeus est κατὰ συναίρεσιν: sed magis placet *leniit*, dactylus.

90. ERGO ITER INCOEPTUM CELERANT. In plerisque codicibus antiquis, *peragunt*, legitur. Utrumque placet, sed melius *celerant*. In Mediceo, *celebrant*, quod cum eo quadraret, quod sequitur, *rumore secundo*. Quod vero ajunt interpretes *rumore secundo*, id est, bona fama, nihil ad Virgilianam sententiam facere videtur: nam *rumor*, hic pro plausu ponitur.

91. LABITUR UNCTA VADIS ABIES. In codicibus aliquot antiquis, *uda*, non *uncta*, legitur; sed *uncta*, magis proprium, quo epitheto alias etiam Poeta usus est ad pingendas navis: *Natat uncta carina*. Quod vero subjunxit, *undas & nemus mirari*, secun-

dum

Arboribus, viridiſque ſecant placido aequore ſilvas.
Sol medium caeli conſcenderat igneus orbem,
Cum muros arcemque procul, ac rara domorum
Tecta vident; quae nunc Romana potentia caelo
100 Aequavit: tum res inopes Euandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die ſollemnem illo rex Arcas honorem
Amphitryoniadae magno diviſque ferebat
Ante urbem in luco. Pallas huic filius una,

Una

SERVII.

96. SECANT PLACIDO AEQUORE SYLVAS. Oſtendit adeo perſpicuam fuiſſe naturam fluminis, ut in eo apparerent imagines nemorum, quas Trojanae naves ſecabant. Terentianus: *Natura ſic eſt fluminis, ut obvias imagines nemorum receptet in lucem ſuam.*

97. SOL MEDIUM CAELI CONSCENDERAT IGNEUS ORBEM. Alterius ſcilicet diei.

98. CUM MUROS ARCEMQUE PROCUL. Palatinum vidit: nec ſitum praeſenten conſiderare debemus: tunc enim nullis obſtantibus aedificiis, & Tyberi per Lupercal, ut diximus, fluente, facile mons poterat videri Palatinus.

100. CAELO AEQUAVIT. Pro, ad caelum extulit.

102. FORTE DIE SOLEMNEM ILLO. Εὐτυμβίτως, id eſt, bono omine victori deo Trojanis venientibus ſacra celebrabantur. Bona etiam uſus eſt oeconomia.

103. AMPHITRYONIADAE MAGNO DIVISQUE FEREBAT. *Amphitryo* rex Thebanorum fuit, cujus uxorem Alcmenam Juppiter adamavit, &, dum vir ejus Oechaliam civitatem oppugnaret, de trinoctio facta una nocte, cum ea concubuit: quae poſt duos edidit filios; unum de Jove, id eſt, Herculem; alterum de marito, qui Iphiclus appellatus eſt. Ergo adſumpſit epitheton Amphitryoniadae & ſatis perite ait: *Diviſque ferebat:* nam cuivis deo ſacrificaretur, neceſſe erat poſt ipſum etiam reliquos invocari. DIVISQUE FEREBAT. Quidam ſic intelligunt: Ergo Hercules de divis eſt, ut eſt illud ſcema: *Coeumque Iapetumque creat, ſaevumque Typhoea, Et conjuratos caelum reſcindere fratres:* ergo & ſuperiores tres conjurati: &: *Niveamque Paron ſparſaſque per aequor Cycladas:* ergo & illa e Cycladibus.

104. ANTE URBEM. Secundum antiquum ſitum: tunc enim brevis civitas fuerat. PALLAS HUIC FILIUS. Pro, cum hoc.

PIERII.

dum Pythagorae diſciplinam dictum, qui putabat omnia, ſpiritum vegetationis habentia, poſſe mirari.

98. CUM MUROS ARCEMQUE PROCUL ET RARA DOMORUM. In Oblongo codice perveteri, & quibuſdam aliis, *arces*, legitur numero multitudinis, ut referatur ad colles ſeptem, vel ad illud: *Septemque una ſibi muro circumdedit arces*. Nam *rara domorum Tecta vident, quae nunc Romana potentia coelo Aequavit*. Eſt autem pro & *rara*, in Romano codice, & in Mediceo, *ac*.

100. EUANDER HABEBAT. In Romano, & in Mediceo, *Euandrus:* nam *Euander*, vocativi caſus eſſe volunt, pro *Evandre*, κατὰ μετάθεσιν. Reliqui tamen codices, *Euander*, habent, nominativo caſu. Voluntque alii *Euandre*, in vocativo fieri κατὰ μετάθεσιν, ut illud: *Nam tibi, Tymbre caput;* quod agnoſcit Probus. Soſipater tamen Cariſius ita ſcribit: *Alexander, Teucer, dici debet; ſed & Alexandrus, & Teucrus, dici poſſunt, ut Virgilius, Teucrus & Evandrus, ſecundum illam ſcilicet rationem, qua nomina Graeca in os exeuntia, Latine in us exire Aurelio placet*. Contra quam regulam a Graecis ἀγρὸς, idem a nobis *ager* dicitur. Ideoque, ut in his, & caeteris conſuetudo ſequenda eſt. Sed enim ſuper hoc latius habetur libro tertio, eo verſu: *Teucrus Rhetear*.

102. FORTE DIE SOLENNEM ILLO. In Romano codice, *ſolemne*, genere neutro legitur, quod minime placet.

104. PALLAS HUIC FILIUS UNA. Quod in veteribus aliquot codicibus, *Pallans*, ſcriptum inveniatur, non eſt praeter alicujus aetatis conſuetudinem: nam praeter ea, quae alibi retulimus, in antiquis inſcriptionibus obſervata, Romae apud Marium Melinum, magnae celebritatis Patricium, hoſpitem olim meum officioſiſſimum, in antiquiſſimi monu-

105 Una omnes juvenum primi, pauperque ſenatus,
Tura dabant; tepiduſque cruor fumabat ad aras.
Ut celſas videre rates, atque inter opacum
Adlabi nemus, & tacitis incumbere remis;
Terrentur viſu ſubito, cunctique relictis

Con-

SERVII.

1C5. JUVENUM PRIMI, PAUPERQUE SENATUS. Totam oſtendit aetatem, & praemiſit *juvenes:* nam per *ſenatum*, ſeniores ſignificavit. *Pauper* autem, aut ad oumerum retulit, centum enim ſub Romulo fuerunt: aut re vera *pauper*, per quod Romani imperii oſtenditur parſimonia, pro laude tunc habita. Et libri veterum tradunt a maioribus ſacrificando parſimoniam obſervatam eſſe.

1C6. TREPIDUSQUE CRUOR. Fruſtra quidam *cruorem* pecorum, *ſanguinem* hominum volunt: nam Juvenalis ait: *Sanguis Iret, & a magno cervix ferienda magiſtro*. Virgilius: *Atque atros ſiccabat veſte cruores*. THURA DABANT. *Dabant*, verbo ſacrorum uſus eſt: nam dici ſolebat in ſacris: *Da quod debes de manu dextra aris*.

1C7. CELSAS VIDERE RATES. Quia dixit: *Geminaſque legit de claſſe biremes*. INTER OPACUM ADLABI NEMUS. Hoc eſt, per nemus, ut: *Hunc inter fluvio Tyberinus amoeno*. Et eſt hooeſta elocutio, ut ſi dicas: *Inter coenam locutus ſum*, id eſt, per coenam.

108. TACITIS INCUMBERE REMIS. Pro, ipſi taciti, id eſt, ſine celeuſmate: nam celeuſma nauticus eſt clamor ad hortandum, ut: *Nunc, nunc incumbite remis, Hectorei ſocii*.

PIERII.

menti titulo, vidi, *Pallans*, per N ſcriptum. Eſt vero cippus is pulcherrime elaboratus opere Corinthio, omnium, quae ad hanc diem viderim, laſciviſſimo, cujus inſcriptionis verba ſingula in hunc modum habent:

VOLVSIAE
ARBVSCVLAE
PALLANS Q. N.
A. FRVM.
CONTVBERNALI
CARISSIMAE ET SIBI.

Io cujus baſi eſt:

PERMISSV DEC.

Alibi etiam nomen id hoc pacto ſcriptum in veterum monumentis obſervavi, praeſertimque LL duplicato, quod jam plerique non illiterati viri ſimplici L ſcribere coeperunt. Sed enim non ſum oeſcius, veteres inſcriptiones hujuſmodi plerumque variare, litteramque ipſam N, non modo ſuperaddi ſolitam, verum etiam, ubi ex analogiae ratione ſit adſcribenda, plerumque rejici, ut alibi factum io oominibus, *infas*, & *clemes* oſtendimus. Sed quamvis ita veteres ſcriptitaveriot; Probus tamen Valerius nomen hoc io *as* terminari tradit. Et hunc locum citat, ut *as* longum oſtendat. Qui ſi *ans* per N & S agnoviſſet, non hoc uſus eſſet teſtimonio. Alibique errare eos dicit, qui putant *Pallantis*, genitivum a recto *Pallas*, per N litteram: & *Palladis*, a *Pallas*, abſque N deduci: quas voces accentu tantum diſtiogui mouſtrat, quum *Pallas*, dea, ſit oxytonon: *Pallans*, heros, paroxytonon. De terminatione vero eorum oominum, quae ſunt *infas*, & *clemes*, ſatis eſt libro primo dictum. Hujuſmodi vero generis eſt etiam *praegnas*, quod per *as* abſque N in aotiquiſſimo codice Terentiano ſcriptum in Ecyra legi eo loco: *Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia*. Sane apud Soſipatrum Cariſium, ubi utrum *partium*, an *parium*, geoitivo plurali, a *pars*, *partis* dicendum ſit, quaeritur, Plinii verba referuotur, dicentis conſuetudinem jam *partium* proferre coepiſſe, ut *praegnatium*, & *optimatium:* ubi videtur etiam *praegnas*, *praegnatis*, ut *optimas*, *optimatis* a Plioio agnitum. Illud pro corollario addere viſum eſt, quod in eodem codice Terentiano, qui eſt in bibliotheca Vaticana, qui ſubſequitur verſus poſt eum, quem paulo ante citabamus: *Neque fuiſſe praegnantem unquam ante hanc ſcivi diem:* abſque dictione *praegnantem*, notatus eſt, ut ita legatur: *Nam abducta a vobis praegnas fuerat filia. Neque fuiſſe unquam ante hanc ſcivi diem*. Quam lectionem ex peritis nonnulli plurimum approbarunt. Sed eoim animadvertendum, non eſſe locum Pyrrhichio io ſenario verſu, oiſi bis abſque ſynalepha ſcandere voluerimus; primo loco Tribrachum ſtatuentes, in hunc modum: *Neque fu. iſſ' un. quam an. te hanc. ſcivi. diem*. Verum haec in medio relioquere conſilium eſt, quae ſola ſibi longum orationis apparatum expoſcerent, tam multa apud eum quoque auctorem ſunt injuria temporum labefactata.

1C8. ALLABI NEMUS ET TACITIS INCUMBERE REMIS. In Romano codice, & aliquot aliis, *tacitos*, legitur, quippe viros; non tamen diſplicet, *tacitis remis*.

110 Consurgunt mensis. Audax quos rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse;
Et procul e tumulo: Juvenes, quae caussa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui genus? unde domo? pacemne huc fertis, an arma.
115 Tum pater Aeneas puppi sic fatur ab alta,
Paciferaeque manu ramum praetendit olivae:
Trojugenas, ac tela vides inimica Latinis;
Quos illi bello profugos egere superbo.
Euandrum petimus. Ferte haec, & dicite lectos
120 Dardaniae venisse duces, socia arma rogantis.

Ob-

SERVII.

110. CONSURGUNT MENSIS. Quidam *mensas* proprie deorum tradunt: nam & ideo subjunctum: QUOS RUMPERE PALLAS SACRA VETAT. Ne interruptione sacrificii (*rumpere* enim pro *interrumpere* potuit) piaculum comitteretur: unde etiam Helenus: *Ne qua inter sanctos ignes in honore deorum, Hostilis facies occurrat, & omina turbet*. Denique cum ludi Circenses Apollini celebrarentur, ut Hannibal nuntiatus est circa portam Collinam Urbi ingruere, omnes raptis armis concurrerunt. Reversi postea, cum piaculum formidarent, invenerunt saltantem in Circo senem quendam: qui cum interrogatus dixisset se non interrupisse saltationem, dictum est hoc proverbium: *Salva res est, saltat senex*. AUDACEM autem dicit ubique Virgilius, quotiens vult ostendere virtutem sine fortuna: unde etiam Turnum audacem vocat.

112. JUVENES QUAE CAUSSA SUBEGIT. Succincta, & plena interrogatio: cui per singula respondit Aeneas.

113. IGNOTAS TENTARE VIAS. Ideo *ignotas*, quia videt eos esse peregrinos: & bene breviter; sed frequentibus interrogationibus eos urget, ut: *State viri: quae caussa viae: quive estis in armis?*

114. QUI GENUS? Quo genere: & bona elocutio. UNDE DOMO? De qua civitate? AN ARMA? Tropum fecit metri caussa: nam consequens erat, ut, cum dicit *pacem*, subjungat *bellum*.

115. PUPPI SIC FATUR AB ALTA. Sic intelligendum, ut simul dicat & faciat.

116. PACIFERAEQUE MANU RAMUM PRAETENDIT OLIVAE. Ne moram faceret in responsione: quoniam Pallas prius de pace quaesierat: & ideo mox signum pacis ostendit, ut caetera Pallas securus audiret.

117. TROJUGENAS AC TELA. Breviter singulis quaesitis respondit: & *Trojugenas*, ad *Qui genus* referendum. TELA VIDES INIMICA LATINIS. Bona conciliatio: nam audierat, *Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina*. Ergo *tela inimica* ad illud pertinet, *Pacemne huc fertis, an arma?*

118. QUOS ILLI BELLO PROFUGOS. Sicut & vos. Et movet conciliationem etiam ex similitudine fortunae. SUPERBO. Injusto.

119. EUANDRUM PETIMUS. Hoc ad, *Quo tenditis*, pertinet. FERTE HAEC. Hoc ad ramum pertinet. DICITE, ad verba. Et *ferte* vobiscum, & *dicite*, κατ' αὐτό.

120. SOCIA ARMA ROGANTES. Hoc ad illud pertinet, *Quae caussa subegit*. *Rogantes* autem ad id pertinet, quod a Sibylla dictum fuerat: *Quas gentes Italum, aut quos non oraveris urbes?*

PIERII.

112. QUAE CAUSSA SUBEGIT IGNOTAS TENTARE VIAS? In antiquis aliquot exemplaribus, *quae cura*, legitur; sed *caussa*, magis placet; ea enim ab Aenea refertur, eo versu: *Quos illi bello profugos egere superbo*.

114. QUOD GENUS. In antiquis aliquot codicibus, *qui genus*, non ineleganter positum. In aliquot aliis *quis genus*: quod aliis diligentius examinandum relinquo.

120. DARDANIAE VENISSE VIROS. In Romano codice, & aliquot aliis, *duces*, legitur pro, *viros*. In plerisque vero codicibus, vel haec, vel illa dictio, abrasa discernitur; sed enim *duces* omnino magnificentius est.

Obſtupuit tanto perculſus nomine Pallas:
Egredere o, quicumque es, ait, coramque parentem
Adloquere, ac noſtris ſuccede penatibus hoſpes.
Excepitque manu, dextramque amplexus inhaeſit.
125 Progreſſi ſubeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Aeneas dictis adfatur amicis;
Optume Grajugenum, cui me Fortuna precari,
Et vitta comtos voluit praetendere ramos;

Non

SERVII.

121. TANTO PERCULSUS NOMINE. Dardani ſcilicet commemoratione. *Tanto* autem, id eſt, magnitudine nominis.

122. QUICUMQUE ES. Hoc ad nomen Aeneae pertinet: nam eſſe Trojanos audierat.

123. NOSTRIS SUCCEDE PENATIBUS HOSPES. Mire ſine patris auctoritate nihil confirmat; & tamen *hoſpitem* appellat.

124. DEXTRAMQUE AMPLEXUS INHAESIT. Oſtendit virum & hoſpitalitatis & virtutis amatorem.

125. SUBEUNT LUCO FLUVIUMQUE RELINQUUNT. Hypallage in ſenſu: nam primum eſt, fluvium relinquere: deinde lucum ſubire. Et hic *ſubeunt* juxta veteres dativo junxit, cum alibi juxta uſum praeſentem accuſativo junxerit, ut: *Aeneae ſubiit mucronem:* ſicut & *ſuccede* veteres dativo junxerunt, quod ſignificat penitus ingredere, uti hoc loco: *Ac noſtris ſuccede penatibus hoſpes*. Salluſtius tamen, ut dictum eſt, accuſativo junxit.

127. OPTIME GRAJUGENUM. Quantum ad Aeneam pertinet, Graeci neque boni neque meliores ſunt. Ergo *optime Grajugenum* ſuperlativus eſt pro poſitivo: nam *optimus malorum*, non poſſumus dicere: ſuperlativus enim ſuo tantum jungitur generi. Sic ergo dixit ut Homerus: δικαιότατος Κενταύρων, id eſt, *juſtiſſimus Centaurorum*, pro juſtus: cum Centauri fuerint crudeles & impii. Et eſt rhetorica perſuaſio: nam principium ex utriusque perſona ſumpſit: *Optime Grajugenum* ad Euandrum pertinet; *Cui me fortuna precari*, ad Aenean, qui ſe fatetur ſupplicem venire; ſed quia ignotus eſt, & oſtendere vult quod impetrare debet, ait: *Dardanus Iliacae primus pater urbis & auctor:* contra quos auxilium petat: *Gens eadem quae te:* Quid ipſi etiam ſit utile, a quo beneficium poſtulatur: *Nos ſi pellant nihil abfore credunt:* dicit enim nos pellimur; ſed vos ſervietis poſtremi; ipſam propoſuit *Accipe daque fidem*. Ad ultimum, poſſumus reddere beneficium: *Sunt nobis fortia bello pectora:* nam utrum poſſet is, a quo petebatur, omiſit: quia manifeſtum erat poſſe: & ignotus a demonſtratione perſonae ſuae incipere debebat. CUI ME FORTUNA PRECARI. Servavit τὸ πρέπον dicendo *fortuna*. Et CUI ME PRECARI, antiquum eſt; nam modo, *quem precari* dicimus. Terentius: *Credo qui mihi ſic oret*. Item: *Facite, ut vobis decet*. Salluſtius: *Locum editiorem quam victoribus decebat:* & eſt Graecum, ut ἄρχει Ἀθηνῶν. Sane veteres & *precor illi*, pro, *precor pro illo*, dicebant. Plautus in Amphitryone: *Noli peſſimo precari*, hoc eſt, *pro peſſimo noli precari:* aut hyperbaton eſt, hoc modo: Tibi me fortuna vitta comptos voluit praetendere ramos & precari.

128. VITTA COMPTOS RAMOS. Ut in pacis petitione ramus olivae cum vittis offeratur, partim fabulae, partim naturae efficit ratio: nam, cum de nomine Athenarum Neptunus & Minerva contenderent, & juſſiſſet Jupiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtuliſſet hominibus, equum Neptunus, Minerva olivam protulit, & ſtatim vicit; unde, cum ejus ramus alicui offertur, indicat eum eſſe meliorem. Hinc eſt illud proverbium: *Herbam do*, id eſt, cedo victoriam. Quod Varro in Antiquitatis libris ponit: *Cum in agonibus herbam in modum palmae dat aliquis ei, cum quo contendere non conatur; & fatetur eſſe meliorem*. *Vittas* autem habet ramus olivae ideo, ut inertiam & imbecillitatem offerentis oſtendat: ſcimus enim oves, unde lana, e quia vittae, egere ſemper alineo auxilio: aut quia & lana in tutela Minervae ſit, quae pacis bellique ſit cultrix: aut quia mite & quietum animal eſt ovis, cujus quietem habere debent, qui in foedus & amicitiam coeunt. Quaeritur autem quid dixerit *comptos;* ſed ut *crines comi* dicimus, cum nectuntur, ita & hic etiam *ramos comptos* & illigatos intellige, ut ipſe: *Tum ramum innectit olivae:* Ergo quod illic *innectit*, hic *comptos* dixit. VOLVIT. Hinc eum laudat, quod tantus eum vir rogare compellitur.

PIE-

Non equidem extimui, Danaum quod ductor, & Arcas,
130 Quodque ab ſtirpe fores geminis conjunctus Atridis;
Sed mea me virtus, & ſancta oracula Divom,
Cognatique patres, tua terris didita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus, Iliacae primus pater urbis & auctor,

Ele-

SERVII.

129. DANAUM QUOD DUCTOR, ET ARCAS. Nec quod multitudinem haberes extimui: nec quod eſſes Arcas; ut illuc hoc tendat: *Geminis conjunctus Atridis*, id eſt, Agamemnoni & Menelao cognatione conjunctus. Et hoc ad laudem Euandri pertinet, qui qualitate morum meruit non timeri. FORES. Pro, fuiſſes: & notandum *fores* de praeterito.

130. GEMINIS CONJUNCTUS ATRIDIS. *Geminos*, hic duos; aliter *gemini*, uno partu editi. Quaeritur ſane, unde Euander Atridis genere fuerit conjunctus? & quamvis Heſiodus dicat qualiter conjunctus ſit Euander; tamen quidam ajunt, Thyeſtae filias Ledam & Hypermneſtram fuiſſe; Ledae & Tyndarei filias Clytemneſtram, Helenam, & Tymandram fuiſſe, quam duxit uxorem Echemus Arcas, cujus filius Euander. Clytemneſtram & Helenam notum eſt Agamemnoni & Menelao junctas fuiſſe. Alii ita tradunt; Steropes & Atlantis filios Oenomaum & Majam fuiſſe; Oenomai Hippodamiam filiam; unde Atreus natus; at Majae filius Mercurius, ex quo Arcades, de quibus Euander: quod Accius in Atreo plenius refert. Alii ita narrant: Atlas complures habuit filios; ſed de Lino Pelopen genuit; is Atreum; Atreus Agamemnonem & Menelaum; Mercurius deinde eſt Nicoſtratae pater, quae fuit mater Euandri; Mercurium Maja filia Atlantis genuit: ſic Euander Atridis conjunctus eſt; Trojanis autem ſic jungitur; ex Electra, Atlantis filia, & Jove Dardanus naſcitur; ejus filius Erichthonius; ex eo Aſſaracus; ex illo Capys; ex illo Anchiſes: ex illo Aeneas.

131. MEA ME VIRTUS. Haec arrogatio ad honorem Euandri pertinet: & ſane paulo adrogantius videretur virtutem ſuam laudaſſe, niſi deorum oracula & facta conjungeret: deinde ut Euandro blandiretur, *Tua*, inquit, *terris didita fama:* & ut in audientis mente remaneret, in ultimo addidit: *Et fatis egere volentem*. Sed hic ſingula diſtinguenda, ut major ſit enumeratio. SANCTA ORACULA DIVUM. Tyberini ſcilicet, vel Apollinis, ut: *Via prima ſalutis; Quod minime reris, Graja pandetur ab urbe*.

132. DIDITA FAMA. Divulgata ſcilicet, ut: *Diditur hic ſubito Trojana per agmina rumor*.

FATIS EGERE VOLENTEM. Id eſt, quod voluntatis fuerat, egit neceſſitas fati.

134. DARDANUS ILIACAE PRIMUS PATER URBIS ET AUCTOR. Dardanus ex Jove & Electra, Atlantis filia, genitus, de Italia forte abire compulſus, agros Troicos petit, ibique Dardanum oppidum in regione Dardania collocavit. Sane hic reddit, quod ait ſupra, *Cognatique patres*. Sed ſciendum, Atlantes tres fuiſſe; unum Maurum, qui eſt maximus; alterum Italicum, patrem Electrae, unde natus eſt Dardanus; tertium Arcadium, patrem Majae, unde natus eſt Mercurius. Sed nunc ex nominum ſimilitudine facit errorem: & dicit Electram & Majam filias fuiſſe Atlantis maximi. Nec praeter rationem ait, & *maximus*, & *Atlas Idem Atlas generat:* nam & ipſe habuit etiam horum nominum filias, id eſt, Electram & Majam.

PIERII.

121. OBSTUPUIT TANTO PERCULSUS NOMINE PALLAS. Ne repetam amplius *obſtipuit*, eo me vertam, quod *percuſſus* in antiquis codicibus habetur, a *percutio*. Quod vero iſti *percellere*, unde *perculſus*, ad animum tantum ſpectare dicunt, apud Ovidium quinto Metamorphoſeos legas: *Stipite qui media poſitus fumabat in ara perculit:* quod quidem nulli non videatur ad corpus pertinere.

122. EGREDERE, O QUICUNQUE ES. In Romano codice, ſententia non profertur per diſſolutum; ſed conjungitur cum *obſtipuit*, copulativa particula adjecta, hoc pacto; *& gradere, o quicumque es ait*, ſed enim *egredere*, video magis eruditis placere. CORAMQUE PARENTE ALLOQUERE. Codices plerique veteres, *parente*, legunt, ablativo caſu, ut *coram parente;* ſed mihi magis placet, *parentem alloquere*, ut eſt in Romano codice, & aliis optimis.

124. ACCEPITQUE MANU, DEXTRAMQUE AMPLEXUS INHAESIT. In pleriſque codicibus antiquis, *Excepitque manu dextraque:* & pro, *amplexus*, ſunt codices, in quibus, *implexus*, legitur: quae lectio cum *dextra*, ablativo conveniret; ſed enim *amplexus*, plures fautores habet.

132. TUA TERRIS DEDITA FAMA. Praeteribo, quod in antiquis aliquot codic. *debita*, legitur;

 quum

135 Electra (ut Graii perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maxumus Atlas
Edidit, aetherios humero qui sustinet orbis.
Vobis Mercurius pater est, quem candida Maja
Cyllenae gelido conceptum vertice fudit.
140 At Majam, auditis si quidquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, caeli qui sidera tollit.

SERVII.

135. UT GRAII PERHIBENT. Id est, ut vestrae continent literae: firmius eoim est quod ipsorum testimonio infertur.

136. ADVEHITUR TEUCROS. Et homines & regionem significat. Sane prolepsis est: nam post Dardanum Teucri appellati sunt.

138. MERCURIUS PATER EST. Mercurius, Jovis & Majae, quae est una de Plejadibus, filius, auctor eloquentiae & lirae, internuntius deorum. Iste etiam palaestrae inventor hoc modo esse narratur: Choricus, rex quidam Arcadiae, filios habuit Plexippum & Enetum, & Palaestram filiam; sed juvenes, cum casu inter se haberent certamen, impressione & nisu corporum invenerunt luctamina: qui cum hoc patre praesente facerent, & ille re nova delectaretur, ex ea re ludus factus est, quam rem Palaestra, soror juveoum, Mercurio amanti se prodidit: qui, cum rem novam vidisset, pleniorem de industria artem homines docuit: hoc seni juvenes a sorore proditum nuntiant; ille iratus est potius filiis, quod non tanquam furem Mercurium insequereotur: quem cum illi in monte dormientem iovenissent, manus ei amputaverunt; unde & ipse *Cyllenius*, & mons, dicuntur; namque Graece *κυλλὰς*, aliqua mutilatos parte corporis dicunt; unde etiam *hermas* vocamus, quosdam stimulos in modum signorum sine manibus. Mercurius vero Jovi conquestus, Choricum eviсeratum in folliculum redigi fecit; amatam vero suam Palaestram remuneratus, omne luctamen, quod corpore conficitur, palaestram vocari fecit. Alii *Mercurium*, quasi *Medicurrium*, a Latiois dictum volunt, quod inter coelum & Inferos temper incutrat. Hic etiam mercimooii deus est. Quidam hunc in petaso & in pedibus pinnas habere volunt, propter orationis, cujus auctor est, velocitatem: Caduceum illi ideo adsignatur, quod fide media hostes in amicitiam conducat: quae virga ideo serpentibus inligata est, ot sicut illi obliti veneni sui in se coeunt, ita hostes, contemptis & depositis inimicitiis, in amicitiam revertaotur. CANDIDA MAJA. Splendidior enim est *Maja* inter Pleiadas, quae est una de Atlantidibus, hoc est, Pleiadibus. Non ergo *candida*, pulchra, ut *candida Dido*. Meminit autem Majam Atlantidem esse, ut: *Ante tibi Eoae Atlantides abscondantur:* &: *Multi ante occasum Majae coepere*, cum vellet per *Majam* etiam caeteras Atlantis filias intelligi.

139. CYLLENAE. Mons est Arcadiae, ubi Maja Mercurium est enixa. FUDIT autem, non injuriose dictum est, ut in Pisonem: *Quae te belluam ex utero, non hominem fudit*. Sed celeritatem parientis ostendit; quod iofantibus dicitur omen felicitatis adferre. Spectat etiam ad rationem physicam: nam celer est ubique Mercurius, ut diximus supra: ideo dicit eum etiam in ortu fuisse velocem.

PIERII.

quum *didita*, in emendatioribus habeatur: quod Servius etiam agnoscit in codicibus emendatis: dumque exponit *didita*, divulgata, ut illud, *Diditur interea Troiana per agmina murmur*. Lucretianum id quidem verbum, & io hoc significato ab utroque horum saepissime positum.

136. MAXIMUS ATLAS. In Romano codice, *maxumus Atlas:* de cujus scriptionis ratione pleraque diximus in primo Aeneidos. Succurrit vero nunc marmor simili ratione inscriptom, quod elegantia ingenia subjectum hic noo aspernabuntur:

ASPRENANS CALPVRNIVS
TORQVATVS PATRI SVO.

Fuisse enim in hujuscemodi nomine veram lectionem, *Asprenas*, apud antiquiores, fatentur omnes. Tum in aede Divae Ceciliae trans Tyberim: ASPRENATIS CAESIANI legitur; absque *n* obliquo casu.

139. CYLLENES GELIDO CONCEPTUM IN VERTICE FUDIT. In antiquis codicibus, partim *Cyllene*, partim *Cyllenae*, legitur. Et *conceptum vertice*, absque *in*, quod non placet.

140. AUDITIS SI QUICQUAM CREDIMUS, ATLAS. In codd. aliquot antiquis, *si cuiquam credimus Atlans* legitur; sed *quidquam*, magis placet. Et *Atlas*, absque *n* scribi dictum.

Sic

Sic genus amborum ſcindit ſe ſanguine ab uno.
His fretus non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me, me ipſe, meumque
145 Objeci caput, & ſupplex ad limina veni.
Gens eadem, quae te, crudeli Daunia bello
Inſequitur; nos ſi pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Heſperiam penitus ſua ſub juga mittant:
Et mare, quod ſupra, teneant, quodque adluit infra.
150 Accipe, daque fidem. Sunt nobis fortia bello
Pectora, ſunt animi, & rebus ſpectata juventus.
Dixerat Aeneas. Ille os, oculosque loquentis

Jam

SERVII.

142. GENUS AMBORUM. Aut meum & tuum; aut Trojanorum & Arcadum: ergo *amborum*, poteſt utrorumque accipi.

143. NEQUE PRIMA PER ARTEM TENTAMENTA TUI PEPIGI. Cum nullo ante pactus ſum, ut te, aut per artem aliquam, aut per legatos probarem; ſed intrepidum me tibi commiſi.

144. TENTAMENTA PEPIGI. Experimenta pactus ſum: nam geminum eſt hic praeteritum ab eo, quod eſt *paciſcor*: facit enim & *pepigi* & *pactus ſum*, ſicut, *placeo*, & *placui*, & *placitus ſum*. *Pago* enim, unde multi venire volunt *pepigi*, nuſquam eſt lectum. Et altera eſt expoſitio: non tentavi te quibusdam pactionibus, quibus crederem tuto ad te venturum; ut haec fuerit ars tentantis. Aut NON LEGATOS, tale eſt, quemadmodum in oratione ab alio in aliud initium tranſitur, ut: *Me, me adſum qui feci*. Et non reſpondetur propoſitis; ergo illud refertur: non legatos miſi; aut tale aliquid, quod ſententiam compleat.

146. GENS EADEM, QUAE TE. Sic agit, ut & ipſe praeſtare videatur; nam & ſupra ait: *Socia arma rogantes*. Et argute inſeruit, *eadem*, nec addidit *nos*. DAUNIA. Rutula, a Dauno. CRUDELI BELLO. Supra: *Bello profugos egere ſuperbo*.

147. NIHIL ABFORE CREDUNT. Sibi obſuturum nihil arbitrantur.

148. QUIN OMNEM. Ut non omnem: & bene *omnem*; ne non ſolum Euandrum contemnere viderentur. PENITUS SUA SUB JUGA. Utrum penitus ſub juga mittant, an omnem penitus Heſperiam?

149. QUOD SUPRA TENEANT. Adriaticum dicit. QUODQUE ALLUIT INFRA. Tyrrhenum dicit: omne enim mare, quod a Sicilia uſque ad Hiſpaniam tendit, *Inferum* appellatur ideo, quod Sol ibi ad inferiores caeli partes delapſus occidat.

150. ACCIPE DAQUE FIDEM. Ab utili agit: Et hoc eſt, quod ait in decimo: *Humanis quae ſit fiducia rebus*. SUNT NOBIS FORTIA BELLO PECTORA. Iterum ſic laudat juventutem ſuam, quaſi praeſtet auxilium.

151. REBUS SPECTATA JUVENTUS. Experimentis probata, decennali ſcilicet praelio. Et bene promiſſionem rebus confirmat & teſtimoniis, quae eſt verbis invalida.

152. ILLE OS, OCULOSQUE LOQUENTIS. Suffecerat ad recordationem Anchiſae vultum agnoviſſe; addidit: *Et totum luſtrabat lumine corpus*, quod ſine dubio non vacat; nam quia Aeneas in virtute ſua multa praedixerat, orationem ejus voluit aeſtimare de corpore: & poſtquam fides facta eſt, inde coepit: *Ut te fortiſſime Teucrum accipio*.

PIERII.

144. TENTAMENTA TUI PEPIGI. In antiquis pleriſque codicibus, *temptamenta*, per *mp* legitur: quam ſcribendi rationem, praeter omnium fere codicum antiquorum congeriem, in aliquot etiam marmorum inſcriptionibus obſervavi: cujusmodi ea eſt: EJUS MONIMENTI PARTEM ALIENARE TEMPTAVERIT. Sed enim ubi ita ſcriptum invenitur, alia quoque praeter eruditorum uſum inſpiciuntur. Nos itaque *tentamenta* ſcribamus, ut omnes fere notae melioris homines hodie ſcribunt. ME ME IPSE, MEUMQUE OBJECI CAPUT. In antiquis aliquot codd. *memet*, legitur: de primae vero ſyllabae quantitate, vide Valerium Probum: & obſervatum a Grammaticis, *Tutemet*, eſſe dactylum, quod ejusdem eſt proportionis. Miſſum faciam, *caput*, per *d*, in antiquo quodam

Jam dudum, & totum lustrabat lumine corpus.
Tum sic pauca refert: Ut te, fortissime Teucrum,
155 Accipio adgnoscoque libens! ut verba parentis,
Et vocem Anchisae magni, voltumque recordor!
Nam memini Hesionae visentem regna sororis
Laomedontiaden Priamum, Salamina petentem,
Protenus Arcadiae gelidos invisere finis.
160 Tum mihi prima genas vestibat flore juventa;
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiaden: sed cunctis altior ibat

An-

SERVII.

153. TOTUM LUSTRABAT LUMINE CORPUS. Paterna in eo lineamenta cognoscens. LUMINE. Pro luminibus, id est, oculis. PAUCA REFERT. Non pauca, sed paucis: id est, breviter. Hoc vult dicere: multa eum dixisse, sed paucis. UT TE. Quemadmodum: *Ut te fortissime Teucrum*. Ad *Optime Grajugenum*, reddidit, *Fortissime Teucrum*.

155. AGNOSCOQUE LIBENS. Postquam probavit ex habitu corporis vera esse, quae dicebat Aeneas, per Anchisen eum laudat adulatione deposita. Sane inter *agnosco* & *cognosco*, superfluo quidam volunt facere discretionem, ut *cognoscamus novos*, *agnoscamus antiquos*; sed haec a poetis metri necessitate variantur; nam *agnosco*, propter Synaloepham dixit.

156. VOCEM ANCHISAE MAGNI. Mire, quod non fecit Aenean dicentem, qui scit Euandrum cognoscentem.

157. HESIONAE VISENTEM REGNA SORORIS. Commemorationi necessitudinis reddit commemoratione hospitii. Sane fabula de Hesione & nota est, & aliquot locis exposita: quis enim nescit a Laomedonte mercedem Neptuno & Apollini ob muros Troiae fabricatos negatam; cumque incursu maris civitas vexaretur, coactum Laomedontem filiam Hesionam ceto objicere; eamque ab Hercule liberatam, eversa Troia & occiso Laomedonte, propter negatum praemium, Telamoni suo comiti in matrimonium datam, ex qua natus est Teucer: quae caussa fecit, ut Priamus, ad visenda sororis regna proficiscens, cum Salamina tenderet, & iter per Arcadiam faceret, & tunc ab Euandro esset susceptus Anchises. VISENTEM REGNA. Videre cupientem.

159. PROTINUS. Uno eodemque tempore: hoc est, dum pergit, vidit Arcadiam; nam non possumus simul intelligere; cum Salamina insula sit; Arcadia in continenti.

161. MIRABARQUE DUCES TEUCROS. Hos laudat, quo melior sit ille, quem praefert.

162. CUNCTIS ALTIOR. Non solum ad staturam: sed ad omnia.

PIERII.

dam codice passim notatum: nam de litterae illius mutatione satis superius dictum.

149. QUODQUE ALLUIT. In ant. *abluit*: quod non ita placet. Est enim hic *adluere*, vel *alluere*, quo frequenter utitur Plinius in hanc sententiam.

151. ET REBUS SPECTATA JUVENTUS. In codicibus nonnullis antiquis *e rebus*, legitur; sed enim senteutia videtur ET exposcere.

155. ACCIPIO AGNOSCOQUE LIBENS. In codicibus aliquot antiquis, *aspicio adgnoscoque*, legitur: sed plures omnino, *accipio*, habent, ut: *Illos porticibus rex accipiebat in amplis*.

157. HESIONES VISENTEM REGNA. In Rom. codice Graeca pronuntiatione scriptum est: *Hisionae*, prima syllaba per *i*, quo sono nunc ἦτα litteram pronuntiant, Ἡσιόνη enim scribitur. Variatque declinatio genitivi in antiquis codicibus; nam in aliis *Hesiones*, ut Ἡσιόνης, in aliis *Hesionae*, Latino declinatu, quin etiam *Hesione*, per *e* simplex reperitur, sed *Hesiones*, omnino doctioribus placet.

160. TUM MIHI PRIMA GENAS VESTIBAT FLORE JUVENTA. In codicibus aliquot antiquis, *vesteibat*, sive ut Priscianus putat, mediarum vocalium transpositione, quae postmodum in *ei* diphthongo contrahantur. Sive magis ex Lucillii sententia, ad *i* productam indicandam, ea diphthongus scribi solita sit; nam in *deico*, & *ameiceis*, & *periculeis*, nulla synaeresis. Sed & *juventa* varie scribitur: in nonnullis enim codicibus, *juventus*; in aliis quibusdam, *juventas*, invenitur; de quibus alibi dictum.

Anchiſes. Mihi mens juvenali ardebat amore
Compellare virum, & dextrae conjungere dextram,
165 Acceſſi, & cupidus Phenei ſub moenia duxi.
Ille mihi inſignem pharetram, Lyciaſque ſagittas
Diſcedens, chlamydemque auro dedit intertextam,
Frenaque bina, meus quae nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo &, quam petitis, juncta eſt mihi foedere dextra:
170 Et, lux cum primum terris ſe craſtina reddet,
Auxilio laetos dimittam, opibuſque juvabo.
Interea ſacra haec, quando huc veniſtis amici,
Annua, quae differre nefas, celebrate faventes
No-

SERVII.

163. JUVENALI ARDEBAT AMORE. Ineſt enim juvenibus ſtrenuis ſtudium adquirendarum amicitiarum. Horatius: *Animuſque virilis Quaerit opes & amicitias*.

165. CUPIDUS. Ἐπιθυμῶν. PHENEI SUB MOENIA. Oppidi Arcadiae. Homerus: Οἱ Φένεον' ἐνέμοντο, ἠδ' Ὀρχομενὸν πολύμηλον. Nec nos debet movere, quod, cum Euander de Palanteo ſit, dicit, *Phenei ſub moenia*: cum ſciamus poetas vicinas omnes pro una habere civitates: ſicut de Didone facit, quam nonnunquam Tyriam, aliquotiens Sidoniam vocat.

166. ILLE MIHI INSIGNEM PHARETRAM. Ius hoſpitii habet inter ſe remunerationem; ſed verecunde tacet Euander de ſuis muneribus. LYCIASQUE SAGITTAS. Enumerando ſingula, efficit ne communia & ficta videantur.

167. AURO DEDIT INTERTEXTAM. Legitur & INTER TEXTO. Et figurate dictum eſt, intertextum aurum habentem.

168. FRENAQUE BINA. Poetice: nam duo debuit dicere: *bina* enim ſecundum Ciceronem non dicuntur, niſi de his, quae ſunt numeri tantum pluralis: nam Cicero per epiſtolam culpat filium, dicens, male eum dixiſſe, *Direxi litteras duas*: cum *literae*, quotiens epiſtolam ſignificant, numeri tantum pluralis ſint. Contra, *epiſtolas binas* non dicimus, ſed *duas*.

169. JUNCTA EST MIHI FOEDERE DEXTRA. Antiquis amicitiis per Anchiſae hoſpitium.

171. AUXILIO LAETOS DIMITTAM. Haec ſunt pauca, quibus auxilium pollicetur. OPIBUS. Id eſt, militibus. *Opes* antiqui vocabant milites.

172. QUANDO HUC VENISTIS AMICI. Siquidem amici veniſtis. Extraneos enim ad ſacra non licebat adhibere. Hos autem adhibet ad ſacra, quaſi antiquis junctos amicitiis: unde infert: *Et jam nunc ſociorum aſſueſcite menſis*.

173. ANNUA QUAE DIFFERRE NEFAS. Anniverſaria ſacrificia, id eſt, ſolennia, ideo non differuntur: quia nec iterari poſſunt. Solenne autem hoc eſſe ipſe ait: *Forte die ſollennem illo rex Arcas honorem*. Nam kalendaria, ſi qua fuerint ratione dilata, poſſunt repeti: nec piaculum eorum intermiſſione committitur. Sane hoc *ſacrum pollutum* vocatur, quod populo annis ſingulis luitur. FAVENTES. Ut in ſacris: *Favete linguis: favete vocibus*.

PIERII.

163. JUVENILI ARDEBAT AMORE. In Romano codice, & in quibuſdam aliis, *juvenali*, legitur per A in pene ultima, quod etiam in aliorum auctorum veteribus exemplaribus obſervavi. Et agnitum a Grammaticis alibi demonſtravi.

164. ET DEXTRAE CONJUNGERE DEXTRAM. In antiquis aliquot codicibus legere eſt: *dextram & conjungere dextrae*; ſed quattuor ſyllabarum per E prolatarum ſonus, continuatioque, exilitatem quandam prae ſe ferunt ad faſtidium uſque.

165. ACCESSI, ET CUPIDUS PHINEI. *Phinei*, multis modis corrupte legitur: nam & *Phaenei*, & *Phoenei*, reperitur. Sed enim per E, *Phenei*, triſyllabum omnino legendum ex probatioribus exemplaribus. Homerus. Οἱ Φένεόν τ' ἐνέμοντο.

167. CHLAMYDEMQUE AURO DEDIT INTERTEXTAM. In Romano codice legere eſt: *intertexto*; ſed *intertextam*, melius.

168. PALLAS. Niſi placeat *Pallans*, ut in pleriſque veterum monumentis notatum eſt; & quia nomen id N non recipere tradit Probus, certe geminato ſaltem LL ſcribendum erit.

 171. Au-

Nobiscum, & jam nunc sociorum adsuescite mensis.
175 Haec ubi dicta, dapes jubet & sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Praecipuumque toro & villosi pelle leonis
Accipit Aenean, solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim araeque sacerdos
180 Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
Dona laboratae Cereris, Bacchumque ministrant.
Vescitur Aeneas, simul & Trojana juventus,
Perpetui tergo bovis, & lustralibus extis.
Postquam exemta fames, & amor compressus edendi,

Rex

SERVII.

174. ET JAM NUNC. Ordo est, & jam sociorum.

175. DAPES. Epulae deorum propriae, ut Jovis coena. SUBLATA REPONI POCULA. Quoniam metu reliquerant mensas, ideo ait *reponi*. GRAMINEO. Hic de gramine facto: alibi *gramineo*, pro graminoso, ut: *Gramineo ripae religavit ab aggere classem*,

176. SEDILI. Bene *sedili*: nam in templo Herculis lectisternium esse non licebat. Quamvis apud veteres omnes sedentes vescerentur.

177. PRAECIPUUM. Potest & *praecipue* accipi. VILLOSI PELLE LEONIS ACCIPIT AENEAM. Aut suscipit ad sedendum: aut pascit, ut: *Illos porticibus rex accipiebat in amplis*. Torum autem herbarum super solium fuisse intelligamus, ne sit sedili contrarium. Congrue autem de leonis pelle dicit coopertum: quasi in Herculis sacris.

179. TUM LECTI JUVENES. Non vacat *lecti*: in sacris enim Herculis nec servi intererant, nec liberti: adeo ut Appius, qui sacra haec transtulit in libertos, vel, ut quidam volunt, in servos publicos, & caruerit oculis; & intra annum omnem familiam perdiderit Pinariorum. INVITAT ET ACCIPIT. Verba hospitalia. CERTATIM. Id est, studiose. ARAEQUE SACERDOS. Maximae scilicet: nondum enim templum Herculis fuerat; sed ara tantummodo, quam *maximam* dicit ex magnitudine fabricae.

181. LABORATAE CERERIS. Quae eget laboris, ut: *Mox & frumentis labor additus, ut mala culmos Esset robigo*. Glandes enim sine ullo labore nascuntur.

183. PERPETUI TERGO BOVIS. Aut secundum Homerum intelligendum, qui dicit carnes dorsi apponi solitas honorabilioribus: ut sit sensus talis: Posuit ante eos magni bovis carnes eas, quae apud majores in honore fuerunt: aut re vera *perpetui*: nam de hoc bove, immolato Herculi, carnes carius vendebantur, caussa religionis: & inde vitulus alter redimebatur, qui ex illius pretio comparatus quasi perpetuus esse videbatur. TERGO autem, potest a parte totum intelligi, quamvis alii dicant ideo *tergo bovis*, quod ad *aram maximam* aliquid servari de tauro nefas est: nam & corium illius mandunt. LUSTRALIBUS. Aut pinguibus: moris enim fuerat completo lustro pingues victimas offerre Censores: aut certe de quinquennali bove, id est, perfectae aetatis: nam Homerus dicit, *Τοῖσι δὲ βοῦν ἱέρευσεν ἄναξ ἀνδρῶν Ἀγαμέμνων Ἄρσενα, πενταέτηρον ὑπερμενέϊ Κρονίωνι*. *Νώτοισι δ' Αἴαντα διηνεκέεσσι γέραιρεν Ἥρως Ἀτρείδης, εὐρυκρείων Ἀγαμέμνων*. Aut quia per quinquennium ipsis victimis Urbs lustrari solebat. Alii proprie *lustralia* dicunt, quae duabus manibus accepta in aram Pontifex vel Censor imponit, quae non prosecantur.

184. POSTQUAM EXEMPTA FAMES, ET AMOR COMPRESSUS EDENDI. Postquam & necessitati satis factum est, & voluptati.

PIERII.

171. AUXILIO LAETOS DIMITTAM. In hoc etiam nomine, *auxilio*, variatum: nam sunt, qui *ausilio*, per s; sunt qui per x; sunt qui per utrumque x & s scribant, & superius in monumentis veterum *auxsilium* per x & s notatum observavimus. Nos *auxilium*, ex usu eruditorum emendatiore scribimus. Sed illud magis me moverit, quod in codicibus aliquot antiquis, *Auxilio tutos*, legitur; sed *laetos*, magis receptum.

184. ET AMOR COMPRESSUS EDENDI. Diximus in Rom. cod. evenire saepius, ut dictiones, quae per geminum ss scribendae forent, per N &

S

185 Rex Euandrus ait: Non haec sollemnia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis aram
Vana superstitio veterumque ignara deorum
Inposuit. Saevis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
190 Jam primum saxis suspensam hanc aspice rupem:

Dis-

SERVII.

185. REX EUANDRUS. Aut non servavit nominis declinationem: nam *Euander* facit, sicut ipse alibi: *Pallas Euander in ipsis*, aut Graece declinavit, ὁ Εὔανδρος. NON HAEC SOLLEMNIA. Variat in uno pronomine. *Non haec sollemnia nobis: Has ex more dapes: hanc tanti numinis aram*.

187. VANA SUPERSTITIO. *Superstitio*, est timor superfluus & delirus: aut ab aniculis dicta *superstitio*: quia multae superstites per aetatem delirant, & stultae sunt: aut secundum Lucretium: *Superstitio, est superstantium rerum*, id est, caelestium & divinarum, id est, quae super nos stant, inanis & superfluus timor. VETERUMVE IGNARA DEORUM. Duo dicit; Non ideo Herculem colimus; aut quia omnem religionem veram putamus; aut quia deos ignoramus antiquos. Cautum enim fuerat, & apud Athenienses, & apud Romanos; ne quis novas introduceret religiones: unde & Socrates damnatus est: & Chaldaei, & Judaei, sunt Urbe depulsi. Sane quidam veteres deos Novensiles dicunt, quibus merita virtutis dederint numinis dignitatem: ergo ideo *vana*: quia superstitio ignara deorum.

189. NOVAMUS HONORES. Detraxit RE: nam *renovamus* debuit dicere, quam particulam alibi addit, ut: *Fata renarrabat divum*. Aliter in quarto: *Tecta novantem*, dixit. Quidam intelligunt proprie esse *novare*, replicando vetera quandam facere novitatem, ac per hoc excludere vetustatis injuriam.

190. SUSPENSAM HANC ASPICE RUPEM. Cacus, secundum fabulas, Vulcani filius fuit, ore ignem ac fumum vomens, qui vicina omnia populabatur. Veritas tamen secundum Philologos & Historicos hoc habet: hunc fuisse Euandri nequissimum servum ac furem. Novimus autem *malum* a Graecis κακὸν dici: quem ita illo tempore Arcades appellabant: postea translato accentu *Cacus* dictus est: ut *Helene Helena*. Ignem autem dictus est vomere, quod agros igne populabatur. Hunc soror sua ejusdem nominis prodidit: unde etiam sacellum meruit, in quo ei per virgines, sicut Vestae, sacrificabatur. SUSPENSAM RUPEM. Quasi jam jamque lapsuram.

PIERII.

s notatae sunt, ut hoc loco, *compeensus*. Id ea de caussa factum est, quod geminandarum consonantium diversus admodum usus apud veteres fuit: quadam enim aetate multa, quae nos unico s nunc scribimus, geminato illi, uti superius dictum est, scribebant, AUSSUS, IMPERIOSSUS, FORMOSSUS, & similia. Contra fuere tempora, quibus ut observatum a Verrio est, consonantes minime geminarentur. Ubi vero quid gemina consonante scribendum occurrisset, supra litteram, quae gemina scribenda erat, notam quandam ponere consuerant. Amplius Velius Longus Nisum auctorem citat, qui *cemese* & *fuese*, & alia hujusmodi simplici s scribenda censuerit, ea ratione, quod juxta productam vocalem consonans progredi non soleat, & s praesertim quondam minime geminaverint. Quam vero notam Victorinus Sicilicon appellat, geminandis consonantibus superponi solitam, hujusmodi est figura ʾ ut alibi monuimus. Quod apud eos, qui de Ponderibus & mensuris scribunt, animadverti. Posterioris inde saeculi imperitia factum est, ut crediderint, notam eam compendiariae scripturae apicem esse, quem loco litterae N solemus interdum adlinere. Hinc *comprensus*, hoc loco & in aliis codicibus, *impeeionsus*, & *formonsus*, quae nonnunquam ss geminato scribi consuerunt, emanasse crediderim. Quanquam in *formonsus* circumflexum accentum, aut τὴν μακρὰν etiam huic errori ansam dedisse credi possit, ut alibi disputatum est.

185. REX EUANDER AIT. Pauci admodum codices sunt, in quibus, *Euander*, legatur; sed in quam plurimis, *Euandrus*, de quo superius satis dictum. Quamvis Servius in Georg. dicat nomina, quae apud Graecos in *gros*, *teos*, *pros*, *cros*, *dros*, exeunt, apud nos in *er* terminari, & secundae esse declinationis. Ex quibus duo tantum nomina designentur, *Codrus*, & *Congrus*. Verum haec latius ex Carisio recitavimus libro tertio.

187. VANA SUPERSTITIO VETERUMVE IGNARA DEORUM. In Rom. cod. & quibusdam aliis antiquis, legere est: *veterumve*: & ita scriptum est in Lactantii Firmiani codicibus, ubi libro IIII. locum hunc exponit in hunc modum: *Qui novos sibi ritus assumebant, ut Deorum vice mortuos honorarent*,

Disjectae procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit vasto summota recessu,
Semihominis Caci: facies quam dira tenebat
195 Solis inaccessam radiis: semperque recenti
Caede tepebat humus; foribusque adfixa superbis
Ora virum tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Volcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignis magna se mole ferebat.
100 Attulit & nobis aliquando optantibus aetas
Auxilium adventumque dei. Nam maxumus ultor,
Tergemini nece Geryonae spoliisque superbus,
Alcides aderat, taurosque hac victor agebat

In-

SERVII.

193. RECESSU. A vestigiis scilicet hominum.

194. SEMIHOMINIS. Hoc est, feritate corrupti. FACIES. Pro, universus visus.

195. INACCESSAM. Participium sine verbi origine: *acceder* enim non dicimus; sed tale est, ut *placita*, *nupta*, *triumphata*, *regnata*. Et quaeritur, quis hoc ante Virgilium dixerit? ORA VIRUM. Hoc est, capita.

198. HUIC MONSTRO. Bene vitavit casum, in quo inerat turpis significatio verbi, ne diceret *huic Caco*.

200. ET NOBIS. Sicut multis, quibus Hercules profuit monstra purgando. AETAS. Beneficium temporis, ut: *Volvenda dies en attulit ultro*.

201. AUXILIUM ADVENTUMQUE DEI. Hysteron proteron: ante enim *adventum*, sic *auxilium* debuit dicere. MAXIMUS ULTOR. Non tantum noster; sed & omnium terrarum: unde Lucanus: *Terras monstris aequorque levantem Magnanimum Alciden Libycas excitis in oras*.

202. TERGEMINI NECE GERYONIS. Hanc fabulam diximus illo loco: *Postquam Laurentia victor Geryone extincto Tyrinthius attigit arva*. SPOLIISQUE SUPERBUS. Atqui boves abduxerat; sed *spolium* est, quidquid de hostibus tollitur, ut: *Addit equos & tela, quibus spoliaverat hostem*. Item: *Postquam illum vita victor spoliavit Achilles*. Sane aliter supra: *Foribusque superbis*.

203. VICTOR. Perpetuo epitheto Herculis usus est: quia omnia animalia vicit; quod in sequentibus plenius dicetur. Sane de Caco, interempto ab Hercule, tam Graeci quam Romani consentiunt. Solus Verrius Flaccus dicit: *Garanum, fuisse pastorem magnarum virium, qui Cacum adflixit; omnes autem magnarum virium, apud veteres, Hercules dictos*.

PIERII.

rarent, quos ex hominibus in coelum receptos putabant, hos superstitiosos vocabant; eos vero, qui publicos & antiquos deos colerent, religiosos nominabant, unde Virgilius: Vana superstitio veterumque ignara deorum.

190. JAMPRIMUM SAXIS. In perveteri codice, *jampridem*, legitur, quod nonnullis minime displicuisse animadverti.

191. DISJECTAE PROCUL UT MOLES. In Romano codice, *dejectae*, legitur, quod non aeque placet. Dicturus enim rem ab Hercule gestam; maius nescio quid ostendit, dicendo, *moles disjectas*. Loquitur vero de fragmentis illis, quae ab Aventini vertice, & imis radicibus avulsit Hercules, ut sibi aditum in antrum Caci patefaceret.

194. FACIES QUAM DIRA TENEBAT. In Romano codice, & aliquot aliis pervetustis, *tegebat*, legitur; sed, *tenebat*, receptum magis.

196. FORIBUSQUE AFFIXA SUPERBIS. In aliquot antiquis exemplaribus legere est: *foribus suspensa superbis*; sed *adfixa*, nescio quid atrocius ostendit. In Mediceo absque particula copulativa, *foribus affixa*, legitur.

201. NAM MAXIMUS ULTOR. In codicibus nonnullis perveteribus, *maxumus heros*, legitur; sed magis placet *ultor*, quod ex iis titulis est, qui Diis adscribi soliti sunt in veterum nummis, ut: *Jovi ultori*. Et: *Mars ultor*. Re que ipsa gesta, titulum hujusmodi exposcere videtur.

Ingentis: vallemque boves amnemque tenebant:
205 At furiis Caci mens effera, ne quid inausum
Aut intractatum scelerisve dolive fuisset,
Quatuor a stabulis praestanti corpore tauros
Avertit, totidem forma superante juvencas.
Atque hos, ne qua forent pedibus vestigia rectis,
210 Cauda in speluncam tractos, versisque viarum
Indiciis raptos, saxo occultabat opaco.
Quaerenti nulla ad speluncam signa ferebant.
Interea, cum jam stabulis saturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet,
215 Discessu mugire boves, atque omne querelis
Inpleri nemus, & colles clamore relinqui.

Red-

SERVII.

205. AT FURIIS CACI MENS. Pro, ingenti scelere, *furis* nomen posuit. Capitale enim crimen apud majores fuit ante poenam quadrupli. Sed hic quidam ab Euandro tanquam in degeneris fraude *furem* appellatum volunt.

207. AVERTIT. Erat proprium *abegit*; sed respexit, ad praedam, quae averti dicitur, ut: *Raptas ad littora avertere praedas*. ATQUE HOS. Quotiens masculinum & foemininum junguntur, haec disciplina est; ut, etiam si posterius est foemininum, masculino respondeamus. PEDIBUS RECTIS. Pro;, pedum rectorum, dativus pro genitivo.

210. VERSISQUE VIARUM INDICIIS. Hoc est, vestigiis, quod aversi trahebantur: id est, contra naturam injicientibus errorem indiciis. Ipsa, inquit, decipiebant indicia, quae indicare consuerunt; nam *indicium*, ab *indicando* nomen accepit.

212. SIGNA. Et hic *signa*, pro vestigiis.

215. OMNE QUERELIS IMPLERI NEMUS. Non, ut multi dicunt, quia consortes perdiderant; sed quia avellebantur a pascuis: insita enim est bobus aviditas edendi; unde est: *Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci*: vel certe propter stabulorum mutationem. IMPLERI NEMUS. Pro, *impletur* & *relinquitur*, infinitum pro indicativo.

216. ET COLLES CLAMORE RELINQUI. Cum clamore, ut: *Et templum clamore petebant*, &: *Atque Ixionei vento rota constitit orbis*, id est, cum vento. Et hoc est melius: nam multi dicunt: Relinquebantur colles etiam a clamore, hoc est, tantum recesserant a collibus boves, ut nec echo resultaret; scilicet ad colles jam clamore non perveniente: quod non procedit: quia hoc sensu illud excluditur, REDDIDIT UNA BOUM VOCEM. Si enim tam longe fuerunt, ut nulla ratione recedentium boum mugitus colles derelictos feriret, quemadmodum inclusi bovis est clamor auditus ab Hercule? Alii: ita inquit imago vocis evadens, tanquam relictis collibus inauditur *

PIERII.

205. AT FURIIS CACI MENS EFFERA. Non inficior in Rom. codice, & quibusdam aliis recentioribus codicibus, *furiis*, legi; sed enim exemplaria pleraque vetusta cum Mediceo, & Porcio, *furis*, habent, quo vocabulo quam maxima exprimitur ignominia; neque enim ignorabat Virgilius, quam severe olim apud veteres furtum puniri solitum esset, quamque levi de caussa, vel uno verbo furti quis argueretur. Quippe si jumentum quis aliorsum duxisset, quam ouo utendum accepisset, aut longius quam quem in locum petiisset, Q. item Scaevola declarante: *Quod cui servandum datum est: si id usu, sive quod utendum acceperit, ad aliam rem, atque adceperat, usus est, fortis se obligasse*. Multaque hujusmodi tum a Labeone, tum a Sabino examinata, quae temporum illorum integritatem ostendant. Quare Servius pro ingenti scelere *furis* nomen positum ait. Hoc vero loco non tam epitheton illi monstro proprium est, quam etiam inservire tempori videtur. NEQUID INAUSUM, AUT INTEMPTATUM, SCELERISVE DOLIVE FUISSET. Juniores, *intentatum*, scribunt. In Rom. codice, & in Mediceo, *intractatum*, legitur: nam *tractare*, & *con-*

tre-

Reddidit una boum vocem, vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita feſellit.
Hic vero Alcidae furiis exarſerat atro
220 Felle dolor: rapit arma manu, nodisque gravatum
Robur; & aetherii curſu petit ardua montis.
Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque oculis. Fugit ilicet ocior Euro,
Speluncamque petit: pedibus timor addidit alas.
225 Ut ſeſe incluſit, ruptisque inmane catenis
Dejecit ſaxum, ferro quod & arte paterna
Pendebat, fultosque emuniit objice poſtes;
Ecce, furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat & illuc,
230 Dentibus infrendens. Ter totum fervidus ira

Lu-

SERVII.

217. REDDIDIT. Quaſi inclamata. UNA BOUM. Figura Graeca, *μία τῶν βοῶν*.

218. MUGIIT. More ſuo, pro, *mugivit*, ut: *Audiis & Triviae longe lacus*. CUSTODITA FEFELLIT. Id eſt, dum cuſtodiretur feſellit.

219. EXARSERAT. Pro, exarſit. ATRO FELLE DOLOR. Quo iraſcimur ſecundum Phyſicos; ut ſplene ridemus. Perſius. *Sed ſum petulanti ſplene cachinno*.

220. RAPIT ARMA MANU, NODISQUE GRAVATUM ROBUR. Duo dixit, ſagittas & clavam: & non vacat *que*: nam ſi *armorum* Epexegeſis eſt, *Nodisque gravatum robur*, vacat *que*. *Gravatum* autem, pro *grave* poſuit: nam *grave*, eſt per naturam ponderoſum; *gravatum*, quod oneratur extrinſecus. Sed quidam melius *gravatum*, quam *grave* dictum volunt, quaſi extrinſecus nodi ſint additi.

222. TUM PRIMUM. Id eſt, primo Herculis beneficio.

223. TURBATUMQUE OCULIS. Ex parte turbatum, quae proditrix mentis eſt. Alii OCULI legunt, & accipiunt a ſuperioribus: *videre turbatum oculi*. ILICET. Poteſt *ilicet* accipi pro *igitur*, aut *continuo*.

226. ARTE PATERNA. Perſeverat in fabula. Sane aliter ferro; aliter arte.

227. FULTOSQUE EMUNIIT. Hyſteron proteron: fulſit ut muniti eſſent: & *emuniit*, ſicut *mugiit*, pro, mugivit & emunivit. OBICE POSTES. *Hanc obicem* dicimus, ut: *Ecce maris magna claudit nos obice pontus*. Dubitant enim multi, utrum maſculinum ſit, an femininum.

228. TIRYNTHIUS. A *Tyrinthia*, in qua nutritus eſt, civitate, ut diximus ſupra: & eſt verſus hypermetrus.

230. DENTIBUS INFRENDENS. Proprie *infrendens*, eſt inter ſe comprimens dentes: nam & *frendere*, ſignificat dentibus frangere; unde & *nefrendes* infantes, quia nondum habent dentes: & Varro *frenos* hinc putat dictos: *frendere* ergo quomodo frangere? ut *freſa faba*, *fracta*.

PIERII.

trectare de furibus ſaepe dictum obſerves. Solinus: *Dum tractat etiam ea, quae conceſſerant in Arcadum jura, duce Hercule oppreſſus eſt*.

212. QUAERENTUM NULLA. In Romano codice, & aliquot aliis, *quaerentis*, legitur, numero multitudinis: non enim veriſimile eſt, Herculem tantum quaeſiviſſe; ſed oratio creſcit ex infinito. In Mediceo, *quaerente*, per modum conſequentiae ſcriptum cum paraphraſi, *Hercule*: quae quidem ſtructura videtur ſubagreſtis.

217. SUB ANTRO MUGIIT, ET CACI SPEM. In antiquis plerisque codicibus, *mugis*, per ſynaereſim ſcribitur, ſive potius *i* oblongum fuerit pro gemino.

227. EMUNIIT OBJICE POSTES. In antiquis codicibus, *obice*, unico *i*, de quo plura Gellius.

228. ADERAT TIRYNTHIUS, OMNEMQUE ACCESSUM LUSTRANS. In plerisque codicibus antiquis, non eſt verſus hypermeter, ſed, *omnem acceſſum* legitur; magis tamen placet, *omnemque acceſſum luſtrans*.

Lustrat Aventini montem: ter ſaxea tentat
Limina nequidquam: ter feſſus valle reſedit.
Stabat acuta ſilex, praeciſis undique ſaxis,
Speluncae dorſo inſurgens, altiſſima viſu;
235 Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo laevum incumbebat ad amnem,
Dexter in adverſum nitens concuſſit, & imis
Avolſam ſolvit radicibus: inde repente
Inpulit. Inpulſu quo maximus inſonat aether:
240 Diſſultant ripae, refluitque exterritus amnis.
At ſpecus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbroſae penitus patuere cavernae:
Non ſecus, ac ſi qua penitus vi terra dehiſcens
Infernas reſeret ſedes, & regna recludat
245 Pallida, DIs inviſa; ſuperque inmane barathrum
Cernatur, trepidentque inmiſſo lumine Manes.
Ergo inſperata deprenſum in luce repente,

In-

SERVII.

231. AVENTINI MONTEM. Ut, *fontem Timavi*, *Buthroti urbem*. Id eſt, Aventinum montem.

232. TER FESSUS VALLE RESEDIT. Egens conſilii. Salluſtius: *Feſſus in Pamphiliam ſe receperat*. Nam *corpore fatigatum* dicimus, *animo* vero *feſſum*: quamvis hoc ſaepe confundat auctoritas. Sane quidam ſic diſtinguunt: *Ter ſaxea tentat limina*, ſubjungunt, *nequidquam ter*: ac poſt, *feſſus valle reſedit*; ut ſemel ſederit.

233. STABAT ACUTA SILEX. Bene omnes *hunc ſilicem* dixerunt: nam & Varro, & Lucretius, ita dixerunt. Tanta tamen eſt Virgilii auctoritas, ut perſuadeat nobis etiam *hanc ſilicem* dici. DIRARUM VOLUCRUM. Modo *dirarum*, non mali ominis dicit, ut bubones; ſed quae humanis cadaveribus veſcebantur. Dixit enim: *Foribusque adfixa ſuperbis Ora virum, triſti pendebant pallida tabo*.

237. DEXTER. Hoc eſt, a dextra parte conſiſtens. CONCUSSIT. Solvit, impulit. Satis ſignatis uſus eſt verbis.

240. REFLUITQUE EXTERRITUS AMNIS. Rem naturae vertit in fabulam, cum ruina rupis in ſe recurrere neceſſe ſit impetum fluminis.

242. INGENS REGIA. *Regia*, ſicut Cacus putabat. Sic eſt & illud dictum: *Illa ſe jactet in aula Aeolus*. PENITUS PATUERE. Admiſſum lumen eſt uſque ad ſecreta ſpeluncae. *Cavernas* autem ſpeluncae per Tapinoſim dixit. Sane veteres loca concava, vel ſi quid incurvum fuiſſet, *cavernas* appellabant.

243. SI QUA VI. Terrae hiatus non niſi ex terrae motu fit, qui quoniam aut motu aquae inferioris naſcitur, aut crebris tonitribus, aut de concavis terris erumpentibus ventis: ideo ait *Si qua vi*. Quod autem dicit: *Infernas reſeret ſedes*, notandum eſt, etiam de impoſſibilibus fieri poſſe comparationem.

245. DIIS INVISA. Superis ſcilicet.

246. TREPIDENT IMMISSO LUMINE MANES. Lucanus: *Et ſubito feriere die*.

PIERII.

239. IMPULSU QUO MAXIMUS INSONAT AETHER. In antiquis aliquot, *intonat*, habetur; ſed *inſonat*, in pluribus.

244. INFERNAS RESERET SEDES, ET REGNA RECLUDAT. In codicibus aliquot antiquis *reſerat*, & *recludit*, legitur, praeſenti tempore; ſed altera lectio cultior ab eruditorum collegio judicatur.

246. TREPIDENT IMMISSO LUMINE MANES. In

Vvvvv 2 Re-

Inclusumque cavo saxo, atque insueta rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
250 Advocat, & ramis vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine caeca,
Prospectum eripiens oculis; glomeratque sub antro
255 Fumiferam noctem commixtis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Praecipiti injecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus aestuat atra.
Hic Cacum in tenebris incendia vana vomentem
260 Corripit in nodum complexus, & angit inhaerens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revolsis:

Abs-

SERVII.

248. INSUETA RUDENTEM. Clamantem: & abusive dictum est, sicut supra de leonibus: *Et sera sub nocte rudentum*: nam *rudere* proprie asinorum est. Persius: *Finder ut Arcadiae pecuaria rudere dicas*. Aut ideo *rudentem*, quia supra ait, *semihominis Caci*.

249. TELIS PREMIT. Omne quod jaci potest *telum* vocatur; dictum ἀπὸ τοῦ τηλόθεν; unde addidit: *Omniaque arma Advocat*.

250. MOLARIBUS. Asperrimis saxis, non, unde molae fiunt: & secundum Homerum dixit, μυλοειδέϊ πέτρῃ; aut certe magnis, & molis convenientibus.

252. FAUCIBUS INGENTEM FUMUM MIRABILE DICTU. Consuetudine sua usus est, ut, cum aliquid contra naturam factum infert, praedicet unde incredibile videatur, ut: *Nascenti cui tres animas Feronia mater*, *Horrendum dictu*, *dederat*. Et, *mirabile dictu*, Parenthesis est.

255. FUMIFERAM NOCTEM. Non est noctis epitheton; sed quam Cacus fumum evomens faciebat. COMMIXTUS IGNE TENEBRIS. Utrumque enim evomebat.

256. NON TULIT. Non sustinuit. ANIMIS. Pro ira; unde *iracundos* dicimus *animosos*. PER IGNEM. Per eam rem, unde ille sperabat auxilium.

259. INCENDIA VANA. *Vana*, quantum ad Herculem pertinet.

260. ANGIT INHAERENS ELISOS OCULOS, ET SICCUM SANGUINE GUTTUR. *Angit guttur*, bene dicimus; *angit oculos*, non procedit. Ergo *angit* ad unam rem pertinet, ut: *Disce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis*: nam fortuna non discitur; unde multi ELIDENS legunt, & integer sensus est: nam *elisos* soloecophanes facit, id est, figuram, quae masculinum & neutrum, vel accusativum cum nominativo jungit; ut sit ita: *Angit guttur*, & *elisos oculos facit*.

265. SICCUM SANGUINE GUTTUR. Per hoc jam exanime cadaver ostenditur.

PIERII.

Rom. codice, *trepidentque*, legitur, quod & versum & sententiam replet, & numerosius sonat.

247. DEPRENSUM IN LUCE. In codicibus aliquot antiquis, non habetur *in*.

248. INSUETA RUDENTEM. Sunt codices antiqui, in quibus, *insueta fatentem*, scriptum est; sed *rudentem*, magis tumultum auget.

250. FUGA JAM SUPER ULLA PERICLI EST. In plerisque codicibus antiquis, non habetur, *est*, verbum. Id vero me nihil offendit adjectum.

257. QUA PLURIMUS UNDAM FUMUS AGIT. In antiquis aliquot codicibus, *quo*.

262. FORIBUS DOMUS ATRA REVULSIS. In codicibus aliquot, *reclusis*: quod est admodum leve, tanto in conatu: quare magis placet, *revolsis*, ut in Romano, & aliquot aliis probatioribus habetur.

Abstractaeque boves, abjurataeque rapinae
Caelo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
265 Protrahitur. Nequeunt expleri corda tuendo
Terribilis oculos, voltum, villosaque saetis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignis.
Ex illo celebratus honos, laetique minores
Servavere diem, primusque Potitius auctor,

SERVII.

263. ABJURATAEQUE RAPINAE. *Abjurare*, est rem creditam negare perjurio; Plautus Curcul. *Qui abjurant, si quid creditum est*; sed hoc isti loco non congruit: unde modo *abjuratas rapinas*, contra jus retentas intelligamus. Alii *abjuratas*, abductas atque alieni juris factas: alii fraude & furto abductas tradunt.

264. INFORME CADAVER. *Informe*, magnum cujus formam non sit facile complecti: & *cadaver*, est corpus nondum sepultum: dictum *cadaver*, quod careat honore sepulturae.

265. NEQUEUNT EXPLERI CORDA TUENDO TERRIBILES OCULOS. Non poterant homines, videndo cadaver, sua corda satiare. *Tuendo* autem, pro intuendo. SEMIFERI. Bene *semiferi*; cum supra *semihominis*.

268. LAETIQUE MINORES. Nove & satis licenter *minores* dixit, cum ab ipso Euandro Herculem constet esse susceptum: & *minores* non dicamus, nisi quotiens graduum deficit nomen, ut puta: *filius, nepos, pronepos, abnepos, adnepos*: ubi isti gradus defecerint, merito jam dicimus *minores*: sicut etiam *majores* dicimus post *patris, avi, proavi, abavi, atavique* vocabulum. Ergo *minores* accipimus pro deinceps: vel certe *minores*, cum quibus vivit, quia ipsum constat esse longaevum: nam post ait: *O mihi praeteritos referat si Juppiter annos*.

269. PRIMUSQUE POTITIUS AUCTOR, ET DOMUS HERCULEI CUSTOS PINARIA SACRI. Apud majores nostros raro advenae suscipiebantur, nisi haberent jus hospitii: incertum enim erat quo animo venirent: unde etiam Hercules primum non est ab Euandro susceptus; postea vero cum se & Jovis filium dixisset, & morte Caci virtutem suam probasset, & susceptus, & pro numine habitus est. Denique ara est ei *maxima* constituta; quod Herculi Delphicus Apollo in Italia fore praedixerat. Cum ergo de suo armento ad sua sacrificia boves dedisset, inventi sunt duo senes, vel ut quidam tradunt ab Evandro dati, *Pinarius & Potitius*, quibus qualiter se coli vellet, ostendit: scilicet ut mane & vespere ei sacrificaretur. Perfecto itaque matutino sacrificio, cum circa solis occasum essent sacra repetenda, *Potitius* prior advenit; *Pinarius* postea, extis jam redditis: unde iratus Hercules, statuit ut *Pinariorum* familia tantum ministra esset epulantibus *Potitiis*, & complentibus sacra: unde & *Pinarii* dicti sunt ἀπὸ τῆς πείνης, id est, *a fame*: nam senem illum *Pinarium* constat alio nomine nuncupatum. Hinc est, quod paulo post *Potitii* tantum facit commemorationem, ut: *Primusque Potitius ibat*. Quod autem dicit, DOMUS HERCULEI CUSTOS PINARIA SACRI, non est contrarium: nam *custos* est ministra, ut in undecimo: *At Triviae custos jam dudum in montibus Opis Alta sedet*, id est, ministra. Alii *custos Pinaria sacri* dicunt, quod cum *ara maxima* vicino incendio conflagraret, a *Pinariis* liberata sit, & ideo *custos sacri*. *Auctor* vero *Potitius* quare? num, quod sine familia *Potitiorum* sacra ista non fiebant, donec illos Appius Clodius corrupit pecunia, ut servos publicos hoc sacrum docerent; propter quod dicitur & ipse mox caecus factus, & *Potitiorum* familia intra breve tempus extincta. Quidam tradunt, ideo *custos*, quod *Potitii* sacra publica servis publicis prodiderint: & quamvis tradatur eos ideo ad sacra Herculis non admitti, quod serius venerint: & ideo *custos*, quoniam nec prodendi habuerint facultatem: & id quasi religiose dictum est, quod ignorantiae eventus attulerat, tamen habent Ciceronem auctorem, qui in De domo sua, Pinarium Nattam appellans, sic dicit: *Quem ego tamen credo, sic est ortus ab illis, quos memoriae proditum est, ab ipso Hercule, perfuncto laboribus, sacra didicisse*. Quidam etiam tradunt ideo *Potitiis* ab Hercule sacra commissa, quod cum ipse Hercules, rem divinam faciens, preces praecaneret, quas Potitius diceret pro eo Deo, cui Hercules rem divinam faciebat, ipsum Herculem fortuito invocasset *Potitius*; fertur tunc, Herculem accepto omine divinitatis, rejecto *Pinario*, perpetuae epulationis sacrum *Potitio* tradidisse, a quo videbatur consecratus; & *Potitius* dici, quod eorum auctor *epulis sacris potitus sit*; *Pinarius*,

270 Et domus Herculei custos Pinaria sacri
Hanc aram luco statuit. Quae Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quae maxima semper.
Quare agite, o juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite fronde comas, & pocula porgite dextris,
275 Communemque vocate deum, & date vina volentes.
Dixerat: Herculea bicolor cum populus umbra

Ve-

SERVII.

quod eis, sicut dictum est, fames epularum sacrarum indicta sit: hoc enim eis Hercules dixisse dicitur Τμῶς ἦ πονήτετε.

271. LUCO. Templum enim nondum habuerat Hercules; sed aram tantummodo, ut diximus supra. MAXIMA. Ingens enim est ara Herculis, sicut videmus hodieque post januas Circi maximi. Alii *maximam* ideo dicunt, quia illo tempore omnibus erat honore potior, quam sibi Hercules, postquam se a matre Euandri Jovis filium esse & immortalem futurum cognovit, statuit.

272. ERIT QUAE MAX. Repetitio verbi ad honorem & potestatem pertinet.

273. IN MUNERE. Non tam in officio, quam in honore hic accipiendum.

274. PORGITE DEXTRIS. Praebete invicem pocula: & est Homeri: Τὰς μὲν ἄρα χρυσέοισι κυπέλλοισ' υἷες Ἀχαιῶν Δειδέχατ' ἄλλοθεν ἄλλος. Id est, propinate mutuo. An divisae sunt personae? ut, *Cingite fronde comas*, ad convivas referatur; *pocula porgite*, ad ministros.

275. COMMUNEM VOCATE DEUM. Aut quia Argivus est Hercules, ut supra dixit Aeneas, tam Graecos quam Trojanos de uno sanguinis fonte descendisse: aut *communem deum* dixit, [inter deos atque homines: unde *Medius fidius* dictus? Aut] utriusque naturae medium, id est, inter mortalitatem & divinitatem. Sunt enim numina aliqua tantum caelestia; aliqua tantum terrestria; aliqua media; quos deos Apulejus Medioximos vocat, hoc est, qui ex hominibus dii fiunt. Alii *communem deum* ideo dictum volunt: quia secundum pontificalem ritum idem est Hercules, qui & Mars: nam & stellam, Chaldaeis dicentibus, unam habere dicuntur: & novimus *Martem communem* dici; Cicero: *Martemque communem*. Virgilius ipse inquit: *In medioque focos, Et dis communibus aras*. Item paulo post, dat Salios Herculi, quos Martis esse non dubium est. Alii *communem*, humanum, beneficum, φιλάνθρωπον: unde & *communes homines* dicimus. Varro dicit: *Deos alios esse, qui ab initio certi & sempiterni sunt; alios, qui immortales ex hominibus facti sunt: & de his ipsis alios esse privatos; alios communes: privatos, quos unaquaeque gens colit, ut nos Faunum; Thebani Amfiaraum; Lacedaemonii Tindareum: communes, quos universi, ut Castorem, Pollucem, Liberum, Herculem*. Est & alia ratio Herculem deum *communem* vocari: nam constat Herculem hominum commodis tutelaeque serviisse: unde Lucanus: *Terras monstris aequorque levantem, Magnanimum Alciden Lybicas excivit in oras*. DATE VINA. Quia tantum Diis superis vina libari decebat.

276. HERCULEA POPULUS. Herculi consecrata: qui cum ad Inferos descendens fatigaretur labore, dicitur de hac arbore corona facta caput velasse: unde foliorum pars temporibus cohaerens, & capiti, abluit sudorem; pars vero exterior propter Inferorum colorem nigra permansit. Et honeste ait: *Pependit populus*, id est, corona de populo. Atqui lauro coronari solebant, qui apud aram maximam sacra faciebant; sed hoc post Urbem conditam coepit fieri, neque alia fronde circumdat caput Praetor Urbanus, qui Graeco ritu sacrificat. Sed Poeta ad illud tempus retulit, quo Euander apud aram maximam sacra celebravit. Varro enim Rerum humanarum lib. docet in Aventino institutum Lauretum, de quo proximo monte decerpta laurus sumebatur ad sacra; quamvis ipse dixerit, *Populus Alcidae gratissima*.

PIERII.

274. POCULA PORGITE DEXTRIS. In codicibus aliquot antiquis, *spargite*, legitur; sed *porgite*, magis receptum.

278. ET SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. In codicibus aliquot antiquis, legere est, *Et dextram implevit sanctus scyphus*; sed vulgata lectio receptior.

282. FLAMMASQUE FEREBANT. In codicibus aliquot antiquis, *flammam*, numero unitatis.

286. EVINCTI TEMPORA. In codicibus aliquot antiquis, *& vincti*, legitur, quod non ita placet.

287. HIC JUVENUM CHORUS, ILLE SENUM. Neque quidem placet, quod in nonnullis codicibus, *atque senum*, legitur, admissa Servii distinctione.

Velavitque comas, foliiſque innexa pependit:
Et ſacer inplevit dextram ſcyphus. Ocius omnes
In menſam laeti libant, divoſque precantur.
280 Devexo interea propior fit veſper Olympo:
Jamque ſacerdotes primuſque Potitius ibant,
Pellibus in morem cincti, flammaſque ferebant.
Inſtaurant epulas, & menſae grata ſecundae
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
285 Tum Salii ad cantus, incenſa altaria circum,
Populeis adſunt evincti tempora ramis;
Hic juvenum chorus, ille ſenum; qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferant: ut prima novercae

Mon-

SERVII.

278. SACER IMPLEVIT DEXTRAM SCYPHUS. Legitur in libris Antiquis, Herculem ad Italiam ingens ligneum poculum adtuliſſe, quo utebantur in ſacris: quod ne carie conſumeretur, pice oblitum ſervabatur, cujus magnitudinem & religionem ſimul ſignificat dicendo: *Implevit dextram ſacer ſcyphus*. Scypho Praetor in anno ſemel vino libabat, neque hoc ſine ſacra fiebant. Poſſumus & illud accipere, quod inter munera deorum etiam pocula ſunt. Salluſtius: *Hi ſunt, qui ſecundum pocula & alias res aureas, diis ſacrata inſtrumenta convivio mereantur*.

279. IN MENSAM LAETI LIBANT. Hoc eſt, *date vina volentes*. Quaeritur ſane, cur in menſam, & non in aram libaverint? Sed apud antiquos inter vaſorum ſupellectilem, etiam menſam cum aris mos erat conſecrari, quo die templum conſecrabatur: unde bene ait: *In menſam laeti libant*, quam conſtabat cum ara maxima dedicatam, ut alibi: *Menſaeque deorum*.

280. DEVEXO OLYMPO. Inclinato in noctem caelo.

282. PELLIBUS IN MOREM CINCTI. Aut in morem Herculis: aut certe ſacerdotum: aut quia Pan, Deus Arcadiae, pelleus ſit; unde Euander.

283. ET MENSAE GRATA SECUNDAE DONA FERUNT. Quia, ut diximus ſupra, una carnis fuerat; altera pomorum: *menſae* autem *ſecundae*, quae ſunt alioquin gratae.

284. CUMULANTQUE ONERATIS LANCIBUS ARAS. Id eſt, reddunt exta.

285. SALII. *Salii* ſunt, qui tripudiantes aras circumibant. Saltabant autem ritu veteri armati, poſt victoriam Tiburtinorum de Volſcis. Sunt autem *Salii* Martis & Herculis: quoniam Chaldaei ſtellam Martis Herculem dicunt: quos Varro ſequitur. Et Tiburtes *Salios* etiam dicaverant. Quidam hos a ſaltu appellatos tradunt, quos alii a Numa inſtitutos, ut arma ancilia portantes ſaltarent: ergo bene a ſaltu appellati. Horum numerum Hoſtilius addidit: nam duo ſunt genera Saliorum, ſicut in Saliaribus carminibus invenitur, Collini, & Quirinales, a Numa inſtituti; ab Hoſtilio vero Pavorii & Pallorii inſtituti. Habuerunt ſane & Tuſculani Salios ante Romanos. Alii dicunt *Salium* quendam Arcadem fuiſſe, qui Trojanis junctus hunc ludum in ſacris inſtituerit; nonnulli tamen hos a Dardano inſtitutos volunt, qui Samothracibus diis ſacra perſolverent. Quidam etiam dicunt, *Salios* a Morrio, rege Vejentanorum, inſtitutos, ut Aleſus, Neptuni filius, eorum carmine laudaretur, qui ejuſdem regis familiae auctor ultimus fuit.

288. LAUDES HERCULEAS, ET FACTA FERUNT. Senes tantum voce laudes Herculis exſequebantur; Juvenes & geſtu corporis ejus facta monſtrabant: unde ibi immorandum eſt, *Hic juvenum chorus*: ut Salii juvenibus conveniant, carmina ad ſenes pertineant. Et bene *Senes* facta Herculis canunt, quorum aetas ſcire & intereſſe geſtis Herculis potuit, antequam hic ab hominibus tranſiret ad deos. Sane quaeritur, cur huic deo operto capite ſacrum fiat. Legitur enim in libris Antiquioribus his verbis: *Mihi detecto vertice cuncti Sacrificant*. Id facit obſervatio, nequis in aede Herculis ejus habitum imitaretur: Signum enim ejus operto capite eſt. Conſtat autem ante adventum Aeneae in Italiam aram Herculi conſecratam; ab Aenea vero morem operiendorum capitum inductum, ſicut ait: *Purpureo adopertus amictu*.

Monſtra manu, geminoſque premens eliſerit anguis:
290 Ut bello egregias idem disjecerit urbis,
Trojamque, Oechaliamque: ut duros mille labores
Rege ſub Euryſtheo, fatis Junonis iniquae,
Pertulerit. Tu nubigenas, invicte, bimembris
Hylaeumque, Pholumque manu, tu Creſia mactas
295 Prodigia, & vaſtum Nemeae ſub rupe leonem.

Te

SERVII.

amictu. PRIMA NOVERCAE MONSTRA. Bene *prima:* nam & alia omnia Junonis inſidiis pertulit. Fabula autem hoc habet: Hercules natus eſt cum Iphiclo, Amphytrionis filio; ſed cum Juno duos ſerpentes immiſiſſet Herculi, Iphiclus de cunis terrore lapſus ſuo vagitu excitavit parentes, qui, cum ſurrexiſſent, viderunt Herculem angentem manibus angues immiſſos ei novercalibus odiis.

289. ELISERIT. Praeſocaverit. Et hunc verſum junge: unum eſt enim, *monſtra*, & *angues*.

291. TROJAMQUE. Ut ſupra diximus, Trojam Hercules evertit propter negatos ſibi a Laomedonte equos divino ſemine procreatos, & Heſionae nuptias, quam a ceto liberaverat, necato patre ejus Laomedonte. Sane Critici fruſtra culpant Virgilium, quod praeſentibus Trojanis, Trojae laudari introduxit excidium, non reſpicientes, quia hoc ratio fecit hymnorum, quibus aliquid ſubtrahere ſacrilegium eſt. Alii magis hoc in ſolatium Aeneae cantatum poſſe accipi tradunt: nam quod Herculi datur, Graecis aufertur; & poteſt obliteratus dolor videri praeteritus, quando ad fatalem terram perventum eſt, ſicut alibi ait Aeneas: *Illic fas regna reſurgere Trojae*; ut ibi jam dixerat: *Salve fatis mihi debita tellus*: quia exſpectatus venerat ſolo Laurenti arviſque Latinis. OECHALIAMQUE. *Oechalia*, civitas in Euboea inſula fuit, cujus Eurytus rex Iolem filiam Herculi denegavit, victori certamine ſagittarum ante promiſſam; ideo, quod eum fuerat filius dehortatus, dicens ab Hercule & Megaeram uxorem, & ex ea filios interemptos; quod factum fuerat Junonis inſtinctu: unde iratus Hercules propter nuptias ſibi denegatas, everſa civitate interemit Eurythum & Iolem ſuſtulit. MILLE. Pro multis.

292. REGE SUB EURYSTHEO. Hujus aſperrima imperia ſuſtinuerat Hercules voluntate Junonis: nam hoc eſt, quod dicit, *Fatis Junonis*, id eſt, voluntate: vel certe reſponſis, quae Euryſtheo in Herculem dederat: & quidam bono auſpicio, FATIS JUNONIS, poſitum volunt; hoc eſt, quam etiam Trojani gravem ſuſtinent, ut dei jubentur exemplo, qui tam multis ejus inſtinctu ſubjacuerit aerumnis; virtute tamen ad divinitatem pervenerit.

293. NUBIGENAS. De Ixione & Nube procreatos Centauros, ut ſuperius diximus. Pindarus ipſum, cum equas paſceret, inceſtaſſe eas, inde Centauros natos dicit.

294. HYLAEUMQUE, PHOLUMQUE. *Hylaeum* Theſeus occidit; *Pholus* vero Herculem ſuſcepit hoſpitio eo tempore, quo ad expugnandos Centauros eſſet profectus. Lucanus: *Hoſpes & Alcidae magni Phole*. Unde apparet per poeticam licentiam nomina eſſe pro nominibus poſita. Alii *Pholum* non abhorrere a vera hiſtoria tradunt: *Pholus* enim, dum miratur ſagittas Herculis, quibus tot Centauros interfecerat, una ex illis in pedem ejus decidit, cujus vulnere ſanari non potuit. CRESSIA MACTAS PRODIGIA. *Mactas*, bene ad leonem, quem interemit, refertur: nam Cretenſem taurum non mactavit; ſed cum eum incolumem ad Euryſtheum perduxiſſet, ille eum licet flammas vomuiſſe dictus ſit, inlectus pulchritudine, in Atticam regionem reliquit: qui, cum Marathonem vaſtaret, a Theſeo poſtea occiſus eſt. Uno tamen verbo utrumque ſaepe concluditur, aliquotiens una pars, ut: *Diſce puer virtutem ex me, verumque laborem, Fortunam ex aliis*. Alii *mactas*, ad Centauros ſicut ad Leonem referri volunt.

295. NEMEAE SUB RUPE. *Nemea* ſylva eſt vicina Thebis, in qua Hercules interemit leonem, qui Lunae filius, & invulnerabilis dictus eſt. Interemit & alterum Leonem apud Cleonas urbem, cujus pellem geſtabat in tutamen: unde Lucanus: *Ille Cleonaei projecit terga leonis*. *Nemeae* autem anapaeſtus eſt: nam & NE, & ME breves ſunt; AE autem longa diphthongo.

PIERII.

290. DISJECERIT URBES. In vetuſtis aliquot codicibus, *dejecerit*, legitur; ſed majorem vim & impetum oſtendit, *disjeceris*.

291. UT DUROS MILLE LABORES. In Rom. cod. *& duros*, quod non aeque placet.

295. NEMEAE SUB RUPE LEONEM. In Rom.

co

Te Stygii tremuere lacus, te janitor Orci
Ossa super recubans antro semesa cruento:
Nec te ullae facies, non terruit ipse Typhoëus
Arduus, arma tenens: non te rationis egentem
300 Lernaeus turba capitum circumstetit anguis.

SERVII.

296. STYGII TREMUERE LACUS. Id est, Inferni, quo tempore descendit ad rapiendum Cerberum.

297. OSSA SUPER RECUBANS. Aut ad terrorem dictum est: aut certe illud est, quod supra etiam diximus, Cerberum esse terram, quae corpora sepulta consumit; nam inde *Cerberus* dictus est, quasi κρεοβόρος. Alii pueriliter volunt, a Cerbero Amphiarai ossa consumi, qui hiatu terrae secundum Statium vivus descendit ad Inferos. SEMESA CRUENTO. *Semensum* non dicimus, sicut nec *ensum:* nam *esum* facit & *comesum*.

298. NEC TE ULLAE FACIES. *Facies*, id est, species, more suo; vel periculorum vices multae, ut: *Nova mi facies*. Et: *Quae scelerum facies:* subauditur tamen *terruere*. IPSE TYPHOEUS ARDUUS, ARMA TENENS. Et hoc poetice; nam si interemit Centauros, quemadmodum etiam Gigantum interfuit praelio, qui ante innumeros annos fuisse dicuntur? Ergo NON TERRUIT, pro, non terreret, vel terruisset, ut sit: *Nec te Typhoeus ipse terreret*.

299. NON TE RATIONIS EGENTEM. Liptotes figura; nam minus dixit, & plus intelligimus: hoc enim dicit: Prudentissimum te non circumvenit. Et est talis figura, qualis, *Munera non sperno*.

300. LERNAEUS ANGUIS. Id est, Hydra. TURBA CAPITUM. Aliis amphibolia videtur, * si: non te Lernaeus turba egentem capitum anguis, remanet rationis egentem ordinaveris remanet Lernaeus t. c. c. a. sic est: non eguisti ratione, cum te Lernaeus anguis circumstetit capitum turba. Praeter haec quae Herculem hoc loco Poeta fecisse memoravit, alia ficta Herculis haec sunt: Superatus aper Erymanthius; post Cerva: item Stymfalides aves, quae alumnae Martis fuisse dicuntur, quae hoc periculum regionibus inrogabant, quod, cum essent plurimae volantes, tantum plumarum stercorumque de se emittebant, ut homines & animalia necarent, agros & semina omnia cooperirent: inde ab Augea Elidensium rege rogatus, bovilia, quae stercore animalium congesto, pestilentiam tam suis quam vicinis regionibus creaverant, immisso Alfeo flumine repurgavit, & regionibus salubritate reddita, ipsum regem negata sibi mercede interemit: inde equos Diomedis Thracis, qui humanis carnibus vescebantur, abduxit; inde ad Hippolytae cingulum petendum perrexit, eamque ablato cingulo superavit: ad Geryonem autem, sicut jam supra dictum est, navi aenea navigavit, tergo leonis velificans; ibique primum Orthrum canem, Echidnes filium, peremit; deinde Eurytiona pastorem, Martis filium; novissime Geryonem, cujus abduxit armenta: item ad Hesperidas perrexit, & Anthaeum, filium Terrae, victum luctatione necavit: Inde in Aegypto Busiridem necavit, qui advenientes hospites immolare consueverat; post Prometheum, Jovis imperio in Caucaso monte religatum, occisa sagittis aquila, liberavit: Acheloum etiam fluvium, qui se propter Deianiram Oenei filiam certando cum Hercule in formas varias commutabat, mutatum in taurum, avulso ab illo cornu, victoria cedere compulit: post Lycum regem, qui, se apud Inferos constituto, Megaram uxorem ejus tentaverat, reversus peremit; propter cujus necem Juno ei insaniam inmisit, ut uxorem necaret ac filios; qui post receptam sanitatem, cum expiationem parricidii ab Apolline petisset, nec ab eo responsa meruisset, ira concitus cortinam ipsam & tripodem Apollinis sustulit; ob quod iratus Juppiter eum Omsalae servire praecepit. Cujus finis humanitatis talis fuit: Cum Deianiram conjugem per fluvium, in quo Nessus Centauros commeantes transvehebat, etiam Hercules transvehere vellet, ausus est Nessus occulte Deianiram de stupro interpellare; quod cum Hercules cognovisset Nessum peremit; sed Nessus moriens Deianiram monuit, ut sanguinem suum exceptum servaret, & si quando advertisset Herculem altera foemina delectari, sanguine ipso vestem inlitam marito daret, per quam vindicari possit. Sed Deianira, cum audisset maritum Iolen, Eurythi Oechaliensis amare filiam, vestem tinctam Nessi sanguine Lichae servo dedit ad eum perferendam; qui cum Herculi in Oeta occurrisset, munus uxoris tradidit, quam cum ille Jovi sacrificaturus induisset, tanto corporis ardore correptus est, ut non invento remedio pyram construi juberet, donatisque Philoctetae sagittis, peteret ab eo ut cremaretur, quo facto inter Deos relatus est.

Salve, vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos, & tua dexter adi pede ſacra ſecundo.
Talia carminibus celebrant: ſuper omnia Caci
Speluncam adjiciunt, ſpirantemque ignibus ipſum.
305 Conſonat omne nemus ſtrepitu, collesque reſultant.
Exin ſe cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. Ibat rex obſitus aevo,
Et comitem Aenean juxta natumque tenebat
Ingrediens, varioque viam ſermone levabat.
310 Miratur, facilisque oculos fert omnia circum
Aeneas, capiturque locis; & ſingula laetus
Exquiritque, auditque virum monumenta priorum.
Tum rex Euandrus Romanae conditor arcis:
Haec nemora indigenae Fauni Nymphaeque tenebant,

Gens-

SERVII.

301. SALVE. Hic *Salve* ſic dictum eſt, ut alibi: *Sis felix*. Hic *Divus Fidius* ſolus dicitur, quod ſolus fidem fecit ſe Jovis filium. VERA JOVIS PROLES. Nullus enim humano ſanguine procreatus tanta perficeret.

302. DEXTER ADI. Id eſt, propitius. PEDE SECUNDO. Omine proſpero.

303. SUPER OMNIA CACI. Id eſt, hoc factum laudant ultra omnia. Et ſic eſt dictum, ut eſt, *Et te ſuper omnia dona Unum oro*. Et bene, quantum ad ipſos pertinet, rem maiorem & ſibi utiliorem ſervare poſt omnia: quia ita ſaepe fit, ut ea, quae in praeſente aguntur, fabulis omnibus poſtea addantur, &, quae expetierant, potiora videantur ignotis, & fides habeatur illis, quae audierant, & his, quae viderant.

307. OBSITUS AEVO. Aetate involutus, ut Terentius ait: *Annis pannisque obſitus*. Nonnulli *obſitum*, quaſi inſitum, & obſeſſum, & poſſeſſum, tradunt.

310. FACILESQUE OCULOS FERT OMNIA CIRCUM. Phyſici dicunt, ex vino mobiliores oculos fieri. Plautus: *Faciles oculos habet*. Id eſt, mobiles vino. Hoc etiam Maecenas in Sympoſio, cui Virgilius & Horatius interfuerunt, cum ex perſona Meſſalae de vino loqueretur, ait: *Idem umor miniſtrat faciles oculos, pulcriora reddit omnia, & dulcis juventa reducit bona*.

311. CAPITURQUE LOCIS. Delectatur locorum pulchritudine, id eſt, uno loco diutius retinetur.

313. ROMANAE CONDITOR ARCIS. Conditor Pallantei, ubi nunc Palatium eſt: quod non eſt re vera arx, ſed tenet omnium rerum principatum. Et hic ſubtiliter videtur ſignificare, Romam initium ab Euandro ducere.

314. HAEC NEMORA INDIGENAE FAUNI. *Indigenae*, id eſt, inde geniti, αὐτόχθονες. Et ſciendum ſecundum Heſiodi Theogoniam primo deos genitos; inde hemitheos; poſt heroas; inde homines innocentes; ultimo ſceleratos: quem & hic nunc ordinem ſervat. Sane, ſicut ſupra dictum eſt, Faunus Pici filius dicitur, qui a *fando*, quod futura praediceret, *Faunus* appellatus eſt, quorum etiam reſponſa ferebantur. Hic *Faunus* habuiſſe filiam dicitur omnium caſtiſſimam & diſciplinis omnibus eruditam, quam quidam, quod nomine dici prohibitum fuerat, Bonam deam appellatam volunt. Hos *Faunos* etiam *Fatuos* dicunt, quod per ſtuporem divina pronuntient: quidam *Faunum* appellatum volunt eum, quem nos propitium dicimus.

PIERII.

codice, *Nemea* legitur; ſed enim Servius, *Nemeae*, legendum oſtendit: quia *Nemeaeus* derivativum ſit: apud Graecos tamen utrumque reperitur ὁ Νεμεῖος, & ὁ Νεμεαῖος, ut obſervatum a Grammaticis. Eſt etiam in Romano codice, *ſemenſa*, pro, *ſemeſa*, errore illo familiari.

315 Gensque virum truncis & duro robore nata:
Quis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed rami, atque aſper victu venatus alebat.
Primus ab aetherio venit Saturnus Olympo,
320 Arma Jovis fugiens, & regnis exſul ademtis.
Is genus indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legesque dedit, Latiumque vocari
Maluit, his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aurea quae perhibent, illo ſub rege fuerunt

Sae-

SERVII.

315. TRUNCIS, ET DURO ROBORE NATA. Hoc figmentum Homericum eſt, & ortum eſt ex antiqua hominum habitatione, qui ante factas domos, aut in cavis arboribus, aut in ſpeluncis manebant: qui cum exinde egrederentur, aut ſuam educerent ſobolem, dicti ſunt inde procreati.

316. NEQUE CULTUS ERAT. Id eſt, nullam ſui curam habebant. Alii ad animum referunt, ut Salluſtius: *Indocti, incultique*. Alii ad morem, hoc eſt, qui neque legibus aut imperio cujusquam regebantur: quia mos, eſt lex quaedam vivendi, nullo vinculo adſtricta, hoc eſt, lex non ſcripta. Sed hic *cultum*, legem, imperium, dictum volunt: alii mores pro legibus, veluti: *Moresque viris & moenia ponet*: &: *Veterisque dei ſe more tenentem*.

317. COMPONERE OPES. Reſervare, ordinare. PARCERE PARTO. De die, inquit, vivebant, nec inventa ſervabant.

318. RAMI ATQUE ASPER VICTU VENATUS ALEBAT. Cognato quodammodo victu alebantur: aut venatu montium, aut arborum ramis: hinc enim ali debent ex arboribus nati.

319. PRIMUS. Quaſi & alius venerit e caelo; ſed primus in Italiam venit. AB AETHERIO VENIT SATURNUS OLYMPO. Hoc dicit ſecundum poeticum morem; nam Saturnus rex fuit Cretae, quem Jupiter filius bello pepulit. Hic fugiens ab Jano rege, qui urbem habuit, ubi nunc Janiculum eſt, ſuſceptus eſt, qui regnabat in Italia: quem cum docuiſſet uſum vinearum, & falcis, & humaniorem victum, in partem eſt admiſſus imperii, & ſibi oppidum fecit, ſub clivo Capitolino, ubi nunc ejus aedes videtur, qui poſtea ſuum repetivit imperium. Ex hoc & *Saturnalia*, ut eſſent memoralia vitae, quam Saturnus docuerat, qua die ſimul & promiſcuo victu utuntur ſervi & liberi. Ideo autem in aede ipſius Saturni aerarium, quod ibi potiſſimum pecunia ſervaretur, eo quod illi maxime credatur.

321. IS GENUS INDOCILE. Pro, indoctum nam *indocile*, eſt quod penitus non poteſt diſcere: *indoctum*, quod nondum didicit. Hos autem dicit eſſe compoſitos; unde apparet quia *indocile* dixit pro, *indoctum*. Hoc autem eſt, quod dicit Cicero in primo Rhetoricorum: *Feros adhuc homines magni cujusdam viri oratione compoſitos*.

322. LEGESQUE DEDIT. Atqui dixit: *Haud vinclo, nec legibus aequam*; ſed intelligimus Saturnum dediſſe leges, quibus adeo obtemperaverunt, ut jam ita per naturam ſine legibus viverent. Hunc ſane Deum & leges recipere, & legibus praeeſſe, docet antiquitas; nam ideo & acceptae a populo leges in aerario claudebantur, quoniam aerarium Saturno dicatum erat, ut hodieque Aerarium Saturni dicitur. LATIUMQUE VOCARI MALUIT. Bene *maluit*: nam & Saturnia dicta eſt, ut: *Et nomen poſuit Saturnia tellus*. Et Virgilius *Latium* vult dici, quod illic Saturnus latuit, fugiens Jovem. Fabula nota eſt, quod Saturnus filios ſuos de Ope genitos voraverit, cum audiſſet a filio ſe regno eſſe pellendum; & quod ei uxor nato Jove lapidem pro infante obtulerit devorandum. Varro autem *Latium* dici putat, *quod latet Italia inter praecipitia Alpium & Apennini*. Quidam ferunt a *Latino* dictum *Latium*; alii ipſum *Latinum*, a *Lacio*.

PIERII.

316. NEC JUNGERE. In aliquot antiquis, *neque*, particula ea ter repetita: *Queis neque mos, neque cultus erat, neque jungere tauros*. Sunt tamen qui *nec* monoſyllabum tertio loco malint.

324. AUREAQUE (UT PERHIBENT) ILLO SUB REGE FUERUNT SAECULA. Veteres codices fere omnes legunt, *Aurea quae perhibent*: nem, ſaecula

la

325 Saecula: ſic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paullatim, ac decolor aetas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.
Tum manus Auſonia, & gentes venere Sicanae;
Saepius & nomen poſuit Saturnia tellus.
330 Tum reges, aſperque inmani corpore Thybris:
A quo poſt Itali fluvium cognomine Thybrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.
Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem

For-

SERVII.

325. SIC PLACIDA POPULOS IN PACE REGEBAT. Ut merito aurea ſaecula crederentur.

326. DECOLOR AETAS. Vitioſa, quae decoloraret veteres mores: in omni enim vitioſo corpore ineſt peſſimus color. Et alludit naturam metallorum, quam cernimus diſcolorem; nec immerito; ſupra enim dixerat: *Aurea ſecula*: ideo nunc dixit: *Aetas decolor*, id eſt, aurea & ferrea, ſicuti Heſiodus dicit. Sane *decolor aetas*, quis ante hunc?

328. TUNC MANUS AUSONIAE. Omnes terrae habitatores, aut indigenae, aut advenae, aut convenae, aut incolae ſunt; indigenae ſunt inde geniti, quos vocant Aborigines Latini; Graeci Αὐτόχθονας, ut idem de Faunis dixit: advenae de uno loco venientes, ut Saturnus: convenae de diverſis, ut Auſones & Sicani: quamvis quidam Auſones cognominatos ab Auſone, Ulyxis & Circes filio, dicunt: Sicani autem, ſecundum nonnullos, populi ſunt Hiſpaniae, a fluvio Sicori dicti. Lucanus: *Heſperios inter Sicoris non ultimus amnis*. Hi duce Siculo venerunt ad Italiam, & eam tenuerunt, excluſis Aboriginibus. Mox ipſi pulſi ab illis, quos ante pepulerant, inſulam vicinam Italiae occupaverunt: & eam Sicaniam a gentis nomine, Siciliam vero a ducis nomine dixerunt: quanquam Thucydides dicat de Sicilia Italum regem veniſſe, & ab eo eſſe Italiam appellatam. Alii ſic diſtinguunt *Sicanae*; & ſubjungunt, *Saepius & nomen poſuit Saturnia tellus*. Semel enim Sicani ex Hiſpania in Italiam veniſſe dicuntur; at Italia plura nomina habuit, dicta eſt enim Heſperia, Auſonia, Saturnia, Vitalia.

330. IMMANI CORPORE TYBRIS. Hic Tuſcorum rex fuit, qui juxta hunc fluvium pugnans cecidit, & ei nomen impoſuit: vel ut quidam volunt a Glauco, Minois regis filio, occiſus eſt. Alii volunt iſtum ipſum regem latrocinatum eſſe circa hujus fluminis ripas: & tranſeuntibus crebras injurias intuliſſe; unde *Tybris*, quaſi ὕβρις dictus eſt, ἀπὸ τῆς ὕβρεως, id eſt, ab injuria: nam amabant majores, ubi aſpiratio erat, *s* ponere, ut ἑπτά, *ſeptem*, vel *h*, ut Ἑλένη, *Helena*. Alii *Tyberim*, Jani & Cameſenae filium, ubi in bello periiſſe tradunt. Varro *Tyberim* a *Tyberino* quodam rege Latinorum, quod ibi interierit, dictum tradit. Alii, ut ſupra diximus, volunt eos, qui de Sicilia venerunt, *Tybrin* dixiſſe ad ſimilitudinem foſſae Syracuſanae, quam fecerunt per injuriam Afri & Athenienſes juxta civitatis murum: nam quod Livius dicit, ab Albano rege *Tyberino Tybrin* dictum, non procedit: ideo, quia etiam ante Albam *Tybris* dictus invenitur. Sed hic Alexandrum ſequitur, qui dicit Tyberinum, Caneti filium, venantem, in hunc fluvium cecidiſſe, & fluvio nomen dediſſe: nam & a Pontificibus indigitari ſolet.

331. POST ITALI. Etiam Euander ſe Italum dicit.

332. ALBULA NOMEN. Antiquum hoc nomen a colore habuit.

333. ME PULSUM PATRIA. Aut, ut diximus ſupra, propter parricidium: aut certo oraculorum neceſſitate compulſum. PELAGIQUE EXTREMA. Id eſt, aut per extrema pelagi actum: aut, ut dicit Donatus, per pelagus extrema ſequentem: aut ut *pelagi* adverbium ſit, pro, in pelago: aut pelagi pericula.

PIERII.

ſub illo rege, quae perhibent aurea. In aliquot vero codicibus, quod non ita placet, legere eſt, *Aureaque perhibent illo ſub rege fuiſſe Saecula*; ſed vulgata lectio, *Aureaque ut perhibent*, magis doctis omnibus adridet.

328. TUM MANUS AUSONIAE ET GENTES. In Romano codice, *Auſonia*. *Auſoniam* vero putat Verrius dictam ab *Auſonio* rege, Ulyſſis filio, ex Calypſo: qui primus partem eam tenuerit, ubi Beneventum & Cales. Deinde paulatim ſic dicta ſit tota Italia, quae ab Alpibus includitur. Quod vero paulo infra, non procedere ait Servius, quod a Livio traditum eſt, *Tybrin dictum ab Albano rege Tyberi-*

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum,
335 His posuere locis: matrisque egere tremenda
Carmentis Nymphae monita, & Deus auctor Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progressus monstrat & aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant Nymphae priscum Carmentis honorem
340 Vatis fatidicae: cecinit quae prima futuros
Aeneadas magnos, & nobile Pallanteum.
Hinc lucum ingentem, quem Romulus acer Asylum
Rettulit, & gelida monstrat sub rupe Lupercal,

Par-

SERVII.

334. FORTUNA OMNIPOTENS, ET INELUCTABILE FATUM. Secundum Stoicos locutus est, qui nasci & mori fatis dant: media omnia, fortunae. Nam vitae humanae incerta sunt omnia: unde & miscuit, ut quasi plenum ostenderet dogma: nam nihil tam contrarium est fato quam casus; sed secundum Stoicos dixit. Alii *Fortuna omnipotens*, propter fugam & exilium; *Ineluctabile fatum*, idcirco; ut se sceleris & parricidii crimine purgaret.

335. EGERE. Coegerunt, ut quasi ostendat invitum.

336. CARMENTIS NYMPHAE MONITA. Matris Euandri, quae *Nicostrate* dicta est; sed ideo *Carmentis* appellata a suis, quod divinatione fata caneret: nam antique vates *Carmentes* dicebantur; unde etiam librarios, qui eorum dicta perscriberent, *Carmentarios* nuncupatos. Alii hujus comites Porrimam & Postvoream tradunt: quia vatibus & praeterita & futura sunt nota. Alii etiam Tyburtem dictam. *Nymphae* autem, maritae dicit: nam Graece νύμφη, Latine *sponsa* dicitur. Haec autem non vere *Nympha* fuit, sed vaticinatrix. Alii *Nympham* ideo dictam: quoniam qui res Arcadum scripserunt, tradunt sex foeminas ibi fuisse, quae Nymphae vocarentur, in queis & *Carmentem*: proprio ergo vocabulo, non epitheto poetico, usus est. AUCTOR. Scilicet oraculorum.

337. MONSTRAT ET ARAM. Aut quam Euander matri fecit exstinctae: aut *aram* pro monumento: aut ideo *aram*, quia ibi exstincta & sepulta est, & post excessum dea credita. Haec ara est juxta portam, quae primo a *Carmente Carmentalis* dicta est; post *Scelerata*, a Fabiis CCCVI. qui per ipsam in bellum profecti, non sunt reversi. VATIS FATIDICAE. Bene addidit *fatidicae*: nam *vatem*, & poetam possumus intelligere. Lucilius: *Nec si te pectore vates accipiam*, unde solum plenum non erat. Ergo tale est, ut illud in Sallustio: *In tugurio mulieris ancillae*: non quia mulieris, statim & ancillae; si autem ancillae, statim & mulieris.

340. QUAE PRIMA. Quia postea etiam Sibylla dixit,

341. NOBILE PALLANTEUM. Futurum scilicet: sicut & *Aeneadas*: ad sequens enim Romanorum retulit tempus.

342. ASYLUM RETULIT. Postquam Hercules migravit e terris, nepotes eius, timentes insidias eorum, quos avus adflixerat Athenis, sibi primi Asylum, hoc est templum Misericordiae conlocarunt, unde nullus posset abduci, quod etiam Statius dicit, ut: *Herculeos fama est fundasse nepotes*. Ideo ergo ait: QUEM ROMULUS ACER ASYLUM RETTULIT: hoc est, fecit ad imitationem Atheniensis Asyli: ut haberet advenas plures, cum quibus conderet Romam. Juvenalis: *Et tamen ut longe repetas, longeque revolvas Nomen, ab infami gentem deducis Asylo*. Sane hoc non ad Euandri personam adplicatur, quod ipse Aeneae retulerit.

343. GELIDA MONSTRAT SUB RUPE LUPERCAL. Sub monte Palatino est quaedam spelunca, in qua de capro luebatur, id est, sacrificabatur: unde & *Lupercal* dictum nonnulli putant: alii, quod illic lupa Remum & Romulum nutrierit: alii, quod & Virgilius, locum esse hunc sacratum Pani, deo Arcadiae: cui etiam mons Lycaeus in Arcadia est consecratus: & dictus Lycaeus, quod λύκους, hoc est, *lupos*, non sinat in oves saevire. Ergo ideo & Euander deo gentis suae sacravit locum, & nominavit *Lupercal*, quod praesidio ipsius numinis, lupi a pecudibus arcerentur. Sunt qui dicant hunc Panem, alii deum bellicosum: alii Liberum patrem; eo quod capro ei fit divina res, qui est hostia Liberi propria. In hujus similitudinem intecti cultores ejus, cui Luper-

Parrhasio dictum Panos de more Lycaei.
345 Nec non & sacri monstrat nemus Argileti,
Testaturque locum, & letum docet hospitis Argi.
Hinc ad Tarpejam sedem, & Capitolia ducit,
Aurea nunc, olim silvestribus horrida dumis.

SERVII.

percalia instituta sunt: quia Deus pastoralis est: nam Remum & Romulum ante Urbem conditam Lupercalia celebrasse, quod quodam tempore nuotiatum illis sit, latrones pecus illorum abigere, illos togis positis cucurrisse, caesisque obviis pecus recuperasse: id in morem versum, ut hodieque nudi currant. Nonnulli propter sterilitatem hoc sacrum dicunt a Romulo constitutum: ideoque & puellae de loro capri caeduotur, ut careant sterilitate & foecundae sint: nam *pellem* ipsam *capri* veteres *februum* vocabant.

344. PARRHASIO DICTUM PANOS DE MORE LYCAEI. Ordo est: Monstrat Lupercal Panos Lycaei, dictum de more Parrhasio; id est, ostendit Lupercal Panos Lycaei, dicatum ex more Arcadico: nam Parrhasia, Arcadia est. DICTUM. Dicatum, consecratum. PANOS LYCAEI. *Hujus Panos*, genitivus est Graecus: & *Panos Lycaei* sic dictum est, ut *Jovis Olympici*, *Apollinis Delfici*.

345. SACRI MONSTRAT NEMUS ARGILETI. *Sacri*, execrabilis. Sane *Argiletum*, quasi *argilletum*, multi volunt a pingui terra; alii a fabula: nam Euander Argum quendam suscepit hospitio, qui, cum de ejus cogitaret interitu, ut ipse regnaret, Euandro hoc non sentiente, socii intellexerunt, & Argum necarunt: cui Euander & sepulcrum fecit, & locum sacravit; non quod ille merebatur, sed hospitalitatis caussa. Bene autem in hac re Euander inmoratur, & docet caussas, ne apud hospitem veniat in suspicionem. Ergo *Argiletum* ab *Argo* illic sepulto & sacrato. Alii *Argum* occisum dicunt ab ipso Euandro, auxiliante sibi Hercule, quod is ex hospite factus esset inimicus: alii Danaen cum duobus filiis Argo & Argeo, quos de Fineo habuit, venisse in Italiam, & locum ubi nunc Roma est tenuisse; ibique *Argum*, Aboriginum insidiis interfectum, loco nomen dedisse. Alii *Argiletanam portam* appellari, quod eam *Cassius Argillus* sive fecerit, sive refecerit; quod ibi *Cassius*, post *Argillus*, bello Punico primo sit interfectus ob turbulentam & seditiosam naturam. Alii quod *Argillus* Senator post Cannense praelium suaserit a Poenis pacem postulari, ideo in Senatu carptum, domumque ejus dirutam & locum *Argiletum* appellatum. Quidam dicunt, cum Capitolii, ubi nunc est, fundamenta jacerentur, caput humanum, quod Oli diceretur, inventum; quo omine sollicitatos conditores, misisse ad Tusciam ad aruspicem illius temporis nominatum, qui jam indicaverat Argo filio suo, tributum fataliter esse, ut is locus orbi imperaret, in quo illud caput esset inventum. Obvii igitur Argo hi, qui missi erant, ubinam esset pater interrogaverunt, qui, cognita causa itineris eorum, omne responsum patris prodidit, monuitque ut caverent, ne ab eo interrogatione deciperentur. Sed cum Legati ad eum pervenissent, & de significatione inventi capitis quaererent, volens ille dominatum orbis patriae suae potius adscribere, interrogavit: *anne hic*, suum locum ostendens, *invenissent:* illis negantibus, suspicatus proditum esse responsum. quaesivit an quenquam obvium fecissent, illis simpliciter confitentibus occurrisse sibi juvenem, tunc aruspex conscenso equo sequutus Argum occidit eo loco, ubi nunc Roma est, a cujus caede *Argiletum*. Quamvis haec historia etiam de alio nomine saepe celebrata est.

346. TESTATUR LOCUM. Jurat non sua culpa jura hospitii esse violata; vel in testimonium ducit nomen loci, vel detestatur.

347. TARPEJAM SEDEM. Prolepsis: duo haec enim nomina postea monti indita sunt.

348. AUREA NUNC. *Nunc* ad utrumque pertinet, & ad *aurea*, & ad *Tarpejam sedem*: nam Tarpeja sedes dicta est a Tarpeja virgine: cum enim Romulus contra Sabinos bella tractaret, & Tarpejo cuidam dedisset arcem tuendam, filia ejus Tarpeja, aquatum profecta, in hostes incidit: quam cum hortarentur ad proditionem arcis, illa pro praemio poposcit ornatum manuum sinistrarum, id est, armillas. Facta itaque arcis proditione, hostes ingeniosa morte promissa solverunt: nam scuta, id est, sinistrarum ornatum, super illam jacientes, eam luce privarunt; quae illic sepulta, Tarpejae sedi nomen imposuit.

PIERII.

berino, suppetias Livio fert Varro, dum is quoque *Tybrin a Tyberino Silvio Albanorum rege*, *quod is in eo extinctus sit*, dictum asserit.

341. ET NOBILE PALLANTEUM. In Rom. codice, legitur, *nomine:* veluti dixerat *Carmentalem*

Jam

Ro-

Jam tum relligio pavidos terrebat agreſtis
350 Dira loci: jam tum ſilvam ſaxumque tremebant.
Hoc nemus, hunc, inquit, frondoſo vertice collem
(Quis Deus, incertum eſt) habitat Deus: Arcades ipſum
Credunt ſe vidiſſe Jovem, cum ſaepe nigrantem
Aegida concuteret dextra, nimboſque cieret.
355 Haec duo praeterea disjectis oppida muris,
Relliquias, veterumque vides monumenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit arcem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter ſe dictis ad tecta ſubibant
360 Pauperis Euandri, paſſimque armenta videbant
Romanoque foro & lautis mugire Carinis.

Ut

SERVII.

349. RELLIGIO. Id eſt, metus, ab eo, quod mentem *religet*, dicta *religio*.

350. DIRA. Magna, admirabilis, ut: *An ſua cuique deus fit dira cupido?* SAXUM. Sic appellatur Capitolium.

351. HOC NEMUS. Bene ubique *nemus* dixit: nam tunc aedificia non erant.

352. QUIS DEUS. Dubitando *quis deus*, adfirmat deum eſſe. IPSUM CREDUNT SE VIDISSE JOVEM. In hoc ſcilicet nemore. Sane ad illud alludit, quod primi dicuntur Jovi templa & rem divinam feciſſe: Aeacus enim primus in Arcadia templum conſtituiſſe dicitur: nec enim longe ſunt a monte Olympico: unde eos dicit *Jovem vidiſſe:* & quod ipſi ſunt *προσέληνοι*, id eſt, *ante Lunam creati*, ut ait Statius: *Arcades aſtris Lunaque priores:* licet dicat Salluſtius: *Cretenſes primos inveniſſe religionem:* unde apud eos natus fingitur Jupiter.

354. AEGIDA CONCUTERET. Hic diſtinguendum: nam *aegida*, id eſt, pellem Amaltheae caprae, a qua nutritus eſt, in ſiniſtra Jupiter tenet. Sane Graeci poetae turbines & procellas *καταιγίδας* appellant, quod haec mota faciat tempeſtates. Ergo NIGRANTEM, tempeſtatem commoventem. DEXTRA NIMBOSQUE CIERET. Et de dextra fulmina commoveret, nam modo *nimbos*, pro fulminibus poſuit, quae de dextra jacit. Aegidis autem concuſſio commovet pluvias. Ergo CONCUTERET AEGIDA, atque per eam nimbos moveret.

355. DISJECTIS OPPIDA MURIS. Unum Jani, aliud Saturni, jam tunc vetuſta.

356. MONUMENTA VIRORUM. Hoc ſermone oſtendit etiam Saturnum virum fuiſſe.

357. JANUS PATER. Janus in Janiculo habitavit, qui quod una navi exul venit, in pecunia eius ex una parte Jani caput, ex altera navis ſignata eſt.

359. DICTIS. Dubium eſt, nomen ſit *dictis*, an participium.

360. PASSIMQUE ARMENTA VIDEBANT. Quae poſt mortem Caci paſſim nullo timore vagabantur.

361. ROMANOQUE FORO. *Romanum forum* eſt, ubi nunc Roſtra ſunt. Sed & hic prolepſin fecit: nam poſtea ſic dictum eſt. LAUTIS MUGIRE CARINIS. *Carinae*, ſunt aedificia facta in carinarum modum, quae erant circa templum Telluris. *Lautas* autem dixit, aut propter elegantiam aedificiorum, aut propter Auguſtum, qui natus eſt Curiis veteribus, & nutritus in lautis Carinis. Alii dicunt *Carinas* montem nominatum, quod ager ſuburbanus ante portas Cariis erat. Alii *lauta loca* legatorum, quae in ea regione inſtructa accipere conſueverant. Alii, quod ibi Sabini nobiles habitaverint, quorum genus irridere & *carinare* ſolebat. *Carinare* autem, eſt obtrectare; Ennius: *Contra carinantes, verba atque obſcoena profatus.* Alibi: *Neque me decet hanc carinantibus edere chartis.* Alii, quod Romani Sabinis inſtantibus fugientes, eruptione aquae ferventis & ipſi liberati, & hoſtes ab inſequendo repreſſi: aut quia calida aqua lavandis vulneribus apta fuit, locus *Lautulus* appellatus eſt.

PIERII.

Romano nomine portam. Sed omnino, *nobile*, magis

Ut ventum ad ſedes: Haec, inquit, limina victor
Alcides ſubiit; haec illum regia cepit.
Aude, hoſpes, contemnere opes: & te quoque dignum
365 Finge deo; rebuſque veni non aſper egenis.
Dixit, & anguſti ſubter faſtigia tecti
Ingentem Aenean duxit, ſtratiſque locavit
Effultum foliis, & pelle Libyſtidis urſae.

Nox

SERVII.

363. VICTOR ALCIDES SUBIIT. Virgilius hic jus Pontificale quibuſdam videtur ſubtiliter tangere: domus enim, in qua Pontifex habitat, regia dicitur: quod in ea Rex ſacrificulus habitare conſueſſet, ſicut Flaminia, domus, in qua Flamen habitat, dicebatur: quod hic oſtendit ex perſona Euandri, quem facit orantem, ut Aeneas ſuam ingrederetur domum; non utique profanam, ſed ſacratam; ſcilicet quae fuerit hoſpitium Herculis, illis verſibus: *Haec, inquit, limina victor Alcides ſubiit, haec illum regia cepit*: quem etiam honore divinae dignationis ſociat, adjiciens: *Aude hoſpes contemnere opes, & te quoque dignum Finge deo*: haec enim dicendo quid aliud agit, quam ut ſacratae religionis uſum tribuat antiſtiti & divina communia; utpote quem etiam Pontificali honore nuncupaverat, dicens: *Maxime Teucrorum ductor*: neque enim quia ductor eo maximus; ſed quia maximus eo omnia regit. Regiae autem verius meminit dicendo: *Tecta ſubibant Pauperis Euandri, Romanoque foro*: quis enim ignorat regiam, ubi Numa habitaverit, in radicibus Palatii, finibuſque Romani fori eſſe? *Victor* autem *Alcides ſubiit*, ἀπὸ κοινοῦ [illegible], id eſt, bonum Aeneae omen oſtenditur; Varro enim Divinarum lib. IV. *Victorem Herculem* putat dictum, quod omne genus animalium decies vicerit. Sed Romae Victoris Herculis aedes duae ſunt, una ad portam Trigeminam, altera ad Forum boarium; cujus commenti cauſa haec exponitur: Marcus Octavius Eſerninus in prima adoleſcentia tibicen, poſtquam arti ſuae diffiſus eſt, mercaturam inſtituit: bene re geſta decimam Herculi dicavit; poſtea cum navigans hoc idem ageret, a praedonibus circumventus fortiſſime pugnavit, & victor receſſit: quem in ſomnis Hercules docuit ſua opera ſervatum: cui Octavius, impetrato a magiſtratibus loco, aedem cum ſigno ſacravit, & *Victorem* inciſis litteris appellavit. Ergo Virgilium non tantum ad victoriam praeſentem *victorem* dixiſſe; ſed occulte perpetuo ejus epitheto uſum debemus accipere: quippe quem Romae ſub hoc nomine ſacratum coli videbat; nam ſupra ait: *Tauroſque hac victor egebat*, cum de pugna ejus alia loqueretur. Sane hic *ſubiit* juxta uſum praeſentem accuſativo junxit, cum antiquo more alibi dativo junxerit, ut: *Progreſſi ſubeunt luco*. CEPIT. Mire dixit, ut alibi: *Nec te Troja cepit*.

364. AUDE HOSPES CONTEMNERE OPES. Bene *aude*, quaſi rem arduam & difficilem; tanquam virtute opus ſit animi & ad expellendum amorem divitiarum. DIGNUM FINGE DEO. Compone te, & forma in ſimilitudinem nominis: quod juxta ſectam Cynicam hoſpes Herculis ſuadet. Sane quidam *Deo*, pro immortalitate dictum volunt.

365. NON ASPER. Non aſpernator, id eſt, faſtidioſus.

366. ANGUSTI SUBTER FASTIGIA TECTI INGENTEM AENEAM DUXIT. Ex contrarietate quaeſitus ornatus, ait enim: *Anguſti tecti ſubter faſtigia ingentem Aeneam duxit*.

368. EFFULTUM. Sicut ſupra dictum eſt, apud veteres dicebatur, ſuper quod unuſquiſque jacuiſſet. PELLE LIBYSTIDIS URSAE. Species pro genere: nam cujuslibet ferae poſſumus accipere. Ideo dicit *Libyſtidis*, ut ex pretio beſtiae aliquid gratiae potuiſſet ipſis ſtratis accedere.

PIERII.

gis placet, ob antiqua tot eo de loco monumenta.

346. ET LETUM DOCET HOSPITIS ARGI. In codicibus aliquot legere eſt, *& mortem docet*; ſed magis placet *letum*, ut perſtet in nominis adluſione de *Argileto*. Quamvis non ignoro eſſe, qui ab *Argela* quodam, viro non ignobili, qui fuerit ibi ſepultus, locum dictum velint. Alii ab *argilla*, quod ibi id genus terrae affatim fuerit.

350. JAM TUM SYLVAM. In Romano, *ſilvae*. in quibuſquam aliis, *jam jam ſilvam*; ſed *jam tum*, magis omnino placet.

357. HANC SATURNUS CONDIDIT URBEM. In codicibus aliquot antiquis, *arcem*, non *urbem*, legas: quod eſt hiſtoriae proprius: niſi *urbem*, dictum ſit ad amplificationem, & honeſtiorem rei nuncupationem: ſive ad id reſpexerit, quod Roma inde κατ' ἐξοχὴν *Urbs* appellata eſt.

361. LAU

Nox ruit, & fuſcis tellurem amplectitur alis.
370 At Venus haud animo nequidquam exterrita mater,
Laurentumque minis & duro mota tumultu,
Volcanum adloquitur, thalamoque haec conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum adſpirat amorem:
Dum bello Argolici vaſtabant Pergama reges
375 Debita, caſuraſque inimicis ignibus arces;
Non ullum auxilium miſeris, non arma rogavi
Artis opiſque tuae: nec te, cariſſime conjunx,
Incaſſumve tuos volui exercere labores:

Quam-

SERVII.

370. EXTERRITA MATER. Ideo territa, quia mater. TUMULTU. Gallicus tumultus.

373. DICTIS DIVINUM ASPIRAT AMOREM. Id eſt, dictis ſuis addit venuſtatem, ut amabiliter ejus audiatur oratio. Sane Venus petitura pro filio, de adulterio procreato, orationem ſuam ingenti arte compoſuit: quod etiam Vulcanus ipſe teſtatur, dicens: *Quid cauſſas petis ex alto?* non enim aperta eſt petitio eius; ſed longo prooemio perverſam amore mariti circumvenit mentem. Ergo quaeſtionem hanc, quae naſcitur ex petitione Veneris impudica, ſolvimus his modis: primo, quod Vulcanum amore circumvenit, nam & poſt completam orationem ſtatim eum complectitur, & molli amplexu fovet: deinde quod nacta eſt occaſionem eius temporis, quo Marti arma faciebat, quem fuiſſe ſciebat adulterum: per quod datur intelligi, Vulcanum jam omnem ſuſpicionem & iram, quam habuit circa Venerem, depoſuiſſe; adeo ut arma etiam ipſi fabricaret adultero. Praeterea Vulcanum uxorium fuiſſe, teſtantur, & ipſe Virgilius, dicens: *Tunc Pater aeterno fatur devinctus amore*. Et Statius, ubi Martem Venus adloquitur, ut: *At non eadem Vulcania nobis Obſequia, & laeſi ſervit tamen ira mariti:* nam quod dicit Donatus, potuiſſe fieri, ut cum Anchiſa concumberet Venus, ante quam Vulcano nuberet, non procedit: conſtat enim a principio Venerem uxorem fuiſſe Vulcani. Sane *divinum*, τὸ θεῖον debemus accipere.

374. DUM BELLO ARGOLICI. *Dum*, poſtquam. Sane haec oratio rhetorica ſuaſio eſt: nam principium a verecundia ſumpſit: dicendo enim nunquam ſe moleſtam antea fuiſſe, oſtendit impetrare debere: praeſertim ex eo, quod non timuerit petere: NUNC JOVIS IMPERIO RUTULORUM CONSTITIT ORIS: ERGO EADEM SUPPLEX VENIO. Haec non tantum rogandi, ſed etiam impetrandi vim habent, verſo tamen ordine; nam primo arma petit; deinde adjuvat exemplo, dicendo: *Te filia Nerei* &c. deinde cauſam: *Aſpice qui coeant populi*. Ipſum enim POPULI, multitudinem ſignificat, & quaſi non impugnet, ſed impugnetur Aeneas, ita pathos feciſſe dicens: *In me excidiumque meorum:* nam quod a principio arma petit, haec ratio eſt, quod rem nec magnam, nec difficilem Vulcano, petebat: ideo & ſtatim poſuit: nam ubi majus aliquid eſt, ante cauſa dicenda eſt: ut praemollitis animis, tunc quod petitur, ſuggeratur.

375. DEBITA. Fataliter ad exitium deſtinata. CASURASQUE INIMICIS IGNIBUS ARCES. Cauſa, cur non petierit.

376. MISERIS. Atqui honeſtum eſt, miſeris ſubvenire; ſed hoc dicit: cur te fatigarem pro hominibus fati neceſſitate perituris: ARMA ROGAVI. Argute hic in principio *arma* nominat, ut jam intelligatur quid petitura ſit.

377. ARTIS OPISQUE TUAE. Duo duobus reddit, *opis*, *arma:* aut certe idem valet *opis* quod *artis;* hinc opifices.

378. INCASSUMVE TUOS. Ordo eſt: tuoſve labores incaſſum exerceri volui.

PIERII.

361. LAUTIS MUGIRE CARINIS. In Romano codice legitur, *cavernis*, errore foedo.

366. AUGUSTI SUBTER FASTIGIA TECTI INGENTEM AENEAM DUXIT. In codicibus aliquot antiquis, *ſubeunt*, legitur; ſed *ſubter*, lectio caſtior videtur; aliter *Ingentem Aeneam duxit*, imperfecta erit oratio.

373. ASPIRAT AMOREM. In aliquot codicibus antiquis, *inſpirat;* ſed & *adſpirat*, invenitur, quod nonnullis placet.

377. ARTIS OPISVE TUAE. In antiquis aliquot codicibus, *opusve*, ut ſit, Arma opuſve artis tuae:

nam

Quamvis & Priami deberem plurima natis,
380 Et durum Aeneae flevissem saepe laborem.
Nunc Jovis imperiis Rutulorum constitit oris.
Ergo eadem supplex venio, & sanctum mihi numen
Arma rogo, genetrix nato. Te filia Nerei,
Te potuit lacrimis Tithonia flectere conjux.
385 Aspice, qui coëant populi, quae moenia clausis
Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum.
Dixerat: & niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. Ille repente
Ac-

SERVII.

379. PRIAMI DEBEREM PLURIMA NATIS. Scimus quod Paridi tantum debuit; sed hoc honestius vel ad aliarum commemorationem personarum adduci potest; ne ex turpi caussa Paridi debuisse videatur, & simul, ut quidam tradunt, pulchritudinis suae Vulcanum admoneret, hoc est, formae judicio Jovis conjugem vici.

380. AENEAE FLEVISSEM SAEPE LABOREM. Bene post Pergama, post Trojanos, post Priami liberos, cum excusatione fit Aeneae commemoratio: dicit enim ejus infelicitate commotam, ut illud causas habeat; hoc miseratione consistat.

381. NUNC JOVIS IMPERIO. Id est, nunc vero: & subdistingue: nunc autem Jovis imperio; ne videretur impudens, si aliena regna deposceret: & hoc latenter dicere videter: Fave huic, cui etiam Jupiter favet.

382. EADEM. Quae tunc scilicet silui, quae nihil petii. SANCTUM MIHI NUMEN. Si *sanctum* simpliciter accipiatur, leve est *numen*; ergo *sanctum*, ut *leges sanctas* dicimus, id est, firmas, a sanciendo.

383. ARMA ROGO. Hic distinguendum; ut cui petat, non dicat; sed relinquat intelligi, ne foede apud maritum & amorem suum circa Anchisem memoret, & susceptum de adulterio filium. GENETRIX NATO. TE FILIA NEREI. Hoc est, soles hoc praestare matribus: & dicit Thetidem, quae Achilli arma impetravit. Et bonis utitur comparationibus dicendo *filia Nerei*, cum ipsa Jovis sit filia: item *uxor Tithoni*, cum sit ipsa Vulcani. NERI autem, pro Nerei: omnia enim, quae in *eus* exeunt hodie, apud majores in *es* exibant, ut *Nereus*, *Neres*; *Tydeus*, *Tydes*: & genitivum in *is* mittebant, ut, *Tyris*, *Neris*. Sed quia plerumque *s* supra in Latinitate detrahitur, remanebat *i*. Hinc est *filia Neri*; *immitis Achilli*; item in Sallustio: *Ad bellum Persi Macedonicum*. Sic Asper:

384. TITHONIA CNNJUX. Aurora, quae petivit pro Memnone.

385. ASPICE QUI COEANT POPULI. Τὸ αἴτιον, ut praesentem ostenderet necessitatem: dicendo autem *populi*, phantasiam fecit. CLAUSIS FERRUM ACUANT PORTIS. Ut ostenderet festinationem: dixit enim superius: *Quinque adeo magnae positis incudibus urbes Tela novant*. IN ME. Artificiose arma petit etiam sibi profutura; nisi enim subvenis, iterum vulnerabor; nam a Graecis fuerat vulnerata, unde est: *Equidem credo mea vulnera restant*.

388. CUNCTANTEM. Dubitantem, scilicet de promissione, quam per amplexum suum immisso amore persolvit.

PIERII.

nam non tam armorum praesidium, quam etiam artificii visendam pulchritudinem admirabitur Poeta, in armis ipsis. Est etiam, *opisque*, legere.

381. NUNC JOVIS IMPERIIS RUTULORUM CONSTITIT ORIS, In Oblongo codice, & quibusdam aliis antiquis, *imperio*, unitatis numero legitur, quod etiam apud Servium advertas. Missum vero faciam, quod in plerisque codicibus, & hic & alibi, *Rutilorum*, secunda syllaba per *i* notatur.

383. ARMA ROGO GENITXIX NATO. Ex antiquioribus codicibus scribendum, *genetrix*, media syllaba per *b*, ut alibi monuimus. TE FILIA NEREI. In codicibus aliquot antiquis, *Neri*, legitur. In nonnullis, *Neres*. Super quo declinatu multa Servius memorat. Priscianus vero in hujusmodi nominibus positum ait dativum pro genitivo. Quare *Nerei* scribendum erit; sed *Neri* pronuntiare non incongruum, facta synaeresi in *ει* Graecam diphthongum.

388. CUNCTANTEM AMPLEXU MOLLI FOVET. In Ser-

Accepit solitam flammam: notusque medullas
390 Intravit calor, & labefacta per ossa cucurrit.
Non secus atque olim, tonitru cum rupta corusco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Sensit laeta dolis, & formae conscia conjunx.
Tum pater aeterno fatur devinctus amore:
395 Quid caussas petis ex alto? fiducia cessit
Quo tibi, Diva, mei? similis si cura fuisset,
(Tum quoque fas nobis Teucros armare fuisset,)
Nec Pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum superesse per annos.
Et

SERVII.

388. ACCEPIT SOLITAM FLAMMAM. Vel quasi maritus; vel alludit ad rem naturalem: namque ideo Vulcanus maritus fingitur Veneris, quod Venerium officium non nisi calore consistit, unde est: *Frigidus in Venerem senior*.

390. LABEFACTA PER OSSA. Si ossa labefecit, quanto magis animum?

391. ATQUE OLIM. Fere, ut solet; nam non est adverbium temporis.

392. IGNEA RIMA MICANS. Id est, fulmen, cujus naturam expressit; namque nubes vento coactae plerumque rumpuntur, & ex se fulmen emittunt. Quamvis Philosophi fulgura & tonitrua simul exprimi dicant; sed illud celerius videri: quia clarum est; tonitrua autem ad aures tardius pervenire. Alii *rima micans*, fulgetram dicunt; & hoc ad velocitatem amoris, qui momento Vulcauum percussit.

393. FORMAE CONSCIA CONJUX. Intellexit, se sola pulchritudine pervertisse mentem mariti. Alii duabus rebus Venerem volunt maritum adgressum, dolis & pulchritudine; & volunt melius, *dolis & formae conscia*, quam *laeta*; & *formae* melius dativo casu quam genitivo.

394. DEVINCTUS. Hoc sermone ostendit eum posse cuncta concedere.

395. EX ALTO. Mirum: & hoc libenter & solide promittentis: & utitur argumentatione longe reperita. Est autem de usu dictum; Cicero primo libro ad Brutum: *Si Pompejus non ex alto peteres, & multis verbis me jam hortaretur*.

397. TUM QUOQUE. Sicut nunc: & *tunc quoque* bis audiendum. TEUCROS ARMARE FUISSET. Per *Teucros* Aenean debemus accipere: quia Venus ante, *arma rogo*: & subjungendo *Genitrix nato*, per similitudinem significat Aenean. Ergo Poeta aliud dicendo, aliud dedit intelligi. Sane *fuisset*, in proximo repetitum, decorum addidit.

398. NEC PATER OMNIPOTENS. Notandum, quod hic Jovem a fatis separet, cum alibi jungat, ut: *Sic fata Deum rex Sortitur*. Sed hanc imminentiam malorum dilationem Etrusci libri, primo loco a Jove dicunt posse impetrari; postea fatis; unde & hic ait: *Nec Pater omnipotens, nec fata vetabant*. NEC FATA VETABANT STARE. Atqui supra ait, *debita*. Sed sciendum, secundum Aruspicinae libros, & Sacra Acherontia, quae Tages composuisse dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuisse fieri. Ergo non est contrarium; nam fata differuntur tantum, nunquam penitus immutantur: quod etiam Juno dicit, ut: *Atque immota manet fatis Lavinia conjux; At trahere atque moras tantis licet rebus*.

PIERII.

Servii verbis aliquid desideratur: & ut illi etiam suppetias feramus, Nonius Marcellus locum hunc exponens ait: CUNCTANTEM, dubitantem. Quare ita etiam apud Servium legendum crediderim, CUNCTANTEM, *Dubitantem scilicet de promissione*. Deest enim *dubitantem* in Servianis scriptis.

390. ET LABEFACTA PER OSSA CUCURRIT. In plerisque codicibus aotiquis, *calefacta*, legi; sed *labefacta*, Servius agnoscit. Quae phrasis Catulliana est: *Non si illam rarae labefacties munere vestis*.

394. TUM PATER AETERNO FATUR DEVICTUS AMORE. In Rom. cod. & in quibusdam aliis pervetcribus, *devinctus* legitur, quod amoris proprium est, & vinculum in mysticis significationibus amorem denotat: neminem enim facilius ad te

400 Et nunc, si bellare paras, atque haec tibi mens est;
Quidquid in arte mea possum promittere curae,
Quod fieri ferro, liquidoque potest electro,
Quantum ignes animaeque valent; absiste precando
Viribus indubitare tuis. Ea verba locutus
405 Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactae
Curriculo explerant somnum, cum femina primum,

Cui

SERVII.

400. SI BELLARE PARAS. Quia dixerat *In me excidiumque meorum*. Quidam hunc sensum illi jungunt, *Absiste precando Viribus indubitare tuis:* caetera enim per parenthesin dicta sunt.

401. POSSUM PROMITTERE CURAE. Quidquid in me curae est, id est, officii & sollicitudinis.

402. LIQUIDO ELECTRO. Aut liquefacto: aut puro: & secundum Plinium in Naturali historia, sunt tria *electri* genera; unum ex arboribus, quod succinum dicitur; aliud, quod naturaliter invenitur; tertium, quod fit de tribus partibus auri & una argenti: quas partes etiam, si naturale resolvas, invenies manifestas: unde errant, qui dicunt melius esse naturale. *Electri* autem natura probatur veneno, quo recepto & stridorem emittit, & varios ad similitudinem arcus caelestis reddit colores: & ad lumina in convivio clarius auro & argento lucet.

403. ANIMAEQUE VALENT. Fabrica Vulcani duobus constat, ventis, & flatu; hic ergo *animae*, pro spiritu, quo fabriles folles inflari solent, id est, venti, καὶ τῶν ἀνέμων. Horatius: *Impellunt animae lintea Thraciae:* unde & *anima* dicitur, quae, secundum aliquos, ventus, ut: *Atque in ventos vita recessit*.

404. EA VERBA LOCUTUS. Quidam humiliter dictum accipiunt. PRECANDO VIRIBUS INDUBITARE TUIS. Id est, dubitare; nam *in* vacat: & hoc dicit: Precum nimietas postulationis significat dubitationem. Sane *indubitare*, quis ante hunc?

406. CONJUGIS INFUSUS GREMIO. Hoc est, ante concubuit, & sic quievit. Probus vero & Carminius, propter sensum cacephaton, *infusum* legunt, ut sit sensus: Dormiit cum conjuge dormiente, id est, petiit soporem infusum, etiam conjugis e gremio. Alii *infusus* legunt, ut significetur coisse illos, & sic sopitos: & volunt esse emphasin coitus: nam *infusum in gremio soporem* nihil esse dicunt: multi autem cacephaton accipiunt; ne duo epitheta videantur, *placidum & infusum:* alii figurate accipiunt *placidum per membra*, pro eo, quod est placidum membris. ET PER MEMBRA, potest ambiguum videri, Vulcani, an Veneris.

408. CURRICULO. Tempore modo; alias loco; alias officio. Cicero in Oratore, pro loci spatio: *Haec sunt curricula ac spacia multiplicium variorumque verborum*: Et multi sic distinguunt: *Inde, ubi prima quies, medio jam noctis abactae, Curriculo expulerat somnum, cum foemina primum, Cui tolerare colo vitam, tenuique Minerva impositum;* nam, *quies curriculo expulerat somnum cum pene*, nihil est: quid enim est *quies*, nisi *somnus?* aut ut sit aliquid, non est abstemia matrona illa dum surgit, quia festinat maxime: Aut *tolerare colo vitam, tenuique Minerva Impositum:* Et hic distinguitur: quid enim est *impositum cinerem?* cum illud sit pulchrius: cui castitas imposuit lanificio tolerare vitam, ut sequatur, *Cinerem & sopitos suscitat ignes*, ut alibi: *Et sopitas ignibus aras Excitat*.

PIERII.

trahas, & arbitrio colligaris tuo, quam amantem; Poetae vero passim amoris laqueos & retia decantarunt: ut saepe apud Lucretium,

Nam vitare plagas in Amoris ne jaciamur,
Non ita difficile est, quam captum retibus ipsis
Exire, & validos Veneris perrumpere nodos.

395. QUID CAUSAS PETIS EX ALTO? FIDUCIA CESSIT QUO TIBI DIVA MEI. Legitur utroque loco, *quid*, ut repetitio sit, *Quid causas petis ex alto? fiducia cessit quid tibi diva mei;* sed *quo*, adverbium secundo loco magis placet. Illud autem, quod est, *ex alto*, Servius exponit, argumentatione longe repetita. Nonius, *ex vetusto, & antiquo*, interpretatur.

402. QUOD FIERI FERRO LIQUIDOVE POTESTUR ELECTRO. *Potestur* omnino in codd. aliquot antiquis reperitur. Et in aliquot etiam duae ultimae le-

lit-

Cui tolerare colo vitam tenuique Minerva,
410 Inpositum cinerem, & sopitos suscitat ignis,
Noctem addens operi; famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere natos.
Haud secus ignipotens, nec tempore segnior illo
415 Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
Insula Sicanium juxta latus Aeoliamque

SERVII.

409. COLO. Hunc sequimur: nam *hujus coli* dicimus, non ut Statius, *hujus colus*, in VI. Thebaidos: *Extrema jam fila colu datus ordo senectae*. Et in VI. *Nigracque sororum lustratore colus*. TENUIQUE MINERVA. Non filo tenui, id est, subtili artificio; sed parvo pretio lanificii, id est, tenuiter & exiliter victum praebente. Et alii hic distinguunt, & subaudiunt *mos est*, *placet*: ut sit sensus: *Cui tolerare colo vitam*, *tenuique Minerva mos est*, vel *placet*: & sic inferunt: *Impositum cinerem*, *& sopitos suscitat ignes*: ut contra Horatius: *Incedis per ignes suppositos cineri doloso*. Alii sic legunt: *Tenuique Minerva Impositum*: quasi fato datum, hoc est, cui haec est fataliter data necessitas.

411. NOCTEM ADDENS OPERI. Per transitum ostendit noctem esse partem diei.

412. EXERCET PENSO. Fatigat. Terentius: *Primo haec vitam parce, ac duriter agebat, lana & tela victum quaeritans*. Hinc ergo traxit Virgilius ut diceret: *Castum ut servare cubile Conjugis*, id est, ne cogatur propter paupertatem pudorem deserere.

414. IGNIPOTENS. *Vulcanus*, ut diximus, *ignis* est: & dictus *Vulcanus* quasi *Volicanus*, quod per aerem volet: ignis enim e nubibus nascitur: unde etiam Homerus dicit eum de aere praecipitatum in terras, quod omne fulmen de aere cadit: quod quia crebro in Lemnum insulam jacitur, ideo in eam dicitur cecidisse Vulcanus, ubi eum Sinties nutriverint. Claudus autem dicitur, quia per naturam nunquam rectus est ignis. Hoc enim ex Homero tractum est, ubi dicit: Ἤδη γάρ με καὶ ἄλλοτ' ἀλεξέμεναι μεμαῶτα Ῥῖψε ποδὸς τεταγὼν ἀπὸ βηλοῦ θεσπεσίοιο, Πᾶν δ' ἦμαρ φερόμην, ἅμα δ' ἠελίῳ καταδύντι Κάππεσον ἐν Λήμνῳ, ὀλίγος δ' ἔτι θυμὸς ἐνῆεν. Ἔνθα με Σίντιες ἄνδρες ἄφαρ κομίσαντο πεσόντα. NEC TEMPORE SEGNIOR ILLO. Bene comparationis similitudini duo reddidit, festinationem & industriam.

415. AD FABRILIA SURGIT. Dura: & ex contrariis epithetis fecit ornatum, dicens: *Mollibus e stratis surrexit ad opera fabrilia*.

416. INSULA SICANIUM JUXTA LATUS, AEOLIAMQUE ERIGITUR LIPAREM. Physiologia est, cur Vulcanus in his locis officinam habere fingitur inter Aetnam & Liparen: scilicet propter ignem & ventos, quae apta sunt fabris. *Aeoliam* autem *Liparen* ideo: quia una est de illis septem insulis, in quibus Aeolus imperavit.

PIERII.

litterae abrasae sunt. In Romano tamen, & in quibusdam aliis codicibus, ipsa vetustate venerabilibus, *potest*, habetur, quod magis placet, ut duo declinemus evitanda. *Potestur* illud post Lucretiana tempora jam obsoletum, & primam in dictione *electro* correptam, quae natura longa est, ut: *Sudant electra Myricae*, Ἤλεκτρον enim Graece per η vocalem, omnium porro consensu longam, scribitur.

405. PLACIDUMQUE PETIVIT CONJUGIS INFUSUS GREMIO PER MEMBRA SOPOREM. Sunt codices admodum veteres, in quibus, *infusum* legitur, quod non aeque placet.

408. CEU FOEMINA PRIMUM CUI TOLERARE COLO VITAM TENUIQUE MINERVA. Quia sequitur inferius: *Haud secus ignipotens*, crediderunt nonnulli *ceu foemina* legendum; sed enim codices plerique veteres, cum iis, qui apud me sunt, *cum*, non, *ceu*, legunt: spectat enim comparatio ad tempus etiam antelucanum, quod & *Volcanalia* nuncupant: quare addit: *Nec tempore segnior illo*. Sed hoc utcunque placeat, non laboro. Quod vero super, *tenuique Minerva*, tam multa congerantur ab interpretibus, in loci hujus expositionem excogitata, aliter nonnulli codices admodum antiqui legunt, ubi *oalathisque Minervae* habetur; sed enim *tenuique Minerva*, in Romano codice est, in Mediceo, & aliis quibusdam, eamque lectionem agnoscunt Aru. Messus, & Priscianus.

Erigitur Liparen, fumantibus ardua ſaxis:
Quam ſubter ſpecus, & Cyclopum exeſa caminis
Antra Aetnaea tonant, validique incudibus ictus
420 Auditi referunt gemitum, ſtriduntque cavernis
Stricturae Chalybum, & fornacibus ignis anhelat;
Volcani domus, & Volcania nomine tellus.
Hoc tunc ignipotens caelo deſcendit ab alto.
Ferrum exercebant vaſto Cyclopes in antro,
425 Bronteſque, Steropeſque, & nudus membra Pyracmon.
His informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat; toto genitor quae plurima caelo
Dejicit in terras: pars inperfecta manebat.

Tris

SERVII.

418. EXESA CAMINIS. *Exeſa* ad uſum caminorum, qui ſunt Cyclopum: an *caminis exeſa*, pro ignibus exeſa?

419. ANTRA AETNAEA TONANT. Magnitudinem ictuum oſtendit, quibus etiam vicini montes reſultabant: aut certe *Aetnea*, quaſi Aetnae dixit.

420. AUDITI REFERUNT GEMITUS. Et hoc breviter ſignificavit, id eſt, referentes gemitus audiuntur: non enim prius audiuntur, & poſtea referunt gemitus. Poteſt & bis intelligi, audire eos primum, cum eduntur; poſtea, per echo, cum venerunt in eos locos, ex quibus repulſi vocis imaginem referunt.

421. STRICTURAE CHALYBUM. *Strictura*, eſt terra ferri in maſſam coacta. *Chalybes* autem, proprie populi ſunt, apud quos naſcitur ferrum, ut ipſe: *At Chalybes nudi ferrum, viroſaque Pontus Caſtorea:* unde modo *Chalybum* poſuit *ſtricturas*, pro, ferri maſſis.

423. HOC TUNC. Id eſt, huc tunc: & *hoc* pro *huc* poſuit ſecundum antiquum morem: nam ante *hoc*; adverbium loci fuit, quod nunc abolevit: nam crebro in antiquis lectionibus invenitur, ſicut in epiſtolis probat Verrius Flaccus, exemplis, auctoritate, ratione, dicens: *In adverbiis pro u, o plerumque majores ponere conſuetos:* & ſic pro *huc*, *hoc* veteres dicere ſolebant: ſicut pro *illuc*, *illo* dicimus: unde etiam *hoc*, o longum eſſe apparet, ſicut *illo*, quod pro *illuc* ponitur.

424. FERRUM EXERCEBANT. Oeconomia.

425. BRONTESQUE, STEROPESQUE &c. Quid facturi ſint ex nominibus docet: nam *Brontes* a tonitru dictus eſt, ἀπὸ τῆς βροντῆς. *Steropes*, a fulgetra, ἀπὸ τῆς στεροπῆς. *Pyracmon* vero, qui nunquam a calenti incude diſcedit, ἀπὸ τοῦ πυρὸς καὶ τοῦ ἄκμονος; nam πῦρ ignis eſt, ἄκμων incus. NUDUS MEMBRA. Per hunc etiam caeteros nudos fuiſſe ſignificat.

426. INFORMATUM. In quandam formam deſignatum & compoſitum. Dicit autem in fulmine partem non perfectam, partem jam politam fuiſſe. MANIBUS. Deeſt *in*, ut ſit, in manibus.

427. TOTO GENITOR QUAE PLURIMA CAELO. *Toto caelo*, id eſt, ab omni parte caeli: nam dicunt Phyſici, de ſexdecim partibus caeli jaci fulmina. QUAE autem, pro qualia, ut: *Hunc ego te, Euryale, aſpicio*, id eſt, talem. Ergo hoc dicit: Faciebant fulmen in eorum ſimilitudinem, quae Jupiter jacit toto caelo; hoc eſt, diverſis partibus caeli; ſcilicet ſexdecim.

428. DEJICIT. Quibuſdam videtur humiliter dictum: alii *de*, pro valde accipiunt, ſicut dicimus *deame*, pro, *valde ame*.

PIERII.

418. QUAM SUBTER SPECUS. In vetuſtis aliquot exemplaribus; *quam ſubtus*, habetur.

421. STRICTURAE CALYBUM. *Strictura*, inquit Servius, eſt *terra ferri in maſſam coacta*. Nonius Marcellus locum hunc citat, exponitque, *ſtricturae ſunt ſcintillae: a ſtringenda vero acie* vocabulum *ſtricturis* impoſitum ait Plinius libro xxxiiii.

423. HUC TUNC IGNIPOTENS. *Huc* quidem in pleriſque vulgatis codicibus habetur; ſed plerique veteres, *hoc* legunt, quod Servius agnoſcit pro *huc* poſitum. Circumfertur vero Epitaphium, quod extat Cipuae, in quo de more hujuſmodi

ſcri-

Tris imbris torti radios, tris nubis aquosae
430 Addiderant, rutuli tris ignis, & alitis Austri.
Fulgores nunc horrificos, sonitumque, metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque, rotasque volucris
Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbis:
435 Aegidaque horriferam turbatae Palladis arma

Cer-

SERVII.

429. TRES IMBRIS TORTI RADIOS &c. Constricti & coacti in grandinem. Statius: *Sicco quos asper hiatu Praesolidat Boreas*. Et sciendum, hoc eum velle ostendere: toto anno jaci fulmen: nam per has periphrases tempora ostendit anni totius, quae & quatuor esse, & ternos menses habere manifestum est: unde dicit: *Tres imbris torti radios*, hoc est, grandinis, quae abundat per hyemem: TRES NUBIS AQUOSAE, hoc est, veris, quo tempore nimiae sunt pluviae, ut: *Et ruit imbriferum ver*: RUTULI TRES IGNIS, hoc est, aestatis. ET ALITIS AUSTRI, id est, autumni, quo ventorum crebra sunt flamina. Et prudenter his omnibus naturam exprimit fulminis, quod necesse est ut per nubes nascatur & ventos: nam alibi ait: *Fulminis adflavit ventis & contigit igni*. Et bene in materiam fulminis vertit ea, ex quibus fulmen nascitur; nubem, imbrem, ventum: nam ut Physici volunt, cum nubes ventis vehementer agitatae sunt, sic incalescunt, ut accendantur. Sane fulmen triplici praeditum potestate est: est ostentatorium, peremptorium, praesagum: ostentatorium est, quo terror incutitur, ut: *Fulgores nunc horrificos, sonitumque metumque*: at cum dicit: *Flammisque sequacibus iras*, peremptorium docet: praesagi autem sic meminit: *Tertius ille hominum divumque interpres Asylas, Cui pecudum fibrae, caeli cui sydera parent, Et linguae volucrum, & praesagi fulminis ignes*. Nonnulli vero manubias fulminis his numinibus, id est, Jovi, Junoni, Marti, & Austro vento, adserunt attributas, quod hoc loco ostendunt: nam cum dicit: *Tris imbris torti radios*, Jovem significasse intelligitur; cum vero, *Tres nubis aquosae*, Junonem intelligit; cum, *Rutuli tres ignis*, Martem: & sic adjectum *Alitis Austri*, venti. Alii ideo ternorum radiorum volunt mentionem factam, quia fulmen trisulcum est: aut enim afflat, aut incendit, aut dissipat. Et *Imbris torti radios*, pro, tortos radios; *torti* autem, elementis: & hoc verbo frequenter utitur, quotiens vim aliquam vult exprimere, ut: *Torquet aquosam hyemem*: &: *Ante genitor, cum fulmina torques*.

431. FULGORES NUNC HORRIFICOS. Quas fulgetras dicunt. SONITUMQUE METUMQUE. Non quem habeant; sed quem inferant: & per *sonitum*, tonitrua ostendit; per *metum*, fulgetras. Et hunc ordinem sic posuit, ut hominibus videtur: nam revera prior est conlisio nubium, unde ignis emicat: nos autem ideo prius fulgetras videmus, quam tonitrua audimus, quia velocior oculorum, quam aurium sensus est.

432. SEQUACIBUS. Persecutricibus: quoniam rapax natura ignis est: & ordo est: *Irasque flammis sequacibus*.

433. CURRUMQUE ROTASQUE. Nova locutio, *currum & rotas instabant*: nec nos moveat, quod in domo Vulcani Marti currus fabricatur: eo enim absente fabricabatur.

435. AEGIDAQUE HORRIFERAM. *Aegis*, proprie est munimentum pectoris aereum, habens in medio Gorgonis caput: quod munimentum, si in pectore Numinis fuerit, *Aegis* vocatur: si in pectore hominis, sicut in antiquis imperatorum statuis videmus, *lorica* dicitur. TURBATAE. Vel concitatae & iratae, vel pro, *turbantis*: nam timuit homoeoteleuton, & fecit supinam significationem. Alii ad fabulam referunt: quia dicitur in bello Gigantum arma perdidisse turbata; ut quasi ipsa nunc reparet, cujus dicti nullus auctor invenitur idoneus.

PIERII.

scriptum sit: INFERRI HOC NON LICET NISI QUORUM NOMINA SCRIPTA SUNT ET QUIBUS CAVERO.

428. DEJICIT IN TERRAS. Antiqua aliquot exemplaria, *deicit*, unico I legunt. Longe vero plura *dejecit*, pene ultima correpta: eaque dictio praesenti tempore pluribus locis ita scripta, *dejecio*, *dejecis*, non *dejicio*, scribi aliquando solitum ostendit: ac de mutatione quidem litterae I in E, satis superius disputatum. Hoc vero loco No. Marcellus *dejicit*, mittit, interpretatur.

431. FULGORES NUNC TERRIFICOS. In Romano, & omnibus fere aliis veteribus codicibus, *horrificos*, est legere. Et ubi inferius habetur: *Aegidaque hor-*

Certatim ſquamis ſerpentum auroque polibant;
Connexoſque anguis, ipſamque in pectore Divae
Gorgona deſecto vertentem lumina collo.
Tollite cuncta, inquit, coeptoſque auferte labores,
440 Aetnaei Cyclopes; & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro. Nunc viribus uſus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magiſtra.
Praecipitate moras. Nec plura effatus: at illi
Ocius incubuere omnes, pariterque laborem
445 Sortiti. Fluit aes rivis, aurique metallum;
Volnificuſque chalybs vaſta fornace liqueſcit.

In-

SERVII.

436. SQUAMIS SERPENTUM AUROQUE POLIBANT. *Aegida horriferam aureis ſquamis ſerpentum certatim polibant.* Alii volunt, revera de corio ſerpentum dicere eum arma eſſe levigata.

437. CONNEXOSQUE ANGUES. Gorgonis ſcilicet capiti. DESECTO VERTENTEM LUMINA COLLO. Aut ſua lumina circumferentem, & mortis indignatione quaerentem, quorum ſe interitu poſſet ulciſci, aut certe intuentum lumina in ſaxa vertentem: aut horrore ſuo aliorum oculos avertentem; ne cum periculo videretur. Hoc autem caput ideo Minerva fingitur habere in pectore, quod illic eſt omnis prudentia, quae confundit alios, & imperitos ac ſaxeos comprobat. IPSAMQUE IN PECTORE DIVAE. Hoc eſt, quae in pectore ponatur.

438. DESECTO VERTENTEM. Quomodo *vertentem?* id eſt, ſecto collo non ſua lumina vertentem, ſed immutantem eorum faciem, qui hanc vidiſſent: aut *vertentem* dixit *lumina*, adverſa habentem, ut habuit, cum ſecaretur el collum, & quaereret aſpectibus vindicari.

439. TOLLITE CUNCTA, INQUIT. Vile eſt, quod plerique dicunt, propter arma Martis iratum eſſe Vulcanum; praeſertim cum & arma Minervae, & fabricarent fulmina Cyclopes: & Vulcanus dixerit: *Cuncta tollite.* Ergo *tollite*, aut differte eſt, aut celerius terminate. COEPTOSQUE AUFERTE LABORES. Quia dixerat: *His informatum manibus jam parte polita Fulmen erat.*

440. AETNEI CYCLOPES. Ut: *Aetnaeos fratres.*

441. NUNC VIRIBUS USUS. Hoc eſt, nunc eſt veſtrarum virium exercitium, id eſt, tempus eſt exercendae virtutis circa arma viri fortis. Et ſic dictum eſt, ut dicimus, *opus eſt viribus:* & hoc quidam non ad difficultatem operis, ſed ad celeritatem referunt.

442. RAPIDIS. Latis. ARTE MAGISTRA. Ambitioſius quam ſi *magiſtri* diceret: & rem perſonae in artem tranſtulit: ut ſi dicas, *opus eſt peritia medicinae*, non *medici*.

443. PRAECIPITATE MORAS. Praecipitanter, id eſt, feſtinanter abjicite. NEC PLURA EFFATUS. Sicut feſtinantem decebat.

444. OCIUS INCUBUERE. Quam ille praeceperat. PARITER. Pari modo: dicitur, & pro ſimiliter, & pro ſimul.

445. SORTITI. Diviſerant inter ſe laboris officium, ut, *Sortiti remos.*

446. VULNIFICUSQUE CHALYBS. Populum, apud quem naſcitur, pro ferro poſuit. Et LIQUESCIT dixit proprie: nam ferrum non ſemper ſolvitur, ſed molleſcit.

PIERII.

horrificam, iidem omnes, quotquot viderim, codices, *horriferam*, legunt uno conſenſu.

436. POLIBANT. In allquot antiquis, *poleibant:* de qua ſcribendi ratione ſatis ſuperius diſputatum eſt.

438. DESECTO VERTENTEM LUMINA COLLO. Sunt codices, in quibus, *disjecto*, legatur. In aliquibus *disjecto*. In Romano, *dejecto;* ſed *deſecto* magis placet, ut in Mediceo eſt.

439. COEPTOSQUE AUFERTE LABORES. In codicibus aliquot antiquis, *certos*, legitur, hoc eſt, qui quotidiana opera exercentur, qui olim inſtituti, qui vobis praecipue ſoliti: nam alia, quam ſoleant excudere, nunc opera imperaturus eſt. Non tamen diſplicet, *coeptos*, ut codices aliquot etiam manu ſcripti legunt.

443. PRAE-

Ingentem clipeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum: ſeptenosque orbibus orbis
Inpediunt. Alii ventoſis follibus auras
450 Accipiunt redduntque: alii ſtridentia tingunt
Aera lacu. Gemit inpoſitis incudibus antrum.
Illi inter ſeſe multa vi brachia tollunt
In numerum, verſantque tenaci forcipe maſſam.
Haec pater Aeoliis properat dum Lemnius oris,
455 Euandrum ex humili tecto lux ſuſcitat alma,
Et matutini volucrum ſub culmine cantus.
Conſurgit ſenior, tunicaque inducitur artus,
Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.
Tum lateri atque humeris Tegeaeum ſubligat enſem,
460 Demiſſa ab laeva pantherae terga retorquens.

Nec

SERVII.

447. INFORMANT. Deſignant. INGENTEM autem, & magnitudine, & ſoliditate; nam & CLYPEUM dixit, qui magnitudine corpus ſuratur; unde & *clypeus* dictus eſt ἀπὸ τοῦ κλέπτειν: & dicturus eſt, SEPTENOSQUE ORBIBUS ORBES IMPEDIUNT. Id eſt, veluti ſeptem ſcuta in unitatem connectunt.

449. VENTOSIS. Ventos gignentibus: aliter *Ventoſa per aequora vectis*, qui venis turbentur.

450. ACCIPIUNT REDDUNTQUE. Jungendum: uno enim eodemque tempore parte reddunt, parte ventos accipiunt. STRIDENTIA TINGUNT. Tingendo ſtridere faciunt.

451. AERA LACU. Amat *lacum*, pro *aqua* ponere.

452. ILLI. Quidam pro, *alii* accipiunt. IN NUMERUM. In ordinem, ut: *Tunc vero in numerum Faunosque ferasque videres Ludere*.

453. FORCIPE. *Forfices* ſunt, quibus incidimus: *forcipes*, quibus aliquid *forvum* tenemus, quaſi *forvi capes*: nam *forvum* eſt *calidum*: unde & *formoſos* dicimus, quibus calor ſanguinis ex rubore pulchritudinem creat: has tamen *forcipes* in Medicinalibus Graeci ἀκανθοβόλους appellant, quibus ſolent in bello vulneratis ſpicula extrahi.

454. DUM HAEC PROPERAT. Hoc eſt, properanter facit: & eſt honeſta elocutio. AEOLIIS. Nam, ut diximus, Vulcania una eſt de ſeptem Aeoliis, in quibus Aeolus regnavit. LEMNIUS. Quia in Lemnum inſulam, ut diximus, cecidit, a Junone propter deformitatem dejectus; quam aerem conſtat eſſe; ex quo fulmina procreantur. Ideo autem Vulcanus de femore Junonis fingitur natus, quod fulmina de imo aere naſcuntur: quod etiam Lucanus dicit: *Fulminibus terrae propior ſuccenditur aer, Pacem ſumma tenent*.

456. VOLUCRUM SUB CULMINE. Poteſt & generaliter accipi *volucrum* quarumvis, quae matutine ſonant: poteſt & ſpecialiter, ut hirundinum: poteſt & gallorum; quae omnia propter ſermonis humilitatem vitavit.

458. TYRRHENA VINCULA. Tuſca calceamenta. Et dicit crepidas, quas primo habuere Senatores; poſt Equites Romani, nunc milites. Alii calceos ſenatorios volunt: quia hoc genus calceamenti a Tuſcis ſumptum eſt.

459. TEGEAEUM ENSEM. Arcadicum gladium. Totum hoc ex Homero: Ὤρνυτ' ἄρ' ἐξ εὐνῆφιν Ὀδυσσῆος φίλος υἱὸς, Εἵματα ἑσσάμενος, περὶ δὲ ξίφος ὀξὺ θέτ' ὤμῳ, Ποσσὶ δ' ὑπὸ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα.

460. DEMISSA AB LAEVA PANTHERAE TERGA RETORQUENS. A ſiniſtro humero pellem demiſſam habuit, quam retorquens & in dextram revocans partem, ſe amiciebat.

PIERII.

443. PRAECIPITATE MORAS. In aliquot antiquis, *moram*; ſed numero multitudinis magis placet, quod majorem oſtendit feſtinationem.

453. FORCIPE MASSAM. Sunt quidam cod. in quibus, *forfice*, legatur; ſed enim Servius agnoſcit

for-

Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque canes comitantur herilem.
Hospitis Aeneae sedem, & secreta petebat,
Sermonum memor, & promissi muneris heros.
465 Nec minus Aeneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, illi comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Aedibus, & licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior haec:
470 Maxime Teucrorum ductor, quo sospite numquam
Res equidem Trojae victas, aut regna fatebor;
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguae vires. Hinc Tusco claudimur amni,
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.
475 Sed tibi ego ingentis populos opulentaque regnis
Jun-

SERVII.

461. GEMINI CUSTODES. Hoc & in Homero lectum est de Telemacho, Ulyssis filio, οἱ τῷ Β. Βῆ ῥ' ἴμεν εἰς ἀγορήν, παλάμῃ δ' ἔχε χάλκεον ἔγχος Οὐκ οἶος, ἅμα τῷ γε δύω κύνες ἀργοὶ ἕποντο. Et in historia Romana, quae ait: *Syphax inter duas canes stans Scipionem appellavit*.

464. SERMONUM MEMOR. Scilicet promissi auxilii, ut: *Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo*. HEROS. Hoc nomen non tantum praesentis est virtutis; sed & praeteritae; unde est quod Euandrum heroem dicit, cum sit virtutis emeritae: plerumque *heros*, & generis est.

465. MATUTINUS AGEBAT. Rem temporis ad personam transtulit.

467. JUNGUNT DEXTRAS. Sic enim se antiqui salutabant.

468. LICITO TANDEM SERMONE. *Tandem*: quia amborum desiderio nox fecerat moram: vel tandem dato secreto.

470. MAXIME TEUCRORUM. Dicendo *maxime*, subtiliter ostendit, eum Pontificis maximi & scientiam & potestatem habere.

471. NUNQUAM RES EQUIDEM TROJAE VICTAS. Satis mature *equidem* dixit, id est, ego quidem Trojam te vivo victam non arbitror, quantum est in opinione mea.

472. PRO NOMINE TANTO. Pro tui nominis gloria.

474. HINC RUTULUS PREMIT. Hoc est, *Gens eadem, quae te crudeli Daunia bello Insequitur*. ET MURUM CIRCUMSONAT ARMIS. Et brevitatem sui ostendit imperii, & hostilem necessitatem: ob quam se penitus exarmare non poterat. AMNI autem CLAUDIMUR TUSCO, ideo dixit: quia ipse fuit Romani finis imperii. Juvenalis: *Et quae imperii fines Tyberinum virgo natavit*.

475. SED TIBI EGO. Artificiose agit, ut etiam, quae monstrantur auxilia, ipsius esse videantur. INGENTES autem POPULOS, non sine caussa dixit: nam Tuscia duodecim Lucumones habuit, id est, reges, quibus unus praeerat, unde est: *Gens illi triplex, populi sub gente quaterni*.

PIERII.

forcipe, & utriusque diversum ostendit usum. Carisius, *forcipe*, loco hoc positum a Virgilio tradit: quamvis de *forfice* cum Servio non sentiat. Quod vero exemplaria, *massam*, habent, in Carisii codicibus ejus loco, *ferrum*, legitur.

460. DEMISSA AB LEVA. Antiqui aliquot codices, *a levo* legunt, ut subintelligatur, *humero*; sed *ab leva*, scilicet *parte*, vel *manu*, magis recepta lectio.

474. HINC RUTULUS PREMIT, ET MURUM CIRCUMSONAT ARMIS. In codicibus aliquot antiquis, *circumsonat arcens*, legitur. In aliquot aliis, *Arruns*: ut non unus

ne

Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat. Fatis huc te poscentibus adfers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto
Urbis Agyllinae sedes: ubi Lydia quondam
480 Gens, bello praeclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos rex deinde superbo
Imperio & saevis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas caedes; quid facta tyranni
Effera? DI capiti ipsius, generique reservent.
485 Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
Tormenti genus; & sanie taboque fluentis
Complexu in misero longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives infanda furentem

SERVII.

476. QUAM FORS INOPINA. Hoc beneficium casus praestat, qui efficit, ut eo tempore quaeras auxilium, quo Tyrrheni ducem requirunt.

477. FATIS HUC TE POSCENTIBUS ADFERS. Perge illuc, poscentibus fatis; nam talis est sensus. Si legeris ADFERT, similiter jungit fortunam fato, ut supra, ubi ait: *Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum*. Si autem legeris ADFERS: sensus erit talis: Fati necessitate factum est, ut venires; fortunae beneficium, ut illi ducem requirant. Legimus ergo & *adfert*, & *adfers*.

478. HAUD PROCUL HINC. Ut ire ei facile persuadeat. SAXO COLITUR FUNDATA VETUSTO. Antiquo opere, ut: *Templa Dei saxo venerabar structa vetusto*.

479. URBIS AGYLLINAE SEDES. Quae nunc Caere dicitur. LYDIA QUONDAM GENS. *Quondam insedit*, non, *quondam bello praeclara*: nam etiam nunc florebat. Sane etiam supra diximus, Moeoniam provinciam esse, cujus dum brevitas duos fratres Lydum & Tyrrhenum ferre non posset, ex sorte Tyrrhenus cum ingenti multitudine profectus, partem Italiae tenuit, & Tyrrheniam nominavit. Hi diu piraticam exercuerunt, ut etiam Cicero in Hortensio docet, cum captivos novis poenis adfligerent, occisurum eos religantes cadaveribus: quod Virgilius dat Mezentio, sciens lectum esse de gente Tyrrhenorum. Sane illo tempore *Tyrrheni* dicti sunt: post *Tusci*, ἀπὸ τοῦ θύειν. *Lydi* autem a *Lydo*, regis fratre, qui in provincia remanserat: & Lydia, provincia, positivum; Lydia, gens, derivatum pro, Lydica. Sane hanc *Agyllinam* quidam a Pelasgo conditam dicunt; alii a Telegono; alii a Tyrrheno, Telesi filio. *Insedit* autem, secundum Sallustium: *Montem sacrum atque Aventinum insedit*.

482. SEVIS TENUIT MEZENTIUS ARMIS. Unde illi magis indigni injuriis, quorum persona laudata: & hoc positum est, ut ostendatur, an utile illis sit, jungi Aeneae.

483. QUID MEMOREM INFANDAS CAEDES. Figura oratoria, quae Paraleipsis vocatur. Cicero: *Nam illa nimis antiqua praetereo*.

484. EFFERA. Cruenta. DII CAPITI IPSIUS. Ut est: *Quod dii prius omen in ipsum Convertant*. Quando enim volumus exprimere indignitatem rei, quasi commoti avertimus orationem, ut: *Dii talia Graiis*.

485. MORTUA QUINETIAM. Quod supradictum est: quod Cicero etiam in Hortensio de Tuscis dixit.

487. TORMENTI GENUS. Exclamatio est inventi supplicii, & detestatio. SANIE TABOQUE. *Sanies*, mortui est: *tabo*, viventis scilicet sanguis.

489. AT FESSI. Cum essent fessi, tandem circumsistunt.

PIERII.

nominetur hostis ad majorem timoris exaggerationem, seque honestius excuset, quod modico cum auxilio juvet. Mihi autem *armis*, ut in codicibus emendatioribus habetur, nequaquam displicet.

487. TABOQUE FLUENTES. In antiquo codice, *fluenti*, quippe *tabo*, legitur.

490 Armati circumſiſtunt ipſumque domumque:
Obtruncant ſocios, ignem ad faſtigia jactant.
Ille inter caedes Rutulorum elabſus in agros
Confugere, & Turni defendier hoſpitis armis.
Ergo omnis furiis ſurrexit Etruria juſtis:
495 Regem ad ſupplicium praeſenti Marte repoſcunt.
His ego te, Aenea, ductorem millibus addam.
Toto namque fremunt condenſae litore puppes,
Signaque ferre jubent: retinet longaevus haruſpex
Fata canens: O Maeoniae delecta juventus,
500 Flos veterum virtusque virum, quos juſtus in hoſtem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira;
Nulli fas Italo tantam ſubjungere gentem:
Externos optate duces. Tum Etruſca reſedit
Hoc acies campo, monitis exterrita Divom.
505 Ipſe oratores ad me, regnique coronam
Cum ſceptro miſit, mandatque inſignia Tarchon,

Suc-

SERVII.

493. CONFUGERE. Confugiebat: & ut diximus, hiſtoricus ſtilus eſt. DEFENDIER. Defendi, id eſt, defendebatur. Et vertit hiſtoriam; nam, ut diximus, Turnus magis confugit ad Mezentium.

495. AD SUPPLICIUM. Bene, non ad bellum. PRAESENTI MARTE REPOSCUNT. Sine aliqua dilatione.

496. HIS EGO TE AENEA DUCTOREM. Quaſi grande incrementum. AODAM. Aut dabo; aut re vera addam habentibus Tarchontem. TOTO NAMQUE FREMUNT. Vel praeterita narrat; vel conjectura eſt, utrum velint qui ceſſant.

498. LONGAEVUS ARUSPEX. Argumento aetatis vult doctum videri. Quibusdam ſane diſplicet, quod aruſpicis nomen non addiderit, cujus aetatem auctoritatemque deſignat.

500. FLOS VETERUM. Ennianum.

503. EXTERNOS OPTATE DUCES. Votis ſcilicet: vel certe EXSPECTATE, legite.

504. HOC ACIES CAMPO. Quaſi jam in bellum parati. SUBJUNGERE. Conjungendo ſubjungere.

505. REGNIQUE CORONAM. Inſigne; non revera *coronam*, quam Tuſci reges nunquam habuerunt. Ergo ſpecies eſt pro genere.

506. MANDATQUE INSIGNIA. Aut mittit inſignia, id eſt, omnia ornamenta regalia, aut re verba ipſe Tarchon oratores ad me miſit, coronamque cum ſceptro regni. MANDATQUE INSIGNIA, id eſt, magna, ut: *Caſtris ſuccedam, Tyrrhenaque regna capeſſam*. Alii, *inſignia*, pro faſcibus, qui ad Romanos a Tuſcis translati ſunt; aliud eſt enim *inſigne*, ſingulari numero; aliud *inſignia*, in quibus veſtis, & ſella regia accipi poteſt: vel *mandat*, trahit, ut dicimus, *mandari magiſtratum*. Salluſtius: *Ad conſulatum mandandum M. Tullio Ciceroni*.

PIERII.

492. ILLE INTER CAEDES RUTULORUM. In Vaticanis omnibus codicibus, *cedaem*, unitatis numero legitur: non ita in plerisque aliis.

502. NULLI FAS ITALO. In antiquis aliquot codicibus, mutato numero legitur, *Fas Italo nullis*; ſed principium a ſpondeo, verſum omnino graviorem reddit.

506. MANDATQUE INSIGNIA TARCON. In antiquo codice, *Tarcho*. Alibi vero ex C. Julii Romani & quorundam aliorum ſententia, nullum nomen Latinum, *on* litteris finiri monuimus. Quamvis Plinius nomina quaedam dicit proprios gentis ſuae vultus

ſur-

Succedam caſtris, Tyrrhenaque regna capeſſam.
Sed mihi tarda gelu ſaecliſque effoeta ſenectus
Invidet imperium, ſeraeque ad fortia vires.
510 Natum exhortarer, ni mixtus matre Sabella
Hinc partem patriae traheret. Tu, cujus & annis
Et generi fata indulgent, quem numina poſcunt,
Ingredere, o Teucrum atque Italum fortiſſime ductor.
Hunc tibi praeterea, ſpes & ſolatia noſtri,
515 Pallanta adjungam. Sub te tolerare magiſtro
Militiam, & grave Martis opus, tua cernere facta
Adſueſcat, primis & te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis
Lecta dabo; totidemque ſuo tibi nomine Pallas.

Vix

SERVII.

508. SED MIHI TARDA GELU. Occurrit tacitis quaeſtionibus, dicens ſe non iſſe propter ſenilem aetatem; filium vero propter mixtum genus per originem matris: unde Aeneam dicit ire debere, cui & aetas & origo regna concedunt. SECLISQUE EFFOETA SENECTUS. Notandum dicta *ſecula*, etiam in uno homine, ſecundum eos, qui dicunt *ſeculum* triginta annos habere: nam alii volunt centum & decem: alii mille annis putant *ſeculum* contineri.

509. INVIDET IMPERIUM. Bona elocutio, ut: *Liber Pampineas invidit collibus umbras*.

510. MIXTUS MATRE SABELLA. Pro, duplici genere natus.

511. PARTEM PATRIAE TRAHERET. Sic dixit *traheret*, quomodo dicitur *originem ducere*. ET ANNIS. Ad ſe retulit.

512. GENERI FATUM INDULGET. Ad Pallanta retulit. QUEM NUMINA POSCUNT. Ut: *Externos optate duces*.

513. ITALUM FORTISSIME DUCTOR. E'υνυμβάλως jam ductorem Italiae vocat Aeneam.

514. SPES, ET SOLATIA. *Spes*, quia multa ſibi de ejus virtute promittebat pater: *Solatia*, quia amiſſa conjuge, unici filii utebatur ſolatio. Eſt autem ſolatium, praeſentis diminutio triſtitiae.

515. TOLERARE. Quaſi rem aſperam & difficilem. Et per hoc ſignificat nondum eum ſufficere, ut intelligatur quid nolit: nam & paternam ſollicitudinem ſervat, & heroicam virtutem: & ideo non vult ſimpliciter dicere, nondum debere puerum pugnare; ſed verecunde: *Sub te tolerare magiſtro*.

517. MIRETUR. Imitetur. Lucanus: *Miratoremque Catonis*, id eſt, imitatorem: optima enim ingenia neceſſe eſt, ut ea, quae mirantur, imitentur.

519. SUO NOMINE. Bene in omnibus filii gratiam facit: maluit enim munus ſuum cum perſona ejus dividere, quam ſuo nomine totum dare: namque dicit: Dat tibi Pallas milites ducentos ſuo nomine; ipſe vero a me accipies ducentos.

PIERII.

formamque apud nos etiam cuſtodire. De nominibus autem hujuſmodi Fab. Quintilianus ait, ut *Palaemo*, *Thelamo*, & *Plato* (nam ſic eum Cicero quoque appellat) diceretur, retinuerunt: quia Latini, quod O & N litteris finiretur, non reperiebant.

512. ET GENERI FATUM INDULGET. In Mediceo codice, plurali numero, *fata indulgent*, ſcriptum eſt.

515. HUNC TIBI PRAETEREA. In aliquot antiquis, legere eſt, *nunc tibi*; ſed pronomen illud indicativum longe plus ponderis & energiae habere videtur, dicendo *hunc Pallanta*: nam & in pronomine ipſo, & in proprio nomine emphaſis eſt.

517. PRIMIS ET MIRETUR AB ANNIS. Sunt codices antiqui, in quibus legere eſt, *te imitetur*, abſque ſynalepha; ſed omnino *miretur* magis placet: quia plus eſt *mirari*, in quo rei, quam vix te aſſequi poſſe ſperes, magnitudo oſtentatur. ARCADES HUIC EQUITES. In antiquis, & emendatis codicibus, *Arcadas*, per AS, ſcriptum eſt, metro ita ſuadente: nam accuſativus pluralis in ES Latinus eſſet, & non niſi producta ultima poneretur.

518. ROBORA PUBIS LECTA DABO. Antiqui ali-

520 Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant
Aeneas Anchisiades & fidus Achates,
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum caelo Cytherea dedisset aperto.
Namque inproviso vibratus ab aethere fulgor
525 Cum sonitu venit, & ruere omnia visa repente,
Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor.
Suspiciunt: iterum atque iterum fragor intonat ingens.
Ar-

SERVII.

520. Defixique ora tenebant. Aut tacebant, ut: *Tenuitque inhians tria Cerberus ora:* aut stupebant.

522. Tristi cum corde. Propter brevitatem auxiliorum. Putabant. Figura per tempora: *putabant*, quasi putassent, nisi signum dedisset: aut certe *putabant*, cogitabant: unde & arbores *putari* dicuntur, quia diu deliberatur, quid eis adimi debeat, quid relinqui: *Putare*, est & discernere, & in partes redigere; inde *disputare*.

523. Caelo aperto. Sereno, ut: *Et aperta serena Prospicere:* in eo est enim quid aperti.

524. Improviso. Nullum enim indicium praecesserat nubium. Vibratus. Proprium telorum ad fulgura transtulit. Fulgor. id est, fulgetra. Et tria genera *fulgoris* esse dicuntur; unum *Consiliarium*, ubi quid cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur; alterum *auctoritatis*, quod evenit re gesta, quod probet; tertium *finitum* est, ubi nec novi quidquam gessimus nec cogitamus; sed quietis nostris rebus fruimur: sed duo haec, quae sequuntur, ad locum hunc non pertinent. Primum sane apte videtur adnecti, ubi quid cogitantibus nobis accidit, quod vetat aut hortatur, quod *consiliarium* dicitur: nam & hic modo Aeneas de brevitate auxilii cogitat; quia ait: *Multaque dura suo tristi cum corde putabant:* & sic fulgur factum est, quod eum hortetur, ne de bellicis subsidiis desperet.

525. Cum sonitu. Tonitrus scilicet. Et, ut diximus supra, ordinem tenuit, qui nobis apparet, ut fulgetras dicat priores, cum sint ante tonitrua. Ruere omnia. Sic enim sonat, ut videatur ruina: alibi: *Caelique ruina*. Bene autem temperavit dicens, Visa, id est, ad opinionem animi.

526. Tyrrhenusque tubae mugire per aethera clangor. *Tyrrhenum clangorem* dixit *tubae* ideo; quia apud Tuscos tubam constat inventam. Ergo *Tyrrhenus clangor tubae*, sonus Tyrrhenarum tubarum. Et bene congruis ominibus arma nuntiantur, per sonum tubarum. Et figurate per epitheti immutationem Tyrrhenae tubae: Varro de Seculis *auditum sonum tubae de caelo* dicit. Videtur autem hic opportune *Tyrrhenae tubae* facta mentio, ut jam Tyrrhenorum castra vocare videatur Aeneas.

527. Fragor intonat ingens. *Fragor* est, proprie armorum sonus: quod autem dicit *Intonat*, illud spectat: *Fulminat Aeneas armis:* quae vult fragore tonitrua, splendore fulgetram imitari. Non autem mirum est, a Venere adlatis armis inesse fulgorem: nam & Homerus dicit a Thetide oblata arma habere motum quendam & spiritum: quae duo in aqua esse manifestum est. Thetidem autem novimus Nympham esse. Homerus autem sic; Ὣς ἄρα φωνήσασα θεὰ κατὰ τεύχεα θῆκε Πρόσθεν Ἀχιλλῆος, τὰ δ' ἀνέβραχε δαίδαλα πάντα, Μυρμιδόνας δ' ἄρα πάντας ἕλε τρόμος, οὐδέ τις ἔτλη Ἄντην εἰσιδέειν, ἀλλ' ἔτρεσαν. αὐτὰρ Ἀχιλλεὺς Εἶδ' ὡς μιν μᾶλλον ἔδυ χόλος.

PIERII.

aliquot codices, *corpora pubis*, legunt; sed omnino longe melius est, *robora*.

519. Totidemque suo tibi nomine Pallas. In codicibus aliquot antiquis legere est, *suo tibi munere Pallas;* sed enim Servius *nomine* agnoscit.

520. Defixique ora tenebant. Vetusta quaedam exemplaria legunt, *intentique;* sed enim, *defixi*, magis placet, quod prae se fert etiam stuporem quendam.

527. Fragor intonat ingens. Antiqui plerique codices, Vaticanique omnino, cum Mediceo, & Porcio, *increpat*, legunt: quamvis, *intonat*, ea ratione Servio placet, quod alibi dictum a Poeta: *Fulminat Aeneas armis*. Quod vero paulo post sequitur, *pulsa tonare*, in antiquis aliquot, *sonare*, legere est. Sunt etiam vetusti admodum codices, in quibus, *fragor intonat aures*, legatur; sed hoc aliorum judicio relinquemus.

Arma inter nubem caeli in regione ſerena
Per ſudum rutilare vident, & pulſa tonare.
530 Obſtupuere animis alii; ſed Troius heros
Adgnovit ſonitum, & Divae promiſſa parentis.
Tum memorat: Ne vero, hoſpes, ne quaere profecto,
Quem caſum portenta ferant: ego poſcor Olympo.
Hoc ſignum cecinit miſſurum Diva creatrix,
535 Si bellum ingrueret; Volcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu, quantae miſeris caedes Laurentibus inſtant!
Quas poenas mihi, Turne, dabis! quam multa ſub undas
Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volves,
540 Thybri pater! poſcant acies, & foedera rumpant.
Haec ubi dicta dedit, ſolio ſe tollit ab alto;
Et primum Herculeis ſopitas ignibus aras

Ex-

SERVII.

528. INTER NUBEM. Per nubem, more ſuo. Et dicit in ſerena parte caeli fuiſſe nubem, per quam arma portata ſunt.

529. PER SUDUM. *Sudum*, eſt quaſi ſubudum, ſerenum poſt pluvias, ut: *Ver mactae ſudum*. Alii *ſudum*, ſemiudum volunt dici, cum per nubes ad nos perveniat Solis ictus non integer. PULSA TONARE. Recte arma, quae hiſdem ignibus, quibus fulmina, facta ſunt, ait tonare pulſa: & hic magis proprie, quam Homerus: ille enim ſpirare ait & moveri; hic vero armis Aeneae caeleſtem ſonitum dedit, unde veniebant.

531. AGNOVIT SONITUM. Hoc eſt, quid ſonitus ſignificaret. DIVAE PROMISSA PARENTIS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Venerem ei promiſiſſe.

532. HOSPES. Et qui ſuſcipit, & qui ſuſcipitur, *hoſpes* vocatur, ut hoc loco Euander. Item ſupra: *Hoſpitis Aeneae ſedem*: ſicut & *vector*, qui vehit, & qui vehitur: & *alumnus*, qui alit, & qui alitur. NE QUAERE PROFECTO. Hic *profecto*, vetuſte pro expletiva conjunctione poſitum. Ambae particulae ad ornatum pertinent tantum.

533. PORTENTA. Modo bona omina. EGO POSCOR OLYMPO. Aut de Olympo poſcor, id eſt, haec ſigna mei cauſſa fiunt: aut certe in Olympum poſcor, dempta praepoſitione, ut: *It clamor caelo*. Alii in *Olympo poſcor*. Alii *Olympo* ſequentibus jungunt.

534. DIVA CREATRIX. Rerum omnium generaliter.

537. HEU. Adeo de victoria fretus eſt, ut etiam hoſtium miſereatur: quod Aeneae κατὰ τὸ πρέπον recte tribuitur, qui pius ubique inducitur: & hinc naſcitur ille ſenſus: *Non haec o Palla dederas promiſſa parenti*. Item Aeneas: *Hi noſtri reditus, expectatique triumphi, Haec mea magna fides!*

540. POSCANT ACIES. Quaſi eant nunc, & flagitent bellum. FOEDERA RUMPANT. Quae ſe facturum Latinus promiſerat; non enim erant facta: aut certe *foedera*, quod in ſeptimo legati cum muneribus miſſi.

542. HERCULEIS SOPITAS IGNIBUS ARAS. Hypallage eſt, id eſt, ſuſcitabat aras Herculeas, in quibus erant ignes ſopiti.

PIERII.

531. AGNOVIT SONITUM ET DIVAE. In Romano codice, non habetur &, ut per appoſitionem legas, *divae promiſſa parentis*. Eruditis tamen auribus vulgata lectio, *ſonitum & divae*, magis adblanditur.

532. NE VERO HOSPES NE QUAERE PROFECTO. In codicibus aliquot antiquis, legere eſt, *ne quaere hoſpes, ne quaere profecto*. Utraque lectio & venuſta eſt, & a Virgiliana phraſi non aliena.

537. QUAM MULTA SUB UNDAS SCUTA VIRUM GALEASQUE ET FORTIA CORPORA VOLVES. In Romano

Excitat, hesternumque Larem, parvosque Penatis
Laetus adit, mactant lectas de more bidentis,
545 Euandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad navis graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Praestantis virtute legit: pars cetera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
550 Nuntia ventura Ascanio rerumque patrisque.
Dantur equi Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt exsortem Aeneae; quem fulva leonis

Pel-

SERVII.

543. HESTERNUMQUE LAREM. Cui pridie sacrificaverat, & est iteratio: nam male quidam EXTERNUM legunt, id est, extraneum.

544. MACTAT LECTAS. De more lectas, an de more mactat?

545. EUANDRUS. Pro, *Euander*, sed vitavit *ὁμοιοτέλευτον* sequentis verbi.

546. POST HINC AD NAVES GRADITUR. Unum vacat, aut POST, aut HINC, ut: *Post hinc digrediens jubet frondentia capris Arbuta:* tale est illud: *Primus ibi ante omnes.*

547. QUI SESE IN BELLA SEQUANTUR. In expeditionem & bellicam praeparationem: nam, ut supra diximus, *bellum*, est tempus omne, quo vel praeparatur aliquid pugnae necessarium; vel quo pugna geritur. *Praelium* autem dicitur conflictus ipse bellorum: unde modo bene dixit: *Qui sese in bella sequantur;* non in praelium: nam ad auxilia petenda vadit, non ad pugnam. Quanquam, etiam si sic diceret, qui se in praelium sequantur, non valde abs re esse videbatur: hi enim equites, cum a Tarchonte accepisset Aeneas auxilia, cum aliis Hetruscis equitibus per terram missi, obvios statim habuere bellantes: & quasi jam hinc recta pergere videntur in praelium: unde etiam a Cymodocea naviganti Aeneae dicitur: *Jam loca jussa tenet forti permixtus Hetrusco Arcas eques.*

549. SEGNIS. Sine remigio, id est, cessans, nihil administrans. Et respexit ad descendentes, de quibus ait: *Remigio noctemque diemque fatigant.* Licet fuerit lenissimus fluvius. Epitheton ergo ad tempus, non enim ignavos dixit: aut *segnis* certe, quia meliores elegerat. DEFLUIT. Defertur.

550. RERUM. Quas gesserat. PATRIS. Ubi esset.

552. EXSORTEM AENEAE. Per id, quod non est factum, quod factum est indicatur. Per *exsortem* autem optimum & praecipuum significat. *Exsortem* autem, ut *exlegem:* & multi hoc loco reprehendunt Virgilium, qui, cum Aeneam ubique Pontificem ostendat; & Pontificibus non liceat equo vehi, sed curru, sicut in septimo a Latino ei currum missum dicit, cur equo eum usum faciat? dicens: *Ducunt exsortem Aeneae, quem fulva leonis Pellis obit totum praefulgens unguibus aureis.* Et: *Jamque adeo exierat portis equitatus apertis Aeneas inter primos:* cujus rei haec redditur ratio: Aeneam non tantum Pontificii Juris, sed omnium sacrorum & peritum & primum fuisse: Virgilium autem inventa occasione ritum Romanarum ceremoniarum exponere: more etenim veteri sacrorum, neque Martialis, neque Quirinalis Flamen, omnibus ceremoniis tenebantur, quibus Flamen Dialis, neque diurnis sacrificiis distinebantur, & abesse eis a finibus Italiae licebat: neque semper praetextam, neque apicem, nisi tempore sacrificii, gestare soliti erant: ergo si ire eis in provinciam licebat, & equo sine religione vehi licuit: quod hic ostendit, velut in Provinciam misso Aeneae equum datum: nam Euander hoc ait: *Sed tibi ego ingentes populos opulentaque regnis Jungere castra paro.* Deinde infra de potestate obtinendae provinciae subtexuit: *Ipse oratores ad me regnique coronam Cum sceptro misit.* Tum excusatione interposita hortatur Aeneam, ut Etruscis, regem & ducem desiderantibus, praesit, ait enim: *Tu, cujus & annis, Et generi fatum indulget.* Incedere ergo & equo merito uti potuit, si ei ire in provinciam fas erat. Sciendum tamen, Poetam contentum esse diversum Jus Pontificale, dum aliud narrat, attingere.

PIERII.

mano codice, legere est, *sub unda*, quod non displicet: in loco enim volvenda sunt. Sed, *sub undas*, ad locum, omnino vehementius est.

542. HE-

Pellis obit totum, praefulgens unguibus aureis.
Fama volat parvam ſubito volgata per urbem,
555 Ocius ire equites Tyrrheni ad limina regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.
Tum pater Euandrus dextram complexus euntis
Haeret, inexpletum lacrimans, ac talia fatur:
560 O mihi praeteritos referat ſi Juppiter annos!

Qua-

SERVII.

553. PELLIS OBIT TOTUM. Pellis oſtenditur magnitudo in eo, quod dicit *totum obit*, id eſt, circumdat. UNGUIBUS AUREIS. Aut quia ungues ipſi, cum aruerint, auri imitantur colorem: aut quia ſolebant deaurari. Statius: *Auro manſueverat ungues*.

555. OCIUS. Poſitivus antiquus eſt, id eſt, celeriter; nec enim poteſt eſſe comparativus, ubi nulla eſt comparatio: tractum autem ex Graeco *ὠκέως*. Aut comparativus pro poſitivo ponitur.

556. VOTA METU DUPLICANT MATRES. Bene *metu duplicant*, nam ineſt ſemper in matribus votum. PROPIUSQUE PERICLO IT TIMOR. *Periclo*, id eſt, ad periculum vicinus: aut certe, *It timor propius periclo: propius*, pro, propior; nam matres, quod timent, hoc putant liberis poſſe contingere. Aut certe aequatur periculo timor, & per dativum extulit, ut: *Propius ſtabulis armenta tenerent*: aut poetice dixit timorem periculo comitem.

557. JAM APPARET. Adhuc illis pergentibus jam praelium cogitabatur a matribus: ergo ut ſolet, *imaginem*, τὴν φαντασίαν, ut eſt: *Et plurima mortis imago*: hanc Salluſtius *ſpeciem* dicit, ſicut ipſe dicit: *Speciem captae urbis efficere diſcedentes*.

558. PATER EUANDRUS. Cum dicit *pater*, oſtendit cujus. DEXTRAM COMPLEXUS EUNTIS. Filii ſcilicet: quia dixerat *pater*.

559. HAERET INEXPLETUM. Multi hic diſtinguunt, ut ſit: *Inexpletus haeſit*, & talia locutus eſt lachrymans. Alii legunt *inexpletus lacbrymis*. Honeſtius tamen eſt, *inexpletum lacbrymans*, ut ſit nomen pro adverbio, id eſt, inexplebiliter.

560. O MIHI PRAETERITOS REFERAT SI JUPPITER ANNOS. Et *o*, & *ſi*, optantis ſunt: id eſt, utinam: quae nunc junguntur; nam ſingula ante ponebantur, ut: *Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus*. Ergo unum vacat, quantum ad antiquitatem: & notandum, votum de praeterito fieri.

PIERII.

542. HERCULEAS SOPITIS IGNIBUS ARAS EXCITAT. In antiquis plerisque codicibus, *ſuſcitat*, legitur, non inepte, quam lectionem agnoſcit Servius.

543. HESTERNUMQUE LAREM. Placet Servio, *heſternum*, cui pridie ſacrificaverat, improbatque *externum*: quod tamen & in Romano codice, & quibusdam aliis pervetuſtis codicibus invenitur. Sunt, qui *parvos penates*, *externos*, intelligant: quum ſolitus ſit Poeta Aeneae Penates magnos deos appellare, ut eo loco: *Feror exſul in altum Cum ſociis, gnatoque, penatibus & magnis Dis*: & per *magnos penates* jurat Aſcanius in nono. Dixerat tamen Euandrus: *Communemque vocate Deum*. De quo plura Macrobius.

545. EUANDER PARITER, PARITER TROJANA JUVENTUS. In antiquis plerisque codicibus, *Euandrus*, per terminationem *us* ſcriptum eſt, quod hoc loco perplacet: quia ſic ὁμοιοτέλευτον evitatur, quae tribus continuis dictionibus habetur in *er*, ſi *Euander*, etiam legeretur. Quid vero veteres de nominibus hujusmodi tradiderint, alibi recitatum eſt.

555. OCYUS IRE EQUITES TYRRHENI AD LITTORA REGIS. Antiqui aliquot codices, *ad limina*, habent; ſed *littora* peritioribus placet; nam inde navibus in caſtra provecti ſunt. Id etiam obſervandum, quod Servius ait: OCYUS, *poſitivus antiquus eſt, id eſt, celeriter: nec enim poteſt eſſe comparativus, ubi nulla eſt comparatio*. At quo modo poſitivus, cujus maſculinum *ocyor* ſit, ut: *fulminis ocyor alis*. Quare dicendum potius comparativum eſſe pro poſitivo, ita tamen, ut inſolitum quiddam ſignificet. Ita ibi: *Adloquitur Venus triſtior*, quam ſcilicet ſolita ſit.

558. IT TIMOR ET MAJOR MARTIS JAM APPARET IMAGO. In Rom. codice, & *timor* & *major*. Sed id forte ſolito more. Sunt etiam vetuſti codices, in quibus absque particula *jam* ita legitur: *major Martis apparet imago*. Noſtrae tamen aetatis ingeniis, *jam*, illud interpoſitum magis adridet, quod neſcio quid addat carminis majeſtati.

559. HAERET INEXPLETUM LACRIMANS. Non placet, quod in quibusdam codd. antiq. *inexpletus*,

legi-

Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa
Stravi, scutorumque incendi victor acervos;
Et regem hac Herilum dextra sub Tartara misi:
Nascenti cui tris animas Feronia mater
565 (Horrendum dictu) dederat, terna arma movenda;
Ter leto sternendus erat: cui tunc tamen omnis
Abstulit haec animas dextra, & totidem exuit armis.
Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimo Mezentius usquam

Huic

SERVII.

561. QUALIS ERAM, CUM PRIMAM ACIEM. Aut ut sim talis, qualis tunc eram, quando ista perfeci: aut certe laudantis est: *Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi*. Et bonum principium parentis, qui filium ad bella mittens cohortetur: ab aetate enim juvenum coepit, cui facile esse debet hostem prosternere; simul & filium paternis exemplis admonuit, ut: *Et pater Aeneas & avunculus excitat Hector*. PRAENESTE SUB IPSA. In septimo, neutro genere dixit: *Quique altum Praeneste viri*.

562. SCUTORUMQUE INCENDI VICTOR ACERVOS. Hoc traxit de historia. Tarquinius enim Priscus, victis Sabinis, in honorem Vulcani, eorum arma succendit: quem postea secuti sunt caeteri. VICTOR. Euandrum, in Italiam venientem, Herilus, rex Praenestinus, auxilio suorum civium voluit expellere: quos vicit Euander; & Herilum interfecit; & interfectorum clypeos combussit.

564. CUI TRES ANIMAS. Per transitum ostendit illam Platonis & Aristotelis contentionem, qui dubitant, utrum quatuor, an tres animae sint in homine, *ϛυτικη*, *αἰσθητική*, *νοητική*, remota *κινητικῆ*. Hoc autem loco per *tres animas* magnum & perfectum indicat virum; nam quantum ad fabulam pertinet, tres animas propter tria habuit corpora. Attendendum sane, hoc sibi Euandrum vindicare, quod fuit in Hercule; nam ut ille Heryonem extinxit, ita hic Herylum occidit; inde est, quod paulo post ait: *Neque finitimo Mezentius unquam Huic capiti insultans*. Herculis enim mos fuit, ut etiam non rogatus laborantibus subveniret. Tunc enim, sicut & Varro dicit, *Omnes, qui fecerant fortiter, Hercules vocabantur*. Licet eos primo XLIIII. enumeraverit. Hinc est, quod legimus Herculem Tirynthium, Argivum, Thebanum, Libyum. FERONIA MATER. Nympha Campaniae, quam etiam supra diximus. Haec etiam libertorum dea est, in cujus templo raso capite pileum accipiebant. Cujus rei etiam Plautus in Amphitryone facit mentionem: *Quod utinam ille faxit Juppiter, ut ego hodie raso capite calvus capiam pileum*. In hujus templo, Tarracinae, sedile lapideum fuit, in quo hic versus incisus erat: *Benemeriti servi sedeant, surgant liberi*. Quam Varro libertorum deam dicit Feroniam, quasi Fidoniam.

565. HORRENDUM DICTU. Dictum est per Poetam his, quibus fides difficiliorem interponit adfectum, ut alibi: *Horresco referens*: &: *Horrendum dictu, latices nigrescere sacros*: & hoc facit, ut probabilitas credendi nascatur. TERNA ARMA MOVENDA. Figura poetica, nam *trina* debuit dicere: *arma* enim numeri sunt tantum pluralis: non enim dicimus, *tria arma*. *Movenda* autem, vel contra ipsum, vel ab ipso.

569. FINITIMO. Aut in finitimo: aut finitimo capiti, id est, vicino.

PIERII.

legitur: quamvis agnitum veterum etiam temporibus. In aliquot aliis, *in amplexus lacrimans*, habetur; sed *inexpletum* agnoscunt eruditi omnes.

561. CUM PRIMAM ACIEM. In antiquis codic. *primum*, legitur; sed melius, *primam aciem*.

563. REGEM HAC ERYLUM. In Romano cod. *Erulum*, per *u*, more suo, ut *Sibulla*, pro, *Sibylla*. *Thrasullus*, pro, *Thrasyllus*, & alia hujusmodi passim apud Tacitum, & aliquot alios.

569. NEQUE FINITIMUS MEZENTIUS UNQUAM, HUIC CAPITI INSULTANS. In antiquis aliquot codicibus, *finitimo*, legitur, vel mihi, vel huic capiti. Et *exultans dedisse funera*. Legitur & *usquam*, in codicibus aliquot antiquis, quod pertinet ad repetitionis ornatum, si cui ita legere placuerit:

Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Gnate, tuo, Neque finitimo Mezentius usquam

Huic

570 Huic capiti insultans, tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, o Superi, & Divom tu maxume rector
Juppiter, Arcadii quaeso miserescite regis,
Et patrias audite preces. Si numina vestra
575 Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant,
Si visurus eum vivo, & venturus in unum,
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum casum, Fortuna, minaris;
Nunc, o nunc liceat crudelem abrumpere vitam,
580 Dum curae ambiguae, dum spes incerta futuri,

Dum

SERVII.

570. HUIC CAPITI INSULTANS. Ad curam enim viri fortis, & viri boni pertinet, ne quid injuriose fiat alicui homini: ergo & hinc contumeliam ducit, quod finitimos a tyranni injuria non defenderit.

571. VIDUASSET CIVIBUS URBEM. Scilicet viris fortibus peremptis: & proprie *viduasset* dixit, quia urbs generis est foeminini. Horatius abusive & satis incongrue in genere masculino posuit, dicens: *Viduus pharetra risit Apollo*.

572. AT VOS, O SUPERI. Jam hinc quasi pater loquitur; divisa enim est haec adlocutio, & ultima pars ejus habet adfectum parentis; quod & ipse ostendit dicens: ET PATRIAS AUDITE PRECES. Prima vero viri fortis est, ut: *Qualis eram, cum primam aciem Praeneste sub ipsa Stravi*.

574. PATRIAS AUDITE PRECES. Poterat videri idem dixisse, nisi libenter voto suo immoraretur. NUMINA VESTRA. Mihi faventia.

577. DURARE LABOREM. Ipsius scilicet senectutis Terentius. *Senectus ipsa morbus est*. *Durare* autem, est sustinere. Horatius: *Ac sine funibus vix durare carinae Possunt imperiosius aequor*. Et Virgilius: *Durate, & vosmet rebus servate secundis*. INFANDUM CASUM. Parentis est, nolle memorare, quod formidat. CRUDELEM VITAM. Quae filio est superstes.

PIERII.

Huic capiti insultans tot ferro saeva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.

Quo loco Servius ait, proprie *viduasset* dictum a Virgilio: quia urbs est generis foeminini; abusive vero & satis incongrue ab Horatio dictum: *Viduus pharetra visit Apollo*. Quia scilicet putat ipse *viduam*, quasi *viro iduam* dici. Atqui sunt ex Grammaticis, quorum auctoritas minime contemnenda est, qui *viduum*, a *ve* & *duitate*, dictum velint, sicut *vesanus*, *non sanus*, atque ita non incongrue dixerit Horatius *Viduus Apollo*.

572. AT VOS O SUPERI ET DIVOM TU MAXIME RECTOR JUPPITER ARCADII QUAESO MISERESCITE REGIS, ET PATRIAS AUDITE PRECES. In antiquo admodum codice, lectio haec variat in hunc modum:

Divom tu maxume rector,
Jupiter, Arcadii quaeso reminiscere regis.
Exaudique preces patrias.

Vulgata tamen lectio plures habet fautores: quia sequitur: *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si fata reservent:* apostrophe ad plures.

576. SI VISURUS EUM VIVO. In codicibus aliquot antiquis, *vivom*, legitur: quod non ita placet; nam ad id, quod nonnulli objiciunt, recte *vivom* positum, quia praeter vota vidit eum postmodum, sed non vivum, responsum fecerim, satis esse, quod jam dixerat: *Si numina vestra Incolumem Pallanta mihi, si Fata reservent*. Et quia non satis erat desiderio patris filium esse incolumem, nisi & jucundissimo ejus frueretur aspectu, ejusque complexus peteret, adjecit: *Si visurus eum vivo, & venturus in unum.*

577. PATIAR QUEMVIS DURARE LABOREM. In antiquis pene omnibus codicibus, *patior*, est praesenti tempore, quod auget assensum, & rem jam actu esse subinnuit: vel ad incommoda senectutis respicit, quae per se ipsa morbus est, de qua Comicus ait: χαλεπὸν τὸ γῆρας εἰς ἀνθρώποις βάρος.

579. NUNC NUNC O LICEAT. In antiquissimo codice Romano, & quibusdam aliis legere est, *nunc, o nunc liceat:* quod quantam prae se ferat venustatem & elegantiam, nulli arbitror ambiguum esse.

Dum te, care puer, mea fera & fola voluptas,
Complexu teneo: gravior ne nuntius auris
Volneret. Haec genitor digreffu dicta fupremo
Fundebat: famuli conlabfum in tecta ferebant.
585 Jamque adeo exierat portis equitatus apertis:
Aeneas inter primos, & fidus Achates:
Inde alii Trojae proceres. Ipfe agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis confpectus in armis.
Qualis, ubi Oceani perfufus Lucifer unda,
590 Quem Venus ante alios aftrorum diligit ignis,
Extulit os facrum caelo, tenebrasque refolvit.
Stant pavidae in muris matres, oculisque fequuntur
Pulveream nubem, & fulgentis aere catervas.

Ol-

SERVII.

581. SOLA ET SERA. Quia & unus erat, & ferius fufceptus, id eft, a feniore: vel propter hoc vitam optat longiorem, quod brevem ex illo fructum confecutus fit; vel quod fera ex filiis voluptas eft.

583. SUPREMO. Hoc ex perfona Poetae: quia periturus erat Pallas.

585. JAMQUE ADEO EXIERAT. *Adeo*, ad ornatum pertinet tantum.

587. INDE. Hic *deinde* fignificat: & eft polyfemus fermo. IPSE AGMINE PALLAS IN MEDIO. Hic enim mos fuit, ut tyrones ponerentur in medio; & ambirent viri fortes exercitum. Aut certe honoris eft, medium locum in exercitu tenere, ut ipfe alibi: *Medio dux agmine Turnus*.

588. CONSPECTUS. Confpicuus, confpicabilis, nam pro nomine participium pofuit. Sic eft: *Et verfis Arcades armis*.

589. QUALIS OCEANI. Homericum eft.

590. ANTE ALIOS ASTRORUM DILIGIT IGNES. Venus in caelo habet propriam ftellam, quae oriens Luciferum, occidens Vefperum facit. Inde Statius: *Et alterno deprenditur unus in ortu*. Habet etiam duas alias; unam in figno Tauri; & unam in Septentrione; unde etiam Taurus domus effe dicitur Veneris. Ideo dixit: *Quem Venus ante alios aftrorum diligit ignes*.

591. SACRUM. Venerabile. TENEBRAS autem RESOLVIT, propter jubar, quod fola poffidens aliquod efficiat lumen.

592. OCULISQUE SEQUUNTUR. Mira brevitate hoc explicuit, id eft, quam longiffime profpiciunt.

593. PULVEREAM NUBEM. [illegible]

PIERII.

581. MEA SOLA ET SERA VOLUPTAS. In Mediceo, & in Porcio tranfpofitis verbis legere eft, *mea fera & fola voluptas*: quod majori cum orationis ornatu, fi diligenter infpicias, factum animadvertes. Eft vero hoc, cujusmodi filium Homerus vocat: τηλυγετὴν, τηλύγετον, ἢ μονογενῆ.

582. COMPLEXU TENEO. In Romano codice, legere eft per participium, *complexus*, dum te complexus; Sed enim *complexu* omnino melius. GRAVIOR NE NUNCIUS AURES VULNERET: In codicibus antiquoribus, fcriptum eft, *nuncius auris volneret*. Exponit vero Marcellus, *gravior*, *triftior*.

584. FAMULI COLLAPSUM IN TECTA FEREBANT. In antiquis codicibus, *conlapfum*, habetur, praepofitione incolumi, inftar ejus infcriptionis, quae Romae adhuc fuperat in monumentis L. Septimii Severi Pii:

ARCUS CAELIMONTANOS PLURIFARIAM
VETUSTATE CONLAPSOS ET CONRUPTOS
A SOLO SUA PECUNIA RESTITUERUNT.

592. OCULISQUE SEQUUNTUR. In plerisque vetuftis codicibus, *fecuntur*, notatum obferves; fed enim per *q* fcribendum Victorini fententia eft. Alii quidam *q* in verbo *fequuntur*, & *loquuntur*, ita adamarunt, ut eorum etiam participia *fecutus*, *locutus*, per *q*, *fequutus*, *loquutus*, fcribere voluerint, praecipientes horum fcriptionem ad originem referri debere.

Olli per dumos, qua proxima meta viarum,
595 Armati tendunt. It clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.
Est ingens gelidum lucus prope Caeritis amnem,
Religione patrum late sacer: undique colles
Inclusere cavi, & nigra nemus abiete cingunt.
600 Silvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque diemque,
Qui primi finis aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant
Ca-

SERVII.

594. QUA PROXIMA META VIARUM. Qua proximus circuitus est.

595. AGMINE FACTO. *Agmen*, est proprie exercitus ambulans: quidquid fuerit aliud, abusive dicitur.

597. PROPE CAERITIS AMNEM. Agylla civitas est Tusciae, a conditore Agella appellata, cui ex inscitia Romana aliud est inditum nomen: nam cum Romani, euntes per Tusciam, interrogarent Agyllinos, quae diceretur civitas; illi, utpote Graeci, quid audirent ignorantes, & optimum ducentes si prius eos salutarent, dixerunt, χαῖρε: quam salutationem Romani nomen civitatis esse putaverunt: & detracta aspiratione eam *Caere* nominaverunt, ut dixit Hyginus de Urbibus Italicis. AMNIS autem aut tacoit nomen, aut, ut quidam volunt, Minio dicitur: quia alibi dixit: *Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis*. Alii certe montem putabant: ab hoc oppidum dictum.

598. LATE SACER. Hoc est, non solum colebatur a civibus, sed etiam ab accolis. UNDIQUE. Deest *quem*, vel *eum*.

599. NIGRA. Umbrosa: more suo.

600. VETERES SACRASSE PELASGOS. De his varia est opinio: nam alii eos ab Atheniensibus; alii a Laconibus; alii a Thessalis dicunt originem ducere, quod est propensius: nam multas in Thessalia Pelasgorum constat esse civitates. Hi primi Italiam tenuisse perhibentur. Philochorus ait, ideo nominatos Pelasgos, quod velis & verno tempore advenire visi sunt, ut aves. Hyginus dicit, Pelasgos esse, qui Tyrrheni sunt: hoc etiam Varro commemorat.

601. ARVORUM PECORISQUE DEO. Publica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum deum esse Sylvanum. Prudentiores tamen dicunt, eum esse ὑλικὸν θεὸν, hoc est, deum τῆς ὕλης. Hyle autem, est fex omnium elementorum, id est, igni sordidior, & aere: item aqua & terra sordidior: unde cuncta procreantur: quam ὕλην, Latini materiam, appellaverunt; nec incongrue, cum materia sylvarum sit. Ergo quod Graeci a toto, hoc Latini a parte dixerunt. LUCUMQUE, DIEMQUE. Hoc a Romanis traxit, apud quos nihil fuit tam solenne, quam dies consecrationis. Hinc est illud: *Nostrosque hujus meminisse minores*. Ecce & hic luco & numen, & consecrationem dedit.

603. TARCHO ET TYRRHENI. *Tarcho*, sic legitur, est Latinus nominativus de Graeco veniens, ab eo, quod est *Tarchon*, perdita litera N, & ω in o mutata, ut *Apollo*, Ἀπόλλων; *Plato*, Πλάτων. Aliter versus non stat. TUTA TENEBANT CASTRA LOCIS. Hoc est, industria & natura munitissima. Sed novimus, *castra* per naturam munita esse non posse, nisi in collibus fuerint, quod si in montibus sunt, quomodo procedit: *Latis tendebat in arvis?* Ne sit ergo contrarium, intelligamus, quod hodieque videmus & legimus, hanc collium fuisse naturam, ut planicies esset in summo, in qua inerant castra Tarchontis. Quanquam multi velint, *Celsoque omnis de colle videri Jam poterat legio*, ad Aeneam referre; ut intelligamus, venientes in collibus fuisse Trojanos; Castra vero Hetrusca in campis: quod si velimus accipere, quemadmodum procedit: *Tuta tenebant Castra locis?* nam *tuta*, id est, per naturam locorum.

PIERII.

603. TUTA TENEBANT CASTRA LOCIS. In aliquot codicibus antiquis, legere est, *cuncta tenebant castra*: quod si admittas, Servii omnis ambiguitas tolletur: *Namque omnis furiis surrexit Etruria justis*, quae castra eo loco metata erat.

Castra locis, celsoque omnis de colle videri
605 Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Aeneas, & bello lecta juventus,
Succedunt, fessique & equos & corpora curant.
At Venus aetherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
610 Ut procul egelido secretum flumine vidit,
Talibus adfata est dictis, seque obtulit ultro:
En, perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentis, nate, superbos,
Aut acrem dubites in proelia poscere Turnum.
615 Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille Deae donis & tanto laetus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit,
Miraturque, interque manus, & brachia versat

Ter-

SERVII.

604. De colle videri. Incertum, utrum ipsa in colle agens; an ab his, qui de colle prospiciunt.

605. Tendebat in arvis. Ut: *Hic saevus tendebat Achilles*. Hoc est tentoria habebat.

606. Et bello lecta. Quia ait supra: *Qui sese in bella sequantur, Praestantes virtute legit*: aut *lecta* proprie: quia delectus militum est.

607. Fessique et equos et corpora curant. Ingenti arte, quod sequebatur, omisit, redditurus in decimo: namque si vellet dicere, venisse Aeneam, vidisse Tarchontem, petisse auxilia, satis longum fuerat, & peribat illud, quod ait supra: *Toto namque fremunt condensae littore puppes*: cum & Hetruscorum festinationi dicentis brevitas congruat. Verum hoc, quod in isto loco praetermisit, reddit in decimo, dicens: *Namque ut ab Euandro castris ingressus Hetruscis, Regem adit, & regi memorat nomenque, genusque*.

608. Aetherios nimbos. Per aerem numinum, scilicet purgatiorem, qui circa deos est.

609. Dona ferens aderat. Homerus ait: Ἣ δ' ἐς νῆας ἵκανε θεοῦ πάρα δῶρα φέρουσα. Reducta. Secreta.

610. Egelido secretum flumine vidit. *Egelido*, id est, nimium gelido: & est una pars orationis, ut IIII. Georg. *Eduramque pirum*: id est, valde duram, & sic dixit, *Secretum flumine egelido*, hoc est, praesidio fluminis: ut dicimus, *secretus est monte*, vel sylvis. Latenter autem ostendit, Aeneam, nonnisi flumine ablutum, numen videre potuisse.

611. Obtulit ultro. Id est, *deam confessa*, ut in secundo dixit; est autem ὕστερον πρότερον: & ordo est: Obtulit se, & locuta est.

612. Promissa. Κατὰ προοικονόμησιν, ut supra: *Hoc signum cecinit missuram diva creatrix*.

613. Laurentes superbos. Ut: *Quos illi bello profugos egere superbo*.

614. Acrem Turnum. Fortem: & proprie apud nos *acer* est, qui apud Graecos δεινός dicitur: nam *fortem*, & *vehementem*, & *asperum*, & *amarum* potest significare. Poscere. Provocare, Cicero: *Poscunt majoribus poculis*, id est, provocant,

617. Deae donis. Propter arma. Tanto laetus honore. Munere divae: quod manifeste viderat matrem, & plenam numinis sui.

619. Interque manus et brachia versat. Ex Homero: Τέρπετο δ' ἐν χείρεσσιν ἔχων θεοῦ ἀγλαὰ δῶρα. Distinguendum autem est, ut intelligas Aeneam manibus minora, brachiis majora arma considerasse, ut puta loricam vel scutum: haec enim sunt arma majora; minora vero, galeam, gladium, ocreas. Versat. Considerat, ut: *Huc illuc vinclorum immensa volumina versat*.

PIE-

620 Terribilem criſtis galeam, flammaſque vomentem,
Fatiferumque enſem, loricam ex aere rigentem,
Sanguineam, ingentem, qualis, cum caerula nubes
Solis inardeſcit radiis, longeque refulget.
Tum levis ocreas electro, auroque recocto,
625 Haſtamque, & clipei non enarrabile textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
Haud vatum ignarus, venturique inſcius aevi,
Fecerat Ignipotens: illic genus omne futurae
Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella.
630 Fecerat & viridi foetam Mavortis in antro

Pro-

SERVII.

621. FATIFERUMQUE ENSEM. *Fatum* ſaepe pro *morte* poſitum legitur, *fatiferum* ergo, lethiferum. RIGENTEM, SANGUINEAM, INGENTEM. Diſtinguendum propter plura epitheta. *Sanguineam* autem, velut cruentam, terribilem.

623. SOLIS INARDESCIT RADIIS. Irim Phyſica ratione deſcribit, quae fit cum aquoſam nubem ſolis ardor irradiat. Nec eſt incongrua haec comparatio; cum lorica de diverſis metallis fieri plerumque conſueverit.

624. LEVES OCREAS. Id eſt, nitida tibialia. RECOCTO. Saepe purgato, quia quanto plus coquitur, melius fit: ergo ad qualitatem & ad commendationem refertur. Sic Homerus: Αὐτὰρ ἐπειδὴ τεῦξε σάκος μέγα τε στιβαρόν τε, Τεῦξ' ἄρα οἱ θώρηκα φαεινότερον πυρὸς αὐγῆς. Τεῦξε δ' οἱ κόρυθα βριαρὴν κροτάφοις ἀραρυῖαν, Καλὴν, δαιδαλέην· ἐπὶ δὲ χρύσεον λόφον ἧκε. Τεῦξε δ' οἱ κνημῖδας ἑανοῦ κασσιτέροιο.

625. NON ENARRABILE. Bene *non enarrabile*: cum enim in clypeo omnem hiſtoriam Romanam velint eſſe deſcriptam, dicendo: *Illic genus omne futurae Stirpis ab Aſcanio, pugnataque in ordine bella*: carptim tamen pauca commemorat, ſicut in primo ait: *Videt Iliacas ex ordine pugnas*: nec tamen univerſa deſcripſit. Sane intereſt inter hunc & Homeri Clypeum: illic enim ſingula dum fiunt narrantur; hic vero perfecto opere noſcuntur: nam & hic arma prius accipit Aeneas, quam ſpectaret; ibi poſtquam omnia narrata ſunt, ſic a Thetide deferuntur ad Achillem. Opportune ergo Virgilius, quia non videtur ſimul & narrationis celeritas potuiſſe connecti, & opus tam velociter expediri, ut ad verbum poſſet occurrere.

627. HAUD VATUM IGNARUS. Liptotes figura, id eſt, futurorum non inſcius. Et quibuſdam videtur, hunc verſum omitti potuiſſe. VENTURIQUE INSCIUS AEVI. Non *aevi*, ſed quae in aevo erant futura.

629. STIRPIS AB ASCANIO. Uſque ad Auguſtum Caeſarem. PUGNATAQUE IN ORDINE BELLA. Et hic ſubaudiri poteſt de Aſcanio; & bella Albanorum, quae Romanorum, in clypeo dicit.

630. MAVORTIS IN ANTRO. Poteſt accipi, & *fecerat lupam Mavortis*, & *Mavortis, in antro*. Fabius ſpeluncam Martis dixit. Dicendo autem ET, oſtendit multa alia eſſe depicta. Eſt autem elegans figura *Fecerat procubuiſſe*: ſaue laus operis, ut tale videretur. FOETAM vero, quae peperit, & nutrire potuiſſet.

PIERII.

610. ET PROCUL EGELIDO SECRETUM FLUMINE VIDIT. In Romano codice, *haec gelido*, ut ſit *haec*, ſcilicet Venus, quod incomptum videtur. In aliis ET, in aliis E ſeparatim legitur. Placet vero unica dictione, *egelido*, per compoſitionem particulae, quae valde ſignificat.

619. MIRATUR INTERQUE MANUS. In pleriſque codicibus antiquis, legere eſt, *miraturque interque manus*: quod quidem mihi plurimum placet.

624. AUROQUE RECOCTO. In Oblongo codice, quem Pomponii Laeti delitias ajunt, *auroque nitentem*, legitur, ut ſit, Levis ocreas electro, auroque nitentem haſtamque & clypei non enarrabile textum; ſed magis placet, *recocto*, ut in reliquis omnibus exemplaribus habetur.

Procubuisse lupam: geminos huic ubera circum
Ludere pendentis pueros, & lambere matrem
Inpavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
635 Nec procul hinc Romam, & raptas sine more Sabinas
Consessu caveae, magnis Circensibus actis,

Ad-

SERVII.

631. PROCUBUISSE. Id est, prima parte se inclinasse, quod Graeci προκύπτειν dicunt: ut inclinatione corporis ubera praeberet infantibus: nam si *procubuisse*, jacuisse accipias, contrarium est, quod dicit: *Ludere pendentes pueros*. Quod si *procubuisse*, ut, *Cum foetu concolor albo Procubuit*, accipiamus, intelligere debemus PENDENTES, desiderio alimoniae suspensos, vel intentos, ut: *Pendetque iterum narrantis ab ore*. Alii *pendentes*, cessantes, ut: *Pendent opera interrupta, minaeque Murorum ingentes*. Sciendum tamen, voluisse eum gestum proprie exprimere, quem in ipsius lupae cernimus statuis. GEMINOS HUIC. Modo revera geminos, alias similes. Sane totus hic locus Ennianus est.

632. LUDERE. Moveri. Terentius: *Congruum istum maximum paulisper in aqua finite ludere*, id est, moveri. LAMBERE MATREM. Quasi matrem, cujus affectum pueris exhibebat. Sane veteres etiam nutrices *matres* vocabant, ut ait Plautus in Menaechmis: *Et mater non possit dignoscere, quae mammam dabat*.

633. TERETI CERVICE. Rotunda, cum longitudine, ut: *Incumbens tereti Damon sic coepit olivae*.

634. MULCERE ALTERNOS. Non quod in pictura erat dicit; sed id, quod intelligimus factum fuisse, ut: *Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros*. ET CORPORA FINGERE LINGUA. Id est, tergere. Cicero in Sestiana: *Spongiis sanguis effingebatur*, id est, tergebatur; *Fingere* tamen, & formare aliquid, & ad integram faciem arte perducere significat; inde *Fictores* dicuntur, qui imagines vel signa ex aere vel cera faciunt.

635. NEC PROCUL HINC ROMAM. Congrue, juxta proprios conditores. RAPTAS SINE MORE SABINAS. *Raptas* spectaculo, sine ullo exemplo: aut sine ullo bono more: vel *raptas*, stupratas, id est, per vim. Historia autem talis est: Romulus, cum turbam civium non haberet, Asylum condidit, ad quem locum, si quis confugisset, eum exinde non liceret auferri: hic cum videret virorum multitudinem sine connubiis posse deperire, a vicinis civitatibus matrimonia postulavit; sed ab eis contemptus, *celebret* se Neptuno, Equestri deo, qui & Consus dicitur, editurum proposuit, ad quos *celebret* cum de vicinis civitatibus maxima multitudo cum omnibus foeminis convenisset, Romulus eas signo dato rapi de spectaculo fecit: ob quam rem a Sabibis bellum ei indictum est; in quo cum jam capto a Sabinis Capitolio in foro Romano pugnaretur, & ejus milites fugerent, Jovi Statori remplum se facturum esse promisit, si ejus stetisset exercitus. Quo voto restituta pugna, cum anceps esset, intervenientibus mulieribus Sabinorum, quae jam Romanis nuptae erant, pugna sedata est, & icto foedere Tatius Rex Sabinorum in partem Urbis acceptus est: unde Romani a Curibus Quirites appellati sunt.

636. CONSESSU CAVEAE. *Cavea* est, ubi populus spectat. Plautus in Amphitryone: *Ut conquisitores singuli in subsellia eant per totam caveam spectatoribus*. Vallis autem ipsa, ubi Circenses editi sunt, ideo *Murcia* dicta est, quia quidam vicinum montem *Murcum* appellatum volunt; alii, quod fanum Veneris Verticordiae ibi fuerit, circa quod nemus e myrtetis fuisset, inde mutata litera *Murciam* appellatam: alii *Murciam* a *murco*, quod est *mureidum*, dictam volunt: pars a dea *Murcia*, quae cum ibi Bacchanalia essent, furorem Sacri ipsius *mureidum* faceret. MAGNIS CIRCENSIBUS ACTIS. *Magnis*, quantum ad paupertatem pristinam pertinet: nam legimus propter equorum inopiam diversis eos tunc usos animalibus. Raptae autem sunt Sabinae Consualibus, hoc est, mense Martio. *Consus* autem, est deus consiliorum: qui ideo remplum sub tecto in Circo habet, ut ostendatur tectum debere esse consilium: inde est, quod & Fidei panno velata manu sacrificabatur, quia fides tecta esse debet & velata. Ideo autem dicato Consi simulachro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu consilium. Iste Consus, & Equestris Neptunus dicitur: unde etiam in ejus honorem Circenses celebrantur. Errant ergo, qui dicunt *magnis Circensibus*, aut Megalesiacis, aut Romanis, quos constat fieri ante calendas Januarias. ACTIS autem, cum agerentur:

quia

Addiderat, subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, Tatioque seni, Curibusque severis.
Post Idem inter se posito certamine reges
640 Armati Jovis ante aram, paterasque tenentes
Stabant, & caesa jungebant foedera porca.

Haud

SERVII.

quia non erat praesens a passivo participium, ut: *Et qua vectus Abas*. CIRCENSIBUS. *Circenses* dicti, vel a circuitu, vel, quod, ubi nunc metae sunt, olim gladii ponebantur, quos circumibant, dicti inde *Circenses*, ab ensibus, circa quos circumibant. Sane notandum positos *Circenses*, sine adjectione ludorum, cum ita dicamus *ludos theatrales*, *ludos gladiatorios*, *ludos Circensee*.

638. ROMULIDIS. Hic dativus pluralis venit ab eo, quod est *hic Romulida*. CURIBUSQUE SEVERIS. Mire & merito dixit *severis*: cum enim filias perdiderint Caeninenses, Antemnates, Crustuminii, & Sabini; caeteris quiescentibus, Sabini soli bella sumpserunt, sicut dictum est: sed intervenientibus postea triginta foeminis, jam enixis, de illis, quae raptae erant, pax facta est: ex quarum nominibus Curiae appellatae sunt. In communem etiam mulierum honorem Calendae eis dicatae sunt Martiae. Horatius: *Martiis caelebs quid agam calendis?* Juvenalis: *Munera foemineis tractat secreta calendis*. Nec enim aliter congruit, Martias calendas esse foeminarum; nisi quia, ut diximus, foeminae bella sedarunt. Sane sciendum, omnes virgines raptas, excepta Hersilia, quam, sublatam a marito, sibi Romulus fecit uxorem. Aut SEVERIS, disciplina; aut rem hoc verbo reconditam dixit; quia Sabini a Lacedaemoniis originem ducunt, ut Hyginus ait de Origine Urbium Italicarum, a Sabo, qui de Perside Lacedaemonios transiens ad Italiam venit, &, expulsis Siculis, tenuit loca, quae Sabini habent: nam & partem Persarum Caspiros appellare coepisse, qui post corrupte Casperuli dicti sunt. Cato autem, & Gellius, a Sabo, Lacedaemonio, trahere eos originem referunt. Porro Lacedaemonios durissimos fuisse omnis lectio docet. Sabinorum etiam mores populum Romanum secutum, idem Cato dicit: merito ergo *severis*, qui & a duris parentibus orti sunt, & quorum disciplinam victores Romani in multis secuti sunt.

639. POSITO CERTAMINE. Finito, ut: *Ante diem clauso component vesper Olympo*.

640. JOVIS ANTE ARAM. Ante templum Jovis Statoris, quod fecerat Romulus, postquam orans elatis armis meruit ne suus exercitus fugaretur.

641. JUNGEBANT FOEDERA PORCA. *Foedera*, ut diximus, dicta sunt a *porca*, *foede*, & crudeliter occisa; nam cum ante gladiis configeretur, a Fecialibus inventum, ut silice feriretur; ea causa, quod antiquum Jovis signum lapidem silicem putaverunt esse. Cicero *foedera* a fide putat dicta. Sed hujus porcae mors optabatur ei, qui a pace resiliisset. Falso autem ait *porca*: nam ad hoc genus sacrificii porcus adhibebatur: ergo aut usurpavit genus pro genere, ut: *Timidi venient ad pocula damae*: cum *has damas* dicamus; item supra *lupam*, cum artis sit, *hic & haec lupus*: aut certe illud ostendit, quia in omnibus sacris foeminei generis plus valent victimae. Denique si per marem litare non possent, succidanea dabatur foemina; si autem per foeminam non litassent, succidanea adhiberi non poterat. Quidam *porcam*, euphoniae gratia dictam volunt. Hujus autem facti in Sacra via signa stant: Romulus a parte Palatii; Tatius venientibus a Rostris.

PIERII.

633. ILLAM TERETI CERVICE REFLEXAM, MULCERE ALTERNOS. In Romano codice, *reflexa*, eodem casu cum cervice legitur; sed *reflexam*, figuratum magis. Operae precium vero est hujusmodi figuram plerisque in locis, tum ex marmore tum ex aere, Romae spectare. Ambigas enim utrum Virgilius a sculptoribus, an sculptores a Virgilio hujus imaginis desumpserint exemplar. Quod vero subsequitur, *& corpora fingere lingua*, sunt antiqui codices, in quibus *lingere* scriptum sit; sed enim *fingere*, pro, *tergere*, agnoscir Servius etiam M. Tullii Ciceronis usu.

635. RAPTAS DE MORE SABINAS. Sunt, qui *de more*, praeter morem, hoc loco teste dici velint; sed enim ego *de* quidem illud in nullis antiquis codicibus notatum observavi. Passim, *raptas sine more*, scriptum animadverti; sed id de paraphrasi sumptum puto. Quod vero sequitur, *consessu caveae*, dictio, *consessu*, corrupta plurimum est in codicibus antiquis.

641. ET CAESA JUNGEBAT FOEDERA PORCA. Quintilianus libro octavo, ubi de ornatu disserit, *Quaedam*, air, *non tam ratione, quam sensu judicantur, ut illud*, Caesa jungebat foedera porca. *Fecit elegans fictio nominis, quod si fuisset* porco, *vile erat*. Quod ve-

Haud procul inde, citae Metium in diverſa quadrigae
Diſtulerant, (at tu dictis, Albane, maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera Tullus

Per

SERVII.

642. CITAE METIUM IN DIVERSA QUADRIGAE. Donatus hoc loco contra metrum ſentit, dicens, CITAE, *diviſae:* ut eſt in Jure: *Erecto non cito:* id eſt, patrimonio, vel haereditate non diviſa; nam *citus*, cum diviſus ſignificat, *ci* longa eſt. Ergo *citae*, veloces intelligamus. Quod autem dicit Virgilius *Metum*, Metius Fuſfetius dictus eſt, quod nomen mutilavit cauſſa metri. Novimus autem nominum vel mutationem, vel mutilationem conceſſam poetis: ſic pro Polluce, Caſtorem; pro Citheride, Lycoridem poſuit, ut: *Sed quae legat ipſa Lycoris*. Hic autem Metius Fuſſetius, cum apud Albanos ſummam rerum teneret, a Romanis in auxilium contra Fidenates vocatus, jure ſocietatis venit quidem; ſed in ipſo proelio ad hoſtes deſecit. Quod cernens Tullus Hoſtilius, ait voce maxima militibus ſuis, ita ut etiam hoſtis audiret: *Ne trepideris, meo conſilio factum eſt, ut factioſe Metius Fuſſetius ad hoſtes tranſiret*. Quo conſilio & ſuis pene amiſſas jam reddidit vires, & effecit, ne hoſtes crederent Metio: quem poſt victoriam captum Tullus Hoſtilius religavit ad binas quadrigas; ita ut ab unis quadrigis traherentur manus; pedes vero ab alteris; quibus agitatis velociter, eum crudeli morte diſcerpſit. Videns itaque Poeta Romano nomini incongruam eſſe vindictam, culpam criminis retorquet in auctorem, dicens ex ſua perſona ad ipſum Metium: AT TU DICTIS ALBANE MANERES. Ideo etiam MENDACIS infert, ut tacitae quaeſtioni, & invidiae crudelitatis occurrat. Sane conſtat, poſt victoriam de Albanis Romanorum, quam per conditionem Horatiorum & Curiatiorum adepti ſunt, hoc factum eſſe, quod hoc loco Poeta narravit; nam quemadmodum Metius vel ad auxilium facile niſi juſſus veniſſet? vel poſt cognitam fraudem acciri tam facile potuiſſet, niſi tanquam ſubiectus congratulatum victoriam ad Tullium Hoſtilium veniſſet?

PIERII.

vero ait Servius falſo dictum a Virgilio *porca*, quod ad hoc ſacrificii genus *porcus* adhiberetur, Suetonius Tranquillus in vita Claudii contra opinionem Servii: *Cum regibus foedus in foro icit, Porca caeſa*, inquit. Tametſi Livius quoque *porcum* ſtatuit.

642. CITAE METIUM IN DIVERSA QUADRIGAE DISTULERANT. Antiqui omnes codices, quotquot habui, *Metum*, legunt, dictione biſſyllaba, quam alibi unico *t*, alibi geminato reperias: mutilatamque eſſe dictionem cauſſa metri Servius ait, dum quoque *Metum*, biſſyllabum agnoſcit. Sane *Mettius* duplicato *t*, pluribus locis in veterum monumentis ſcriptum animadverti, Placentiae in D. Pauli templo L. METTIUS. L. F. duobus *tt* notatum eſt: & Romae in aedibus Pauli Plancae legere eſt, Q. METTIO & P. METTIO; tametſi non ignorem & METIA, & METIUS, unico *t* alibi notatum. Utcumque vero, primam in eo nomine ſyllabam produci volunt. Sed enim hic minime praeterire poſſum, quod pervulgato errore in Livianis codicibus, & alibi paſſim *Metius Suffetius*, per *s* prima littera ſcriptum eſt, cum dubioprocul *Fuffetius* per *F* ſit ſcribendum. Ita etiam apud Dionyſium Halicarnaſſeum & Graecos alios invenias Φουφέτιον. Praeterea, ſi qui noluerint Graecis adhibere fidem, oſtendit mihi Janus Parrhaſius, vir utraque lingua eruditiſſimus, T. Livii codicem vetuſtate venerabilem, in quo *Fuffetius*, ſcriptum erat prima littera *f*, non per *s*. Quem quidem codicem nomina quaedam ſpecioſa, Vindicianus, Nicomachus Dexter, & Victorianus ſe emendaſſe adſcripſerunt, idque in Symmachorum gratiam feciſſe profeſſi ſunt. Ad haec, & Nonii Marcelli vetuſtum codicem protulit, & alios quoſdam auctores, in quibus eodem modo *Mettius Fuffetius* ſcriptum habebatur. Ajunt praeterea Pomponium Laetum totius antiquitatis virum obſervantiſſimum, qui ſuperiori aetate in Romano Gymnaſio primas obtinuit, ſaepius inclamitare ſulitum, *Fuffetius* dicendum.

643. AT TU DICTIS ALBANE MANERES. Eodem aetatis vitio, quod ſaepius adnotavimus, in codicibus aliquot legitur, *Alvane*, per *v* digammon: quo ſono hujusmodi nomina Hiſpani adhuc magna ex parte pronuntiant. Id quod priori etiam aetate frequentiſſimo uſu receptum, Adamantium compulit, ut *albus*, *alba*, *album*, per *b* mutam ſcribendum praeciperet, diſcretionis gratia, ut *alvus* ab *albus* diſcerneretur: quae nomina tunc corrupta pronuntiandi ratione confundebantur. Eſt vero haec parentheſis, & apoſtropha conjuncta ſimul:

Haud procul inde citae Metium in diverſa quadrigae
Diſtulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabatque viri mendacis viſcera tellus:

ut Quintilianus obſervat.

645 Per ſilvam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum Porſenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obſidione premebat:
Aeneadae in ferrum pro libertate ruebant.
Illum indignanti ſimilem, ſimilemque minanti
Aſ-

SERVII.

646. NEC NON TARQUINIUM EJECTUM PORSENNA JUBEAAT. Tarquinius Superbus habuit perditos filios, inter quos Aruntem: qui dum in caſtris eſſet, patre ſuo Ardeam obſidente, & ortus eſſet inter eum & Collatinum, maritum Lucretiae, de uxoribus ſermo, eo uſque proceſſit contentio, ut ad probandos earum mores, arreptis equis ſtatim domos ſuas ſimul proficiſcerentur. Ingreſſi itaque civitatem Collatinam, ubi Lucretiae domus, invenerunt eam lanificio operam dantem, & triſtem propter mariti abſentiam. Inde ad Aruntis domum profecti, cum uxorem ejus invenisſent cantilenis & ſaltationibus indulgentem, reverſi ad caſtra ſunt. Quod Aruns dolens, cum de expugnanda Lucretiae caſtitate cogitaret, mariti ejus nomine epiſtolam finxit, & dedit Lucretiae: in qua hoc continebatur, ut Aruns ſuſciperetur hoſpitio. Quo facto, per noctem ſtricto gladio ejus ingreſſus cubiculum cum aethiope, hac arte egit, ut ſecum coiret, dicens: *Niſi mecum concubueris, aethiopem tecum interimo, tanquam in adulterio deprehenderim.* Timens itaque Lucretia ne famam caſtitatis morte deperderet (quippe quam ſine purgatione futuram eſſe cernebat) invita turpibus imperiis paruit. Et altera die convocatis propinquis, marito Collatino, patre Tricipitino, Bruto avunculo, qui Tribunus celerum fuerat, rem indicans, petiit ne violatus pudor, neve inultus ejus eſſet interitus, & ejecto gladio ſe interemit: quem Brutus de ejus corpore extractum tenens proceſſit ad populum, & multa conqueſtus de Tarquinii ſuperbia, & filiorum ejus turpitudine, egit, ne in urbem reciperentur, auctoritate qua plurimum poterat: nam ut diximus, Brutus Tribunus equitum fuerat. Sed cum non ſuſciperentur, Tarquinius contulit ſe ad Porſenam, regem Tuſciae: qui pro Tarquinio cum ingentibus copiis capto Janiculo, & illic caſtris poſitis, Romam vehementer obſedit. Et cum per ſublicium pontem, hoc eſt ligneum, qui modo lapideus dicitur, tranſire conaretur, ſolus Cocles hoſtilem impetum ſuſtinuit, donec a tergo pons ſolveretur a ſociis: quo ſoluto ſe cum armis praecipitavit in Tyberim, & licet laeſus eſſet in coxa, tamen ejus fluenta ſuperavit: unde eſt illud ab eo dictum, cum ei in comitiis coxae vitium objiceretur: *Per ſingulos gradus admoneor triumphi mei.* In tantam autem obſidionis neceſſitatem populus venerat, ut etiam obſides daret, ex quibus Cloelia, inventa occaſione, tranſnatavit Tyberim, & Romam reverſa eſt: redditaque mox rurſus eſt, pacis lege eam Porſena repetente: qui admiratus virtutem puellae, dedit ei optionem, ut cum quibus vellet rediret. Illa elegit virgines, quae injuriae poterant eſſe obnoxiae, unde Porſena, hoc quoque miratus, conceſſit; & rogavit per litteras populum Romanum, ut ei aliquid virile decerneretur: cui data eſt ſtatua equeſtris, quam in Sacra via hodieque conſpicimus. EJECTUM autem quare? aut quia facile poterat ſuſcipi & occidi. Sed ideo non eſt ſuſceptus; quia occidi non poterat religione impediente: rex enim etiam ſacrorum fuerat, unde poſtea etiam alii facti ſunt conſules, alii reges ſacrorum. Sane PORSENNA. Unum N addidit metri cauſa: unde & penultimae datus accentus eſt: nam *Porſena* dictus eſt. Martialis: *Hanc ſpectare manum Porſena non potuit.*

648. AENEADAE. Satis longe petitum epitheton. Et poteſt hoc loco hiſtoria de Mutio accipi.

649. ILLUM. *Coclitem* ſcilicet. Et modo *Cocles*, in hoc homine, de quo dicit, proprium eſt nomen; in aliis appellativum: nam *luſcos*, *coclites* dixerunt antiqui: unde & Cyclopas, *coclites* legimus dictos, quod unum oculum habuiſſe perhibentur: quaſi στρογγυλόπας a rotunditate. Plautus in Curculione: *De Coclitum proſapia te eſſe arbitror: nam hi ſunt unoculi.*

PIERII.

645. ET SPARSI RORAAANT SANGUINE VEPRES. Pomponius foeminino genere *vepram* dixit, ut Nonius atteſtatur. Et apud Lucretium legitur libro quarto: *Nam ſaepe videmus illorum ſpoliis vepres volitantibus auctas:* quamvis ita dici debere neget Caper in Orthopeia.

646. NEC NON TAAQUINUM EJECTUM PORSENNA JUBEAAT ACCIPERE. In codicibus antiquis, *Tarquinium*, quadriſyllabum eſſe diximus alibi, & poetarum teſtimoniis ſecundam a principio ſyllabam eſſe brevem oſtendimus. *Porſena* quoque, unico N ſcribitur in antiquis plerisque: ut quae per ſe longa eſſe poſſit in

650 Aspiceres; pontem auderet quod vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret Cloelia ruptis.
In summo custos Tarpejae Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
Romuleoque recens horrebat regia culmo.

At-

SERVII.

651. VINCLIS INNARET CLOELIA RUPTIS. Atqui obsides non ligantur; sed *vincla* pro custodiis accipiamus: aut pro foederibus: aut certe *ruptis vinclis*, pontis, id est, ponte resoluto.

652. IN SUMMO CUSTOS TARPEJAE MANLIUS ARCIS. In summa clypei parte; nam postea ait: *In medio classes aeratas*. Et bona ratione utitur, in pictura apta unicuique rei loca distribuens. Ideo enim in summa clypei parte dicit esse fictum Capitolium, quia hoc arcem Urbis esse manifestum est. Haec historia autem talis est: Brenno duce Senones Galli venerunt ad Urbem: & circa Alliam fluvium occurrentem sibi omnem deleverunt exercitum populi Romani. Aliaque die cum vellent ingredi civitatem, primo cunctanti sunt, insidias timentes: quia & patentes portas, & nullum in muris videbant. Postea paulatim ingressi cuncta vastarunt, octo integris mensibus: adeo ut, quae incendere non poterant, militari manu diruerent, solo remanente Capitolio, ad quod cum utensilibus reliqui confugerant cives; qui tamen a Gallis obsidebantur, etiam id penetrare cupientibus: quos alii per dumeta & saxa aspera; alii per cuniculos dicunt conatos ascendere. Tunc Manlius, custos Capitolii, Gallos detrusit ex arce, clangore anseris excitatus, quem privatus quidam dono Junoni dederat; namque, secundum Plinium, nullum animal ita odorem hominis sentire dicitur: quod Ovidius in Metamorph. intelligens, dixit: *Nec servaturis vigili Capitolia voce Crederes anseribus*. Qua causa postea eo die, quo hoc factum est, canes, qui tunc dormientes non senserant, cruci suffigebantur; anseres auro & purpura exornati in lecticis gestabantur. Sane hic Manlius post defensum Capitolium pro praemio singulis libris farris ob virtutem a populo donatus est. In tantam autem cibi penuriam redacti erant in obsidione, ut coriis madefactis & postea frictis vescerentur: cujus rei argumentum est, quod hodieque ara in Capitolio est Jovis Soteris, in qua liberati obsidione, coria & sola vetera concremaverunt. Hic tamen Manlius, postmodum adductus in suspicionem regni appetiti, vel inimicorum oppressus factione, a populo damnatus est.

653. PRO TEMPLO. Pro defensione templi, hoc est, in templo; nam ante templum, non procedit: cum obsessus intra templum esset. Sic in nono: *Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus astant*. Terentius: *Nam, nisi haec ita essent, pro illo haud stares Phaedria*. TENEBAT. Defendebat: & est militare verbum, ut etiam Sallustius dicit; unde e contrario *victos*, *loco motos* dicimus. Cicero: *Loco ille motus est*.

654. HORREBAT REGIA CULMO. Curiam Calabram dicit, quam Romulus texerat culmis. Ideo autem *Calabra*, quod, cum incertae essent Calendae aut Idus, a Romulo constitutum est, ut ibi Patres vel populus calarentur, id est, vocarentur, a Rege sacrificulo; ut scirent, qua die Calendae essent, vel etiam Idus: ut, quoniam adhuc fisti non erant, ludorum & sacrificiorum praenoscerent dies.

PIERII.

Murena, *Aufilena*, pene ultima; tametsi jure suo, *Hanc spectare manum Porsena non potuit*, dixerit Martialis: non aliter ac illud etiam: *Traducta est Getulis, nec coepit harena nocentis*, duabus syllabis eluxatis. Illud etiam advertendum, quod Servius Lucretiae stuprum ab Arunte illatum ait: quum Livius Sextum dicat.

650. PONTEM AUDERET QUOD VELLERE COCLES. In antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, legi, *auderet quia vellere*. In quo ex antiquioribus, *qui . avellere*, notatum est, puncto inter *i* & *a*, librariorum inscitia interjecto, quum forte, *quia*, scriptum invenissent; sed puto ego, *quia*, desumptum ex paraphrasi, & *quod*, antiquam esse lectionem.

652. CUSTOS TARPEJAE MANLIUS ARCIS. In Romano codice, *Malius* legitur unico *l*; sed in Oblongo, & aliis, *Mallius*, *ll* geminato, ut apud Catullum in codicibus emendatis. Sane *Manlius*, per *n* parcissime habetur in antiquis his exemplaribus: tametsi apud Livium in veteri codice: *Manlius* saepe legatur. Neque tamen mirum, si aliter inveniatur usquam; quum & antiquorum inscriptiones in hoc nomine, perinde ac etiam in aliis, plurimum varient.

654. ROMULEOQUE RECENS HORREBAT REGIA CULMO. Per literarum transpositionem, in Rom. codice, *Rumoleo*, scriptum est; nisi a *ruma Rumolum*, quod ajunt, dictum velis, atque inde

Ru-

655 Atque hic auratis volitans argenteus anſer
Porticibus Gallos in limine adeſſe canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque tenebant,
Defenſi tenebris, & dono noctis opacae.
Aurea caeſaries ollis, atque aurea veſtis.
660 Virgatis lucent ſagulis: tum lactea colla
Auro innectuntur. Duo quiſque Alpina coruſcant
Gaeſa manu, ſcutis protecti corpora longis.
Hic exſultantis Salios, nudoſque Lupercos,
Lanigeroſque apices, & labſa ancilia caelo

Ex-

SERVII.

655. ATQUE HIC. *Hic*, in Capitolio ſcilicet: & ſatis prudenter *argenteum anſerem* dixit: nam quaſi & epitheton eſt coloris, & ſignificavit rem veram: nam in Capitolio in honorem illius anſeris, qui Gallorum nuntiarat adventum, poſitus fuerat *anſer argenteus*. AURATIS PORTICIBUS. Hoc ad tempus retulit florentis Romanae reipublicae: nam illo loco, ubi dixit: *Horrebat regia culmo:* ideo addidit *Romuleo*, ut incipientis & pauperis adhuc imperii tempora deſignaret.

656. GALLOS. Senones, qui Senones dicti ſunt, quod Liberum patrem hoſpitio recepiſſent. CANEBAT. Quaſi praedivinabat: nam *canere*, & dicere, & divinare ſignificat.

657. ARCEMQUE TENEBANT. Deeſt *pene:* nam prope tenuerunt.

658. DEFENSI TENEBRIS, ET DONO NOCTIS OPACAE. Multi iterationem volunt. Alii dicunt *tenebris*, propter cuniculos. DONO NOCTIS. Somno Manlii: nam ſomnus, noctis eſt donum.

659. CAESARIES. Coma, ideo quod caedi poteſt. AUREA VESTIS. Hoc eſt, barba: unde contra *inveſtes* dicimus imberbes: unde eſt: *Tunc mihi prima genas veſtibat flore juventas*.

660. VIRGATIS LUCENT SAGULIS. Quae habebant in virgarum modum deductas ſtrias. Et bene adluſit ad Gallicam linguam, per quam *virgae*, purpura dicitur. *Virgatis* ergo, ac ſi diceret purpuratis. GAESA. Haſtas viriles: nam etiam viros fortes Galli *Gaeſos* vocant.

662. SCUTIS LONGIS. Per hoc corporum oſtenditur magnitudo, ut ſupra: *Stabant tercentum nitidi in praeſepibus altis*. Per quod equorum magnitudinem expreſſit.

663. HIC. In eodem ſcuto. Et congrue ſacerdotes ſtatim poſt templa commemorat. SALIOS. Qui ſunt in tutela Jovis, Martis, Quirini. Dicti *Salii* ideo, quod circa aras ſaliunt & tripudiant. Alii a *Salio*, Aeneae comite, dictos volunt. NUDOSQUE LUPERCOS. Cum in honorem Panos Lupercaliorum ſolemnitas celebraretur, pecora Romanorum ſubito a latronibus rapta ſunt. Illi projectis veſtibus perſecuti ſunt: his latronibus oppreſſis, & receptis animalibus, propter rem a nudis proſpere geſtam, conſuetudo permanſit, ut nudi Lupercalia celebrarent.

664. LANIGEROSQUE APICES. Flamines in capite habebant pileum: in quo erat brevis virga deſuper habens lanae aliquid: quod cum per aeſtus ferre non poſſent, filo tantum capita religare coeperunt: nam nudis penitus eos capitibus incedere neſas fuerat: unde a filo, quo utebantur, flamines ſunt dicti, quaſi filamines. Verum feſtis diebus filo depoſito, pilea neceſſe erat accipere, quae ſecundum alios ad oſtendendam ſacerdotii eminentiam ſunt reperta: ſicut columnae mortuis nobilibus ſuperponuntur, ad oſtendendum eorum columen. Alii dicunt, non propter eminentiam dignitatis hoc factum; ſed quia, cum ſacrificarent apud Laurolavinium, & eis exta frequenter aves de vicinis venientes lucis abriperent, eminentia virgarum eas terrere voluerunt. Exinde etiam conſuetudo permanſit, ut apud Laurolavinium ingentes haberent virgas, non breves ut in Urbe. LAPSA ANCILIA CAELO. Regnante Numa Pompilio ſcutum breve & rotundum caelo lapſum eſt: & cum aruſpices reſpondiſſent, illic fore orbis imperium, ubi illud fuiſſet, diligentia Numae, ne quandoque ab hoſtibus poſſet auferri, adhibito Mamurio fabro, multa ſimilia facta ſunt, & in templo Martis locata. Quod autem dicit *ancilia*, plurali utitur numero pro ſingulari: nam unum lapſum eſt: *Ancile* autem dicitur, aut quaſi undique circumciſum: aut quaſi ἀμφίχειλον, id eſt, undique labrum habens.

PIE-

665 Extuderat: caſtae ducebant ſacra per urbem
Pilentis matres in mollibus. Hinc procul addit
Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis;
Et ſcelerum poenas, & te, Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo, Furiarumque ora trementem,
670 Secretoſque pios: his dantem jura Catonem.
Haec inter tumidi late maris ibat imago

SERVII.

665. EXTUDERAT. Studioſe fecerat. DUCEBANT. Deducebant: haec enim fuerat conſuetudo.

666. PILENTIS MATRES IN MOLLIBUS. *Pilenta*, ſunt vehicula: ſicut nunc baſternas videmus. Erant autem tunc veneti coloris, non, ut nunc ſunt, ruſſati, quibus niſi caſtae matronae uti non poterant, ſicut nec vittis: unde addit *caſtae*. *Mollibus* autem, penſilibus, ut *molle feretrum*; & *oſcilla mollia*: contra, *plumas penſiles* dicimus, & molles ſignificamus: & *mollibus*, molliter ſtratis: quidam *pilenta*, tecta ciſia vulgo dicta tradunt. HINC PROCUL. Bene longe a templis Inſeros facit. Et bene *Tartareas ſedes*, ut nihil praetermiſſum videretur.

668. SCELERUM POENAS. Pro, ſceleratorum. Et bene ait *ſcelerum poenas*: in crimina enim perſonae incidunt; non ipſarum ſunt proprie crimina: unde & ſceleribus ſunt ſtatuta ſupplicia, quae in ſe incidentes homines obnoxios faciunt. ET TE CATILINA MINACI PENDENTEM SCOPULO. Hoc quaſi in Ciceronis gratiam dictum videtur.

670. SECRETOSQUE PIOS. Aut in ſecreto morantes; aut participaliter, ab illis ſecretos. HIS DANTEM JURA CATONEM. Ut ſupra diximus, Cenſorium ſignificat; non Uticenſem, qui contra Caeſarem bella ſuſcepit. Quomodo enim piis jura redderet, qui in ſe impius fuit? Et ſupergreſſus eſt hoc loco Homeri diſpoſitionem. Siquidem ille Minoen, Rhadamantum, Aeacum de impiis judicare dicit; hic Romanum ducem innocentibus dare jura commemorat.

671. HAEC INTER. Bene inter Inferos & Superos mare factum dicit, quod, ut ſupra diximus, nos ab Antipodibus dividit, qui Inferi ſunt noſtri comparatione.

PIERII.

Rumoleus, quod ego nuſquam alibi obſervavi. Sed apud Aſprum in antiquo codice, *Romolus*, omnino ſcriptum eſt per o in pene ultima, ut *populus*, in XII. Tabulis.

655. ATQUE HIC AURATIS VOLITANS ARGENTEUS ANSER PORTICIBUS. In quibuſdam codicibus antiquis, *hinc*, legitur; ſed Servius agnoſcit *hic*, dum exponit in Capitolio.

657. GALLI PER DUMOS ADERANT. In antiquo admodum codice, *olli per dumos*: quia jam poſitum erat: *Gallos in limine adeſſe canebat*. Caeterum ea repetitio tam nominis quam verbi mihi non parum venuſtatis & elegantiae habere videtur: *Gallos in limine adeſſe canebat, Galli per dumos aderant*.

659. AUREA CAESARIES ILLIS. Hoc autem loco *ollis*, in antiquis habetur exemplaribus.

663. HINC EXSULTANTES SALIOS. In antiquis aliquot, *hic exultantis*. *Hic*, hoc eſt, in ſcuto, vel in hac parte.

664. ANCYLIA. In antiquis codicibus manu ſcriptis, *ancilia*, per i Latinum ſcribitur. Et eodem pacto in Antonini Pii nummis notatum eſt, ubi ſcuta tria oblonga ovali propemodum figura inſpiciuntur, cum inſcriptione: ANCILIA.

665. EXTUDERAT, CASTAE DUCEBANT SACRA PER URBEM PILENTIS MATRES IN MOLLIBUS. In Romano codice, *extuderant*, legitur numero multitudinis, ut de Cyclopibus intelligatur; ſed magis placet, *extuderat*, ut omne opus ad Volcanum referatur, uti ſuperius: *Fecerat Ignipotens*: & paulo infra: *Hinc procul addit*. Et in emendatis Priſciani codicibus, *extuderat*, eſt, ubi ait: *Tundo tutudi, cujus pene ultimam antiqui modo producebant, modo corripiebant*. Virg. VIII. *Caelo extuderat*. Eun. in Ann. *Vireſque calentis Contudit crudelis hyems*. Inſulſum vero illud eſt, quod apud interpretes legitur, *Matronas non niſi caſtas pilentis uſas*, quum *caſta*, ſit epitheton *matronis* adcommodatum. Praeterea tangit hoc loco Virgilius hiſtoriam, quod matronis conceſſum eſt, ut pilento ad ſacra, ludoſque veherentur. Sed animadvertendum eſt, perperam in vulgatis exemplaribus Livii, *plauſtra* legi, pro *pilento*, ut veteres codices habent: ita enim locus ille legitur: *Honorem ob eam munificentiam ferunt matronis habitum, ut Pilento ad ſacra, ludoſque, Carpentis feſto, profeſtoque uterentur*.

Aurea; sed fluctu spumabant caerula cano:
Et circum argento clari delphines in orbem
Aequora verrebant caudis, aestumque secabant.
675 In medio classis aeratas, Actia bella
Cernere erat: totumque instructo Marte videres
Fervere Leucaten, auroque effulgere fluctus.
Hinc Augustus agens Italos in proelia Caesar

Cum

SERVII.

672. IMAGO AUREA. Non est contrarium, quod & *caeruleam*, & *auream*, & *argenteam* maris esse dicit imaginem: quam scimus pro ventorum qualitate mutari, & colores varios reddere, quod expressum in scuto fuisse significat. IBAT autem, quidam pro *erat* accipiunt, ut: *Ast ego, quae divum incedo regina*. Sane ubique propositum est Poetae Augusti gloriam praedicare; itaque majorem partem operis in hoc clypeo Augusto adsignat. CAERULA. Id est, maria. FLUCTU CANO. Omnis enim spuma alba est, quae fluctibus nascitur.

673. IN ORBEM. In circuitu, in medio; utrum clypeo, an mari?

674. AESTUMQUE SECABANT. Naturalem rem ostendit: nam semper mare turbatur, cum Delphini apparuerint.

676. CERNERE ERAT. Graeca figura est: sicut Graece dicitur: ὁρᾷν ἦσαν.

677. FERVERE LEUCATEN. *Fervere*, ab eo quod est *fervo* facit: nam ab eo, quod est *ferveo*, *fervere* facit, *ve* producta: sic *effulgere*. Alii dicunt antique per tertiam conjugationem correpta media syllaba positum, ut, *Lavit ater corpora sanguis*: pro lavat; de eo in tertio Georgicorum in ipso loco plenius dictum est. LEUCATEN. In promontorio Epiri est mons *Leucate*: quod quia saxa nuda in cacumine habuit, ex horum candore *Leucates* appellatus est. AUROQUE EFFULGERE FLUCTUS. Non quod hic ex auro fluctus esse dicat, quos supra canos dixit; sed quod mare ex auro expressum sit, fluctus per aurum effulgeant.

678. HINC AUGUSTUS AGENS ITALOS. Cum de statu reipublicae esset longa contentio inter Augustum & Antonium & Lepidum, placuit, ut totum Orientem teneret Antonius; Augustus Gallias & Hispanias cum Italia; Lepidus Africam, Siciliam, Sardaniam: & ad caussam majoris fidei Antonius sororem Augusti duxit uxorem. Profecti itaque sunt in provincias suas. Sed Antonius in prima aetate creatus Tribunus plebis, Caesarianas partes cum Curione defendens, bellum civile inter Caesarem Pompejumque commovit. Quaestor fuit, idemque Augur: quo Consule in senatu Caesar occisus est. Hic, sicut dictum est, cum divisa Repub. ad Orientem isset; in Aegypto captus est amore Cleopatrae, non usquequaque adeo, ut ea dimissa, contra Parthos proficisceretur: quibus, cum ante victor esset, post repulsus, dum Cleopatrae cupiditate festinat, exercitum omnem frigore in Armenia perdidit. Ipse tamen, animalium cadaveribus pastus, cum paucis ad Aegyptum est reversus: ubi ei coepit suadere Cleopatra, ut se sortiretur uxorem, derelicta sorore Augusti: quo facto Augustus vehementer accensus, contra eum coepit bella moliri. Antonius, re comperta, collectis Orientis viribus, prior cum uxore Cleopatra venit ad bellum. Conflictum est navali certamine circa Actium, Epiri promontorium: ubi victi sunt Antonius & Cleopatra, & in fugam coacti: postea occiso Antonio, illa sibi serpentes adhibuit. Sed Antonius, cum Alexandriam obsideri videret, & in eo esse, ut capi posset, se ipsum occidit; Cleopatra vero, cum ad Augustum esset adducta, & in custodia esse jussa esset, admotis sibi, ut putatur, serpentibus, vitam finivit. Sed quia belli civilis triumphus turpis videtur, laborat Poeta, ut probet justum bellum fuisse, dicens, Augustum esse *Cum Patribus, populoque, penatibus, & magnis diis*; contra cum Antonio auxilia peregrina, & monstrosa Aegypti numina: & re vera in exercitu Antonii omnes Barbari fuerunt: quod & Virgilius dicit: *Aegyptum, viresque Orientis, atque ultima secum Bactra vehit*. Unde etiam de bello hoc egit triumphum: nec enim civile putatum est, quod tantummodo Romano duce gestum est, qui & ipse Barbarae serviebat uxori: adeo ut praetoria ei castra concederet, quorum qui potiebatur imperio, ipse vocabat exercitum: unde est illo loco de Cleopatra: *Patrio vocat agmina sistro*: nam Antonius consulare sibi tantum detinuit imperium, in quo sola est potestas jubendi: ille enim ducit exercitum, qui habet in potestate castra praetoria.

PIE-

Cum Patribus, Populoque, Penatibus, & magnis DIs;
680 Stans celsa in puppi: geminas cui tempora flammas
Laeta vomunt, patriumque aperitur vertice sidus.
Parte alia ventis & DIs Agrippa secundis
Arduus agmen agens: cui belli insigne superbum
Tem-

SERVII.

679. PENATIBUS ET MAGNIS DIIS. Alii unum volunt esse; alii separant, ut *magnos deos* accipias Jovem, Minervam, Mercurium, quos Aeneas de Samothracia sustulit.

680. TEMPORA FLAMMAS LAETA VOMUNT. Naturaliter enim Augustus igneos oculos habuisse dicitur; adeo ut obtutum ejus nemo contra aspectare posset: denique quidam eques Romanus, interrogatus ab eo, cur se viso verteret faciem, dixerit: *Quia fulmen oculorum tuorum ferre non possum*, sicut ait Suetonius.

681. APERITUR VERTICE SYDUS. Apparet sydus in vertice, hoc est, super galeam: nam ex quo tempore per diem stella visa est, dum sacrificaretur Veneri Genitrici, & ludi funebres Caesari exhiberentur, per triduum stella apparuit in Septentrione, quod sidus Caesaris putatum est Augusto persuadente: nam ideo Augustus omnibus statuis, quas ob divinitatem Caesaris statuit, hanc stellam adjecit. Ipse vero Augustus in honorem patris stellam in galea coepit habere depictam. Honorifice autem Poeta unam stellam *sidus* dixit, cum sidus ex multis stellis constet.

682. PARTE ALIA. Non e contra; sed in alia parte aciei. VENTIS, ET DIIS AGRIPPA SECUNDIS. *Agrippa*, dicitur ab *aegro partu*, id est, qui pedibus nascitur. Sed hic Agrippa, non adeo claro genere ortus, viribus, & societate Augusti, ad summos honores pervenit: nam & Tribunus plebis quietissimus fuit: & post tertium Consul: & in multis bellis cum Augusto gestis victoriam Augusto sua virtute confecit: nam & Sextum Pompejum apud Mylas ipse devicit; & apud Actium Antonium & Cleopatram navali certamine prope ipse superavit: ob quod meruit etiam gener esse Augusto. *Secundis* ergo dixit, Augusti comparatione; nam hoc dicit: Augustus nimio ventorum & numinum utebatur favore. AGRIPPA SECUNDIS. Hoc est, Ille habuit primum favorem; hic secundum. Hadrianus scribit, Agrippam solitum tempestate orta milites cogere, naves in fluctus urgere, ut consuetudine discriminis dempto metu, redderet eos adversum pericula fortiores: ergo [illegible] saevi maris, quod exercitationi militibus erat, ait *Diis & ventis secundis* esse pugnatum; ut tempestatem quidem Agrippa non timuerit; sed favor divinus maria constraverit: nam & ipsa Actiaca pugna, cum Aquilo ei esset adversus, eo exercitio, quo milites adsueverat adversum fluctus naves agere, ad portum se fugere finxit: quare, cum hostes decepti insequi conati essent, conversis subito navigiis suis Alexandrinas naves incurrit, & telis ac flammis in eas missis, refragante hostibus fluctu, cum nihil ipsi tale facere possent, victoriam consecutus est: merito ergo *Ventis secundis*.

683. INSIGNE SUPERBUM. Quasi principale decus.

PIERII.

672. SED FLUCTU SPUMABANT CAERULA CANO. In antiquis plerisque codicibus, *spumabat*, unitatis numero legitur, ut sit: Caerula maris imago spumabat fluctu cano.

675. ACTIA BELLA. In antiquis codicibus fere passim legitur *Accia*, cc geminato, quod a similitudine quadam inter c & τ, quae est in litteris Longobardicis evenisse puto, quum *Actia*, per cτ sit scribendum. *Actia* enim, Acarnaniae oppidum, ab Ambracio sinu venientibus, ubi templum Apollinis, & certamina Gymnica, & Equestria celebrabantur: unde *Apollo*, & *Actiarus*, & *Actiacus* cognominatur. Arcadius in Orthographia: Ἀκτία inquit, καὶ ἡ [illegible] Ἄκτια. *Attius* tamen, uti superius comprobatum est, pro nomine proprio ab *Ati*, duplicato τ, etiam asserente Victorino in praeceptis de Orthographia, scribi debet: cui pleraeque veterum inscriptiones adstipulantur.

676. TOTUMQUE INSTRUCTO MARTE VIDERES FERVERE LEUCATEN. Antiqui aliquot codices, *extructo*, legunt: aliquot alii, *instructum*, per accusativum, quippe *Leucatem*; sed enim, *pugnam instruit*, apud Latinissimos historicos saepe. Quare melius *instructo Marte*.

680. STANS CELSA IN PUPPI. In Romano codice, & quibusdam aliis, *stat*, verbi, non participii forma, legitur. Respicit enim rectum suum, *Augustus agens Italos*, & quae sequuntur: quod si, *stans*, legas, subaudiendum, *sculptus erat*.

683. ARDUUS AGMEN AGENS. In aliquot antiquis, ar-

Tempora navali fulgent rostrata corona.
685 Hinc ope barbarica, variisque Antonius armis,
Victor ab Aurorae populis & litore rubro
Aegyptum, viresque Orientis, & ultima secum
Bactra vehit; sequiturque (nefas) Aegyptia conjunx.
Una omnes ruere, ac totum spumare reductis
690 Convolsum remis, rostrisque stridentibus, aequor.
Alta petunt: pelago credas innare revolsas
Cycladas, aut montis concurrere montibus altos. Tan-

SERVII.

684. NAVALI ROSTRATA CORONA. Sextus Pompejus, Pompeii filius, in Sicilia piraticam exercuit; contra quem primo cum Agrippa dimicavit Augustus: postea Agrippae cura data est, qui eum delevit; ob quod ei Augustus rostratam dedit coronam, quia vicerat navali certamine.

685. HINC. A parte contraria. OPE BARBARICA. Crimen Antonii, quod ope barbarica Romanus pugnet. VICTOR AB AURORAE POPULIS. Quia primo vicerat Parthos, ut diximus: aut quia Antonium Parthi postea pepulerunt; sed videtur hoc ideo tacuisse, ne Augustus inbellem superasse videatur: ideo addidit victorem Orientis Antonium, ut majorem hostem Augustus vicisse videatur.

686. LITTORE RUBRO. Erythraeo mari, quod est inter Aegyptum & Indiam.

687. ET ULTIMA SECUM BACTRA VEHIT. *Ultima*, non quantum ad fines spectat orbis terrarum; sed *ultima* in imperio Antoniano: constat enim, Bactrianos post se habere gentes innumeras.

688. NEFAS. Exclamatio est: quasi *pro nefas!* aut per parenthesin dictum est; & *nefas*, non in eo tantum, quod Aegyptiam Romanus duxerat; sed etiam, quod mulier castra sequebatur: quod in ingenti turpidine apud majores fuit, unde bellaturus Pompejus in Lesbo reliquit uxorem.

689. RUERE. Ruebant, id est, veniebant cum impetu. Et hoc verbo more suo ostendit velocitatem.

691. CREDAS. Pro, credat quis.

692. CONCURRERE MONTIBUS ALTOS. Alii ALTIS *legunt;* unum tamen est.

PIERII.

arduos, ea religione, quam superius contra Terentii Scauri sententiam nonnullos diximus observasse.

685. VARIISQUE ANTONIUS ARMIS. In codd. aliquot antiquis, *variis Antonius armis*, legitur, absque particula *que:* ut sit: Armis variis opera Barbarica: de habitu enim & ornatu hic agitur, quo singuli internoscerentur.

687. AEGYPTUM VIRESQUE ORIENTIS. Sunt codices, in quibus, *Aegyptum* per *u* scriptum inspicitur: & ita notari solitum Augusti temporibus, qui ea littera etiam in formae superlativae nominibus delectabatur, inscriptio declarat Horologii, quod in campo Martio erexit: in cujus basi haec adhuc inspicitur:

AEGVPTO IN POTESTATEM POPULI ROMANI REDACTA.

Et quae plurima hujusmodi supra recitavimus. Sane vero in Hadriani nummis utroque modo legitur, nunc AEGVPTOS, per v vocalem Latinam; nunc AEGYPTOS, per υ ψιλὸν Graecam.

688. SEQUITURQUE, NEFAS, AEGYPTIA CONJUX. Ita hic *Aegyptia*, in quodam antiquo codice, *conjux* vero, variat, & in veteribus codicibus, & in marmorum inscriptionibus, ut alibi dictum. Quantum vero pertinet ad sententiam, D. Hieronymus ad Oceanum de Vita clericorum locum hunc citat: quia Virgilius *nefas* posuit. *Uxores enim*, ait ille, *castra non sequebantur*. Quamvis *Romanis civibus matrimonia cum externis non permissa*, Livius dicit. Et super hoc Severinus in Topicis Ciceronis plura.

690. CONVULSUM REMIS ROSTRIS STRIDENTIBUS AEQUOR. In antiquis, *convolsum*. De *rostris* vero *stridentibus*, in quinto Aeneidos multorum recitavimus opiniones, inserendumne esset *que:* an aliter legendum, quae non videntur nunc ad repetendum necessaria.

692. AUT MONTES CONCURRERE MONTIBUS ALTOS, TANTA MOLE VIRI TURRITIS PUPPIBUS INSTANT. Haec quidem non tam Hyperbole poetica est, quam ex historia locus sumptus. Apud Florum enim legas de navalibus Antonii: *Sed numerum magnitudo pensabat; quippe a senis in novenos remorum ordinibus: ad haec turribus, atque tabulatis allevatae, ca-* stel-

Et scissa gaudens vadit Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur Bellona flagello.
Actius haec cernens arcum intendebat Apollo
705 Desuper: omnis eo terrore Aegyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabaei.
Ipsa videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jamque inmittere funis.
Illam inter caedes pallentem morte futura
710 Fecerat Ignipotens undis & Iapyge ferri;
Contra autem magno maerentem corpore Nilum,
Pandentemque sinus, & tota veste vocantem
Caeruleum in gremium, latebrosaque flumina victos.

At

SERVII.

702. SCISSA DISCORDIA PALLA. Utrum *scissa palla gaudens*; an *scissa palla vadit*, & seorsum *gaudens?* Ideo autem *discordia*: quia unius civitatis & cives principes erant: & bene *Diram Discordia* sequitur, quam Bellona comitatur: nam per discordiam venitur ad bellum, in quo necesse est sanguinem fundi, ideo ait: *sanguineo flagello*. Horatius: *Ira, truces inimicitias, & funebre bellum*.

704. ACTIUS HAEC CERNENS. Quem postea *Actium* nominavit Augustus.

706. VERTEBANT TERGA SABAEI. Omnes populi Orientis sunt.

707. IPSA VIDEBATUR VENTIS. Apud plures, Cleopatram priorem fugisse; post insecutum Antonium.

708. JAM, JAMQUE. Scilicet aviditate fugiendi. Et bene *jam jamque* addidit: quia tempus operis in pictura declarari non poterat.

709. INTER CAEDES. Inter suorum cadavera. MORTE FUTURA. Omine mortis futurae.

710. IAPYGE FERRI. Vento, qui de Apulia flans, optime ad Orientem ducit. *Iapygia* enim Apulia dicta est. Horatius: *Obstrictis aliis praeter Iapyga*. Quem Varro De ora maritima *Argesten* dicit, qui de Occidente aestivo flat: hic in Apulia pestilens est.

711. MAGNO CORPORE. Aut ita eum, tanquam deum, corpore formatum accipiendum est: aut *magno*, septemfluo, & non *corpore moerentem*, sed *magno corpore pandentem sinus*.

713. VOCANTEM CAERULEUM IN GREMIUM. Hoc de historia est; nam legitur, Cleopatram praesagio mortis futurae oblitam esse recessus Aegypti petere: in quibus facile poterat bella reparare. De qua re se moriens dicitur increpasse. Bene ergo Poeta adjicit hortatum fuisse Nilum, ut interitus fugeret, ideo: *Tota veste vocantem ceruleum in gremium*. LATEBROSAQUE FLUMINA. Quia Nili origo nescitur; licet Plinius dicat, haud longe ab Aethiopia Maurorum, post majorem Atlantem, lacum esse, ex quo Nilus erumpit. Quod videtur esse verisimile ex belluarum similitudine.

PIERII.

701. TRISTESQUE EX AETHERE DIRAE. In Romano codice, & in Mediceo, *divae*, legitur; sed *dirae*, magis placet, quod agnoscit Servius. Tametsi *divae*, cum epitheto *tristes*, periphrasis Dirarum esse possit.

703. QUAM CONSANGUINEO SEQUITUR BELLONA FLAGELLO. Legendum distinctis dictionibus, *cum sanguineo*: quod inscitia librariorum fere passim corrumpitur.

704. ACCIUS HAEC CERNENS ARCUM INTENDEBAT APOLLO. *Actius*, hic legendum, ut superius adnotatum. Est vero in Mediceo, *tendebat*, simplex verbum, ut apud Horatium: *Neque semper arcum Tendit Apollo*.

705. TERRORE AEGYPTUS ET INDI. In antiquis *Aegyptus*. Valerius vero Probus *Aegyptos*, per *os* agnoscit, ubi hujus carminis exemplo rectum in *os* quorundam nominum corripi tradit.

706. OMNIS ARABS. In codicibus aliquot antiquis, *Araps*, per *p* scriptum est: nempe quia sonus litterae ψ in *ps* exire videretur. Hinc Scaurus, ut alibi dictum, ait voluisse nonnullos, *opstitis*, etiam per *p* scribere; sed enim inesse *b* mediam litteram in littera ψ declarant obliqui casus, ut Αραψ Αραβος. Et tamen eam, quam tangit Scau-

At Caesar, triplici invectus Romana triumpho
715 Moenia, DIs Italis votum inmortale sacrabat.
Maxima tercentum totam delubra per Urbem
Laetitia, ludisque viae plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus arae:
Ante aras terram caesi stravere juvenci.
720 Ipse, sedens niveo candentis limine Phoebi,
Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus: incedunt victae longo ordine gentes,
Quam variae linguis, habitu tam vestis & armis.
Hic Nomadum genus, & discinctos Mulciber Afros,
725 Hic Lelegas, Carasque, sagittiferosque Gelonos

Fin-

SERVII.

714. TRIPLICI TRIUMPHO. Tres enim Augustus habuit triumphos; nam primo die triumphavit exercitus, qui Antonium vicerat navali bello; secundo, qui Dalmatas vicerat; tertio, ipse cum Alexandrino est ingressus triumpho.

715. DIIS ITALIS VOTUM IMMORTALE SACRABAT. Videtur aedem Apollinis dixisse, quae est in Palatio.

716. TERCENTUM. Pro, multis.

717. LUDISQUE VIAE, PLAUSUQUE FREMEBANT. Hoc est, Compitalitii ludi celebrati sunt. Et est Zeugma: nam & *delubra fremebant*.

720. CANDENTIS LIMINE PHOEBI. In templo Apollinis, in Palatio de solido marmore effecto, quod adlatum fuerat de Portu Lunae, qui est in confinio Tusciae & Liguriae; ideo ait *candentis*.

721. DONA RECOGNOSCIT POPULORUM. Aurum coronarium dicit, quod triumphantibus hodieque a victis gentibus datur. Imponebant autem hoc imperatores propter concessam immunitatem. Ideo ergo dixit *dona*: nam si hoc non esset, spolia diceret. APTATQUE SUPERBIS POSTIBUS. Porticum enim Augustus fecerat, in qua simulacra omnium gentium conlocaverat, quae porticus appellabatur *Ad nationes*.

724. HIC NOMADUM GENUS. Atqui Antonius Orientis habuit populos; sed intelligamus has gentes Africae operas suas locasse; & simul cum Antonio ab Augusto esse superatas. DISCINCTOS. Vel habitum eorum ostendit, qui usque in talos fluebat: quod Plautus ridet in Poenulo, dicens: *Quaenam illaec avis?* cum Afrum vidisset, vestem demissam trahentem; neque enim utuntur hodieque zonis: aut *discinctos*, inhabiles militiae: omnes enim, qui militant, cincti sunt: aut inefficaces; ut contra *praecinctos*, strenuos dicimus. Horatius: *Altius ac nos praecincti sunt*; unde & Graece *εὔζωνοι* appellatur, non qui bonam zonam habet; sed qui est strenuus. MULCIBER. Vulcanus: ab eo, quod totum ignis permulceat: aut quod ipse mulctatus pedes sit, sicut quibusdam videtur; aut quod igni mulctatur.

725. LELEGAS. Thessalos. Lucanus de Thessalia: *Mox Lelegum dextra pressum descendit aratrum*. CARASQUE. *Carae*, insulani populi fuerunt, piratica famosi, victi a Minoe, ut & Thucydides & Sallustius dicunt. GELONOS. Populos Scythiae.

PIERII.

rus, consuetudinem mutandi *b* in *p* ante *s*, quod *ψ* sonaret, in plerisque veterum inscriptionibus animadverti, ut quam e regione sacelli Divi Eustachii legisse me superius ostendi, AUT HANC ARAM APSTULERIT. Et ita in plerisque aliis locis.

710. ET IAPYGE FERRI. In antiquis aliquot *Iapuge*, ut ejusmodi pleraque.

717. LAETITIA LUDISQUE VIAE. In Oblongo codice, *lusu*, legitur: quod non aeque placet.

718. OMNIBUS IN TEMPLIS MATRUM CHORUS OMNIBUS ARIS. In antiquis omnibus codicibus, quoquot habui, legere est, *omnibus arae*, quod longe magis placet. *Arae* enim ad preces extruebantur.

722. INCEDUNT VICTAE LONGO ORDINE GENTES. In codicibus aliquot antiquis, *matres*, non, *gentes*, habetur; sed *gentes*, rem facit ampliorem: & statim ad earum species descendit, genere jam posito.

724. HIC NOMADUM GENUS. In antiquis plerisque codd. *Numidum* legitur, quo pacto gentem

Finxerat. Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum Morini, Rhenusque bicornis;
Indomitique Dahae, & pontem indignatus Araxes.
Talia, per clipeum Volcani, dona parentis
730 Miratur, rerumque ignarus imagine gaudet;
Attollens humero famamque, & fata nepotum.

SERVII.

726. EUPHRATES IBAT JAM MOLLIOR UNDIS. Sentiens quasi, se esse superatum. Horatius: *Minores volvere vertices*.

727. MORINI. Populi Galliae, in finibus, qui Britanniam spectant, proximi Oceano. RHENUS. Fluvius Galliae, qui Germanos a Gallia dividit. BICORNIS autem, aut commune est omnibus fluviis, aut proprie de Rheno: quia per duos alveos fluit; per unum, qua Romanum imperium est; per alterum, qua interluit Barbaros: ubi jam Vahal dicitur, & facit insulam Batavorum.

728. INDOMITIQUE DAHAE. Populi Scythiae, a parte Septentrionali, juncti Persidi: unde Dahi dicti. PONTEM INDIGNATUS ARAXES. Hic Armeniae fluvius, quem pontibus nisus est Xerxes conscendere: vel cui Alexander Magnus pontem fecit, quem fluminis incrementa ruperunt: postea Augustus firmiore ponte eum ligavit: unde ad Augusti gloriam dixit: *Pontem indignatus Araxes*.

729. PER CLYPEUM VULCANI. Hic distinguendum: nam *Vulcani parentis*, non procedit. PARENTIS. Nunc honoris.

730. RERUM. Futurarum, quae nondum fuerunt. IMAGINE GAUDET. Ignarus erat veritatis, sed triumphorum imagine delectabatur.

731. ATTOLLENS HUMERO FAMAMQUE ET FACTA NEPOTUM. Si *fata* legeris, hoc est, quod nepotes fataliter fecerunt. Hunc versum notant Critici, quasi superfluo & inutiliter additum, nec convenientem gravitati ejus: namque est magis neotericus. FAMAMQUE. Gloriam. NEPOTUM. Posterorum.


PIERII.

tem eam ab Romanis appellari tradit Appianus, ut alibi diximus.

725. SAGITTIFEROSQUE GELONOS FINXERAT. In Romano codice, *tinxerat*: in aliquot aliis, *fixerat*: utrumque librariorum negligentia.

728. INDOMITIQUE DACI. Nomen hujus gentis varie scribitur in antiquis codicibus: nam codices omnino sunt, in quibus *Daci* scriptum habeatur. In aliquot *Dacae*. In Romano codice *Dahae*, adspiratione interjecta, unde factum ut etiam *Dache*, veluti accidit in *nichil*, alicubi notatum inveniatur. Sed enim *Daae* recipitur ab eruditis, qui sunt Scythiae populi. Hermolaus Byzantinus, ut ex Stephani compendio legitur, Δάαι Σκυθικὸν ἔθνος εἰσὶ δὲ Νομάδες. λέγονται δὲ Δάικοι μετὰ τοῦ κ. In quo advertendum est, impressos codices corruptos esse. Sed enim & *Daci*, ex regione *Dacia*, juxta Borysthenem dicuntur, quos a Graecorum consuetudine in comoediis *Davos* appellamus, pro servorum nominibus. Eos Attici Δάοι dicunt. Vergunt illi in Germaniam, & ad Istri fontes, ut idem auctor est Hermolaus.

729. TALIA PER CLYPEUM VULCANI. In antiquis, *per clupeum Vulcani*: de cujus utriusque ratione satis superque superius disputatum.



Ant Visentini f.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS
LIBER NONUS.

ATQUE ea diverſa penitus dum parte geruntur,

Irim

SERVII.

Vs. 1. ATQUE EA DIVERSA PENITUS DUM PARTE GERUNTUR. In hoc libro mutatio eſt omnium rerum : nam & aliae perſonae, & loca alia ſunt, & aliud negotium incipitur. Ab Aenea enim tranſit ad Turnum; a Tuſcia ad Ardeam, a petitione auxiliorum ad bellum; quem tranſitum quidam culpant, neſcientes Virgilium prudenter junxiſſe ſuperioribus negotiis ſequentia, per illam particulam, *Atque ea diverſa penitus dum parte geruntur*. Scilicet dum offeruntur arma, dum dantur auxilia. DUM enim, cum ſit conjunctio, hic tamen adverbii vim obtinet. Terentius: *Mea nihil refert, dum potiar modo*. Sane formatus eſt iſte liber ad illa Homeri, ubi dicit per noctem egreſſos eſſe Diomedem & Ulyxem, cum capto Dolone caſtra penetrarunt : nam partem maximam & oeconomiae & negotiorum exinde habet. DIVERSA PENITUS. Valde diverſa, id eſt, longius remota, vel apud Pallanteum, vel in Etruria: unde paulo poſt dicit : *Nec ſatis, extremas Corythi penetravit ad urbes, Lydorumque manum*.

Irim de caelo misit Saturnia Juno
Audacem ad Turnum. Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus sacrata valle sedebat.
5 Ad quem sic roseo Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti Divum promittere nemo
Auderet, volvenda dies, en, attulit ultro.
Aeneas, urbe, & sociis, & classe relicta,
Sceptra Palatini, sedemque petit Euandri.
10 Nec satis: extremas Corythi penetravit ad urbes:

Ly-

SERVII.

2. IRIM. *Iris*, quasi ἔρις dicta est: nunquam enim ad conciliationem mittitur, sicut Mercurius; sed ad disturbationem. Et est ministra non tantum dearum, sed & deorum: nam praeter Homerum & Virgilius hoc probat, dicens: *Aeriam caelo nam Juppiter Irim Demisit, germanae haud mollia jussa ferentem.*

3. AUDACEM AD TURNUM. Fortem, sine felicitate; sicut de Pallante diximus: & modo audaciae laus opportuna, quia ad audendum exhortandus est.

4. PARENTIS PILUMNI. *Pilumnus & Pithumnus* fratres fuerunt, & Dii: horum *Pithumnus* usum stercorandorum invenit agrorum: unde & Sterquilinius dictus est; *Pilymnus* vero pinsendi frumenti: unde & a pistoribus deus colitur. Ab ipso etiam *pilum* dictum est. Quidem *Pilumnum & Pithumnum* Castorem & Pollucem accipiunt: nonnulli laudum deos: Varro conjugales deos suspicatur. SACRATA VALLE. Ideo *Sacrata*, quia, ut diximus supra, nunquam est lucus sine religione. SEDEBAT. Ut Asper dicit, *erat*: quae clausula antiqua est, & de usu remota. Secundum Plautum autem, *sedere*, est consilium capere, qui inducit in Mostellaria servum dicentem: *Sine, juxta aram sedeam, & dabo meliora consilia.* Sed secundum augures, *sedere*, est augurium captare: namque post designatas caeli partes a sedentibus captantur auguria: quod & ipse supra ostendit latenter, inducens Picum solum sedentem, ut: *Parvaque sedebat Succinctus trabea:* quod est augurum, cum alios stantes induxerit: ergo *sedebat*, aut erat, aut consilia capiebat, aut augurabatur. Unde & hic *lucus* vice aedis sacratae accipi debet: quod plenius illo loco dictum est: *Hoc illis curia templum*. Aut, quia in locis sacris sedentes, qui consilia habituri erant, curiam in templo haberent: quod Numa cum sciret, Vestae aediculam, non templum, statuit; ne ibi Senatus haberi posset, & ipsa necessitate vir introiret locum: nam & ipsa *consilia* a *sedendo*, quasi *considia*, dicta sunt: sedentium enim animi tranquilliores fiunt.

5. THAUMANTIAS. Secundum poeticam, Thaumantis filia. Caeterum ex admiratione hoc nomen accepit, quae admiratio de ejus coloribus nascitur: & Graece θαῦμα dicitur.

6. DIVUM PROMITTERE NEMO. *Nemo*, pro *nullus* posuit, & est Acyrologia: nam, *divum nemo*, non possumus dicere, cum proprie *nemo*, sit nec homo.

7. AUDERET. Docet per transitum, multa interdum temporum ratione provenire, quae numina praestare non possunt: quod etiam paulo post in Matris deum petitione Juppiter probat, dicens: *Cui tanta Deo permissa potestas*. VOLVENDA. Pro, volubilis. AENEAS URBE ET SOCIIS. Ab occasione: & ostendit, quid illi expugnandum sit: quia caret defensore. URBE. Urbs ista, quae est tutam *: *Ipse humili designat moenia fossa*. Hanc *Castrum Laurens* ait dici Varro, oppidum tacet; sed ubi primum Aeneas egressus sit, eum locum *Trojam* nuncupari tradit.

9. PALATINI. Prolepsis est.

10. NEC SATIS. Quia occurrebat, ab Euandro eum facile posse remeare. CORYTHI PENETRAVIT. Ut totam Etruriam peragrasse videatur. *Corythi* autem, montis Tusciae, qui, ut diximus, nomen accepit a Corytho rege, cum cujus uxore concubuit Juppiter, unde natus est Dardanus. *Penetravit* autem, bene, quia supra dixerat, *penitus*.

PIERII.

Vs. 9. SCEPTRA PALATINI SEDEMQUE PETIVIT EUANDRI. In Romano codice, in Mediceo, & in quibusdam aliis legere est, *Pallantini*, a *Pallante*, uno expuncto L, ut syllaba prima corriperetur. Magis tamen video placere, *Palatini*: sed hoc parvi refert. Longe vero majoris momenti est, quod sequitur, *petivit*. Sed enim & pro, *sedem*, *regnum*, in codicibus aliquot manu scriptis observavi: quum

Lydorumque manum, & collectos armat agreſtis.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poſcere currus.
Rumpe moras omnis, & turbata arripe caſtra.
Dixit, & in caelum paribus ſe ſuſtulit alis;
15 Ingentemque fuga ſecuit ſub nubibus arcum.
Adgnovit juvenis, dupliciſque ad ſidera palmas
Suſtulit, & tali fugientem eſt voce ſecutus:
Iri, decus caeli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde haec tam clara repente
20 Tempeſtas? medium video diſcedere caelum,

Pa-

SERVII.

11. LYDORUMQUE MANUM. Omnia haec ad occaſionem faciendi pertinent, ex longinquitate, ut dictum eſt, regionis.

12. NUNC TEMPUS. A metu. ARMAT AGRESTES. Ne ei formidinem injiciat, *agreſtes* eſſe commemorat.

13. ET TURBATA ARRIPE CASTRA. Aut *arripe & turba:* aut turbata invade, per abſentiam Aeneae inordinata: aut certe, turba & arripe.

14. PARIBUS ALIS. Id eſt, aequalibus: & oſtendit aequalem volatum.

15. FUGA. Pro veloci reditu: neque enim fugit. SECUIT SUB NUBIBUS ARCUM. Hoc eſt, duxit, ut: *Ille viam ſecat ad naves*. Et re vera arcus ipſe variis coloribus ſectus eſt. Bene autem SUB NUBIBUS, quia ſine nubis beneficio arcus non videtur.

16. AGNOVIT JUVENIS. Deeſt *eam:* & Irim tantum agnovit; non & a quo miſſa eſſet, utrum a Jove, an a Junone. Hinc eſt, quod dicit: *Quis te mihi nubibus actam Detulit in terras?* unde apparet, eum ſciſſe nuntiam illam & Jovis, & Junonis eſſe.

19. REPENTE. Item aliud augurium: nam, cum Iris ſine nubibus non poſſit videri, poſt eius abſceſſum ſtatim eſt ſecuta ſerenitas. CLARA autem, bene addidit: quia *tempeſtas* τῶν μέσων eſt.

20. DISCEDERE CAELUM. Chaſma dicit factum, id eſt, ſubitam aeris diſceſſionem & quendam receſſum: per quod vult videri inter chaſma Irim ſe recepiſſe. MEDIUM autem bene dixit: nam eſt & ſummum: unde eſt lib. 1. Aen. *Sic vertice caeli Conſtitit*. Nubes autem in medio ſunt, ubi omnia iſta fiunt ſigna, quae dicit, id eſt, Iris, ſerenitas, chaſma: nam ſi in ſummo fierent, nullus videre potuiſſet. Humani enim oculi altiorem & nimium ſplendorem ferre non poſſunt. Sane chaſma eſt (ita enim Plinius vocat) diſruptio, & quidam caeli diſceſſus. In Auguralibus libris inter oſtenta etiam caelum diſciſſe dicitur. Et quidam hic *caelum* pro aere accipiunt, ut Lucretius: *In hoc caelo, qui dicitur aer.*

PIERII.

quum tamen & Romanus, & plerique alii codices, *ſedem*, legant. In Romano praeterea codice, *petis*, pro *petiit*, more ſuo unico I ſcriptum eſt, ut verſus ſit ſpondaicus. Nam *Euandri* prima correpta, nuſquam, quod meminerim, obſervavi.

11. LYDORUMQUE MANUM COLLECTOSQUE ARMAT AGRESTES. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *Ludorumque manum & collectos armat.* In nonnullis abſque ulla copulativa ſecundo membro, *Lydorumque manum collectos armat agreſtes*.

12. NUNC TEMPUS EQUOS NUNC POSCERE CURRUS. In Mediceo, & aliquot aliis, *currum*, unitatis numero legitur.

13. RUMPE MORAS OMNIS TURBATAQUE ARRIPE CASTRA. Trochaeus ille ex *turbata*, vel *que* particula abſque colliſione ſervata, multis negotium faceſſit; ſed enim in codicibus omnibus Vaticanae bibliothecae, in Mediceo, & aliquot aliis perveteribus legi, *& turbata arripe caſtra*. Quam lectionem ab eruditis receptam jam animadverti.

14. DIXIT ET IN CAELUM PARIBUS SE SUSTULIT ALIS. In aliquot antiquis codicibus, *pariter*, habetur, ut ſententia ſit: ſimul atque ita locuta eſt, abvolavit.

16. DUPLICESQUE AD SIDERA PALMAS SUSTULIT AC TALI. In antiquis aliquot, *duplicis ad*, abſque *que:* & : *ſubſtulis & tali*. Sed reliqua utcumque legeris, facile tulerim; auferri vero ex hoc loco, *que*, particulam nunquam probaverim.

20. VIDEO MEDIUM DISCINDERE COELUM. Antiqua fere omnia exemplaria legunt, *medium video diſcedere coelum;* ſed illud, *medium video*, aut,

vi-

Palantisque polo ſtellas. Sequor omina tanta,
Quisquis in arma vocas. Et ſic effatus ad undam
Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas,
Multa deos orans; oneravitque aethera votis.
25 Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equum, dives pictaï veſtis & auri.
Meſſapus primas acies, poſtrema coërcent
Tyrrhidae juvenes: medio dux agmine Turnus.
(Vertitur arma tenens, & toto vertice ſupra eſt.)

SERVII.

21. PALANTESQUE POLO STELLAS. Bene *palantes*, quaſi in alienum tempus errore venientes: aut *palantes*, quae ſunt *palantes*, epitheton ſtellarum perpetuum. OMINA TANTA. Scilicet caeleſtia. Et hic *omina* pro ſignis vel auſpiciis poſuit.

22. QUISQUIS IN ARMA VOCAS. Vel Juno, vel Jupiter.

24. ONERAVITQUE AETHERA VOTIS. Iterum atque iterum: aut alia atque alia eſt vota pollicitus. Locus autem iſte dictus eſt ſecundum augurum morem, apud quos fuerat conſuetudo; ut, ſi poſt acceptum augurium ad aquam veniſſent, inclinati aquas haurirent exinde manibus, & fuſis precibus vota promitterent, ut viſum perſeveraret augurium, quod aquae intercesſu disrumpitur; unde etiam in duodecimo, viſum augurium non procedit, nec ſortitur exitum firmum; quia cygnus, dimiſſus ab Aquila, in fluvium cecidit, ut: *Praedamque ex unguibus ales Projecit fluvio*. Hinc videtur etiam, Turnum minime potuiſſe liberari.

25. JAMQUE OMNIS CAMPIS EXERCITUS IBAT. Intelligamus hunc exercitum primo confuſe in campos ruiſſe; poſt digeſtum in ordines, ut ſit ſequentium fluminum congrua comparatio: quae flumina dicit poſt camporum inundationem in alveos ſuos reverti; nam hoc vult dicere: ut de campis flumina in alveos ſuos redeunt, ſic digeſta eſt in acies militum multitudo, quae fuerat ante diffuſa.

26. DIVES EQUUM. Per genitivum frequentius utimur hac figura, quam per ablativum. Sane hic ſecutus veteres, cujus rei *dives* addidit, cum alibi ſubtraxerit lib. IIII. Aen. ut: *Dives quae munera Dido*: & : *Dives inaccessos ubi Solis filia lucos*.

27. COERCENT. Cogunt, colligunt; alias, continent; alias, compeſcunt; nonnulli *poſtrema*, pro, poſtremas partes accipiunt.

PIERII.

videt medium, parvi refert. *Diſcedere* vero proprie dicitur coelum, in hujusmodi ſignis, dum aperiri videtur. Utitur eadem elocutione M. Tullius in libro de Divinatione: *Nam & coelum diſceſſiſſe viſum eſt*. Quem locum, ut ingenue, hoc eſt more meo, loquar, mihi in memoriam redegit Jo: Bapt. Sanga, civis meus, in quo tam admirabilis quaedam morum integritas, quam ſtili gravitas & elegantia certare quodammodo videntur, ſive carmen ſive orationem velis: cujus ego opera uſus ſum, dum antiquiſſimum illum codicem Vaticanum notae majoris evolvebam. Uſque adeo ſtudium ille in hac re meum ſemper approbavit, ut mecum interdum labores hos tolerare non aufugerit.

21. SEQUAR OMINA TANTA. In plerisque codicibus vetuſtis, *ſequor*, praeſenti tempore, legitur, quod magis placet: promptiorem enim oſtendit animum ad obſequendum.

22. QUISQUIS IN ARMA VOCAS. In codicibus aliquot antiquis, *vocat*, perſona tertia notatum eſt; ſed *vocas*, non improbatur.

24. ONERAVITQUE AETHERA VOTIS. Plerique veteres codices manu ſcripti, *oneravit aethera*, absque particula *que* legunt. Neque deſunt Grammatici, qui figuram tueantur, ut eo loco facere contendunt: *Cum clamore Gyas revocabat, ecce Cloanthum*: & quod paulo ante legebamus, *Turbataque arripe caſtra*. Sunt, qui *aethera*, per diaereſin legant, ut apud Ovidium: *Tertia poſt illos ſucceſſit aenea proles*. Sed enim & eleganter & abſolute, *oneravitque aethera*, poſitum videtur, ut, quae neceſſaria fuerant ad augurium confirmandum, tribus invicem colligatis membris efferantur: *Ad undam Proceſſit, ſummoque hauſit de gurgite lymphas, Multa Deos orans, oneravitque aethera votis*.

26. DIVES PICTAI VESTIS ET AURI. Locus ex illis quattuor, in quibus ea Diaereſi Virgilius ſit uſus, ut notat Probus.

30 Ceu ſeptem ſurgens ſedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut pingui flumine Nilus,
Cum refluit campis, & jam ſe condidit alveo.
Hic ſubitam nigro glomerari pulvere nubem
Proſpiciunt Teucri, ac tenebras inſurgere campis.
35 Primus ab adverſa conclamat mole Caïcus:
Quis globus, o cives, caligine volvitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, & ſcandite muros.
Hoſtis adeſt, eja. Ingenti clamore per omnis
Condunt ſe Teucri portas, & moenia complent.

SERVII.

30. SEDATIS AMNIBUS. Quia Nilus exundat aeſtate, cum caetera flumina imminutione quieta ſunt.

31. ALTUS PER TACITUM GANGES. Fluvius Indiae eſt, qui ſecundum Senecam, in ſitu Indiae, novem alveis fluit; ſecundum Melam, ſeptem: qui tamen & ipſe commemorat nonnullos dicere, quod tribus tantum alveis fluat. Virgilius tamen, Nilo eum jungens, ſeptem alveos habere ſignificat. Hanc varietatem Donatus fugiens longum Hyperbaton facit, dicens: *Ceu ſurgens ſeptem amnibus Nilus aut Ganges*. ALTUS PER TACITUM. Sane bene addidit *Per tacitum altus*, hoc eſt, per profundam altitudinem; nam licet creſcat, intra ripas tamen eſt; nec, ut Nilus, ſuperfunditur campis; unde Aſper diſtinxit, *altus per tacitum*. Et bene agmen exercitus flumini comparavit: quia & fluviorum agmina ipſe dicit: *Leni fluit agmine Tybris*. PINGUI FLUMINE NILUS. *Nilus*, dictus eſt quaſi νέον ἰλύν, hoc eſt, *novum limum* trahens: quod volens exprimere dixit, *Pingui flumine*, id eſt, fluore, quae res foecundam efficit terram, quod & ipſe in Georgicis oſtendit dicens: *Liquuntur montibus amnes, Felicemque limum*. Item: *Et viridem Aegyptum nigra foecundat arena*.

32. CUM REFLUIT CAMPIS. Hoc eſt, a campis rediit: tunc enim omnia ora ejus apparent; alias, cum abundat, una ejus facies eſt.

35. AB ADVERSA. Caſtris oppoſita, an venienti agmini? QUIS GLOBUS. Id eſt, quantus: admirantis enim eſt, non interrogantis: nec enim interroget qui nuntiat.

38. HOSTIS ADEST, EJA. Hic diſtinguendum, ut *eja*, militum ſit properantium clamor: & eſt Ennianum, qui ait, *Eja machaerae*. Ergo *eja* ingenti clamore dicentes, ad portas ruebant. Alii *Hoſtis adeſt*, *eja*, legunt. Alii *eja* non a perſona ad perſonam dictum putant; ſed ipſum Poetam quaſi actu rei & imaginatione exclamaſſe.

PIERII.

31. AUT PINGUI FLUMINE NILUS, CUM REFLUIT CAMPIS ET JAM SE CONDIDIT ALVEO. Profuerit interdum etiam, quae ſententiam dilucidiorem reddunt, interſerere, ut hoc loco, qui doctiſſimis etiam ingeniis negotium faceſſit: quum videantur adverſa, atque inter ſe pugnantia, campis refluere, & jam alveo ſe condere. Alludit vero hoc ad viſendae magnitudinis Coloſſum Nili, qui quamvis per arva longe lateque diffundi videretur, bona tamen corporis parte alveo demerſus eſſet. Eſtque illud, *& jam*, pro, *& etiam*, ut alio loco III. Georg. exponit Comminianus, ubi: *Invalidus etiamque tremens etiam inſcius aevi*, ſcriptum: ait *& jamque*, atque eſſe *jam*, pro, *etiam*. Quam quidem ſententiam ſaniorem eſſe oſtendit id, quod de Turno paulo ante dixerat: *Medio dux agmine Turnus Vertitur, arma tenens, & toto vertice ſupra eſt*. Hic vero verſus totus in codicibus aliquot antiquis deſideratur.

37. FERTE CITI FERRUM, DATE TELA, SCANDITE MUROS. In Romano codice, in Mediceo, & quibuſdam aliis legere eſt, *& ſcandite*. In Oblongo, *aſcendite*: quia ſcilicet veriti ſint *tela*, ultimam corripere: quum nonnulli judicaverint *s* in *ſcandite*, & ſimilibus, ſpiritum eſſe potius, quam litteram, ut eo loco: *Ponite ſpes*; ſed enim quamvis non negarim *s* aliquando ſolitam elidi; hoc tamen loco facere poſitionem crediderim, potius quam vel, *& ſcandite*, vel, *aſcendite*, legerim. Ipſa enim loquentis feſtinantia cum trepidatione, membra haec diſſoluta expoſcere videtur. Quamvis ſunt non ineruditi viri, qui verſum dicant pleniorem ac numeroſiorem, ſi, *& ſcandite*, legatur.

Nam-

40 Namque ita diſcedens praeceperat optimus armis
Aeneas: ſi qua interea Fortuna fuiſſet,
Neu ſtruere auderent aciem, neu credere campo:
Caſtra modo, & tutos ſervarent aggere muros.
Ergo, etſi conferre manum pudor iraque monſtrat,
45 Objiciunt portas tamen, & praecepta faceſſunt,
Armatique cavis exſpectant turribus hoſtem.
Turnus, ut ante volans tardum praeceſſerat agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Inproviſus adeſt: maculis quem Thracius albis
50 Portat equus, criſtaque tegit galea aurea rubra..
Ecquis erit mecum, juvenes, qui primus in hoſtem?
En, ait. Et jaculum adtorquens emittit in auras
Principium pugnae, & campo ſeſe arduus infert.

SERVII.

40. NAMQUE ITA DISCEDENS PRAECEPERAT. Excuſatio Trojanorum, ne portas clauſiſſe timore videantur. OPTIMUS ARMIS. Peritus armorum, dux egregius, qui & futura provideret.

41. SI QUA INTEREA FORTUNA FUISSET. Scilicet bellicus caſus.

43. TUTOS SERVARENT AGGERE MUROS. Id eſt, tutos beneficio aggeris muros.

44. PUDOR, IRAQUE MONSTRAT. Licet eos hortaretur ira & pudor.

45. OBJICIUNT. Objices ponunt; vel objicibus muniunt; & per hoc cludunt. FACESSUNT. Hic faciunt; alias, diſcedunt, ut: *Illa hinc faceſſat*.

46. TURRIBUS. Pro, in turribus.

47. TARDUM AGMEN. Peditum dicit, qui equitum comparatione tardi ſunt.

48. URBI. Trojae, quam fecerat Aeneas caſtrorum in morem.

49. MACULIS QUEM THRACIUS ALBIS. Figuras maculis albas habens: & nove *albas maculas* dixit, cum proprie macularum haec ſit natura, ut obſcuritate ſua album aliquid infuſcent.

50. CRISTAQUE TEGIT GALEA AUREA RUBRA. Pro, galea criſtas habens rubras; ſed duo ablativi ſunt, & duo nominativi, quos metrica ratione diſcernimus; nam *rubra criſta*, longae ſunt ultimae; quia ablativi ſunt caſus. Sane hujusmodi verſus peſſimi ſunt.

52. EN, AIT. Eclipſis, feſtinationis exprimendae gratia: quidquid enim addideris ſenſus admittet.

53. PRINCIPIUM PUGNAE. Hoc de Romana ſolemnitate tractum eſt. Cum enim volebant bellum indicere, Pater patratus, hoc eſt, princeps Fecialium, proficiſcebatur ad hoſtium fines; & praefatus quaedam ſolemnia, clara voce dicebat: *Se bellum indicere propter certas cauſſas:* aut quia ſocios laeſerant; aut quia nec abrepta animalia, nec obnoxios reddiderant. Et haec *Clarigatio* dicebatur, a claritate vocis. Poſt quam clarigationem haſta in eorum fines miſſa, indicabatur jam pugnae principium. Poſt tertium autem & triceſimum diem, quam res repetiſſent ab hoſtibus, Feciales haſtam mittebant. Denique cum Pyrrhi temporibus adverſum transmarinum hoſtem bellum Romani geſturi eſſent, nec invenirent locum, ubi hanc ſolennitatem per Feciales indicendi belli celebrarent, dederunt operam, ut unus de Pyrrhi militibus caperetur, quem fecerunt in Circo Flamineo locum emere, ut quaſi in hoſtili loco jus belli indicendi implerent; denique in eo loco ante pedem Bellonae conſecrata eſt columna. Varro in Caleno ita ait: *Duces cum primum hoſtilem agrum introitum ierant, ominis cauſa prius haſtam in eum agrum mittebant, ut caſtris locum caperent:* Ergo bene hoc Poeta, de more Romano tractum, Turno utpote duci dedit, ſed in hac conſuetudine Fecialis, qui bellum indicebat, antequam haſtam jaceret, etiam terram hoſtium conteſtabatur; unde quidam volunt, Aeneam

Clamore excipiunt socii, fremituque sequuntur
55 Horrisono: Teucrum mirantur inertia corda;
Non aequo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. Huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque per avia quaerit.
Ac veluti pleno lupus insidiatus ovili,
60 Cum fremit ad caulas, ventos perpessus & imbris,
Nocte super media; tuti sub matribus agni
Balatum exercent: ille asper & inprobus ira
Saevit in absentis: collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & siccae sanguine fauces.
65 Haud aliter Rutulo, muros & castra tuenti,

Igne-

SERVII.

scientem quod bellum gesturus esset, sicut a Sibylla cognoverat; ubi ad Italiae partem debitam venit, primum adorasse terram, ut: *Geniumque loci, primamque deorum Tellurem*.

54. CLAMOREM EXCIPIUNT SOCII. Legitur & *clamore*. Si CLAMORE, sensus erit talis: Hastae jactum socii clamore comitantur; si CLAMOREM, intelligimus, Turni eos clamorem excepisse, & cum fremitu eos sequutos esse, id est, excipiunt clamorem Turni, & cum fremitu eum sequuntur.

55. INERTIA CORDA. Non re vera; sed sicut hostibus videbatur.

57. ARMA VIROS. Vehementius *viros* pronuntiandum. CASTRA FOVERE. Veteres *fovere*, pro diu incolere & habitare dicebant.

58. ADITUMQUE PER AVIA QUAERIT. Etiam *per avia*. Sane exprimitur Turni violentia; nam viam per avia nullus requirit.

60. AD CAULAS. Munimenta & septa ovium. Est enim Graecum nomen, *c* detracto: Graeci αὐλὰς vocant animalium receptacula; unde in sacris aedibus, & in tribunalibus, septa, quae turbas prohibent, *aulas* vocamus.

61. NOCTE SUPER MEDIA. Ultra mediam noctem, id est, plus quam media; vel majore ejus parte transacta. Et est bona elocutio, facta per Syllepsin, ut si dicas: *Legi nocte super media:* id est, ultra mediam noctem; nulla enim syllepsis est, quae non & casum mutet; & egeat subauditione, ut: *Hanc ego nunc ignaram hujus, quodcumque pericli est*.

62. IMPROBUS IRA. Non *ira improbus*, sed *ira saevit:* totum autem summa brevitate narratum.

63. SAEVIT IN ABSENTES. Fantasiam saevitiae expressit: quia sic circa caulas fremunt, ut ipsis animalibus solent.

64. EX LONGO RABIES. Absoluta elocutio, ut si dicas, *Ille fame fatigatur ex longo*. SANGUINE. Pro, a sanguine.

PIERII.

42. NE STRUERE AUDERENT ACIES. In quibusdam antiquis codicibus, *aciem*, singulari numero legitur: quod poeticum magis est. Praeterea in Mediceo, & nonnullis aliis manuscriptis, *Neu struere auderent aciem:* quod in aliis *ne* legitur.

43. ET TUTOS SERVARENT AGGERE MUROS. In Oblongo codice, *tuto aggere*, legitur. In aliis, *tutor*, quod tantundem est.

51. QUI PRIMUS IN HOSTEM. In Mediceo codice, *quis primus*, habetur.

52. ET JACULUM INTORQUENS. In aliquot manu scriptis codicibus, *torquens*, legas; sed in Romano, in Mediceo, & plerisque aliis, *adtorquens*. Illud vero minime placet, quod pro *emittit in auras*, *evertit*, legitur.

53. ET CAMPO SESE ARDUUS INFERT. In Romano codice, *campis:* & pro, *infert*, sunt codices, qui legant, *affert:* quod non aeque placet. Addam &, *arduos*, inveniri alicubi, de quo superius satis dictum.

54. CLAMOREM EXCIPIUNT SOCII. In Romano codice, *clamore*, septimo casu legitur: qnod etiam superius habuimus: loquitur enim de sociorum adclamatione, quae fieri solet, quum regi adplauditur.

Ignefcunt irae: duris dolor offibus ardet;
Qua tentet ratione aditus, & qua via claufos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in aequor.
Claffem, quae lateri caftrorum adjuncta latebat,
70 Aggeribus feptam circum & fluvialibus undis,
Invadit: fociofque incendia pofcit ovantis:
Atque manum pinu flagranti fervidus inplet.
Tum vero incumbunt; urguet praefentia Turni:
Atque omnis facibus pubes accingitur atris.
75 Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Taeda, & conmixtam Volcanus ad aftra favillam.
Quis deus, o Mufae, tam faeva incendia Teucris
Avertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. Prifca fides facto, fed fama perennis.

Tem-

SERVII.

67. Et qua via clausos. Qua adverbium loci eft, non pronomen: nam non ftat verfus fi *via* feptimus fit, non nominativus. Ergo *qua via*, per quam partem viae vallo Trojanos excutiat. Legitur tamen, Et quae via, & eft fenfus abfolutior.

68. Effundat in aequor. In planum, in campum.

71. Invadit: sociosque incendia poscit ovantes. Hyfteronproteron, ut aviditatem juvenis oftenderet. Incendia autem, pro materia, ex qua incendia fequuntur: & videtur eventum pofuiffe.

73. Tum vero. Ut fignum incendendarum navium datum eft.

74. Facibus pubes accingitur atris. Pro, ad faces accingitur, ut fit dativus, ut: *Accingunt omnes operi*: aut *accingitur*, armatur, inftruitur facibus. Atris. Quafi lethiferis: nam faces ardentes funt.

75. Diripuere focos. Quaeritur, quid ibi faciant foci? Sed in carminibus quaedam, nec ad fubtilitatem, nec ad veritatem exigenda funt: aut certe *focos*, quos ibi habere potuerunt. Piceum fert fumida lumen. Sordidior enim in tedis & ignis & fumus eft.

77. Quis deus o Musae. Quia res deorum eft, & ardua, ideo per fe eam non poteft dicere. Hic autem gloria Turni latenter oftenditur, cujus vis nifi a numinibus repelli non potuit. Teucris. Aut detraxit praepofitionem *ab*, ut fit *ab Teucris*; aut *Teucris*, in honorem faluternque Teucrorum incendia claffibus avertit.

79. Prisca fides facto, sed fama perennis. Omnis antiquitas difficile pura & incorrupta manat in pofteros. Ergo hoc dicit: Factum hoc, licet prifcum fit, id eft, antiquum, tamen fama ejus non eft obliterata temporum vetuftate. Alii fic iutelligunt: Fabulofum eft quidem, fed fides ejus rei penes prifcos eft: ejus enim rei, cujus auctorem facere noluit, fic ordinem protulit. Alii: Jam quidem evanuit fides, hoc eft, nemo credit factum; adhuc tamen fama vivit, & dicitur. *Prifca* autem fides, ἀξιοπιστία, quafi non fit facta hiftoria.

PIERII.

66. Ignescunt irae, et duris dolor ossibus ardet. In antiquis omnibus codicibus, quotquot infpexi, abfque particula, &, notatum animadverti: *Ignefcunt irae duris dolor offibus ardet*. Et in Mediceo pro, *ardet*, *haeret*, habetur.

67. Qua tentet ratione aditus, et qua via clausos Excutiat Teucros vallo. In Romano codice, & plerifque aliis legere eft, *& quae via*, quae lectio Servio etiam videtur abfolutior. In aliquot aliis legitur, *claufo excutiat Teucros vallo*.

68. Atque effundat in aequor. In Rom. cod. legere eft, *in aequum*, ut fcilicet aequo omnes pede conferre manus poffint: nam Turnus, nunc iniquo pugnat loco, dum illi in caftris aggeribus & vallo claufi obteguntur. Hic in aperto pro-

vo-

80 Tempore quo primum Phrygia formabat in Ida
Aeneas claſſem, & pelagi petere alta parabat;
Ipſa Deum fertur genetrix Berecyntia magnum
Vocibus his adfata Jovem: Da, nate, petenti;
Quod tua cara parens domito te poſcit Olympo.
85 Pinea ſilva mihi, multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant,
Nigranti picea trabibuſque obſcurus acernis:
Has ego Dardanio juveni, cum claſſis egeret,

Lae-

SERVII.

80. QUO PRIMUM. Hoc eſt, initio: non enim ſecundo factae ſunt naves apud Idam ab Aenea. PHRYGIA FORMABAT IN IDA. Id eſt, formare cogitabat; non enim in Ida, ſed apud Antandrum factae ſunt. Et bene PHRYGIA IN IDA: quia & in Creta eſt alia Ida, ut: *Mons Idaeus ubi, & gentis cunabula noſtrae*.

81. ALTA PELAGI. Abſolutum eſt, ut: *Lata camporum*.

82. IPSA DEUM FERTUR GENITRIX. Figmentum hoc, licet poeticum ſit, tamen quia exemplo caret, notatur a priſcis: unde longo prooemio excuſatur: nam ideo & priſca ratione religionis, & Jovis beneficio, dicit eſſe perfectum, ut naves mutarentur in Nymphas: quo vel aliqua ex parte poſſit eſſe veriſimile. Sane quidam *Fertur* reprehendunt: quod dicendo auctoritatem rei detraxerit: alii laudant, quod dicendo *fertur*, incredibili rei auctoritatem dare noluerit. BERECYNTIA. Mater Deum a monte Phrygiae *Berecynte*, cujus ultima ſyllaba caret aſpiratione, quam addimus, quotienſcumque montem Deli *Cynthum* dicimus. Eſt autem tenuis iſta diſcretio, quibus nominibus ſubtrahi debeat aſpiratio: nam ecce, *Ripaei*, montes Arcadiae, non ſcribuntur cum aſpiratione: quam addimus, cum *Riphaees*, montes Scythiae, ſignificamus.

83. DA NATE PETENTI. Ac ſi diceret, ei, quae jubere debuerat. Et dicendo NATE & PARENS iteratione auxit adfectum. DOMITO TE POSCIT OLYMPO. Videtur hoc dicere: Praeſta ei, cujus beneficio ſervatus ad Olympi regna veniſti. Saturnus enim, cum omnes conſumeret filios, Jovem ſolum eſſe non potuit, celatum matris auxilio. *Domito* ergo *Olympo*, in tuas ſcilicet leges per beneficium meum mundo redacto. Sane haec narratio tunc II. libri erat, ſed dilata eſt, ut hic opportunius redderetur: aut ne bis idem diceretur: poteſt ergo aut κατὰ τὸ ἐπιτομικὸν videri, aut ὕστερον πρότερον.

85. PINEA SILVA MIHI. Congrue: nam *Pinus* in tutela Matris Deum eſt.

86. IN ARCE FUIT SUMMA. Hoc eſt, apud Gargara, quae dicta ſunt quaſi κάρα κάρατος, id eſt, *caput capitis*, *altitudinis altitudo*: κάρα enim eſt ἡ κεφαλή. Gargara autem, ſunt montis Idae cacumina: propter quod dixit *In arce ſumma*. Sane & hic locum ſacratum oſtendit. Et *Pinea ſylva lucus fuit*: tale ſcema eſt Eclog. I. *Nec tamen interea raucae, tua cura, palumbes*. ubi foeminino plurali foemininum ſingulare jungit. Et: *Ite meae, quondam felix pecus, ite capellae*: ubi duobus foemininis pluralibus neutrum ſingulare reſpondet.

87. NIGRANTI PICEA. *Nigranti*, umbroſa: & *picea*, arboris genus eſt, unde pix deſudat. Harum autem ſecundum Plinium quinque ſunt ſpecies: ſicut etiam ſupra diximus.

88. HAS EGO. Non *trabes*: nam de acere naves non fiunt: unde melius arbores intelligimus, referentes ad *piceas* vel *pinus*. Sane notandum *trabes* eum dixiſſe de arboribus, cum non dicantur *trabes*, niſi jam caeſae ſint & poſitae. Abutitur ergo eo, quod poſterius eſt, pro eo, quod eſt prius. QUO SACRA FEREBANT. Non addit qui; ſed intelligimus Phrygas. Item: *Centum urbes habitant magnas*. id eſt, Cretes. Et bene arbores conſecravit, quibus immortalitatem petitura eſt. CLASSIS EGERET. Pro *claſſe*, genitivus pro ablativo: & juſta Aeneae petitio, & concedentis benignitas numinis excluſit piaculum: nam his remotis ſacrilegium committeretur: ideo addidit, *laeta dedi*.

PIERII.

vocat: mirabanturque paulo ante Rutuli *Teucrum inertia corda Non aequo dare ſe campo*.

70. AGGERIBUS SEPTAM CIRCUM. In Romano codice, *clauſam*; ſed enim, *ſaeptam*, magis placet: id vero per ae diphthongon ſcribitur.

79. PRISCA FIDES FACTO, SED FAMA PERENNIS.

In

Laeta dedi: nunc ſollicitam timor anxius angit.
90 Solve metus, atque hoc precibus ſine poſſe parentem,
Neu curſu quaſſatae ullo, neu turbine venti
Vincantur. Proſit noſtris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui ſidera mundi:
O genetrix, quo fata vocas? aut quid petis iſtis?
95 Mortaline manu factae inmortale carinae
Fas habeant? certuſque incerta pericula luſtret
Aeneas? cui tanta Deo permiſſa poteſtas?
Immo, ubi defunctae finem portuſque tenebunt
Auſonios, olim quaecumque evaſerit undis,
100 Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo

SERVII.

89. TIMOR ANXIUS ANGIT. Aut perpetuum eſt timoris epitheton: aut certe verum timorem voluit ſignificare, ut ſeparaEret ab eo, qui ex cupiditate naſcitur proſperorum, ut: *Exultantiaque haurit Corda pavor pulſans*.

90. SOLVE METUS. Id eſt, meos.

92. PROSIT NOSTRIS IN MONTIBUS ORTAS. Bona brevitate detraxit & HIS & ESSE: nam plenum eſt: Proſit his ortas eſſe in montibus noſtris: quod fecit elocutionis cauſſa. Sane oſtendit, quod ſupra *arcem* dixit pro *monte*: & bene *ortas*, ut ſenſum quendam navibus daret, verbum de origine commoda.

93. TORQUET. Suſtinet, aut nutu ſuo regit.

94. QUO FATA VOCAS? Oſtendit fata poſſe aliquatenus trahi; non tamen uſquequaque. Hinc enim dicit *quo*, id eſt, ad quam rem. PETIS ISTIS? Id eſt, pro iſtis: nam ſic dicimus, *peto tibi*, id eſt, pro te. Aut *iſtis*, utrum precibus, an navibus?

96. FAS HABEANT? Jus: nec enim poſſunt aeterna eſſe, quae ab hominibus facta ſunt. Horatius: *Debemur morti nos noſtraque*: nam ſicut animi facta ſunt immortalia, ita corporis pereunt. Salluſtius: *Caeterum ſtudia omnia noſtra, ſicut anima, immortalia ſunt*. CERTUSQUE INCERTA PERICULA LUSTRET AENEAS? Securus dubia tentet? Et hoc dicit: Caſibus licentiam haec petitio vult adimere: nam Aeneas, forte, qua homo eſt, navigationis debet timere periculum: quod perit, ſi ejus navibus aeternitas detur.

97. CUI TANTA DEO PERMISSA POTESTAS? *Cui*; ac ſi diceret nec regi quidem deorum. *Permiſſa* autem, data; ut hoc poſſit praeſtare.

98. DEFUNCTAE. Liberatae, ut: *O tandem magnis pelagi defuncte periclis*. PORTUSQUE TENEBUNT. Nautico uſus eſt verbo, cum de navibus diceret.

99. QUAECUMQUE. Hic oſtendit aliquas eſſe perituras. EVASERIT UNDIS. De undis exierit, cum venerit ad eum locum, de quo navigatura jam non ſit. Alii legunt *evaſerit undas*; quod ſi eſt, intelligimus, quaecumque evaſerit undarum periculum.

101. MORTALEM ERIPIAM FORMAM. Bene dixit *mortalem*: nec enim poteſt fieri, ut eadem res & mortalis ſit, & immortalis; ſed ut ſit immortalis, ante eſt, ut deſinat eſſe mortalis.

PIERII.

In Romano codice legere eſt, *ſit fama perennis*. Quia D ſaepe vertit in T maximeque *ſet*, pro *ſed*, ſcribere ſolet; & E pro I, & vice verſa I pro E: nam *ſed*, omnino agnoſcit Servius.

82. IPSA DEUM FERTUR GENITRIX BERECYNTHIA. In Romano codice legitur, *Ipſa Deum genitrix fertur Berecynthia*. Ac de E in pene ultimi nominis hujus, *genetrix*, ſatis ſuperque dictum alias.

89. NUNC SOLLICITAM TIMOR ANXIUS URGET. In omnibus Vaticanae bibliothecae codicibus, & in Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis, *angit*, non *urget*, eſt.

91. NE CURSU QUASSATAE ULLO, NEU TURBINE VENTI. In Mediceo, in Porcio, & aliquot aliis codicibus antiquis, *neu curſu*, legitur, eadem repetitione, qua etiam ſuperius in iiſdem codicibus obſervavimus eo verſu: *Neu ſtruere auderent aciem, neu credere campo*.

Ae-

Aequoris esse deas: qualis Nereia Doto,
Et Galatea secant spumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum Stygii per flumina fratris,
105 Per pice torrentis atraque voragine ripas
Adnuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat promissa dies, & tempora Parcae
Debita complerant, cum Turni injuria matrem
Admonuit ratibus sacris depellere taedas.
110 Hic primum nova lux oculis offulsit, & ingens
Visus ab Aurora caelum transcurrere nimbus,
Idaeique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troum Rutulorumque agmina complet:
Ne trepidate meas, Teucri, defendere navis,
115 Neve armate manus: maria ante exurere Turno,

Quam

SERVII.

102. QUALIS NEREIA DOTO. Non dixit, tales erunt: sic supra: *Qualis mugitus fugit cum saucius aram Taurus*.

105. PER PICE TORRENTES. Ardentes: & est figmentum poeticum.

106. TOTUM NUTU TREMEFECIT OLYMPUM. Homericum est: Μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

107. ADERAT PROMISSA DIES. Promissum tempus advenerat. TURNI INJURIA. Scilicet, quam inferebat. Et modo *injuria*, est ἀδίκημα, id est, *injustitia*. Hinc est apud comicos *injurius*, qui audet aliquid contra ordinem Juris. Et bene *injuria*, quia & contra necessitatem fati, quod Trojanos ad Italiam venire compulerat, & contra rationem foederis, bella commoverat. Alii *injuria*, violentia accipiunt.

110. NOVA LUX. Hoc est, repentina, id est, *nimbus* Deorum: quod ipse paulo post dicit, in secundo: *Nimbo effulgens*. Et hic *lux*, proprie; aliter postea: *Continuo nova lux oculis effulsit*.

111. NIMBUS. Lumen, quod capita Deorum ambit, ut saepe dixi.

114. NE TREPIDATE MEAS. Pro, ne festinetis. Et per hoc significatur, ideo ad navium defensionem egressos non esse Trojanos, quia numen vetuit.

PIERII.

102. QUALIS NEREIA CLOTHO. In codicibus aliquot antiquis, *quales*, numero multitudinis legitur. In Vaticanae bibliothecae omnibus exemplaribus, *Doto*, non *Clotho*, scriptum observavi. Quam lectionem in Valerii quoque Flacci codicibus emendatis invenias: *Quam Panope Dotoque soror*: licet professores nonnulli, qui aetatem nostram proxime praecessere, *Clotho*, reponendum ex hoc Virgilii loco censuerint. Sed in Oblongo etiam codice nomen hoc altera mano depravatum est, quum *Doto*, prius scriptum esset. Praeterea Homerus lib. XVIII. Iliados cum Galatea, Doto, & Proto enumerat, atque alias complures Nerei filias, quae mare incolunt, neque cum iis Clotho recensetur. Ait enim: Δωτώ τε Πρωτώ τε Φέρουσά τε Δυναμένη τε. Paulo vero infra: Καὶ ἀγακλειτὴ Γαλάτεια. Eadem sunt apud Hesiodum in Theogonia, excepto epitheto Galateae, quam formosam Hesiodus vocat. Quumque Nymphas eas omnes numero quinquaginta recenseat, quae Νηρῆος ἀμύμονος ἐξεγένοντο, Clothus nusquam mentionem facit. Quare & his rationibus, & veteribus fretus exemplaribus, omnino legerim, *Nereia Doto*. Quod vero sequitur, *& Galatea*; in Romano codice *aut*, discretiva particula habetur.

109. ADMONUIT SACRIS RATIBUS. In antiquis fere omnibus codicibus legere est mutato numero: *admonuit ratibus sacris*.

110. LUX OCULIS EFFULXIT. In Romano codice, & aliquot aliis, *effulxit*, & *obfuxsit* habetur; sed *effulsit*, receptum.

113. AGMINA COMPLET. Et *complet*, & *complerant* per N. Et ita reliqua scribuntur praepositione incolumi, in antiquioribus quibusdam codicibus.

Quam ſacras dabitur pinus. Vos ite ſolutae,
Ite, deae pelagi; Genetrix jubet. Et ſua quaeque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demerſis aequora roſtris
120 Ima petunt. Hinc virgineae (mirabile monſtrum)
(Quot prius aeratae ſteterant ad litora prorae)
Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur.
Obſtupuere animi Rutulis: conterritus ipſe
Turbatis Meſſapus equis: cunctatur & amnis
125 Rauca ſonans, revocatque pedem Tiberinus ab alto.
At

SERVII.

116. QUAM SACRAS DABITUR PINUS. Fabula talis eſt: Attis, puer ſpecioſus, cum Matris Magnae praeeſſet ſacris, a rege civitatis ſuae adamatus eſt; ſed cum intelligeret vim ſibi a rege inſtare, quaſdam in ſylvas profugit: cum ergo ioventus vim ſibi videret inferri, veren da ſtupratoris abſcidit, qui moriens eandem ipſam partem corporis puero abſcidit: quem ſemianimem ſub pinu latentem cum inveniſſent antiſtites Matris Magnae, perlatum in templum deae fruſtra conati reficere, defunctum ſeppelierunt: cujus ut perpetua maneret memoria, Mater Magna inſtituit, ut quotaonis in ſacris ſuis plaogeretur, pioumque arborem, ſub qua jacuerat, tutelae ſuae adſcripſit, & effecit, ut cultores ſui viriles ſibi partes amputarent, qui Archigalli appellantur.

117. ITE DEAE PELAGI. Alii hucuſque vo lunt Matrem Deum locutam. Prope enim videtur abſurdum, ipſam indicare, quae ſit; cum jam nymphis, & audientibus utique, & videotibus, dicat. Alii jungunt *Genitrix jubet*: & putatur melius, quia poſtea ait: *Quas alma Cybele Numen habere maris, nymphasque e navibus eſſe Juſſerat*.

123. OBSTUPUERE ANIMI RUTULIS. Hoc eſt, Rutulorum; dativus pro genitivo. Timuerunt ergo Rutuli; timuit Meſſapus, oumi nis marini filius, qui utique fiducia patris & ſui, nihil ex mari timere debuerit; vel certe, *Quem neque fas igni cuiquam nec ſternere ferro*; timuit etiam Tyberis. Per hos autem gradus, id eſt, Rutuli, Meſſapi, amnis, major Turni deſignatur audacia. Tale eſt & io quarto: *At non infoelix animi Phoeniſſa*.

125. ET AMNIS RAUCA SONANS. Licet antiquitas habuerit *hic & haec amnis*; melius tamen eſt, accipere *rauca ſonans*, pro, rauce., quam *rauca amnis*. REVOCATQUE PEDEM TIBERINUS AB ALTO. Nunc ipſum deum territum dixit: ſupra, undas fuiſſe perterritas & in ſe repreſſas.

PIERII.

117. GENITRIX JUBET. In quibuſdam codicibus antiquis ita ſcriptum inveni, *Genetrixque jubet, ſua quaeque continuo* &c. ut ſit: *Vox excidit: Ne trepidate*, & quae ſequuntur: *Genetrixque jubet, vos ite ſolutae, Ite Deae pelagi, Sua quaeque continuo puppes Abrumpunt vincula.* Sed enim *genetrix jubet*, ex perſona Deae magis placet.

120. HINC VIRGINEAE (MIRABILE MONSTRUM) REDDUNT SE TOTIDEM FACIES. In Rom. codice legere eſt, *mirabile dictu*; ſed *monſtrum* magis placet. Quod vero ſequitur, REDDUNT *ſe totidem facies*, io ant. aliquot, *redduntur totidem* habetur.

121. QUOT PRIUS AERATAE STETERANT AD LITORA PRORAE. Verſus hic oon habetur prorſus in Rom. codice, neque in Mediceo, neque quidem in pleriſque antiquis, niſi ſubdititius. Habet vero locum in decimo, ubi Nymphae Aeneae obviam fiunt. Caeterum illud non omittendum, quod ubi invenitur adſcripticius, non, *prorae*, ſed, *puppes*, legitur. *Prorae* enim *pelago obvertuntur*, & *ſtant litore puppes*. In Oblongo vero codice, neque *prorae*, neque *puppes*, legitur; ſed *naves*. Id autem loco ſuo examinabitur. Neque tamen diſſimulandum, quod in codice Porcio verſus is, qui deſideratur io aliis, invenitur quidem; ſed non eo ordioe, quo in vulgatis exemplaribus; ſed ita traoſpoſitus:

Ima petunt, hinc virgineae mirabile monſtrum,
Quot prius aeratae ſteterant ad litora prorae,
Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur.

Quae quidem ſtructura, ſi verſus ſit admittendus, longe videtur elegantior.

124. TURBATIS MESSAPUS EQUIS. Non placet, quod in Rom. codice legitur, *turbatus*. Praeterea

At non audaci cessit fiducia Turno:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
Trojanos haec monstra petunt: his Juppiter ipse
Auxilium solitum eripuit: non tela, nec ignes
130 Exspectant Rutulos. Ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugae: rerum pars altera ademta est:
Terra autem in nostris manibus: tot millia gentes
Arma ferunt Italae. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges prae se jactant, responsa Deorum.
135 Sat fatis Venerique datum, tetigere quod arva
Fer-

SERVII.

126. AUDACI TURNO. Ecce ubi confirmat epitheton, quod Turno semper imponit: & hoc colore futuram orationem ostendit.

127. ANIMOS TOLLIT DICTIS. Magnanimitatem suam, quia ipse non terreatur, comprobat dictis. Tale est & illud e contrario: *Turbatumque oculis*. Potest tamen accipi, eorum animos tollit, qui erant territi: & hinc increpat.

128. TROJANOS HAEC MONSTRA PETUNT. Id est, appetunt, hoc est, ad Trojanorum pertinet damnum, ut: *Reginam petit*. JUPPITER IPSE. Scilicet, qui omnibus praestare consuevit; unde & *Juppiter* dictus est, quasi *juvans pater*. Ergo AUXILIUM SOLITUM, non circa Trojanos accipimus; sed quod ipse omnibus praestare consuevit. Alii *auxilium solitum*, auxilium fugae accipiunt.

129. NON TELA NEQUE IGNES EXSPECTANT RUTULOS. Non expectant Trojani, ut Rutulorum ignibus aut telis pereant, qui jam navium amissione perierunt.

130. MARIA INVIA TEUCRIS. Color est; nam rem, quam pro se Trojani putabant, in contrarium vertit, dicens, navigationis & fugae auxilium perdidisse Trojanos, quos constat pro felicitate habuisse, navigationis vitare discrimina.

131. RERUM PARS ALTERA ADEMPTA. Id est, naturae rerum: humanae enim naturae duo elementa concessa sunt, mare & terra. NIL ME FATALIA TERRENT. *Nihil*, pro non: & tacitis occurrit quaestionibus, dicens: Si fataliter se ad Italiam venisse dicunt, jam venerunt: completa sunt fata: & callide tacuit, quod erat fatale. Trojani enim dicebant, Italiae sibi regna deberi. Et est oratorium, quaestiones ita proponere, ut facilem solutionis sortiantur eventum.

134. SI QUA PHRYGES PRAE SE JACTANT RESPONSA DEORUM. *Jactant*, quasi & ista confingant: aut: *Prae se jactant*, prae se ferunt.

135. TETIGERE QUOD ARVA. Quaestio est, an superare possent, qui forte venerint: &, sicut supradictum est, per concessionem argumentatur: etiam si vera sunt, quae jactant, tamen jam completa sunt, *Tetigere quod arva Fertilis Ausoniae Troes*.

PIERII.

Messapus varie scribitur: nonnullis, uti dictum, *ss*, nonnullis *pp* geminantibus: neque id constanter: aliis etiam utramque consonantem simpliciter scribentibus.

126. AT NON AUDACI CESSIT FIDUCIA TURNO. In codicibus aliquot antiquis ad cappacismum evitandum, transpositis dictionibus legitur: *At non audaci Turno fiducia cessit*. Sed enim *cessit fiducia Turno*, versum reddit sublimiorem, validioremque, qui languescere videatur, si *fiducia cessit*, legas.

130. EXSPECTANT RUTULOS. In antiquis, *exspectant*. Sed enim Grammatici quidam in hoc significato adimunt *s*, uti alibi dictum.

131. RERUM PARS ALTERA ADEMPTA EST. Neque id placet, quod in Romano cod. legere est, *dempta est*, quum aures magis impleat, *adempta*, quod forte factum per apostrophen.

132. TERRA AUTEM IN NOSTRIS MANIBUS. Ita est in Romano codice, & in Oblongo, & in Mediceo; sed in aliis quibusdam antiquis, legere est, *in manibus nostris*. TOT MILLIA GENTES ARMA FERUNT ITALAE. *Milia*, unico *l*, antiquissima veterum consuetudine scriptum. In codicibus antiquis plerisque *gentis* legitur, quod genitivi casus multi volunt esse, *Gentis Italae*; sed mihi figuratum magis videtur, *gentes*, legere, atque ita nescio quid elegantius prae se ferre.

135. SAT FATIS VENERIQUE DATUM EST. In Ro-

Fertilis Ausoniae Troes. Sunt & mea contra
Fata mihi, ferro sceleratam exscindere gentem,
Conjuge praerepta: nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
140 Sed periisse semel satis est. Peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Femineum: quibus haec medii fiducia valli,
Fossarumque morae, leti discrimina parva,
Dant animos. At non viderunt moenia Trojae
145 Neptuni fabricata manu considere in ignis.

Sed

SERVII.

136. SUNT ET MEA CONTRA FATA MIHI. Hoc falsum est, quod dicit Turnus; sed in arte rhetorica tunc nobis conceditur uti mendacio, cum redarguere nullus potest; ut hoc loco: quis enim vere potest scire, si Turno data sint, nec ne, responsa? Sane, quia scit falsum esse quod dixit, argumentis probare dicta contendit, dicens esse sceleratam gentem, ob raptam sibi conjugem: in quo facto utitur Graecorum exemplo, qui ob raptam Helenam gentem delevere Trojanam.

138. CONJUGE PRAEREPTA. Invidiose, sponsam *conjugem* vocat. NEC SOLOS TANGIT ATRIDAS ISTE DOLOR. Cur non in similitudine criminis sit poenae similitudo? Si culpa repetitur, supplicia quoque geminentur.

140. PERIISSE SEMEL SATIS EST. Quasi objectio est, ut si dicatur: *sed periisse semel satis est*: immo vero semel satis fuit eos peccasse: ex quo colligitur, quotiens peccaverunt, totiens eos perire debere.

141. PENITUS MODO NON GENUS OMNE PEROSOS FOEMINEUM? *Modo omne genus foemineum non eos penitus perosos* esse decebat, propter quod ante perierunt. Locutus est autem figurate.

142. MEDII FIDUCIA VALLI. Quod inter Trojanos Rutulosque sit medium: & bene de muris nihil dixit.

143. FOSSARUMQUE MORAE. Quasi non tutela; sed mortis dilatio,

144. AN NON VIDERUNT. Legitur &, AT NON VIDERUNT: si AN NON, absolutum est; si AT NON, inceptiva est particula, ad ornatum pertinens. Horatius: *At o deorum quisquis in coelo regis*. Tale est: *At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor*: & est exemplum a majore ad minus, hoc est: At, credo, non viderunt Neptuni manu fabricata moenia conflagrasse, ut fiduciam vitae in exiguo vallo, & parva fossa habeant.

PIERII.

Romano quidem codice & in Mediceo *est* habetur: in aliis vero minime: perinde ac etiam in eo loco: *Sat patriae Priamoque datum*, absque *est* legitur: quod longe concinnius videtur.

140. SED PERIISSE SEMEL SATIS EST. In codicibus nonnullis admodum vetustis, legere est: *si periisse*. Et pro peccare, *peccasse*. Nam si *sed* legas, ratiocinium illud non nihil impetum concitatae orationis remorari videtur, quae nihilo secius tamen decurrit, dicendo *si*. In quo illud unum est negotium, ut ad objecta respondeatur, neque nunc per interpellationem, dum res geritur, retardetur. Affirmativa enim omnis enuntiatio moram trahit, quae in condicionali, vel conjunctiva properatur.

141. PENITUS MODO NON GENUS OMNE PEROSOS FOEMINEUM. In codicibus aliquot antiquissimis; *modo nec genus*; sed recte Servius *non* adverbium agnoscit. Est & ubi *perosum* legatur; sed corrupte: nam *perosos* legendum: quod duorum infinitivorum *periisse* & *peccare*, suppositum est.

142. QUIBUS HAEC MEDII FIDUCIA VALLI FOSSARUMQUE MORAE LETI DISCRIMINE PARVO DANT ANIMOS. In Romano codice legere est: *Fossarumque mora & leti discrimine parvo Dant animos*. In eodem, in Porcio, & aliis quibusdam manu scriptis, *discrimina parva*, legitur per appositionem, quod valde placet.

144. AN NON VIDERUNT. In antiquis plerisque codicibus, *at non*, legitur, particula ea confutationibus, comparationibus, & redargutionibus apta, ut. *At non sic Phrygius penetrat Lacedaemona pastor*.

Sed vos, o lecti, ferro qui ſcindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia caſtra?
Non armis mihi Volcani, non mille carinis
Eſt opus in Teucros. Addant ſe protenus omnes
150 Etruſci ſocios: tenebras, & inertia furta
Palladii, caeſis ſummae cuſtodibus arcis,
Ne timeant; nec equi caeca condemur in alvo.
Luce, palam certum eſt igni circumdare muros.
Haud ſibi cum Danais rem faxo & pube Pelasga
155 Eſſe putent, decumum quos diſtulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,

Quod

SERVII.

146. LECTI FERRO. Utrum, ad ferrum lecti, an potius acie lecti? ut ſi dixiſſet, virtute lecti. VALLUM. Hiſtorice elocutus eſt: *Vallum* autem dicitur ipſa munitio; nam *valli*, fuſtes ſunt, quibus *vallum* munitur. Ipſe de ſuſtentaculis vitium: *Vallos primus ſub tecta referto.*

147. TREPIDANTIA CASTRA. Ut: *Turbataque arripe caſtra.*

148. NON ARMIS MIHI VULCANI, NON MILLE CARINIS. Bene *arma* generaliter dixit: nam & ipſe habuit a Vulcano, ſed ſolum gladium, ut: *Enſem, quem Dauno ignipotens deus ipſe parenti Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.* Per hoc autem quaſi latenter dicit ſe Achille eſſe meliorem, qui ſe Trojanos etiam ſine divinis armis ſuperare poſſe confidit.

149. ADDANT SE PROTINUS OMNES. Ne timere videatur auxiliorum multitudinem: dicit incrementa eſſe victoriae. Quidam *protinus*, hic pro licet accipiunt.

153. LUCE PALAM. Propter tenebras & furta inertia. Vel *luce*, quod Ilium nocte captum eſt: *Palam*, quia inſidiis.

155. QUOS DISTULIT HECTOR. Bene ſolius Hectoris facta eſt commemoratio, ut oſtendatur periiſſe eum, qui potuit eſſe terrori. Et ſatis Hectori dedit, quaſi plus eſſet differre, quam vincere; per quod vult Aenean nihil fortiter in bello feciſſe Trojano.

156. MELIOR QUONIAM PARS ACTA DIEI. Id eſt, major, & prima. An, quoniam dicit hoc optimum, quod matutinum?

PIERII.

146. SED VOS O LECTI FERRO QUIS SCINDERE VALLUM APPARAT. In codicibus aliquot antiquis: *Sed vos electi*, legitur, quod nequaquam placet. Illud non ita repudiaverim, quod in Mediceo & aliis codicibus perveteribus habetur, *ferro qui ſcindere vallum*. Et in aliquot ex his, *apparet:* non per interrogationem, ſed per enuntiatum, quamvis interrogatio non diſpliceat.

151. CAESIS SUMMAE CUSTODIBUS ARCIS. In Romano codice: *Caeſis latae cuſtodibus arcis*, legitur: in quibuſdam aliis *late* adverbialiter: horum utrumque foediorem oſtendit caedem. Sed epitheton *ſummae*, proprium eſt arcis. Et Homericum eſt, carmina repetere: quod nonnunquam Virgilius imitatur.

152. NEC EQUI CAECA CONDEMUR IN ALVO. In Romano codice, *alteo:* unde in quibuſdam aliis antiquis *caeco*. Sed de *alteo* non admodum ſollicitus fuerim. Quod vero *caeco*, an *caeca* legendum ſit, Attius quidem virili genere *alvum* poſuit; ſed Virgilium ait Nonius foemininum protuliſſe.

154. CUM DANAIS REM FAXO ET PUBE PELASGA ESSE PUTENT. In codice Mediceo, & aliquot aliis antiquis, *eſſe ferant*, legitur.

155. DECIMUM QUOS DISTULIT HECTOR IN ANNUM. Legere eſt in antiquo codice, *decumum*, per *u*, in pene ultima: & in antiquiſſimo codice actionum in Verrem M. Tullii, ſemper *decumas* notatum animadverti: &: AGRI VEJENTANI DECUMAS VOTAS. Et ita paſſim apud Livium in veteri codice, & QUARTIONIS DECUMI AUGUSTI LIBERTI, monumentum alibi citavimus; ne quis hoc per librariorum imprudentiam ſcriptum putaret; ſed quia aetas illa in Auguſti gratiam ita ſcribere conſuerit. Cujusmodi exempla locis pluribus recitata ſunt.

156. PARS ACTA DIEI. In plerifq. codd. antiq. *diei eſt*, legitur; quod ſua me offendit exilitate, quum

Quod ſupereſt, laeti bene geſtis corpora rebus
Procurate, viri; & pugnam ſperate parari.
Interea vigilum excubiis obſidere portas
160 Cura datur Meſſapo, & moenia cingere flammis.
Bis ſeptem, Rutulo muros qui milite ſervent,
Delecti: aſt illos centeni quemque ſequuntur
Purpurei criſtis juvenes auroque coruſci:
Diſcurrunt, variantque vices, fuſique per herbam
165 Indulgent vino, & vertunt crateras aenos.
Conlucent ignes: noctem cuſtodia ducit
Inſomnem ludo.
Haec ſuper e vallo proſpectant Troes, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
170 Explorant, pontiſque & propugnacula jungunt:

Te-

SERVII.

157. BENE GESTIS CORPORA REBUS. In eo tantum, quod hoſtes non auſi ſunt egredi: nam nihil egerant. Ergo hortativa eſt oratio ad ſocios, ut audaciores eſſe debeant, cum videant ſe timeri. Homeri eſt: Νῦν δ' ἑκὰς ἄστεος κοίλῃς ἐπὶ νηυσὶ μάχονται (?) — *Νῦν δ' ἔρχεσθ' ἐπὶ δεῖπνον, ἵνα ξυνάγωμεν ἄρηα.*

158. PROCURATE. Verbum compoſitum, id eſt, curate. PUGNAM SPERATE PARARI. Scilicet contra Trojanos; non a Trojanis: ne videatur contra ſupradicta omina nunc ſociis inferre terrorem. Ergo a me parari ſperate, id eſt, pugnaturos vos ſcitote, licet hoſtes muris ſe teneant, ut: *Arma parate animis, & ſpe praeſumite bellum*. *Sperate* autem dixit: quia cupidos eos oſtendit pugnae & victoriae, ut viros fortes.

159. VIGILUM EXCUBIIS. *Excubiae*, diurnae ſunt: *vigiliae*, nocturnae.

162. CENTENI QUEMQUE. Centurionum ſcilicet, ex more Romanae militiae: nam ex numero militum, qui eos ſequuntur, gradus dignitatis apparet: unde & *milites* dicti a *mille*: & *Tribuni militum*, dicti ſunt χιλίαρχοι.

163. PURPUREI CRISTIS JUVENES. Hic verſus per figuratum ablativum prolatus eſt.

164. VARIANTQUE VICES. Vices ſtationum.

165. INDULGENT VINO. Ablativus caſus eſt, & deeſt *ſibi*; ni figuratum eſt, ex fiducia, ſcilicet: ſequitur enim: *quae Rutulos habeat fiducia*. VERTUNT CRATERAS AHENOS. Potantes exhauriunt: & eſt hemiſtichium Ennianum.

166. CUSTODIA. Nomen ambiguum; ſed modo, quae cuſtodit.

168. E VALLO. E muro. ARMIS ALTA TENENT. Bona elocutio, id eſt, armati tenent alta, hoc eſt, muros: *Tenent* autem, cuſtodiunt.

169. TREPIDI FORMIDINE. Feſtini per formidinem: nam non eſt iteratio.

170. EXPLORANT. Confirmant. PONTESQUE. Qui fiunt in muris anguſtioribus: ut ſit facilior tranſitus ad diviſas muri partes. PROPUGNACULA. Pinnas murorum.

PIERII.

quum abſque ſubſtantivo verbo concinnius omnino verſus enuntietur.

158. ET PUGNAM SPERATE PARATI. Antiqui omnes codices, quotquot inſpexi, *ſperate parari*, legunt; quod etiam agnoſcit Servius, cum dicit, *contra Trojanos, non a Trojanis*, ſcilicet parari pugnam.

160. CINGERE FLAMMIS. In antiquis, *flamma*; ſed magis placet, *flammis*, numero multitudinis; ut negotium id multorum opera procuratum indicet.

162. CENTENI QUEMQUE SEQUUNTUR. In Romano codice, *ſecuti*, legitur; in reliquis, *ſequuntur*, & *ſecuntur*.

163. PURPUREI CRISTIS JUVENES. Sunt codices, in quibus, *purpureis criſtis*, legitur; ſed figuratum magis, *purpurei*: & huic ſimilis nominativus ſequitur, *auroque coruſci*, quamvis etiam dici poſſit, *coruſci purpureis criſtis, auroque*.

Tela gerunt. Instant Mnestheus acerque Serestus:
Quos pater Aeneas, si quando adversa vocarent,
Rectores juvenum, & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio, sortita periclum,
175 Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portae custos, acerrimus armis,
Hyrtacides; comitem Aeneae quem miserat Ida
Venatrix, jaculo celerem levibusque sagittis:
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
180 Non fuit Aeneadum, Trojana neque induit arma;
Ora puer prima signans intonsa juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tum quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait, DIne hunc ardorem mentibus addunt,

Eu-

SERVII.

173. RECTORES JUVENUM. Legitur & JUVENI; si JUVENI, Ascanium; si JUVENUM, magistros militum accipe.

174. SORTITA PERICLUM. Aut sorte divisa ad defensionem periculi: aut parturiens periculum, quod quisque experiretur.

175. QUOD CUIQUE TUENDUM EST. Exercet unusquisque vices ad id, quod accepit tuendum.

177. IDA VENATRIX. A plerisque *Ida*, mater Nisi accipitur, quia dixit *venatrix*: nam, si montem volueris accipere, abusive *Idam venatricem* dictam intellige, pro, venationibus abundantem: nam *venatrix*, est proprie, quae venatur; non, quae venationibus abundat: aut *venatrix*, pro his, qui in ea venantur, ut: *Domitrixque Epidaurus equorum*.

178. JACULO CELEREM. Bene inducit Nisum optimum esse jaculatorem: & hanc praemittit armorum peritiam, qua plurimum poterit in Euryali defensione.

180. TROJANA NEQUE INDUIT ARMA. Hoc est, qui nondum bellicosa arma induerat, id est, acceperat. Et hoc dicit: Pulcher quidem erat, sed nondum bellandi peritus.

181. PRIMA JUVENTA. Num prima lanugine? INTONSA. Hoc ad sua tempora retulit; alioquin heroes non tondebantur.

182. AMOR UNUS ERAT. Id est, eorum studio flagrabant. PARITERQUE IN BELLA RUEBANT. Aut simul, aut similiter; & pari virtute, id est, aeque fortes erant.

184. DIINE HUNC ARDOREM MENTIBUS ADDUNT EURYALE, &c. Apud Plotinum philosophum, & alios, quaeritur, utrum mentis nostrae acies per se ad cupiditates & consilia moveatur, an impulsu alicujus numinis? Et primo dixerunt; mentes humanas moveri sua sponte; deprehenderunt tamen ad omnia honesta impelli nos Genio, & numine quodam familiari, quod nobis nascentibus datur; prava vero, nostra mente nos cupere & desiderare: nec enim potest fieri, ut prava, numinum voluntate, cupiamus, quibus nihil malum constat placere. Unde nunc hic ortus est sensus. Hoc enim dicit Nisus: O Euryale, diine nostris mentibus cupiditates injiciunt & desideria? an deus sit ipse mentis cupiditas? MENTIBUS vero ADDUNT. Bene dixit *addunt*: nam animus sui natura prudens est; sed ei additur, ut aliquid impatienter desideret, quasi praeter ejus naturam adjunctam.

PIERII.

179. ET JUXTA COMES EURYALUS. In antiquis aliquot exemplaribus, *& Nisum juxta Euryalus*, legitur.

180. TROJANA NEC INDUIT ARMA. In antiquis aliquot codicibus, *neque induit*, suaviori numero legitur.

185 Euryale? an ſua cuique deus fit dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jam dudum invadere magnum
Mens agitat mihi; nec placida contenta quiete eſt.
Cernis, quae Rutulos habeat fiducia rerum.
Lumina rara micant: ſomno vinoque ſepulti
190 Procubuere: ſilent late loca. Percipe porro,
Quid dubitem, & quae nunc animo ſententia ſurgat.
Aenean acciri omnes populuſque patreſque
Expoſcunt; mittique viros, qui certa reportent.
Si tibi, quae poſco, promittunt, (nam mihi facti
195 Fama ſat eſt) tumulo videor reperire ſub illo
Poſſe viam ad muros & moenia Pallantea.

Ob-

SERVII.

185. DIRA CUPIDO? Magna. Nonnulli tamen inter *cupiditatem*, & *cupidinem*, hanc differentiam eſſe volunt; ut maſculino genere *Cupidinem*, deum ipſum, id eſt, τὸν Ἔρωτα ſignificemus; foeminino *cupiditatem*: quamvis hoc auctores plerumque confundunt.

186. ALIQUID MAGNUM. Scilicet, per hoſtes tranſitum.

187. AGITAT. Molitur. QUIETE. Modo otio, non ſomno: nam in vigiliis fuerat collocatus: qui enim cuſtos eſt, de inſomnio ſuo queri non poteſt.

188. CERNIS QUAE RUTULOS HABEAT FIDUCIA RERUM. Ipſius deſiderii vult eſſe rationabiles cauſas; ne vanum mens agitare videatur: nam & negligentia hoſtium per fiduciam nimiam oſtenditur, & occaſio dabatur aliquid ſtrenue gerendi.

189. SOMNO, VINOQUE SEPULTI. Alterum pendet ex altero: & *ſepulti*, quaſi ſine pulſu, & nihil ſentientes.

190. PORRO. Hortantis eſt: aut num conjunctio expletiva?

191. QUID DUBITEM. Id eſt, cogitem: omnis enim cogitatio in dubitatione eſt ante ſententiam.

192. POPULUSQUE PATRESQUE. Transfert in Trojanos Romanam conſuetudinem, ut ſolet plerumque: prius enim jubebat aliquid Populus; poſtea confirmabat Senatus.

193. REPORTENT. Portent: nam *re* vacat: aut ab eo, quod eſt *reportare*.

194. SI TIBI, QUAE POSCO PROMITTUNT. Poſcere, eſt, ſecundum Varronem, *quotiens aliquid pro merito noſtro depoſcimus*; PETERE vero eſt, *cum aliquid humiliter, & cum precibus poſtulamus*. Et bene, quod Euryalum nolit ducere, latenter oſtendit: nam ideo adjecit: *Mihi facti Fama ſat eſt*.

195. SUB ILLO. Pro, ex illo: praepoſitionem mutavit.

196. MOENIA PALLANTEA. Ubi nunc credit eſſe Aeneam.

PIERII.

189. SOMNO VINOQUE SEPULTI. In Romano codice & aliquot aliis legere eſt, *ſoluti*, non *ſepulti*: ut: *Solvunt ſe ſomno*: & *Lyaeus*, eo, quod ſolvat, appellatus. Servius, *ſepulti*, quaſi *ſine pulſu* interpretatur. Sed & inferius quoque codices omnes veteres, *ſoluti*, legunt in hanc ſententiam. Illud vero Ovidianum ex ſecundo Faſtorum; *Utque videt comites ſomno vinoque ſepultos*. Sunt qui, *gravatos*, legant.

192. AENEAN ACCIRI OMNES, POPULUSQUE PATRESQUE EXPOSCUNT. In antiquo quodam codice, *omnis*, ut quadret cum viciniori populus, quod non ita mihi ſatis facit; quum dilatatio totius in partes figura longe vetuſtior videatur. Quare, *omnes*, omnino magis placet; ſed enim &, *populos*, in veteri codice nominativo ſingulari legitur. Quam dictionem ita ſcriptam in legibus XII. Tabularum Victoriuus adnotavit, ut alibi oſtendimus.

195. TUMULO VIDEOR REPERIRE SUB ILLO POSSE VIAM. In codicibus aliquot pervetuſtis, *aperire*, legitur: quippe *viam*, quae clauſa erat hoſtium obſidione: neque quidem timendum ſyllabae, quia locus communis eſt.

Obſtupuit magno laudum percuſſus amore
Euryalus; ſimul his ardentem adfatur amicum:
Mene igitur ſocium ſummis adjungere rebus,
200 Niſe, fugis? ſolum te in tanta pericula mittam?
Non ita me genitor bellis adſuetus Opheltes
Argolicum terrorem inter Trojaeque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia geſſi,
Magnanimum Aenean & fata extrema ſecutus.
205 Eſt hic, eſt animus lucis contemtor, & iſtum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Niſus ad haec: Equidem de te nil tale verebar:
Nec fas: non. Ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicumque oculis haec aſpicit aequis.
210 Sed ſi quis (quae multa vides diſcrimine tali)
Si quis in adverſum rapiat, caſuſve, Deuſve,

Te

SERVII.

198. ARDENTEM. Modo ardentem: ut: *Ardet amans Dido*: an feſtinantem? ut: *Inſtant ardentes Tyrii*: an cupiditate caedis flagrantem? ut: *Ardet in arma magis*: an propter illud, quod ipſe dicat: *Diine hunc ardorem mentibus addunt*; & deinde: *Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum*.

199. SUMMIS ADJUNGERE REBUS. *Summum, & extremum* dicimus, & *laudabile*. Bene ergo in re dubia ſermone uſus eſt dubio: nam hoc dicit: Non debes me, nec a tua gloria, nec a periculis ſegregare.

201. GENITOR BELLIS ADSUETUS. Ipſe puer eſt, necdum probatus: unde ſe & a belli temporibus, & a patris virtute commendat.

202. ARGOLICUM TERROREM. Quem Graeci inferebant. TROJAEQUE LABORES. Bene κατὰ τὸ σιωπώμενον annos Euryali oſtendit: nam ſi a caepto Trojano bello, quod decennium tenuit, ſeptem anni erroris addantur, anni decem & ſeptem ſunt: Eſt ergo aetas pene ad bellum inhabilis; ſed exercitium oſtenditur, quod inter bella nutritus eſt.

203. SUBLATUM. Suſceptum.

204. MAGNANIMUM AENEAM. Ideo ſecutus, non ut vitae ſtudeam, ſed gloriae.

205. EST HIC, EST ANIMUS. *Hic*, poteſt eſſe & adverbium demonſtrantis, ut ſit, *Eſt hic*, id eſt, in meo pectore: poteſt & ſic accipi, ut dicat: eſt hic animus lucis contemptor, hoc eſt, iſte animus. Ergo HIC, & produci poteſt, & corripi.

206. ISTUM QUI VITA BENE CREDAT EMI HONOREM. Qui iſtum honorem, *quo tendis*, id eſt, ad quem niteris, libenter emat vita, id eſt, vitae pretio.

207. NIL TALE VEREBAR. Quale tu ſuſpicaris. NON. Diſtinguendum, ut initium jurisjurandi ſit: *Ita me referat*.

208. REFERAT TIBI MAGNUS OVANTEM JUPPITER. Mire jusjurandum compoſitum ſic enumerat, quaſi relicturus eum, cum de virtutibus ejus optime ſentiat. HAEC. Humana negotia: vel quae loquitur.

210. SED SI QUIS. Multas cauſſas praetendit: primam, ipſius pueri; ſecundam, propter ſe; tertiam, matris: & eſt parentheſis.

211. SI QUIS IN ADVERSUM RAPIAT CASUSVE DEUSVE. Hoc eſt, quae multa, ut in tali diſcrimine, accidere poſſe intelligis. PRETIOVE. Pro, vel: *ve* enim ſyllaba, proprie *vel*, ſignificat.

PIERII.

197. PERCULSUS AMORE. Ut ſaepe dictum, veteres omnes codices, *percuſſus*, legunt per ss geminatum.

204. ET FATA EXTREMA SECUTUS. Non placet quod in Romano codice, *fama*, legitur; quum ſecutus extrema fata ſit omnino caſta lectio.

Te superesse velim: tua vita dignior aetas.
Sit, qui me raptum pugna, pretiove redemtum
Madet humo solita: aut, si qua id Fortuna vetabit,
215 Absenti ferat inferias, decoretque sepulcro:
Neu matri miserae tanti sim caussa doloris:
Quae te sola, puer, multis e matribus ausa,
Persequitur, magni nec moenia curat Acestae.
Ille autem: Caussas nequidquam nectis inanis,
220 Nec mea jam mutata loco sententia sedit.
Acceleremus, ait. Vigiles simul excitat. Illi
Succedunt, servantque vices: statione relicta
Ipse comes Niso graditur, regemque requirunt.
Cetera per terras omnis animalia somno
225 Laxabant curas, & corda oblita laborum,
Ductores Teucrum primi, delecta juventus,

Con-

SERVII.

214. MANDET HUMO. Multi hoc distinguunt; alii jungunt, *mandet humo solita*; ut sit, commendet in terra. SOLITA autem, id est, cui mandari defuncti solent. FORTUNA, scilicet, quae piis invidere consuevit. Statius, hinc trahens colorem, ait: *Invida fata piis, & fors ingentibus ausis Rara comes.*

215. ABSENTI FERAT INFERIAS. *Absenti*, quem non sepelierit; hoc est, cenotaphion faciat, & impleat honorem sepulchri. De inferiis autem plenius in quarto Georgicorum invenies.

216. MISERAE. Ad illum exitum, quem timet, retulit: an dolet vicem jam *miserae*, quae in hoc consilio filii periclitatur?

217. PUER. Mire dissuadet dicendo *puer*. E MATRIBUS. E nobilibus: nam *matres*, non nisi nobiles accipimus; unde & *matronae* dictae sunt. Scimus autem, non omnes mulieres in Sicilia remansisse: nam legitur in XI. *Et moestum Iliades crinem de more solutae.*

218. NEC MOENIA CURAT ACESTAE. Id est, Nec tenetur desiderio Segestae civitatis.

219. ILLE AUTEM. Hoc loco esse interruptam orationem Nisi ab Euryalo, intelligimus.

221. VIGILES SIMUL EXCITAT. Qui vigiliarum officium habebant: hoc est, futuros vigiles; alioquin quomodo excitat? & totum junctim legendum est; ut simul & dictum & factum videatur.

222. SERVANTQUE VICES. Hic distinguendum: alias sensus non procedit. STATIONE RELICTA. Hoc ad Nisum & Euryalum pertinet; ut sit sensus: *Statione relicta, Ipse comes Niso graditur:* quidam: *Servantque vices statione relicta*; pro, stationis relictae vices servant, intelligi volunt, ut: *Et pulchra faciat te prole parentem:* hoc est, pulchrae prolis.

223. REGEMQUE REQUIRUNT. Regis filium, ut: *Magnum reginae sed enim miseratur amorem.*

224. CAETERA PER TERRAS OMNES. Exaggerat more suo vigilantum laborem.

PIERII.

217. QUAE TE SOLA PUER MULTIS E MATRIBUS AUSA PROSEQUITUR. In Romano codice, *multis a matribus*, habetur, in quo vel, procul, aut, disseparata, intelligendum esset. Sunt etiam codices, in quibus legas, *Multis e matribus una*; Sed enim est hoc superfluum, quum jam, *sola*, dictum sit. Magis vero me moverit, quod verbum, *persequitur*, in antiquis aliquot codicibus, non, *prosequitur*, notatum est: tangit enim hoc perseverantiam in sequendo gnato.

223. REGEMQUE REQUIRUNT. In antiquis aliquot codicibus, *revisunt*, habetur.

226. DUCTORES TEUCRUM PRIMI, ET DELECTA JUVENTUS. In codic. pene omnibus antiquis, quotquot habui, versus legitur absque & copulativa

par-

Consilium summis regni de rebus habebant,
Quid facerent, quisve Aeneae jam nuntius esset:
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
230 Castrorum & campi medio. Tum Nisus & una
Euryalus confestim alacres admittier orant:
Rem magnam, pretiumque morae fore. Primus Iulus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite o mentibus aequis,
235 Aeneadae: neve haec nostris spectentur ab annis,

SERVII.

227. CONSILIUM SUMMIS REGNI DE REBUS HABEBANT. *Summis*, utrum maximis; an, quod putabant eas in extremo sitas? & est Lucilii versus, uno tantum sermone mutato; nam ille ait: *Consilium summis hominum de rebus habebant*.

228. JAM NUNTIUS ESSET. *Jam*, aut cito; ut festinandum sit, & jam nuntiandum Aeneae, nec differendum: aut, cum nullum invenirent, ad desperationem; quasi nemo esset jam, qui posset audere.

229. ADNIXI HASTIS. Mira facies consilii: in dubiis non sedent, sed *stant*. Ostendit ergo jam eos diuturna statione fatigatos: quod autem *stant*, & Romani moris est, & bellicae necessitatis. Hunc autem standi habitum & Sallustius commemorat, ut: *Fessi arma sua quisque stantes incumbere*.

230. CASTRORUM, ET CAMPI MEDIO. In medio campi est statio, qui campus castrorum medius fuit: quia in mediis castris principes sunt semper: & bene, *campi medio*, quam *campo medio*: tunc enim *campo medio*, cum aliquot campi sunt, & unus est medius campus; *Campi* autem *medio*, in media parte unius campi.

231. ALACRES. Concitati, Terentius: *Quid tu es tristis, quidve es alacris?* ADMITTIER ORANT. Hoc verbo ostendit, olim & apud reges *admissionum* fuisse *officium*.

232. REM MAGNAM PRETIUMQUE MORAE FORE. Dicebant, se adferre rem magnam, cujus mora pretium posset adferre, id est, poenam. Terentius: *Ego pretium ob stultitiam fero*, ut sit sensus. Si tardius mittatur ad Aeneam, luemus hostibus poenas. Alii sic intelligunt: Scimus quidem adventum nostrum moram vestris adferre consiliis; verum hujus morae erit pretium, id est, remuneratio; namque hoc offerebant, quod illi cogitabant, ut diximus supra: *Quisve Aeneae jam nuntius esset?* Alii deesse putant *adfirmantes*; ut sit sensus: adfirmantes rem magnam futuram, & multum illos consecuturos si audiendi se moram pertulissent: alii, qui *pretium* pro *poena* dicunt positum, ita tradunt, eos anxios tamdiu super rebus dubiis futuros, quamdiu se non admiserint ad loquendum.

233. ACCEPIT TREPIDOS. Festinos, more suo. Ergo per metalepsin cupidos dixit ἐπειγόμενους: non enim possumus timentes accipere; quod festinabant.

235. NEVE HAEC NOSTRIS SPECTENTUR AB ANNIS. Bene excusat: quia scit de aetate puerorum posse dubitari, dicens, non ex suggerentum persona, in qua est major auctoritas, sed sua vi consilia ponderanda. *Spectentur* autem, aestimentur.

PIERII.

particula: *Ductores Teucrum primi, delecta juventus*. Sed enim copula hic omnino necessaria videtur, ut duces a militibus distinguat, & ordinum Romanorum mores ubique, uti suus est mos, tangat.

227. CONSILIUM SUMMIS REGNI DE REBUS HABEBANT. In codicibus aliquot manu scriptis, *concilium*, legas; nempe quia &, *conscilium*, in veteribus exemplaribus reperitur: quod illi nomen ab esse conscium deducebant; nam *consilium a consulo* est, & diversum quid significat. Sed enim in altero illo significato *scita plebis*, & *scire plebem*, apud veteres invenio, non *conscilium*, aut quid hujusmodi. Ea vero potissimum de caussa convenerant, ut, quid unicuique e republica videretur, in medium consulerent.

228. QUISVE AENEAE JAM NUNTIUS ESSET. In antiquis aliquot exemplaribus, *esset*, legitur; nam hoc etiam quaerere poterant, Nuntiassetne adhuc quispiam Aeneae, quid rerum gereretur. Sed quia dixerat Nisus populum & patres exposcere; mitti viros, qui certa reportarent, magis placet, *esset*, vulgata lectio.

230. CASTRORUM ET CAMPI IN MEDIO. In cod. an-

Quae ferimus. Rutuli somno vinoque soluti
Procubuere. Locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio portae, quae proxima ponto.
Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
240 Erigitur. Si Fortuna permittitis uti,
Quaesitum Aenean ad moenia Pallantea,
Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta,
Adfore cernetis: nec nos via fallit euntis.
Vidimus obscuris primam sub vallibus urbem
245 Venatu assiduo, & totum cognovimus amnem.
Hic annis gravis atque animi maturus Aletes:

SERVII.

236. RUTULI SOMNO VINOQUE SEPULTI. Occasio prius narratur, quam consilium, ut necessario ad id, quod nuntiat, veniat.

237. LOCUM INSIDIIS CONSPEXIMUS IPSI. Ordo est: Locum conspeximus, qui insidiis patet: *ipsi* autem, ad fidem pertinet: qui enim rem tantam nuntiat, debet firma auctoritate contendere: & communicat conscio, quod solus conspexit.

238. QUI PATET IN BIVIO. Necessaria signa addidit. PORTAE QUAE PROXIMA PONTO. Apparet, ut & supra diximus, castra Trojana in Ostiensi fuisse: siquidem nullus alter locus in Laurolavinati hinc fluvio cohaeret, hinc pelago. Et nunc dicit: *Portae, quae proxima ponto*. Item paulo post dicturus est: *Murorum in parte sinistra, Opposuere aciem: nam dextera cingitur amni*.

239. INTERRUPTI IGNES. Supra aliter: *Lumina rara micant*. FUMUS ERIGITUR. Signum est sopitorum ignium, quotiens major fumus erigitur.

240. FORTUNA. Occasione, ad inquirendum Aeneam. Alii hunc ordinem volunt: *Si fortuna permittitis uti, Mox hic cum spoliis, ingenti caede peracta, Affore cernetis. Nec nos via fallit euntes Quaesitum Aenean, & moenia Pallantea*.

241. QUAESITUM. Ut quaeramus. CUM SPOLIIS. Hinc est, quod supra Euryalo dixit: *Me referat tibi magnus ovantem Juppiter*: respiciens ad id, quod posset fortiter facere.

243. NEC NOS VIA FALLIT. Bene ubique cuncta cum amico communicat.

244. OBSCURIS PRIMAM SUB VALLIBUS URBEM. Nos in obscuris vallibus positi vidimus primam urbem, hoc est, primam partem urbis; nam Pallatium in monte est, non in vallibus.

245. TOTUM AMNEM. Hoc est, regionem amnis.

246. ANNIS GRAVIS, ATQUE ANIMI MATURUS ALETES. Sallustius de Philippo: *Qui aetate & consilio caeteros anteibat*: nam in senioribus viget prudentia; unde Ovidius: *Seris venit usus ab annis*.

PIERII.

antiquis, *in* praepositio non habetur. Sunt vero codices, qui legant, *castrorum & medio campi*.

234. TUNC SIC HYRRACIDES. In antiquis *tum*, quod & alibi saepe pro, *tunc*, positum.

236. VINOQUE SEPULTI. Uti diximus alio itidem loco, in Oblongo, & aliquot aliis codicibus *soluti* legitur.

237. PROCUBUERE. Superius quidem verbum hoc habetur; sed hic veteres omnes codices, quotquot inspicere licuit, excepto Mediceo, *conticuere*, legunt, quod magis indicat, eos somno laxatos, in quo nihil magis quam silentium expetitur.

238. QUAE PROXIMA PONTO. In antiquis aliquot codicibus, *quae proxima ponto est*, una plus dictione legitur.

241. QUAESITUM AENEAN AD MOENIA PALLANTEA. In antiquis *Aenean & moenia*. Κατ' ὕστερον πρότερον.

244. VIDIMUS OBSCURIS PRIMAM SUB VALLIBUS URBEM. Carisius, *primam*, pro, *inprimis*, hic positum ait, atque expositum Terentianum illud in Adelphis, ab Hellenio Acrone, in prima fabula. Ita & illud, *Trojae qui primus ab oris*, pro *inprimis*: ubi Terentius Scaurus in Commentariis in Artem poeticam lib. x. *Non, qui ante omnes*, inquit, *sed ante quem nemo est*. Et addit: *Quo genere plures primi accipi possunt*.

246. ATQUE ANIMI MATURUS ALETHES. In Romano codice, *animis*, legitur: quod non ita placet.

DI patrii, quorum ſemper ſub numine Troja eſt,
Non tamen omnino Teucros delere paratis,
Cum talis animos juvenum, & tam certa tuliſtis
250 Pectora. Sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & voltum lacrimis atque ora rigabat:
Quae vobis, quae digna, viri, pro laudibus iſtis,
Praemia poſſe rear ſolvi? pulcherrima primum
DI, moresque dabunt veſtri: tum cetera reddet
255 Actutum pius Aeneas, atque integer aevi
Aſcanius, meriti tanti non inmemor umquam.
Immo ego vos, cui ſola ſalus genitore reducto,
Excipit Aſcanius, per magnos, Niſe, Penatis,
Aſſaracique Larem, & canae penetralia Veſtae,

Ob-

SERVII.

248. NON TAMEN OMNINO TEUCROS DELERE PARATIS. Ac ſi diceret: Licet iraſcamini ad tempus; hinc tamen appareo, non velle vos penitus delere Trojanos, quod tales animos noſtris juvenibus datis.

249. CERTA. Hoc loco, firma, vel fortia.

250. HUMEROS DEXTRAQUE TENEBAT. Hoc ad affectum retulit: nec enim ſimul fieri poteſt. Intelligimus autem, quod & ſingulos, & membratim amplectebatur.

251. VULTUM LACHRYMIS, ATQUE ORA RIGABAT. Poetice junxit, & modo unum ſignificant; eſt autem iteratio. Interdum recipiunt diſcretionem; nam eſt naturaliter *facies*, quam habemus; *vultus* vero, quem pro nutu animi ad tempus formamus. PRO LAUDIBUS. Id eſt, virtutibus: ab eo quod praecedit, id quod ſequitur, ut lib. v. Aen. *Primam merui qui laude coronam.*

254. DII MORESQUE DABUNT VESTRI. Ciceronis eſt, tractum de Philoſophis, qui dicunt ſufficere ad gloriam, benefacti conſcientiam: quod & Virgilius ſupra ait: *Et mens ſibi conſcia recti*. Scit enim Poeta nihil eſſe majus, quam quod vel a diis meruerimus, vel rectis moribus fecerimus.

255. ACTUTUM. Confeſtim, ſine dilatione: & eſt adverbium temporis. INTEGER AEVI. Integri aevi, id eſt, Adoleſcens, cui aetas integra manet; unde Ennius *Deos aevi integros* dicit, quibus multum aevi ſupereſt. Et bono omine, ad pericula pergentibus etiam per Aſcanium praemium pollicetur. Longiorem enim eis vitam promittit, ſi ea exſpectent, quae Aſcanius dare majora poſſit.

256. MERITI. Praeſtiti, ut: *Merui quoque*. Item: *Quique ſui memores alios fecere merendo.*

257. IMMO EGO VOS. Pulchre Poeta fidem ſponſionis Alethi addidit, ut eum ſtatim promiſſa Aſcanii ſequerentur.

258. EXCIPIT ASCANIUS. Id eſt, ſubſequitur: & a Poeta dictum eſt. VOS AUTEM NISE. Figurate, ut: *Vos, o Calliope*. SOLA SALUS vero, cui una eſt ſalus, genitore reducto.

259. CANAE VESTAE. Venerabilis, antiquiſſimae. Ipſa enim antiquiſſima dea eſt, Terra. PER MAGNOS NISE PENATES. Hoc eſt, quod ait, *Penatibus & magnis Diis*, id eſt, quos Aeneas ſecum advexerat; nam ideo ait *Aſſaracique larem*, id eſt, familiae noſtrae vel generi proprium; vel quos nos Trojani praecipue colimus: de quibus ait III. Aeneid. *Phrygiique Penates, Ques mecum a Troja mediis ex ignibus urbis Extuleram*. Qui tamen dii, qui ſint, a diverſis varie traduntur, ſicut ſupra dictum eſt.

PIERII.

249. CUM TALES ANIMOS JUVENUM, TAM CERTA TULISTIS PECTORA. In antiquis fere omnibus exemplaribus, *talis animos juvenum & certa tuliſtis*, legitur: quod magis placet.

252. QUAE VOBIS QUAE DIGNA VIRI PRO TALIBUS AUSIS. In codicibus aliquot antiquis, *pro laudibus iſtis*, legitur: & id Servius agnoſcit. In eo porro veteri codice, qui apud me eſt, ita etiam legebatur, ſed utraque dictio abraſa eſt, &, *talibus auſis*, adſcriptum. Eſt vero hoc idem alibi, ubi Aeneas Lauſi pietatem admiratur, qui ſeſe morti objecerat pro-

ſa-

260 Obteſtor. Quaecumque mihi fortuna fideſque eſt,
In veſtris pono gremiis. Revocate parentem:
Reddite conſpectum. Nihil illo triſte recepto.
Bina dabo argento perfecta atque aſpera ſignis
Pocula; devicta genitor quae cepit Ariſba:
265 Et tripodas geminos, auri duo magna talenta,
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, ſceptriſque potiri
Contigerit victori, & praedae ducere ſortem:
Vidiſti, quo Turnus equo, quibus ibat in armis

Au-

SERVII.

260. OBTESTOR. Adjuro: & eſt ordo: *Immo ego, cui ſola ſalus genitore reducto, Vos obteſtor per deos, revocate parentem*. FORTUNA, FIDESQUE EST. Id eſt, Quidquid caſu, quidquid conſilio egero, vobis committam: nam per *fidem*, conſilia ſignificat; per *fortunam* opes, imperium, & cujuſlibet rei poſſibilitatem. Alii ſic tradunt: *fortuna*, ut poſſit; *fides*, ut velit promiſſa perſolvere. Alii ita: quantum habeo fortunae in veſtris pono gremiis, doque fidem, me ita animatum eſſe, & ſic ſentire; mihi, inquit, habeo conjunctam fortunam & fidem: nam, cum volumus oſtendere, quantum in noſtra ſit poteſtate, dicimus *fortunam & fidem*. *Fortuna*, de noſtris eſt poſſeſſionibus, *fides*, quantum nobis creditur ab inimicis.

262. NIHIL ILLO TRISTE RECEPTO. Subaudis; *erit*.

263. ARGENTO PERFECTA. Id eſt, tota argentea.

264. DEVICTA GENITOR QUAE CEPIT ARISBA. Atqui ſecundum Homerum Ariſba miſit Trojanis auxilium, & ab Achille ſubverſa eſt. Sed accipimus, aut ante bellum Graecorum Ariſbam a Trojanis captam, & in amicitiae foedus admiſſam: aut certe pocula haec data ab Heleno, qui in Achillis bona per Pyrrhi ſucceſſerat haereditatem, ut ſit: *quas cepit*, pro, quae accepit, devicta Ariſba, ſcilicet ab Achille. Dicta eſt *Ariſba*, a Merops vel Macarei filia, quam primum Paris in conjugio habuit. Quidam ab Abante, qui Troica ſcripſit, relatum ferunt, poſt diſceſſum a Troja Graecorum, Aſtyanacti ibi datum regnum; hunc ab Antenore expulſum, ſociatis ſibi finitimis civitatibus, inter quas & Ariſba fuit; Aeneam hoc aegre tuliſſe, & pro Aſtyanacte arma cepiſſe, ac, proſpere geſta re, Aſtyanacti reſtituiſſe regnum: quod ſi ita eſt, merito eam Aeneas & viciſſe, & haec pocula inde cepiſſe, memoratur.

265. DUO MAGNA TALENTA. Bene addidit *magna*: nam varium apud diverſas gentes pondus eſt talenti; unde *talentum* poteſt & breve aliquid & magnum ſignificare: nam ut ſupra diximus, ſecundum Plautum, talentum ſexaginta librarum eſt: qui, cum dixiſſet, deberi centum viginti libras, paulo poſt intulit, duo talenta; per jocum dicens: *Debentur talenta tot, quot ego & tu ſumus*. Item Homerus *talentum* breve quiddam oſtendit, apud quem in equorum curſu, tertium praemium eſt lebes: quippe quod accepit victus; cum victori levia data ſint munera.

266. CRATERA ANTIQUUM. Hoc eſt, antiquo opere factum, ut ei pretium creſcat ex tempore.

267. CAPERE ITALIAM. Obtinere.

268. DUCERE SORTEM. Statuere. Alii proprie *ducere* legunt, quod eſt ſortium, ut: *Stat ductis ſortibus urna*. Alii DEJICERE legunt, ſecundum illud: *Dejectamque aerea ſortem Accepit galea*. Id eſt, ſortiri praedam.

269. VIDISTI QUO TURNUS EQUO. Meliore oeconomia, Niſum noluit inducere poſtulantem equum Turni praemii loco; ſed honeſtius facit ultro offerri, cum Homerus fecerit Dolonem Achillis currus improbe poſtulantem.

PIERII.

ſalute patris: *Quid tibi nunc, miſerande puer, pro laudibus iſtis, Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?*

257. CUI SOLA SALUS GENITORE REDUCTO. Mediceus codex, & aliquot alii, *recepto*, legunt; ſed id melius inferius: *Nihil illo triſte recepto*.

267. SI VERO CAPERE ITALIA SCEPTRISQUE POTIRI. In aliquot veteribus codicibus alio numero legitur, *Si vero Italiam capere ſceptriſque potiri*. Sed prior ille numerus *capere Italiam*, magis placet.

270 Aureus: ipſum illum clipeum criſtaſque rubentis
Excipiam ſorti, jam nunc tua praemia, Niſe.
Praeterea bis ſex genitor lectiſſima matrum
Corpora captivoſque dabit, ſuaque omnibus arma:
Inſuper his, campi quod rex habet ipſe Latinus.
275 Te vero, mea quem ſpatiis propioribus aetas
Inſequitur, venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem caſus complector in omnis.
Nulla meis ſine te quaeretur gloria rebus:
Seu pacem, ſeu bella geram; tibi maxima rerum
280 Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus: Me nulla dies tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit: tantum: Fortuna ſecunda

Aut

SERVII.

270. IPSUM ILLUM. Equum ſcilicet, cui ex pronomine addidit dignitatem.

271. EXCIPIAM SORTI. Extra ſortem ſeponam, ut tibi dari poſſint, id eſt, praeter ſortem dabo. JAN NUNC. Aut, jam uunc excipiam.

272. MATRUM. Cum dicit *matrum*, non ſolum ſexum oſtendit; ſed etiam propter muneris laudem vult oſtendere foecundas.

273. CAPTIVOSQUE DABIT. Subaudiendum, bis ſex.

274. INSUPER HIS. Super haec: eſt figurata elocutio, per dativum caſum. CAMPI, QUOD REX HABET IPSE LATINUS. Mos ſuerat, ut viris fortibus, atque regibus, pro honore daretur aliqua publici agri particula; ut habuit Tarquinius Superbus in campo Martio: quod ſpatium ab Homero τέμενος dicitur. Hoc ergo, quod Latinus pro honore de republica habuit, ab Aſcanio intelligamus eſſe promiſſum.

276. PECTORE TOTO. Omni affectu. Et eſt de proverbio. Cicero de Legibus: *Niſi toto pectore amantur, ut dicitur*. Cum enim dicit, *ut dicitur*, oſtendit proverbiale.

279. RERUM VERBORUMQUE FIDES. Et rempublicam tibi committam, & tecum omne communicabo conſilium.

280. CONTRA QUEM TALIA FATUR EURYALUS. Cur, cum duobus ſit locutus Aſcanius, & unus illi reſpondit, id eſt, Euryalus, & minor? Quia Euryalo & familiarius, & poſterius eſt locutus: deinde, quod Euryalus matrem commendare debeat.

281. ME NULLA DIES TAM FORTIBUS AUSIS DISSIMILEM ARGUERIT. Ab hoc officio, & ab hac audacia acceſſu temporis inferior non probabor, qualiſcumque fortuna comitetur: id eſt, nunquam aut tam ſecunda fortuna acciderit, aut tam adverſa, ut me diſſimilem mei faciat: hoc eſt, neque ſecundis intumeſcam, neque adverſis dejiciar.

282. TANTUM. Tantummodo hoc poſſum de me promittere; ut ſemper audeam; ſemper velim, fortiter facere: nam hoc eſt, quod dicit: TAM FORTIBUS AUSIS DISSIMILEM ARGUERIT. Tantum ergo meum eſt, hoc promittere, ſive proſpera, ſive adverſa fortuna comitetur: nam AUT, disjunctiva particula eſt, non negantis adverbium. Quidam ſic intelligunt: tantummodo fortuna proſpera non in contrarium recidat; tanquam nunc in ſecundis rebus ſit, cum obſideatur. Alii ita putant: me nulla dies diſſimilem arguet, ſive, quae eſt hodie, fortuna permanſerit, ſive etiam laeta fuerit, id eſt, nec ſi feliciter mihi, nec ſi infeliciter ceſſerit, diſſimilis ero huic conatui: & melius legitur, ſine aſpiratione, *aut adverſa*.

PIERII.

270. CRISTASQUE RUBENTES. In Romano codice, *comantis*, legitur; ſed *rubentis* placet: quia purpurei criſtis juvenes ſuperius indicati ſunt.

274. INSUPER ID CAMPI QUOD REX HABET IPSE LATINUS. Varie legitur hic verſus: nam codices nonnulli veteres, *Inſuper his campi quod*, & *quot*. Alii legunt & *his campis quod rex habet ipſe*. Utcumque vero priores legantur dictiones duae, placet, *quod*, legere.

Aut adverſa cadat. Sed te ſuper omnia dona
Unum oro: genetrix Priami de gente vetuſta
285 Eſt mihi, quam miſeram tenuit non Ilia tellus
Mecum excedentem, non moenia regis Aceſtae.
Hanc ego nunc ignaram hujus quodcumque pericli eſt,
Inque ſalutatam linquo; nox, & tua teſtis
Dextera, quod nequeam lacrimas perferre parentis.
290 At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictae.
Hanc ſine me ſpem ferre tui: audentior ibo
In caſus omnis. Percuſſa mente dederunt
Dardanidae lacrimas: ante omnis pulcher Iulus:
Atque animum patriae ſtrinxit pietatis imago.
295 Tum ſic effatur:
Sponde digna tuis ingentibus omnia coeptis.
Namque erit iſta mihi genetrix, nomenque Creuſae
Solum defuerit; nec partum gratia talem
Par-

SERVII.

283. SUPER OMNIA DONA. Ultra omnia, magis quam omnia: proprie enim *ſuper* id ſignificat, ut ſit, pro omnibus donis.

284. PRIAMI DE GENTE VETUSTA. De familia. Et bene eam etiam ex cognatione commendat: nam Aſcanius nepos eſt Priami per Creuſam.

285. MISERAM. Quae ſic impatienter diligit filium.

286. MECUM EXCEDENTEM. Ut: *Ille meum comitatus iter:* vult enim intelligi, ſui cauſſa matrem ſecutam.

287. IGNARAM. Hic, *ignaram*, cui non dixerit. QUODCUMQUE PERICLI EST. Syllepſis: nam ſubaudis *periculum*.

288. INQUE SALUTATAM LINQUO. Inſalutatam: & eſt Tmeſis, ut: *Inutilis, inque ligatus cedebat*.

289. QUOD NEQUEAM LACHRYMAS PERFERRE PARENTIS. Excuſat, ne videatur crudelis: unde ſequitur matris ejus tragicus & miſerabilis ille conqueſtus: *Potuiſti linquere ſolam Crudelis*, & alia.

290. INOPEM. Modo, auxilii egentem. RELICTAE. Aut a me, aut ab hominibus.

291. AUDENTIOR. Ut ſapientior, ab appellatione, non a participio, futura. Terentius in Heautontimorumeno: *Natu gravior, ignoſcentior*.

292. IN CASUS OMNES. Ut ſupra: *Fortuna ſecunda, Aut adverſa cadat*.

293. PULCHER IULUS. Incongruum epitheton pulchritudinis poſuit; cum res ſit in hoc loco religionis.

294. STRINXIT PIETATIS IMAGO. Momordit, perſtrinxit, admonuit. Senſus autem eſt: aut poſtquam vidit iſtum ſic amare matrem, paternae pietatis virtutem coepit agnoſcere: aut certe coepit etiam ipſe ſic in pietatem moveri, ut ejus conſueverat pater: aut certe, exemplo Euryali avidius coepit amare patrem, etiam ante dilectum.

298. NEC PARTUM GRATIA TALEM PARVA MANET. Debet ab omnibus coli, quae talem creavit: non ergo a te tantum, ſed per te commendatur.

PIERII.

287. IGNARAM HUJUS, QUODCUMQUE PERICLI EST. In Romano codice, & aliquot aliis, *pericli*, abſque *eſt*, legitur; ſed hoc loco ſententia verbum id requirit, & verſum venuſtiorem facit.

290. AT TU, ORO, SOLARE INOPEM, ET SUCCURRE RELICTAE. In codicibus aliquot manu ſcriptis, *hanc tu;* ſed magis placet *at*.

292. PERCULSA MENTE. In antiquis omnibus codicibus, *percuſſa*, uti ſaepe dictum.

295. TUM SIC EFFATUR. In antiquis, & *tum*, & *tunc*, invenio, & *adfatur:* quod, ut mihi videtur, non ita congruit huic loco.

Parva manet; casus factum quicumque sequentur.
300 Per caput hoc juro, per quod pater ante solebat:
Quae tibi polliceor reduci, rebusque secundis,
Haec eadem matrique tuae generique manebunt.
Sic ait inlacrimans: humero simul exuit ensem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
305 Gnossius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niso Mnestheus pellem horrentisque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Aletes.
Protenus armati incedunt: quos omnis euntis
Primorum manus ad portas juvenumque senumque
310 Prosequitur votis. Nec non & pulcher Iulus,
Ante annos animumque gerens curamque virilem,

Mul-

SERVII.

299. CASUS FACTUM QUICUMQUE SEQUETUR. Satis congrue: Praemia enim non debentur eventui, sed voluntati: hoc est, quidquid evenerit, praemia dabo. PER QUOD PATER ANTE SOLEBAT. Alii volunt ideo *ante*, quia absens est Aeneas: nam jurare possumus etiam per absentis filii caput. Alii ad caussam religionis trahunt, quae praecepit, ut filii imitentur in omnibus rebus suos parentes: ut nunc quasi imitatio sit jurisjurandi, ut dicat Ascanius: *Juro per caput meum*, sicut praesens pater per suum caput jurare consueverat, quotiens fidem suam confirmare cupiebat. Alii volunt ideo dictum *ante*, quia pontificibus per liberos jurare non licebat: sed per deos tantummodo; ut sit *ante*, antequam pontifex esset Aeneas. Ergo *ante*, aut temporis est, aut ordinis.

300. REDUCI REBUSQUE SECUNDIS. Mira arte moratur in prosperis, & ea iterat; tacet adversa, & magis intellectui & subauditioni relinquit. Cum enim non dicat, si non redieris, ait: MATRIQUE TUAE, GENERIQUE MANEBUNT. Hoc autem secundum morem Romanorum dicit, apud quos ita praemia decernebantur: *Illi, liberisque ejus*: ut darentur liberis, quae accipere non potuissent parentes.

304. LYCAON GNOSIUS. Cretensis. Et est laus ab artifice. Hunc autem gladium Euryalo datum intelligimus: nam Nisus accepit pellem & galeam.

306. PELLEM HORRENTISQUE LEONIS EXUVIAS. τὸ αὐτὸ dixit: hoc est bis idem, ut: *Bellum etiam pro caede boum, stratisque juvencis, Laemedontiadae, bellumne inferre paratis?*

307. GALEAM FIDUS PERMUTAT ALETHES. *Galeae* enim, sunt explorantum arma, sicut etiam Homerus ostendit; qui exploratores sic armat, ut primo de Diomede: Ἀμφὶ δέ οἱ κυνέην κεφαλῆφιν ἔθηκεν, Ῥινοῦ ποιητήν· πολέσιν δ' ἔντοσθεν ἱμᾶσιν Ἐντέτατο στερεῶς, ἔκτοσθε δὲ λευκοὶ ὀδόντες Ἀργιόδοντος ὑὸς θαμέες ἔχον ἔνθα καὶ ἔνθα Εὖ καὶ ἐπισταμένως· μέσσῃ δ' ἐνὶ πῖλος ἀρήρει. Sed de illa Diomedis galea proprie intelligendum, quae sine cono est, ut oculatior sit explorator: talis enim vocatur καταῖτυξ, quia sit humilis fabrica, id est, κάτω τευκτή. Aliae sunt bellantium, ut idem de Paride: Κρατὶ δ' ἐπ' ἰφθίμῳ κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν ἵππουριν, δεινὸν δὲ λόφος καθύπερθεν ἔνευεν. *Permutat* autem, compositum pro simplici.

309. PRIMORUM. Genitivus hic venit ab eo, quod est *hic primus, hi primi*: & ab eo, quod est *primores*, sicut *hi proceres*: quorum nominum nominativus singularis non invenitur, licet dicamus *hujus primoris, hujus proceris*.

310. VOTIS. Aut cum votis: aut pro reditu vota facientes: an *Juvenumque* manus ad portas votis prosequitur? an *juvenum* quidem manus ad portas; *senum* vero *votis* prosequitur; ut juvenes quidem illos deduxerint, senes vero optaverint illis reditum.

PIERII.

299. CASUS FACTUM QUICUMQUE SEQUETUR. In antiquis plerisque codicibus, *sequentur*, numero plurali habetur. In aliquot, *factum casus quicumque sequetur*, transpositis dictionibus.

303. HAEC AIT ILLACHRYMANS. In veteribus codicibus, *sic ait inlacrumans*.

Multa patri portanda dabat mandata; ſed aurae
Omnia diſcerpunt, & nubibus inrita donant.
Egreſſi ſuperant foſſas, noctisque per umbram
315 Caſtra inimica petunt, multis tamen ante futuri
Exitio. Paſſim ſomno vinoque per herbam
Corpora fuſa vident, arrectos litore currus,
Inter lora rotasque viros; ſimul arma jacere,
Vina ſimul. Prior Hyrtacides ſic ore locutus:
320 Euryale, audendum dextra. Nunc ipſa vocat res.
Hac iter eſt. Tu, ne qua manus ſe attollere nobis
A tergo poſſit, cuſtodi, & conſule longe.
Haec ego vaſta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; ſimul enſe ſuperbum

SERVII.

312. PORTANDA. Nuntianda.

313. AURAE OMNIA DISCERPUNT. Quia non pertulerunt illa mandata Aeneae. Quae inutiliter jubentur, dicitur ventus diſcerpere. ET NUBIBUS INRITA DONANT. Ut ipſe: *Partem volucres diſperſit in auras.*

314. SUPERANT. Tranſgrediuntur.

315. CASTRA INIMICA. Non tantum hoſtilia, ſed & pernicioſa; nam cum dolore dictum eſt *inimica:* unde ſcilicet redituri non erant, quod ex ſequentibus comprobatur: dicendo enim: *Multis tamen ante futuri Exitio:* id eſt, antequam ipſi perirent, oſtendit pernicioſa caſtra eſſe, quae ipſis mortem fuerant adlatura. Et bene cito dictum eſt *exitio*, cum caſtra mortifera dicuntur.

317. LITTORE. Aut aream *litori* proximam, ſicut ſolet: quidam *litore*, flumiois volunt. CURRUS. Quia ante dixerat: *Portae, quae proxima ponto.*

319. VINA SIMUL. Vaſa vini, ſcilicet in quibus vina ponuntur. ORE LOCUTUS. Non eſt periſſologia: nam, ſecundum Homerum, exploratores, quae volunt, plerumque nutu ſignificant: apud quem Ulyſſes Diomedi ſibilo innuit: *Ροίζησεν δ᾽ ἄρα πιφαύσκων Διομήδεϊ δίῳ.*

320. AUDENDUM DEXTRA. Quia audemus & curſu, & animo. NUNC IPSA VOCAT RES. Id eſt, ſomnus & vinum.

321. HAC ITER EST. Per oſtium caedem & audaciam noſtram. ADTOLLERE. Adſurgere.

322. CONSULE. Provide.

323. HAEC EGO VASTA DABO. De quibus dixit: *Corpora fuſa vident.*

324. VOCEMQUE PREMIT. Aut ſummiſſa voce loquitur; aut tacet. SUPERBUM. Cur *ſuperbum* dixerit enarrat: *qui forte tapetibus altis extructus. Superbum* enim, eſt & nobile, ut: *Tiburque ſuperbum: extructus* autem, pro extructis tapetibus altis: veteres & menſis, & toris tapetes aptabant.

PIERII.

312. MULTA PATRI PORTANDA DABAT MANDATA. In antiquis exemplaribus, *Multa patri mandata dabat portanda.* Sed quamvis idem numerus ſit, quoquoverſum, atque eadem pene vocalium & ſyllabarum vis, nitidior tamen ſtructura ea videtur, quae in vulgatis habetur exemplaribus, *Multa patri portanda dabat mandata.*

314. NOCTISQUE PER UMBRAM. Antiqui omnes codices, *per umbras*, numero multitudinis legunt, quod non ita placet; quod hujusmodi plurale manibus, aut defunctorum animis, magis adcommodari ſoleat.

318. INTER LORA ROTASQUE. Inemendate legitur in nonnullis codicibus, *inter tela rotasque.*

323. HAEC EGO VASTA DABO. Plerique veteres codices una cum Porcio legunt, *haec ego vaſtabo.* Caeterum ea lectio, quae vulgatior eſt, *vaſta dabo*, magis omnino pluribus ſatisfacit: quamvis in nonnullis, ea abraſa lectione, *vaſtabo*, ſit inde repoſitum. Servius hoc de corporibus, quae fuſa jacebant intelligi vult; ſed nunquid potius de locis dictum exiſtimemus quae occupata, cluſaq; erant a cuſtodiis, eaque vaſtaturum pollicetur, ut, *Euryalum lato dein limite ducat.*

325 Rhamnetem adgreditur, qui forte tapetibus altis
Extructus toto proflabat pectore somnum;
Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
Sed non augurio potuit depellere pestem.
Tris juxta famulos temere inter tela jacentis,
330 Armigerumque Remi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis; ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert domino, truncumque reliquit
Sanguine singultantem: atro tepefacta cruore
Terra toriq; madent. Nec non Lamyrumq; Lamumque,
335 Et juvenem Sarranum, illa qui plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra deo victus: felix, si protenus illum
Aequasset nocti ludum, in lucemque tulisset.
Inpastus ceu plena leo per ovilia turbans
340 (Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu: fremit ore cruento.
Nec minor Euryali caedes. Incensus & ipse

Per-

SERVII.

326. TOTO PROFLABAT PECTORE SOMNUM. Periphrasis est, ne verbo humili *stertentem* diceret.

328. SED NON AUGURIO POTUIT DEPELLERE PESTEM. *Augurio*, hic pro scientia augurii: & ostendit per transitum, fati necessitatem nulla peritia posse depelli. Est autem Homericus versus: *Ἀλλ' οὐκ οἰωνοῖσιν ἐρύσατο κῆρα μέλαιναν*.

329. TEMERE. Passim, fortuito, negligenter; vel humi; vel periculose: ut in consuetudine solemus dicere, *temerarios homines*. *Temere*, significat & facile. Plautus: *Magnus est hic fluvius, non hac temere transiri potest*. Significat & subito; Ennius: *Quo tam temere itis citati, catomitarii*. Significat sine causa, Ennius: *Haud temere est, quod tu tristi cum corde gubernas*.

330. PREMIT. Opprimit, occidit. SUB IPSIS EQUIS. Circa ipsos equos.

331. PENDENTIA COLLA. Quasi ebriorum: aut ita jacentium, ut colla penderent.

333. SINGULTANTEM. Cum singultu animam efflantem. ATRO. Potest & superioribus adplicari, ut sit intellectus: *sanguine singultantem atro*: potest & sequentibus jungi; sed melius sequentibus.

335. PLURIMA NOCTE LUSERAT. Pro, plurimum luserat, dixit, vel per plurimam noctem.

337. DEO. Vel vino, vel somno. PROTINUS. Hic porro tenus, pro continuo: proprium Virgilio.

339. PER OVILIA TURBANS. Perturbans ovilia: nam Tmesis est.

341. MUTUMQUE METU. Scilicet pecus; nam male quidam accipiunt, *mutum fremit*, de leone: quod si dixeris, vacat *metu*.

342. INCENSUS ET IPSE PERFURIT. Exemplo Nisi.

PIERII.

330. ARMIGERUMQUE PREMIT RHENI AURIGAMQUE SUB IPSIS. Romanus, Porcius, & plerique alii codices antiqui, legunt, *armigerumque Remi premit*. Nam *Remus* primam corripit. Ovidius: *Interea crescente Remo crescente Quirino*. Scribitur praeterea passim absque adspiratione.

334. NECNON TAMYRUMQUE LAMUMQUE. In Romano codice & in Porcio, *Lamyrum*, in aliquot aliis *Lamurum*; in Oblongo, *Limyrum*. Denique quot codices, tot nominis varietates. Omnes vero uno consensu incipiunt ab *L* littera.

Perfurit; ac multam in medio fine nomine plebem,
Fadumque, Hebesumq; subit, Rhoetumque, Abarimque,
345 Ignaros; Rhoetum vigilantem, & cuncta videntem;
Sed magnum metuens se post cratera tegebat:
Pectore in adverso totum cui comminus ensem
Condidit adsurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam; & cum sanguine mixta
350 Vina refert moriens. Hic furto fervidus instat.
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus,
(Sensit enim nimia caede atque cupidine ferri)
355 Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Poenarum exhaustum satis est: via facta per hostes.
Mul-

SERVII.

343. SINE NOMINE PLEBEM. Bene expressit & bellatoris peritiam, & tyronis inconsideratam aviditatem: nam Nisus reges interemit; Euryalus saevit in plebem, ut Sallustius: *Ex insolentia avidus male faciendi*. SINE NOMINE autem dixit, sine gloria, quorum per humilitatem non sunt omnibus nota nomina; atqui adjecit nomina: nam ait *Fadum, Hebesumque subit*: ergo aut sine dignitate & nobilitate; aut seorsum plebem dicit, & seorsum nobiles, quorum nomina inseruit.

345. RHOETUM VIGILANTEM. Hoc loco non tantum Rhoeti timor, sed & Euryali audacia comprobatur.

348. ET MULTA MORTE RECEPIT PURPUREUM. Multi hic distinguunt, ut sit sensus talis: Eduxit gladium multo cruore purpureum. Alii *multa morte recepit*, ut sit. Eduxit gladium cum multo cruore, & sic inferunt: *Purpuream vomit ille animam*: secundum eos, qui animam sanguinem dicunt. RECEPIT. Eduxit, ut lib. x. *Hastamque receptat Ossibus haerentem*: vel secundum Homerum: Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος καὶ μοῖρα κραταιή. Cornutus *nocte* legit: & adnotavit: utrum, *nocte* pro morte? an, cum multa nox esset?

350. VINA REFERT. Proprie, quae paulo ante potaverat. REFERT autem, rejicit; Graeci, ut ille, dicunt κραιπαλᾷ, hoc est, qui in tantum potando vigilaverat, ut metuens post magnum cratera se tegeret. HIC FURTO FERVIDUS INSTAT. Scilicet Euryalus, qui saeviebat latenter: ut sit *furto*, nocturno proelio: nam *fures* ideo dicti sunt, quod *furvo*, id est, nigro tempore furta committunt: aut re vera *furto fervidus*: quia Messapi galeam sustulit, & Rhamnetis phaleras.

352. DEFICERE EXTREMUM. Utrum *ignem extremum*; an *deficere extremum*? RELIGATOS. Non solutos, sed diligenter ligatos: unde addidit RITE, id est, ex militari consuetudine optime ligatos, ex more.

354. SENSIT ENIM. Parenthesis. NIMIA CAEDE FERRI. Deest, illum. FERRI. φέρεσθαι.

355. LUX INIMICA. Proditrix.

356. POENARUM EXHAUSTUM SATIS EST. Bene *exhaustum*, ut ostendat eos avidos caedis fuisse, & cruoris hostilis. VIA FACTA PER HOSTES. Ut: *Haec ego vasta dabo, & lato te limite ducam*.

PIERII.

344. FADUMQUE HEBESUMQUE SUBIT. In antiquis plerisque codicibus, *Heresum*, legas. In nonnullis omnino perperam, utraque consonante inserta *Herbesum*: nempe ut lectori liceret, quam mallet expungere, sive *Hebesum*, sive *Heresum*, agnosceret. RHETUMQUE ABARIMQUE. In codicibus nonnullis transpositis consonantibus *Arabimque* legere est. In aliquot aliis *Abratimque* in nonnullis, *Rhoetumque Fabrumque*. Sed de nomine *Rhoetus* & *Rhoetus*, alibi dictum.

350. HIC FURTO FERVIDUS INSTAT. In Oblongo codice, *huic*, invenias scriptum.

Multa virum ſolido argento perfecta relinquunt
Armaque craterasque ſimul, pulchrosque tapetas.
Euryalus phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
360 Cingula; Tiburti Remulo ditiſſimus olim
Quae mittit dona, hoſpitio cum jungeret abſens,
Caedicus: ille ſuo moriens dat habere nepoti.
Poſt mortem bello Rutuli pugnamque potiti.
Haec rapit, atque humeris nequidquam fortibus aptat.
365 Tum galeam Meſſapi habilem criſtisque decoram
Induit. Excedunt caſtris, & tuta capeſſunt.
Interea praemiſſi equites ex urbe Latina,

Ce-

SERVII.

357. MULTA VIRUM SOLIDO ARGENTO. Mira arte, tempus expreſſit, quo neceſſe erat haec omittere.

358. PULCHROSQUE TAPETAS. Secundum Graecos, per maſculinum genus.

359. EURYALUS PHALERAS RHAMNETIS, ET AUREA BULLIS CINGULA. *Phalerae*, ornamenta equorum ſunt, & eſt ſermo Graecus, τὰ φάλαρα. CINGULUM autem hominum, generis neutri eſt: nam animalium, foeminino genere dicimus *has cingulas*.

360. TYBURTI REMULO DITISSIMUS OLIM QUAE MITTIT DONA. Conſuetudo erat apud majores, ut inter ſe homines hoſpitii jura mutuis muneribus copularent, vel in praeſenti, vel per internuntios. Senſus ergo nunc talis eſt: Caedicus quidam *Tyburti Romulo*, cum eum ſibi abſens hoſpitio vellet adjungere, miſit phaleras & cingula, bulla aureis, hoc eſt, clavis inſignita. Remulus moriens nepoti ſuo cognomini haec reliquit, qui poſtea victus a Rutulis eſt, & occiſus: poſt cujus mortem apud Rhamnetem Rutulum, ab Euryalo haec reperta ſunt munera. Quod autem dixit *Tyburti Remulo*, aut Tiburtino intelligimus, hoc eſt, de Tybure; ut ſit dativus ab appellativo veniens *hic Tybur*: aut *Tyburti*, hoc eſt, filio Tyburti; ab eo, quod eſt *hic Tyburtus*, *hujus Tyburti*, ut ſit *Tyburti Remulus*, ſicut, *Deiphobe Glauci*.

361. CUM JUNGERET ABSENS. Aut cum ſe illi jungeretur.

362. SUO MORIENS DAT HABERE NEPOTI. Nepoti Remulo, quem ſupra avo cognominem diximus: nam quotiens aperte non ponitur nomen filii vel nepotis, cognominem eum eſſe intelligimus avo vel patri, quorum nomen aperte poſitum invenimus: & contra, ſi filii vel nepotis poſitum nomen fuerit, praetermiſſum autem parentum, cognomines eos eſſe intelligamus, neceſſe eſt.

363. POST MORTEM, Scilicet Remuli, ſecundum ſupra dictum ſenſum: nam Donatus dicit: *Poſt mortem Niſi & Euryali, bello potiti ſunt Rutuli*: quod non procedit, ſi diligenter advertas. Sane ſciendum, locum hunc eſſe de XII. Virgilii, ſive per naturam obſcuris, ſive inſolubilibus, ſive emendandis, ſive ſic relictis, ut a nobis per hiſtoriae antiquae ignorantiam liquide non intelligantur.

364. NEQUIDQUAM. Non fruiturus: & eſt, *nequidquam aptat*: non, *nequidquam fortibus*.

365. GALEAM MESSAPI. Non occiſi Meſſapi abſtulit galeam (nam dimicaturus eſt paulo poſt) ſed invenit jacentem, & ſuſtulit. CRISTISQUE DECORAM. Bene praemittit dicens *decoram*: nam, ejus ſplendore prodente, Euryalus capitur. Denique Niſus hac ratione non proditur, cui habenti inferiorem galeam, habiliorem galeam Alethes permutavit.

366. EXCEDUNT CASTRIS. Rutulorum ſcilicet: nam ſupra dixit: *Caſtra inimica petunt*.

367. URBE LATINA. Non eſt contrarium illi loco, ubi ait: *Sepſit ſe tectis, rerumque reliquit habenas*: quod modo a Latina urbe auxilia venire commemorat: intelligimus enim Latinum in principio diſcordiae & tumultus, paululum ſe abſtinuiſſe; poſtea tamen nec ſuorum copias, nec propria denegaſſe conſilia; nam eum & coetui, & foederibus interfuiſſe dicturus eſt. PRAEMISSI EQUITES. Hos neque alio loco a Turno miſſos uſquam dixit, nec prius de eis mentionem fecit: dubitatur ergo a quo ſint, vel quibus praemiſſi, vel cur praemiſſi; cum eos conſtet, aliis jam in campo poſitis, advenire.

PIE-

Cetera dum legio campis inſtructa moratur,
Ibant, & Turno regis reſponſa ferebant,
370 Tercentum, ſcutati omnes, Volſcente magiſtro.
Jamque propinquabant caſtris, muroſque ſubibant.
Cum procul hos laevo flectentis limite cernunt:
Et galea Euryalum ſublustri noctis in umbra
Prodidit immemorem, radiiſque adverſa refulſit.
375 Haud temere eſt viſum, conclamat ab agmine Volſcens:
State, viri. Quae cauſſa viae? quive eſtis in armis?
Quove tenetis iter? Nihil illi tendere contra:
Sed celerare fugam in ſilvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites ſeſe ad divortia nota

Hinc

SERVII.

368. LEGIO CAMPIS INSTRUCTA MORATUR. Proprie: nam legiones peditum ſunt; turmae vero equitum.

369. TURNO REGI. In omnibus bonis, REGIS, dicitur inventum: nam quaſi abſurdum eſt, duobus poſitis, Turnum potius quam Latinum reſponſa dare.

370. TERCENTUM. Quia Romani equites trecenti primo fuerunt; de ſingulis enim curiis deni dabantur, quas triginta fuiſſe diximus. An *tercentum*? ut [illegible]. SCUTATI OMNES. Armati, a parte totum; non clypeati: nam clypei, peditum ſunt: *ſcuta* vero equitum: ut haec breviora; illi vero longiores. VOLSCENTE MAGISTRO. Proprie: nam *magiſter equitum* dicitur, more Romano, quod Dictatori adjungi ſolet.

371. MUROS SUBIBANT. Muros Trojanorum: & eſt locutio de Cicerone: *Poteris ne ejus orationem ſubire?*

372. LAEVO LIMITE. Reſpiciens ſitum regionis locutus eſt.

373. SUBLUSTRI NOCTIS IN UMBRA. *Sublustris nox* eſt, habens aliquid lucis. Horatius: *Nocte ſublustri nihil aſtra praeter vidit & undas.*

374. IMMEMOREM. Amentem: *Inſtamus tamen immemores:* vel incurioſum, vel incautum. RADIIS. Lunaribus intelligendum.

375. HAUD TEMERE. Particula haec modo *non ſine cauſſa* ſignificat; alias fortuito; alias male: alias improvide; alias paſſim, ut; *Temere inter tela jacentes:* alias facile. Plautus: *Rapidus fluvius eſt hic, non hac temere tranſiri poteſt:* quae pro loco accipiuntur & intelliguntur: adverbio qualitatis ſane relatum eſt hoc loco.

377. NIHIL ILLI TENDERE CONTRA. Hoc eſt, nihil contra reſponderunt: nam *tendo contra ſermonem tuum*, eſt *reſpondeo tibi: tende contra iter tuum*, eſt *occurro tibi:* ergo *nihil contra tendebant*, id eſt, nihil reſpondebant contra.

379. AD DIVORTIA. Vias in diverſa tendentes, hoc eſt, ad diverticula viae militaris. Terentius: *Ubi ad ipſum veni diverticulum.* Diverticula autem, ſunt ſemitae tranſverſae, quae ſunt a latere viae militaris.

PIERII.

351. UBI IGNEM DEFICERE. In codicibus aliquot antiquis, *ibi ignem*, ut ſit redditio cauſſae, cur ad Meſſapi ſocios tenderet.

363. POST MORTEM BELLO RUTULI PUGNAQUE POTITI. In Romano codice, *praedaque potiti*, legitur: in aliis quibuſdam manu ſcriptis, *pugna*.

370. VOLSCENTE MAGISTRO. In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & in aliquot aliis, *Volcente*, legere eſt: & ita paſſim: *Volcens*, abſque s inter L & C.

371. MUROQUE SUBIBANT. Vetera aliquot exemplaria, *muros*, habent.

375. HAUD TEMERE EST VISUM, CONCLAMAT AB AGMINE VOLSCENS. In codicibus nonnullis, *haud temere viſum*, abſque *eſt*. Soſipater, ubi *temere*, pro *negligenter* poſitum ait, verſum ita citat: *Haud temere eſt viſum, conclamat ab agmine Volcens.* Nomine *Volcens*, uti ſuperius adnotatum eſt, abſque s in medio ſcripto.

380 Hinc atque hinc, omnemque abitum custode coronant.
Silva fuit, late dumis atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes:
Rara per occultos lucebat semita callis.
Euryalum tenebrae ramorum onerosaque praeda
385 Inpediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: jamque inprudens evaserat hostis,
Atque lacus; qui post Albae de nomine dicti
Albani: tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, & frustra absentem respexit amicum:
390 Euryale, infelix qua te regione reliqui?
Quave sequar? rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis silvae, simul & vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat:
Audit equos, audit strepitus, & signa sequentum.
395 Nec longum in medio tempus; cum clamor ad auris
Pervenit, ac videt Euryalum: quem jam manus omnis

Frau-

SERVII.

380. ADITUM CORONANT. Melior est lectio ABITUM, quam ADITUM: Cingunt enim sylvam, ne abeant; non, ne adire possint.

383. DUCEBAT SEMITA CALLES. Legitur & LUCEBAT: quod si est, RARA, pro, raro accipiendum est, ut sit, *raro lucebat*; herbis scilicet in aliquibus locis intervenientibus: si DUCEBAT, intelligimus, inter calles pecorum raram fuisse semitam, hoc est, hominum viam: & non ostendit quo ducebat, sed intelligamus euntes.

385. EURYALUM IMPEDIUNT. *Impedio te*, dicimus per accusativum; & casus mutari non potest, nisi deseras verbum; ut dicas *impedimento mihi es*. Sciendum sane, multas conferri in Euryalum excusationes. REGIONE VIARUM. *Regionem*, hic rectum iter dixit, ab eo, quod regat tramitem.

386. NISUS ABIT. Bene meminit velocitatis, quam ei in quinto dedit, ut: *Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus Emicat*. IMPRUDENS. Scilicet remanentis Euryali; aut *imprudens* suasisse; alii *imprudens*, valde prudens accipiunt.

387. ALBAE DE NOMINE. Vel porcae, vel civitatis, vel regis Albani, cui successit Procas.

390. INFELIX, QUA TE REGIONE RELIQUI? Se infelicem dixit, qui dolet; non illum, propter quem dolet.

391. ITER OMNE REVOLVENS. Urbanus huc usque verba Nisi vult esse; alii, poetae dant: *Rursus perplexum iter omne revolvens*.

392. FALLACIS SYLVAE. Ut Nisus, usquequaque sequar, dixisse videatur.

393. OBSERVATA. Id est, observans. SILENTIBUS. Pro, ipse silens; aut *silentibus*, *cum tacet omnis ager*.

394. SIGNA SEQUENTIUM. Militarem sonum dicit, qui varius est: nam interdum canit, ut insequantur eos, qui fugiunt: interdum receptui.

395. NEC LONGUM IN MEDIO TEMPUS. Inter auditum sonum, & visum Euryalum: & est Eclipsis.

PIERII.

380. OMNEMQUE ABITUM CUSTODE CORONANT. In Romano codice, in Oblongo, & in Mediceo, *aditum*, legitur, quamvis meliorem lectionem, *abitum*, Servius esse dicit, ut in Porcio, & plerisque aliis.

387. QUI POST ALBAE DE NOMINE DICTI ALBANI. *Albae*, Regi, successisse Procam, ait Servius; sed Livius eum Aventino successisse dicit.

Fraude loci & noctis, subito turbante tumultu,
Oppressum rapit, & conantem plurima frustra.
Quid faciat? qua vi juvenem, quibus audeat armis
400 Eripere? an sese medios moriturus in enses
Inferat, & pulchram properet per volnera mortem?
Ocius adducto torquens hastile lacerto,
Suspiciens altam Lunam, & sic voce precatur:
Tu, Dea, tu praesens nostro succurre labori,
405 Astrorum decus, & nemorum Latonia custos;
Si qua tuis umquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, si qua ipse meis venatibus auxi,
Suspendive tholo, aut sacra ad fastigia fixi;
Hunc sine me turbare globum, & rege tela per auras.

Di-

SERVII.

397. FRAUDE LOCI ET NOCTIS. *Fraude loci*, difficultate loci: *noctis*, pro tenebris, & obscuritate, fraudem appellat. Quidam, *noctis subite turbante tumultu* legunt, ut sit, *noctis tumultu*, nocturno tumultu explorantium.

398. OPPRESSUM RAPIT. Hoc est, Quem jam manus omnis rapit: nam male quidam *Videt rapi* accipiunt: quod si admiseris, vacat, *Quem jam manus omnis*.

399. QUID FACIAT. Misere adfectum suum Poeta interposuit.

400. IN HOSTES. Quidam IN ENSES legunt: & melius hoc putant, quam *in hostes*.

401. PULCHRAM PROPERET PER VULNERA MORTEM. Aut deest, adire, aut deest ad; ut sit ad mortem properet: aut certe antique, *properet mortem*, ut, Plautus: *Properate prandium*. Ennius: *Festivum festinant diem*. PULCHRAM MORTEM. Gloriosum enim est pro amico perire. Et *pulchram*, ex persona Poetae dictum est; vel certe *pulchram*, ad eum, qui hoc putat.

402. OCIUS. Pro, ociter.

404. TU PRAESENS NOSTRO SUCCURRE LABORI. Non dicit, *quae praesens es*, sed *praesens succurre*, id est, ilico, statim: ex consuetudine ejus, ut de vicino & proximo ducat opportunas invocationes: *Faune precor miserere*, inquit: &: *Nymphas venerabar agrestes*, *Gradivumque patrem Geticis qui praesidet arvis*. Et in repetitione: *Tu dea, tu praesens*, major emphasis videtur.

406. SI QUA. *Qua* vacat, & hic, & in sequenti.

408. SUSPENDIVE THOLO. *Tholus*, proprie est veluti scutum breve, quod in medio tecto est, in quo trabes coeunt: ad quod dona suspendi consueverunt. Quae tam diu dona dici poterant, quam diu non profana fierent, sicuti in libris Sacrorum refertur. Bene autem venatorem inducit numen invocare sylvarum. Alii *tholum* aedium sacrarum dicunt genus fabricae, Vestae, & Pantheon: Alii tectum sine parietibus columnis subnixum. Aedes autem rotundas tribus diis dicunt fieri debere, Vestae, Dianae, vel Herculi vel Mercurio.

409. TURBARE GLOBUM. Sana petitio: nam quia tot vincere impossibile fuerat, petit ut saltem eos perturbet telorum beneficio. REGE TELA PER AURAS. Per noctem, in qua sine auxilio numinis recti jactus esse non possunt.

PIERII.

403. SUSPICIENS ALTAM LUNAM SIC VOCE PRECATUR. In Romano codice, & aliquot aliis, legere est, *altam ad Lunam*: quod nequaquam displicet. In Porcio, *altam Lunam &*: cujusmodi quidem lectio agnoscitur a Prisciano, ubi tam &, quam *atque*, poetice nonnunquam postponi notat, aliter vero non, exemplo hinc ex Virgilio citato: *Suspiciens altam Lunam, & sic voce precatur*. Plerisque tamen eruditis placet magis absque ulla copula carmen legi. Est &, *ore precatur*, in antiquis aliquot codicibus, quod parvi refert.

404. TU DEA, TU PRAESENS. Servius exponit, *Praesens ilico*; sed cur non potius *praesens*, propitia, favens, ut illud in Buc. *Nec tam praesentis alibi cognoscere Divos*.

410 Dixerat: & toto conixus corpore, ferrum
Conjicit. Hasta volans noctis diverberat umbras,
Et venit adversi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac fisso transit praecordia ligno.
Volvitur ille vomens calidum de pectore flumen
415 Frigidus, & longis singultibus ilia pulsat.
Diversi circumspiciunt. Hoc acrior idem
Ecce aliud summa telum librabat ab aure;
Dum trepidant, iit hasta Tago per tempus utrumque.
Stridens, trajectoque haesit tepefacta cerebro.
420 Saevit atrox Volscens, nec teli conspicit usquam

Au-

SERVII.

411. FERRUM CONJICIT, HASTA. De ferro ad hastam transiit. CONICIT, pro *conjicit*: nam *conicit* antiquum est.

412. ADVERSI IN TERGUM SULMONIS. *Tergum*, pro, *tergus* dixit. Sallustius: *Tergis vinciebant*; pro tergoribus: ut intelligamus hastam in scutum venisse, & illic esse conlisam; ut FRANGITUR, sit pro colliditur: fissoque scuti ligno etiam praecordia penetrasse; aliter non procedit: nam si hastam re vera fractam accipiamus, ratione caret, quod dicit: *Fisso transit praecordia ligno*. Alii re vera in tergum volunt esse percussum, quod falsum est: nam quo modo ante fissum lignum esset, & sic praecordia penetrata? Sciendum tamen, locum hunc esse de his, quos insolubiles supra diximus.

413. LIGNO. Quidam humiliter dictum accipiunt.

416. HOC ACRIOR IDEM. Quod latuerat, & quod ei primus prospere cesserat jactus.

417. TELUM LIARABAT AA AURR. Gestus jaculantis exprimitur: duobus autem generibus manualia tela mittuntur; aut enim ab aure, aut a latere tela jaciuntur.

418. PER TEMPUS UTRUMQUE. Congrue dicit telum per tempus utrumque transisse: ait enim, DIVERSI CIRCUMSPICIUNT, hoc est, huc & illuc ora circumferunt, per quam opportunitatem potuit telum tempus utrumque transire. Asper tamen dicit, *Per tempus utrumque*, hoc est, inter tempus utrumque; ut e contra: *Hunc inter fluvio Tyberinus amoeno*: id est, per hunc. Quod si est, intelligamus in fronte esse vulneratum.

419. TEPEFACTA CERERRO. Alibi: *Et fixo ferrum in pulmone tepescit*.

PIERII.

410. CONNIXUS CORPORE. In Romano codice, *conisus*. Ac de geminatione quidem, apud antiquos adeo rara, superius dictum. Quantum vero pertinet ad x vel s in participii forma reponendas, Valerius Probus sentire videtur, eandem esse appellationem in proprio nomine, in appellativo, & participio, *Niso*, Hyrtaci filio; *niso*, partioipio; & *nisuque immotus eodem*. Quare *connisus*, ex Probi sententia scribendum.

413. FRANGITUR, AC FIXO TRANSIT PRAECORDIA LIGNO. In veteribus codicibus vel, *fisso*, legi, a *findo*, quod agnoscit Servius, vel lectionem abrasam, & modo, *fixo*; modo, *fracto*, aliena manu repositum.

415. ET LONGIS SINGULTIAUS ILIA PULSAT. In Romano codice, *pulsant*; sed melius unitatis numero.

417. TELUM VIARAAAT. In codicibus plerisque omnino, *vibrabat*, legitur, sed in emendatioribus, *librabat*.

418. DUM TREPIDANT, IIT HASTA TAGO. In codicibus antiquis, *it*, omnino per synaeresin. Sive *it*, praesentis temporis omnino sit, & vi subsequentis adspirationis producatur, quod magnum litteratissimis viris negotium facessit; meliore tamen parte in eorum sententiam concedente, qui concisionem factam ex, *ivit*, autumant, ut in Terentiano prologo, *existimat*, pro, *existimavit*: quam lectionem Donatus agnoscit; licet apud Priscianum, in hoc citato versu, neque *it*, neque *iit*, legatur; sed *volat hasta Tago per tempus utrumque*. Sed & illud observatione dignum, quod Carisius monet, *tempora*, pluraliter tantum dici, quamvis Virgilius singulari usus, ut hoc loco.

420. ATROX VOLSCENS. In antiquis codicibus

Vol-

Auctorem, nec quo se ardens inmittere possit.
Tu tamen interea calido mihi sanguine poenas
Persolves amborum, inquit: simul ense recluso
Ibat in Euryalum. Tum vero exterritus, amens
425 Conclamat Nisus: nec se celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem:
Me, me, (adsum qui feci) in me convertite ferrum,
O Rutuli. mea fraus omnis; nihil iste nec ausus,
Nec potuit: caelum hoc, & conscia sidera testor.
430 Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: sed viribus ensis adactus
Transabiit costas, & candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus leto, pulchrosque per artus
It cruor, inque humeros cervix conlabsa recumbit.
435 Purpureus veluti cum flos succisus aratro
Languescit moriens; lassove papavera collo

De-

SERVII.

422. INTEREA. Donec ille invenitur. CALIDO MIHI SANGUINE POENAS. Ennius in primo: *Nam mi calido das sanguine poenas*.

423. PERSOLVES AMBORUM. Aut occisorum; aut tuas & Nisi; nam duos eos fuisse novit: supra enim ait: *State viri*. AMPLIUS. De cetero, posthac; interdum & quantitatem significat, ut Terentius: *Quid tibi mea ars efficere hoc possit amplius*.

426. TANTUM POTUIT. Hoc quamvis ad animum Nisi pertineat, tamen sympathiam etiam Poeta ex sua persona fecit.

427. ME ME. Subaudis, *interficite*: & est interrupta elocutio dolore turbati.

429. NEC POTUIT. Validior argumentatio ex impossibilitate, ut: *Quid Troes potuere?* Item: *Non ea vis animo, nec tanta superbia victis*. TANTUM INFELICEM NIMIUM DILEXIT AMICUM. Contra illud: Cur ergo venit? dicit·Tantum amicum dilexit, ut, cum nihil posset, tamen veniret.

433. VOLVITUR EURYALUS LETHO. Aut septimus est, aut dativus; sed, si dativus fuerit, figuratum est, id est, in lethum, ut: *It clamor caelo*.

435. PURPUREUS VELUTI CUM FLOS SUCCISUS ARATRO LANGUESCIT. Habetur ratio comparationis: videtur enim Euryalo Hyacinthum comparare, qui pulcherrimus fuit, & post mortem conversus in florem est.

435. LANGUESCIT MORIENS. Duplex similitudo, & pulchritudinis, & gestus.

PIERII.

Volcens, uti dictum, absque *s*. Atque ita scribendum inferius, *Volcentem petit, in solo Volcente moratur*.

428. NIHIL ISTE, NEC AUSUS. In Romano, *neque ausus*: quod licet parvi sit momenti, elegantioris tamen ingenii viri numerorum hujusmodi varietate delectari solent.

429. ET SIDERA CONSCIA TESTOR. Veteres omnes codices legunt, *& conscia sidera*, adjectivo praejecto.

432. TRANSADIGIT COSTAS. In Rom. codice, *transabiit*, legitur: & in aliquot aliis, *transadiit*: quod ab aliquot eruditis receptum video. In Porcio, & plerisque aliis manu scriptis, *transadigit*, omnino scriptum est; sed usus loquendi est, ut adigo ferrum, aut ensem, enuntiemus, non ensis adigit, & jam dictum est, *ensis adactus*: quare vel *abiit*, vel *adiit*, melius videtur. ET CANDIDA PECTORA RUPIT. Romanus codex cum aliquot aliis, *pectora candida*, epitheto, quod miserationem movere posset, ultimo loco apposito.

436. LAXOVE PAPAVERA COLLO. Antiqui plerique codices, *lasso*. Porcius, Vitalianus & aliquot alii, *lapso* habent.

Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, solumque per omnis
Volscentem petit: in solo Volscente moratur.
440 Quem circum glomerati hostes, hinc comminus atq; hinc
Proturbant. Instat non secius, ac rotat ensem
Fulmineum; donec Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum,
445 Confossus, placidaque ibi demum morte quievit.
Fortunati ambo! si quid mea carmina possunt,
Nulla dies umquam memori vos eximet aevo:
Dum domus Aeneae CapitolI inmobile saxum

Ac-

SERVII.

437. LASSOVE PAPAVERA COLLO DEMISERE CAPUT. Homeri est & comparatio & figura; nam & ille sic ait, ut multorum unum diceret caput: Μήκων δ' ὡς ἑτέρωσε κάρη βάλεν, ἥτ' ἐνὶ κήπῳ Καρπῷ βριθομένη νοτίῃσί τε εἰαρινῇσι.

438. SOLUMQUE PER OMNES. An per obstantes, an protegentes?

439. VOLSCENTEM PETIT. Appetit: *petitiones* enim proprie dicimus impetus gladiatorum; unde Cicero: *Quot ego tuas petitiones ita conjectas, ut vitari nullo modo posse viderentur, parva quadam declinatione, & , ut ajunt, corpore effugi*. MORATUR. Perseverat.

441. PROTURBANT. Modo confodiunt, unde paulo post, *confossus*. NON SECIUS. Non segnius, quamvis vulneratus.

443. IN ORE CONDIDIT ADVERSO. Archaismos est, ut supra: *Pectore in adverso totum cui cominus ensem Condidit*.

445. PLACIDAQUE IBI DEMUM MORTE QUIEVIT. Aut proprium est mortis epitheton: aut ex affectu pereuntis dictum est, qui cum amico moriebatur.

446. FORTUNATI AMBO. Prosphonesis est. Mire horum mortem non luctu aut misericordia, sed felicitatis testimonio prosequitur. SI QUID MEA CARMINA POSSUNT. Verecunde: ad evitandam arrogantiam dictum.

448. DOMUS. Familia. CAPITOLI IMMOBILE SAXUM ACCOLET. In urbe Roma Jovis templum non fuit, quod cum jam votum a Prisco Tarquinio vellet Superbus Tarquinius aedificare, coepit auguriis captare, qui mons huic templo esset aptissimus. Et cum in omnibus Tarpejus esset inventus (in quo erant multa diversorum numinum sacella) actum est, ut exinde ad alia templa numina evocarentur sacrificiis; quo posset libere, & sine piaculo templum Jovis exaedificare. Cumque omnes dii libenter inde migrassent, Terminus solus, hoc est, limitum deus, abscedere noluit; sed illic remansit. Tunc de hoc ipso sacrificatum est, & deprehensum, quod Terminus cum Jove remanens aeternum Urbi imperium cum religione significaret; unde in Capitolio prona pars tecti patet, quae lapidem ipsum Termini spectat; nam Termino non nisi sub divo sacrificabatur. Hinc ergo nunc dixit: *Capitoli immobile saxum Accolet*: quia Terminus non est revulsus de loco.

PIERII.

438. AT NISUS RUIT IN MEDIOS. In Oblongo *ac*, in quibusdam aliis, *&*; sed enim locus ipse exigere videtur, *at*.

441. PROTURBANT. In antiquis aliquot, *perturbant*; sed omnino melius, *proturbant*. INSTAT NON SEGNIUS. In antiquis codicibus, *non secius*: quod nonnulli etiam per *t* scribunt, quod nequaquam docti probant.

448. CAPITOLI IMMOBILE SAXUM. Quamvis in vetustis codicibus, *Capitolii*, geminato *ii* scribatur, eo modo, quo Terentius Scaurus hujusmodi genitivos scribi praecipit; hoc tamen loco, ne synalepha ex tribus vocalibus distinctis fiat, *Capitoli*, unico *i* scribendum censuerim, facta synaeresi, ut prius erat in Porcio. Quae vero Servius de termino, eadem fere apud Aulum Gellium habentur. Lactantius tamen libro contra Gentes primo, saxum hoc a Romanis cultum dicit, propter illius

m

Accolet, imperiumque pater Romanus habebit.
450 Victores praeda Rutuli ſpoliisque potiti,
Volſcentem exanimum flentes in caſtra ferebant.
Nec minor in caſtris luctus, Rhamnete reperto
Exſangui, & primis una tot caede peremtis,
Sarranoque, Numaque. Ingens concurſus ad ipſa
455 Corpora, ſeminecesque viros, tepidaque recentem
Caede locum, & plenos ſpumanti ſanguine rivos.
Adgnoſcunt ſpolia inter ſe, galeamque nitentem
Meſſapi, & multo phaleras ſudore receptas.
Et jam prima novo ſpargebat lumine terras
460 Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam Sole infuſo, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circumdatus ipſe,
Suſcitat, aeratasque acies in proelia cogit:
Quisque ſuos, variisque acuunt rumoribus iras.
465 Quin ipſa arrectis (viſu miſerabile) in haſtis
Praefigunt capita, & multo clamore ſequuntur,
Euryali, & Niſi.

SERVII.

450. PRAEDA RUTULI, SPOLIISQUE POTITI. Non ſolum ſuis eos armis exuerunt; ſed etiam illa praeda, quae Rutulis fuerat ante detracta.

452. NEC MINOR IN CASTRIS LUCTUS. Decens repetitio.

454. SERRANOQUE, NUMAQUE. Decima Antapodoſis, quae fit: quotiens commemorantur ea, quae non ſunt ante praedicta: neque *Numam* induxit occiſum.

455. TEPIDAQUE RECENTEM CAEDE LOCUM. Hypallage eſt, *tepidum locum recenti caede*; unde multi legunt: *Tepidumque recenti Caede locum*. Sic alibi: *Tepidusque cruor fumabat ad aras*.

456. SPUMANTEM SANGUINE RIVOS. Spumas tunc habet ſanguis, cum effunditur; nam poſtea conquieſcit; unde bene dixit: *Spumantem rivos*: quia praemiſit: *Seminecesque viros*.

459. ET JAM PRIMA NOVO. Lucretianum eſt. Et bene, deſcripturus caedes & bella, moroſe diem oriri facit.

461. JAM REBUS LUCE RETECTIS. Supra: *Et rebus nox abſtulit atra colorem*.

464. QUISQUE SUOS. Scilicet comites: nam plenum eſt: *Aeratasque acies*. ACUUNT RUMORIBUS IRAS. Quia duo auſi ſunt per eorum caſtra tranſire.

467. EURYALI, ET NISI. Volunt nonnulli clamorem eſſe militum; ſed melius hoc a Poeta dictum accipimus; nam Rutuli eorum non noverant nomina, ut ſit: Quin etiam capita Euryali & Niſi praefigunt in arrectis haſtis, & cum magno clamore comitantur.

PIERII.

memoriam, quod pro Jove objectum eſt Saturno devorandum.

451. VOLSCENTEM EXANIMUM. In Romano codice *Volcentem exanimem*. In aliis, *exanimum*: utrumque receptum a Grammaticis.

455. TEPIDUMQUE RECENTI CAEDE LOCUM. Ita quidem habetur in Romano codice; ſed in Oblongo, & quibuſdam aliis, *tepidaque recentem Caede locum*, legitur. Quam Hypallagen figuram agnoſcit Servius. In Porcio una mutata dictione, eadem tamen elocutionis figu-

Aeneadae duri murorum in parte finiftra
Oppofuere aciem, (nam dextera cingitur amni)
470 Ingentisque tenent foffas, & turribus altis
Stant maefti: fimul ora virum praefixa movebant,
Nota nimis miferis, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuntia Fama ruit, matrisque adlabitur auris
475 Euryali. At fubitus miferae calor offa reliquit.
Excuffi manibus radii, revolutaque penfa.
Evolat infelix, & femineo ululatu
Sciffa comam, muros amens atque agmina curfu
Prima petit. Non illa virum, non illa pericli,
480 Telorumque memor: caelum dehinc queftibus inplet:

Hunc

SERVII.

468. MURORUM IN PARTE SINISTRA. Aliud agens fitum caftrorum oftendit: praeterea & prooeconomia eft; quia poftea caftris per fluvium Turnus evadit.

469. CINGITUR AMNI. *Amne* debuit dicere: nunquam enim bene in *i* exeunt, nifi quae communis funt generis, ut *docilis*, *agilis*; fed ideo aufus eft ita ponere ablativum: quia, ut fupra diximus, apud majores *hic & haec amnis* dicebatur. Verumtamen quae duas habent confonantes ante *is*, in *i* & *e* ablativum mittunt, ut *ignis*, *igne* vel *igni*. Virgilius: *Vulnus alit venis, & caeco carpitur igni*. Sic & *vectis*, *vecte* vel *vecti*. Terentius in Eunucho: *Cum vecti Donax*.

470. TENENT FOSSAS. Tuentur, defendunt.

472. NOTA NIMIS MISERIS. Hoc plus commovebantur: quoniam etiam abfciffi vultus nec dum agnitionis amiferant notas.

473. PINNATA. Quidam volunt ideo hic *Famam pinnatam* a Poeta inductam, quae tumultum & res adverfas nuntiet; ut illud tangere videretur, quod, qui bellum nuntiaret, *pinnatas literas* diceretur adferre.

475. SUBITUS MISERAE. Poteft pro, *fubitus miferae*; vel pro *fubito miferae*; ergo & genitivus poteft effe. CALOR OSSA RELIQUIT. Homericum eft: Τῆς δ' ἐλελίχθη γυῖα, χαμαὶ δέ οἱ ἔκπεσε κερκίς.

476. EXCUSSI MANIBUS RADII. Bene *excuffi*, quafi nefcienti: melius, quam fi diceret, projecti.

477. FOEMINEO ULULATU. Impatienti, ut: *Foemineo praedae & fpoliorum ardebat amore*.

479. PRIMA PETIT. Ideoque *prima*, quia folent in extrema neceffitate etiam mulieres muros afcendere, ut: *Ipfae de muris matres*. Ita in extrema neceffitate etiam Homerus: Πύργῳ ἐφ' ὑψηλῷ ... ἵξεν ὅμιλον. NON ILLA VIRUM, NON ILLA PERICLI. Unum pudoris eft: aliud falutis.

480. TELORUMQUE MEMOR. Hanc impatientiam matris Euryali illo loco Poeta praemifit, cum Euryalus nec profectionem fuam ad requirendum Aenean fcire fignificat, & tantopere commendat Afcanio; nam & Nifus propter illam dicit nolle Euryalum fibi comitem jungere, quod fciret, fi quid ei accidiffet, intolerabiliter eam laturam.

PIERII.

figura: *tepidaque madentem Caede locum*, habetur.

461. JAM REBUS LUCE RETECTIS. Sunt antiqua exemplaria, in quibus, *recoeptis*, fcriptum fit; quafi res noctu auferri videantur, die vero reddi; fed enim, *retectis*, omnino receptius.

468. MURORUM IN PARTE SINISTRA. In Romano codice, *murorum parte*, legitur, abfque *in*.

471. SIMUL ORA VIRUM PRAEFIXA VIDEBANT. In Romano codice, in Oblongo, in Mediceo, & quibufdam aliis pervetuftis, *movebant*, legere eft, cum paraphrafi, *commovebant*, ex Servii commentariis defumpta.

473. PENNATA. In Romano codice, *pinnata*: de qua fcribendi ratione alibi fatis dictum.

Hunc ego te, Euryale, aſpicio? tune, illa ſenectae
Sera meae requies, potuiſti linquere ſolam,
Crudelis? nec te, ſub tanta pericula miſſum,
Adfari extremum miſerae data copia matri?
485 Heu, terra ignota canibus date praeda Latinis,
Alitibuſque jaces! nec te tua funera mater
Produxi, preſſive oculos, aut vulnera lavi,
Veſte tegens; tibi quam noctes feſtina dieſque
Urguebam, & tela curas ſolabar anilis.
490 Quo ſequar? aut quae nunc artus avolſaque membra,
Et funus lacerum tellus habet? hoc mihi de te,
Na-

SERVII.

481. HUNC. Talem. Et eſt conqueſtio matris Euryali plena artis Rhetoricae: nam pene omnes partes habet de miſericordia commovenda, a Cicerone in Rhetoricis poſitas. EGO NUNC TE ASPICIO? Ἦθος a qualitate caedis.

482. SERA MEAE REQUIES? Euander: *Mea ſera & ſola voluptas*. Et *requies*, hic pro ſolatio, POTUISTI LINQUERE SOLAM. Ab intercepto ſolatio.

483. CRUDELIS? Qui potuiſti linquere ſolam, cum pius eſſes. SUB TANTA PERICULA. *Sub* pro in, ut 1. Aen. *Namque ſub ingenti luſtrat dum ſingula templo*.

484. AFFARI EXTREMUM. Cum mos fuiſſet, dicere, *vale, vale, vale*. Anchiſes: *Sic o, ſic poſitum adfati diſcedite corpus*. Terentius: *Quin igitur, dum licet, loquimini mecum, Antipho?* MATRI. Melius *matri*, quam ſi dixiſſet *mihi*.

485. LATINIS. Id eſt, Latinorum.

486. NEC TUA FUNERA MATER. Id eſt, funerea: nam apud majores *funeras* dicebant eas, ad quas funus pertinet, ut ſororem, matrem: nam praeficae, ut & ſupra diximus, ſunt planctus principes, non doloris. *Funeras* autem dicebant, quaſi *funereas*, ad quas pertinet funus: vel derivavit, veteres ſecutus, ut *funeram*, pro funeſta diceret, ut *homo ſcelerus*, ſicuti *ſceleſtus* vel *ſceleroſus*, dicebatur. Plautus in Pſeudolo: *Teritur ſinapis ſcelera*. In eadem: *Nunc jube venire Pſeudolum, ſcelerum caput*, id eſt, ſceleſtum.

487. AUT VULNERA LAVI. Romana conſuetudo fuit, ut mortui lavarentur: ideoque hos, qui hoc officium implebant, *pollinctores* appellatos dicunt, qui mortuis os polline oblinebant, ne livor appareret extincti.

488. FESTINA. Pro, feſtinans: nomen pro participio, vel a verbo derivatum, ut ab eo, quod eſt *feſtino*, *feſtinus* dicatur; ut hic, *feſtina*, quomodo ſuperius *funera*. Salluſtius: *In ſecunda cohortes feſtinas compoſuerat*: ſicut ipſe ab eo, quod *propero*, *Circumſtant properi aurigae*, ut ſit nominativus *hic properus*; & bene *feſtina*, nam ait ſuperius: *Excuſſi manibus radii, revolutaque penſa*.

490. QUO SEQUAR. Id eſt, inquiram.

491. ET FUNUS LACERUM TELLUS HABET. Dilaniatum cadaver: nam *funus* pro cadavere poſuit. Ergo ex poſteriore intelligitur prius. HOC MIHI DE TE. Hoc, caput intuens, ait.

PIERII.

481. HUNC EGO TE, EURYALE, ASPICIO. Cicero in Rhetoricis: *Octavus locus, per quem aliquid dicitur eſſe factum, quod non oportuerit, hoc modo: Non affui, non vidi, non poſtremam ejus vocem audivi, non poſtremum ejus ſpiritum excepi*. Item: *Inimicorum in manibus mortuus eſt: hoſtili terra turpiter jacuit inſepultus: a feris diu vexatus, communi quoque honore in morte caruit*. Qui loci omnes hic a Virgilio tanguntur. Quantum vero pertinet ad Grammaticen, Soſipater Soloeciſmum notat tranſmutatione fieri, quum finitiva pronomina pro qualitatis ſignificatione ponuntur, hoc citato verſu: *Hunc ego te, Euryale, aſpicio*, pro, talem.

488. TIBI QUAM NOCTES FESTINA DIESQUE URGEBAM. In Romano codice, *tibi quod*: & *urguebam* in aliquot veteribus, Attiano more.

491. HOC MIHI DE TE, NATE, REFERS, QUAE SUM TERRAQUE MARIQUE SECUTA. Exemplaria manu ſcripta magna ex parte ita legunt: *Gnate refers, hoc ſum terraque marique ſecuta*. Quod dubio procul

 lon-

Nate, refers? hoc ſum terraque marique ſecuta?
Figite me, ſi qua eſt pietas; in me omnia tela
Conjicite, o Rutuli. Me primam abſumite ferro,
495 Aut tu, magne pater Divom, miſerere, tuoque
Inviſum hoc detrude caput ſub Tartara telo:
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concuſſi animi, maeſtuſque per omnis
It gemitus: torpent infractae ad proelia vires.
500 Illam incendentem luctus Idaeus & Actor,
Ilionei monitu, & multum lacrimantis Iuli,
Corripiunt, interque manus ſub tecta reponunt.
At tuba terribilem ſonitum procul aere canoro
Increpuit. Sequitur clamor caelumque remugit.
505 Accelerant acta pariter teſtudine Volſci.

Et

SERVII.

493. SI QUA EST PIETAS. Si qua eſt pietas in occidendo, in me probetur.

494. ME PRIMAM ABSUMITE FERRO. Unuſquiſque enim in propriae ſalutis deſperatione, credit tum univerſa etiam poſſe conſumi, unde eſt quod modo dixit *Me primam:* quaſi mortuo Euryalo, omnes Trojani perituri eſſent.

496. INVISUM HOC DETRUDE CAPUT SUB TARTARA TELO. *Inviſum* quidem eſt, hoc eſt, odioſum caput: ergo deeſt tibi: & ſi *Inviſum*, quomodo miſerere? verum miſericordiae genus eſt, ſi me etiam iratus interimas.

497. QUANDO ALITER NEQUEO CRUDELEM ABRUMPERE VITAM. Hinc traxit illum colorem Juvenalis: *Quod facinus dignum tam longo admiſerit aevo?*

499. TORPENT INFRACTAE. Antea *infractae*, nunc tamen torpent, ut: *Turnus ut infractos adverſo Marte Latinos*. Naturaliter enim homines dolore ac miſeratione franguntur.

500. IDAEUS ET ACTOR. Ex nominibus perſonarum & finem & dignitatem rei addit.

501. LACHRYMANTIS IULI. Puero dat lachrymas, cui poteſt ſine pudore: viris fortibus, tantum dolorem.

502. SUB TECTA REPONUNT. Homerice: [illegible]. Quod autem dicit *corripiunt*, non injuriae eſt, ut raptores diſtrahunt; ſed celeritatis; id eſt, raptim tollunt.

503. AT TUBA TERRIBILEM SONITUM. Hemiſtichium Ennii: nam ſequentia iſte mutavit. Ille enim ad exprimendum tubae ſonum ait: *Taratantara dixit*. Et multa hujuſmodi Virgilius cum aſpera invenerit, mutat. Bene tamen hic electis verbis imitatur ſonum tubarum.

504. INCREPUIT. Et inſonuit, & ſegnitiam increpavit.

505. VOLSCI. Non mirum, quia dicit *Volſcos*, cum & Camilla de *Volſcis* ſit, ut: Et *Volſca de gente Camilla*. Namque pars aliqua Tuſciae dat Turno auxilia; cum Tuſcos diximus ſpecialiter Aeneae favere. Item e contra pars Venetiae auxilium praeſtat Aeneae, quam Turni fuiſſe ſuperius diximus. TESTUDINE. *Teſtudo*, ſcutorum eſt connexio, curvata in modum & ſimilitudinem teſtudinis, cum a militibus aliqua civitas obſidetur, & fit, ut murus ejus ſubruatur. Namque in armorum generibus milites ſumunt ab animalibus nomina, ut *aries*. Saluſtius: *In modum ericii militaris*. Inventor autem *teſtudinis* Artemon, Clazomenius, fertur, idemque *arietis* repertor dicitur. Scuta geſtare Curetes primi invenerunt. Galea Thracicum tegmen eſt. Thoraces Thorax quidam rex dicitur inveniſſe. Lycaon, Arcas, gladium longiore lamina produxiſſe narratur. Peleus primus machaeram dicitur inveniſſe. Harpen, id eſt, curvum gladium in modum falcis, a Perſeo inventam multi dixerunt.

PIERII.

longe venuſtiorem ſententiam reddit: & eſt pathos ab inani ſpe, qua inducta fuerat, ut gnatum

terra

Et fossas inplere parant, ac vellere vallum.
Quaerunt pars aditum, & scalis adscendere muros;
Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris. Telorum effundere contra
510 Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Adsueti longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent tectam aciem perrumpere: cum tamen omnis
Ferre libet subter densa testudine casus.
515 Nec jam sufficiunt. Nam, qua globus inminet ingens,
Inmanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quae stravit Rutulos late, armorumque resolvit
Tegmina. Nec curant caeco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
520 Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignis.
At Messapus equum domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in moenia poscit.

Vos,

SERVII.

506. FOSSAS IMPLERE PARANT. Vertit ordinem: nam ante est ut impleatur fossa, tollantur valli: & sic testudine accedatur ad murum. Quanquam possimus intelligere etiam ad fossas eos facta venisse testudine. Proprie tamen, *fossas implere; vallum vellere*: sic enim & historici.

509. EFFUNDERE CONTRA. Proprie: tela enim non jaciuntur in subjectos, sed funduntur: & dicendo, *Omne genus telorum*, ostendit *telum* vocari, omne quod jacitur. Graeci τὰ βέλη, ἀπὸ τοῦ βάλλειν: sicut Latine *tela*, ἀπὸ τοῦ τῆλε, id est, *longe*.

511. ASSUETI LONGO. Docet, usum in rebus omnibus plurimum posse.

512. INFESTO VOLVEBANT PONDERE. Hoc est, infesti ponderis. SUBTER DENSA TESTUDINE. Hoc est, sub testudine.

515. NEC JAM SUFFICIUNT. Diu jam non sustinent. RUUNTQUE. Hic *ruunt*, pro dejiciunt.

517. ARMORUMQUE RESOLVIT TEGMINA. Περιφραστικῶς hic ostendit armorum connexionem esse testudinem. Lucanus de testudine: *At postquam virtus incerta virorum Perpetuam rupit defesso milite cratem, Singula continuis cesserunt ictibus arma.*

521. HETRUSCAM PINUM. Hoc est, ipse Hetruscus. QUASSABAT autem, & INFERT, mutatio temporum, ut 1. Aen. *Tydides multa vastabat caede cruentus: Ardentesque avertit equos in castra.*

PIERII.

terra marique sequeretur, foelicitatis proposita spe; nunc vero funus ejus miserabiliter intueatur: nam illud, *quae sum terraque marique secuta*, subfrigidum nescio quid habet.

503. SUB TECTA REPORTANT. In Mediceo, in Vitaliano, & plerisque aliis antiquis codicibus, *in tecta reponunt*, habetur. In Porcio, *sub tecta reponunt*, praepositiva ab his tantum particula variata.

506. AC VELLERE VALLUM. Male in Romano codice pro, *vellere*, *pellere* est, sumptum ex inferiori versu, ubi recte: *Pellere vallo missilibus certant*, scriptum est.

514. SUBTER DENSA. In codicibus aliquot antiquis, *supter*, per p legitur, & hic & alibi.

515. CUM

525 Vos, o Calliope, precor adſpirate canenti;
Quas ibi tunc ferro ſtrages, quae funera Turnus
Ediderit; quem quiſque virum demiſerit Orco:
Et mecum ingentis oras evolvite belli.
Et meminiſtis enim, divae, & memorare poteſtis.
530 Turris erat vaſto ſuſpectu, & pontibus altis,
Opportuna loco: ſummis quam viribus omnes
Expugnare Itali, ſummaque evertere opum vi
Certabant: Troes contra defendere ſaxis,
Perque cavas denſi tela intorquere feneſtras.
535 Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam adfixit lateri; quae plurima vento
Corripuit tabulas, & poſtibus haeſit adeſis.
Turbati trepidare intus, fruſtraque malorum
Velle fugam. Dum ſe glomerant, retroque reſidunt

In

SERVII.

525. Vos o Calliope precor. Sylleps is eſt per numeros: erat enim rectum, *Vos Muſae*, *aut te*, *Calliope*. Aspirate canenti. Favete, ut: *Aſpirat primo fortuna labori*. Ductum eſt verbum a proſpere navigantibus, quibus ventus dicitur ἐξ οὐρίου ſpirare.

528. Oras evolvite belli. Hoc eſt, ingentis belli narrate non tantum initia, ſed etiam extrema bellorum: nam *orae*, ſunt extremitates. Eſt autem Ennianum: *Qui potis ingentis oras evolvere belli*.

529. Et meministis enim divae, & memorare potestis. Differt *meminiſſe* ac *memorare*; cum illud ſit memoriter tenere; *Memorare* vero, exponere & narrare. Eſt autem Homeri ſententia.

Εσπετε νῦν μοι μοῦσαι, ὀλύμπια δώματ' ἔχουσαι.
Υμεῖς γὰρ θεαί ἐστε, πάρεστέ τε, ἴστε τε πάντα.

530. Turris erat. Turres hujuſmodi eſſe ad munitionem civitatum & in ſecundo legimus; ſed hae plerumque mobiles ſunt, plerumque fixae; mobiles, ut in duodecimo meminit: *Subdideratque rotas, ponteſque inſtraverat altos*. Lucanus: *Stellatis axibus agger Erigitur, geminaſque aequantes moenia turres Accipit*: fixae, ut in ſecundo: *Turres ac tecta domorum*. Pontibus. Pro tabulatis.

531. Opportuna loco. Pro, opportuno, ſcilicet circa portas.

532. Opum vi. Poteſt & Hypallage eſſe, ut ſit, *Ope virium*.

533. Certabant. Zeugma: poteſt & ad Latinos, & ad Trojanos referri.

534. Cavas. Patulas. Densi tela. Pro, tela denſa.

536. Et flammam affixit lateri. Adfectate: debuit enim dicere, adfixit aut facem, aut malleolum; non flammam. Quae plurima vento. Gliſcens, & magna facta per ventum.

537. Haesit adesis. Non jam *adeſis*, ſed quos exedit adhaerendo, id eſt, haeſitans adedit, vel adeſos reddidit.

538. Malorum velle fugam. Honeſtiſſima elocutio: cum honeſtius ſit forti, mala fugere velle, quam timere mala; quod timidi eſt, non fortis.

PIERII.

515. Cum tamen omnes ferre libet. In Mediceo, *juvat*, ſcriptum eſt.

524. Rescindit vallum. In codicibus admodum vetuſtis legere eſt, *tranſcendit vallum*: quia ſequitur: *Scalas in moenia poſcit*. Magis tamen placet, *reſcindit*, ut in pluribus manu ſcriptis codicibus habetur: nam ſi ad moenia ſuccedendum erat, via prius aperienda fuit, reſciſſo vallo.

536. Et flammam affixit lateri. In Mediceo, *affecit*; ſed melius, *adfixit*, ut in aliis habetur.

540 In partem, quae peste caret, tum pondere turris
Procubuit subito, & caelum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, inmani mole secuta,
Confixique suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt. Vix unus Helenor,
545 Et Lycus elabsi: quorum primaevus Helenor,
Maeonio regi quem serva Licymnia furtim
Sustulerat, vetitisque ad Trojam miserat armis,
Ense levis nudo, parmaque inglorius alba.
Isque ubi se Turni media inter millia vidit;
550 Hinc acies, atque hinc acies adstare Latinas.
Ut fera, quae densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque haud nescia morti
Injicit, & saltu supra venabula fertur:
Haud aliter juvenis medios moriturus in hostis
555 Inruit; &; qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus inter & hostis,
Inter & arma, fuga muros tenet, altaque certat
Pren-

SERVII.

540. PESTE. Incendio, ut: *Et toto descendit corpore pestis*.

544. UNUS. Subaudis & *alter*: nam non procedit, *unus Helenor & Lycus elapsi*. ELAPSI. Scilicet non mortem, sed turris ruinam.

546. MAEONIO REGI. Aut proprium patris nomen est, aut cognominem eum filio intelligamus: quia, ut supra diximus, cum filii vel patris nomen praemittitur, & aliud tacetur, cognomines eos esse intelligimus. FURTIM SUSTULERAT. E stupro educaverat: hinc est: *Et dulcia furta*. VETITISQUE AD TROJAM MISERAT ARMIS. Secundum Donatum *vetitis fato*: quia stare Troja diutius vetabatur; sed melius, lege militari intelligimus, quia servi a militia prohibebantur: unde & in Dejotariana purgat hoc Cicero, cum fuisset objectum, inter equites, quos Dejotarus miserat Caesari, unum servum fuisse: & ait: *Nescio quem ex eo numero servum judicatum; non arbitror, non audivi; sed in eo, etiamsi accidisset, culpam regis nullam esse arbitrarer*. Virgilium autem novimus trahere aliqua de historia: servos namque nunquam militasse constat, nisi servitute deposita; excepto Hannibalis tempore; cum post Cannense praelium in tanta necessitate fuit urbs Roma, ut ne liberandorum quidem servorum daretur facultas.

548. ENSE NUDO. Id est, stricto. *Ense levis*, armaturae est; *nudo* autem, stricto, vel sine vagina. PARMAQUE INGLORIUS ALBA. Quasi tyro, ut diximus supra: quia picta arma jam probati in bellis habebant.

551. UT FERA. Quidam pardum significari volunt.

556. LONGE MELIOR LYCUS. Ergo & Helenor bonus. INTER. Per, ut: *Hunc inter fluvio Tyberinus amoeno*.

558. PRENDERE SAXA MANU. Quia tunc alti non erant muri; sed ad impetum tantum repellendum, ut etiam Sallustius ostendit, ubi *Sertorium humeris sublatum per muros ascendisse* commemorat.

PIERII.

544. HELENOR. In aliquot antiquis, *Halenor*; sed *Helenor*, in pluribus.

546. SERVA LICYMNIA. In antiquis aliquot codicibus, *Lacymnia*, legitur. In aliis, *Licinnia*, usque adeo saevitum est passim in omnia pene hominum, & locorum nomina.

Prendere tecta manu, sociumque attingere dextras.
Quem Turnus, pariter cursu teloque secutus,
560 Increpat his victor: Nostrasne evadere, demens,
Sperasti te posse manus; simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit:
Qualis, ubi aut leporem, aut candenti corpore cycnum,
Sustulit alta petens pedibus Jovis armiger uncis:
565 Quaesitum aut matri multis balatibus agnum
Martius a stabulis rapuit lupus. Undique clamor
Tollitur. Invadunt, & fossas aggere complent.
Ardentis taedas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis
570 Lucetium, portae subeuntem, ignisque ferentem;
Emathiona Liger, Corynaeum sternit Asylas:
Hic jaculo bonus, hic longe fallente sagitta.
Ortygium Caeneus, victorem Caenea Turnus:

Tur-

SERVII.

559. CURSU, TELOQUE SECUTUS. Nimiam ejus ostendit celeritatem, qui potuit telum missum consequi: nam hoc dicit: Cum praemisso telo ad hostem venit. Statius: *Et emissum cursu comprendere telum*.

562. REVELLIT. In verbo *vello*, facit in participio vulsus.

563. QUALIS UBI AUT LEPOREM. Pro qualiter. Comparatio Homerica:

Ὤιμησεν δὲ ἀλεὶς ὥς τ' αἰετὸς ὑψιπετήεις
Ὅς τ' εἶσι πεδίονδε διὰ νεφέων ἐρεβεννῶν
Ἁρπάξων ἢ ἄρνα ἀμαλὴν ἢ πτῶκα λαγωόν.

564. PEDIBUS JOVIS ARMIGER UNCIS. Quia dicitur in bello Gigantum Aquila Jovi arma ministrasse; quod tamen fingitur: nam, ut supra diximus, Juppiter & Saturnus reges fuerunt; sed Juppiter dum cum patre Saturno haberet de agris contentionem, ortum bellum est: ad quod egrediens Juppiter, Aquilae vidit augurium: cujus cum vicisset auspicio, fictum est, quod ei pugnanti tela ministrasset: unde etiam a felici augurio natum est, ut Aquilae militaria signa comitentur.

565. QUAESITUM. Qui quaeritur: nam praesens a passivo non habet: & est prothysteron: nam post raptum requiritur. Vel *quaesitum*, requirendum, ποθητόν. MULTIS BALATIBUS. Id est, cum multis balatibus.

566. MARTIUS LUPUS. Aut cruentus, aut Marti dicatus.

567. AGGERE. *Agger*, est cujuslibet rei coacervatio, unde fossae, aut valles possunt repleri. Subaudiendum tamen, *Alii*.

569. INGENTI FRAGMINE MONTIS. Supra dicti saxi exaggeratio est.

570. LUCETIUM. Solum hoc nomen est, quod dictum a Virgilio a nullo alio reperitur auctore. Sane lingua Osca *Lucetius*, est Juppiter, dictus a luce, quam praestare hominibus dicitur. Ipse est nostra lingua *Diespiter*, id est, diei pater. Horatius: *Namque Diespiter plerumque per purum tonantes Egit equos*.

572. HIC JACULO BONUS. Nescias de quo dixerit.

573. CAENEA, TURNUS: TURNUS ITYN. Ut ait Lucilius: *Bonum schema est, quotiens sensus variatur in iteratione verborum: Et in fine positus, sequentis sit exordium, qui appellatur Climax*.

PIERII.

565. QUAESITUM AUT MATRI MULTIS BALATIBUS AGNUM. In Rom. codice, & in Porcio, *matris*, quippe, *balatibus*, legitur, quanquam, *matri*, vulgata lectio non displicent.

578. ALLAPSA SAGITTA. In antiquis, *ablabsa*, per *d* & per *a* more veterum: & *sagitta*, quod eam a sagaci ictu dictam volunt.

Turnus Itym, Cloniumque, Dioxippum, Promolumque,
575 Et Sagarim, & ſummis ſtantem pro turribus Idan:
Privernum Capys. Hunc primo levis haſta Temillae
Strinxerat: ille manum projecta tegmine demens
Ad volnus tulit. Ergo alis adlabſa ſagitta,
Et laevo adfixa eſt lateri manus, abditaque intus
580 Spiramenta animae letali volnere rumpit.
Stabat in egregiis Arcentis filius armis;
Pictus acu chlamydem, & ferrugine clarus Hibera,
Inſignis facie: genitor quem miſerat Arcens,
Eductum Martis luco, Symaethia circum
585 Flumina: pinguis ubi & placabilis ara Palici.
Stridentem fundam, poſitis Mezentius haſtis,
Ipſe ter adducta circum caput egit habena;
Et media adverſi liquefacto tempora plumbo
Dif-

SERVII.

575. PRO TURRIBUS. Aut pro defenſione turrium: aut ſic magni, ut turres putares.

576. HASTA THEMILLAE. *Themillas*, *Themillae*, ut *Aeneas*, *Aeneae*. LEVIS autem HASTA, pro leviter veniens: unde & STRINXERAT dixit, id eſt, paululum vulneraverat, ut: *Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni*.

577. DEMENS. Qui ſcutum, quo ſe tuebatur, abjecit. ALIS. Pinnis.

579. ET LAEVO INFIXA EST LATERI. Oſtendit vulneris locum, quem ante ſuppreſſerat. Sic in quarto: *Infixum ſtridit ſub pectore vulnus*.

580. SPIRAMENTA ANIMAE. Definitio pulmonum, qui dicuntur a ſpirando, id eſt, a pulſu, ſicut Graece πνεύμων, ἀπὸ τοῦ πνεῖν.

582. PICTUS ACU CHLAMYDEM. Hoc eſt, habens chlamydem Phrygiam, ut: *Et Phrygiam Aſcanio chlamydem*. Et eſt figuratum, *pictus chlamydem*. FERRUGINE CLARUS HIBERA. *Ferrugo*, coloris genus eſt, qui vicinus eſt purpurae ſubnigrae. *Hibera* autem, modo non Hiſpana, ſed Pontica: nam Hiberia, pars Ponti eſt, inter Perſidem & Armeniam, ubi optime colores diverſi tinguntur, ut oſtendit Horatius, dicens: *Herbaſque, quas & Colchos, atque Hiberia Mittis, venenorum ferax*.

583. GENITOR QUEM MISERAT ARCENS. Ordo egregius: nam non congruit, ut hujus filii, praetermiſſo nomine, bis fiat commemoratio.

584. SYMAETHIA CIRCUM FLUMINA. *Symaethos*, fluvius eſt Siciliae, a rege *Symaetho* dictus, haud longe ab urbe Catinenſi, circa quem ſunt *Palici* dei, quorum talis eſt fabula: Aetnam nympham, vel, ut quidam volunt, Thaliam, Juppiter cum vitiaſſet, & feciſſet gravidam, timens Junonem (ſecundum alios, ipſam puellam) Terrae commendavit, & illic enixa eſt: ſecundum alios, partum ejus. Poſtea cum de Terra erupiſſent duo pueri, *Palici* dicti ſunt, quaſi iterum venientes: nam πάλιν ἵκειν, eſt iterum venire. Hi primo humanis hoſtiis placabantur, poſtea quibusdam ſacris mitigati ſunt, & eorum immutata ſacrificia. Inde ergo PLACABILIS ARA: quia mitigata ſunt eorum numina. *Palicos*, nauticos deos Varro appellat. Alii dicunt, Jovem hunc *Palicum* propter Junonis iracundiam in Aquilam commutaſſe: alii Vulcani & Aetnae filium tradunt; ſed incertum, ex qua recondita hiſtoria *Arcentem* iſtum induxerit: neque enim ſine ratione vel *lucus Martis* appoſitus eſt: & quid homo Siculus in hoc bello facit, quem nuſquam ſupra cum Aenea dicit ad Italiam perveniſſe?

588. LIQUEFACTO TEMPORA PLUMBO DIFFIDIT. Plumbum enim jactum nimio rotatu & aeris calore ſolvitur. Statius: *Et arſuras caeli per inania glandes*.

PIERII.

579. ET LEVO INFIXA EST LATERI MANUS. In antiquis aliquot, *adfixa*, quod nequaquam diſplicet.

Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
590 Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces,
Ascanius, fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat; Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
595 Is primam ante aciem digna atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo praecordia regno
Ibat, & ingentem sese clamore ferebat:
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
Bis capti Phryges, & morti praetendere muros?
600 En, qui nostra sibi bello connubia poscunt!
Quis Deus Italiam, quae vos dementia adegit?
Non hic Atridae, nec fandi fictor Ulixes.
Durum ab stirpe genus, natos ad flumina primum
De-

SERVII.

589. PORRECTUM EXTENDIT ARENA. Intelligimus eum cecidisse trans murum. Dicendo autem *multa*, ostendit corporis proceritatem.

590. TUM PRIMUM BELLO. Hoc loco puerum ideo postea fecit armari, quia legit in historia pueros de bellis gloriam repotasse: filium Marci Drusi annorum sexdecim; Crispini filium, Crispinum in Corsica, cum fugeret exercitus Spurii Carvilii Consulis, bellum restituisse: apud Soram, bello Italico, ab Herennio puerum in aciem eductum, a quo hostem occisum spoliatumque; Lucii Tarquinii filium, quem ob hoc pater aurea bulla praetextaque donavit.

593. MINOREM GERMANAM. Quia major nympha fuerat, Jovis voluntate.

595. DIGNA ATQUE INDIGNA RELATU. *Indigna*, id est, turpia & obscoena, ut dici solet, *fanda & nefanda*.

596. NOVO REGNO. Aut nova regii generis affinitate: aut quia etiam ipsi per regis filiam portio debebatur imperii: aut partem regni a Turno acceperat.

597. INGENTEM SESE CLAMORE FEREBAT. Non erat ingens, sed se esse clamabat ingentem.

598. ITERUM. Denuo: nam jam tertio obsidentur: & *iterum*, non nisi de duobus dicimus.

599. BIS CAPTI PHRYGES. Semel ab Hercule; post a Graecis. Alii tradunt semel a Graecis, & nunc a Latinis: & hoc magis aptum esse Numani personae, ut se cepisse existimet, qui tam jactans & petulans inducatur. MORTI PRAETENDERE MUROS. Emphasis est: *morti* enim pro bello posuit: sic supra: *Leti discrimine parvo*: cum potuerit *hosti* dicere, scilicet ut nihil Trojanis reliquum sit, quam perire.

600. NOSTRA CONNUBIA. Aut quasi Turni cognatus loquitur: aut invidiose retorquet *nostra connubia*, & vult causam omnium esse communem.

601. ITALIAM. Ad Italiam.

602. NON HIC ATRIDAE. Exaggeratio vituperationis: nam non tantum se Trojanis, sed etiam eorum victoribus praefert. Potest & *Atridas* intelligi, quorum conjuges aut deserunt maritos, aut interimunt revertentes. FANDI FICTOR ULYSSES. Aut fallax, aut λογοδαίδαλος id est, qui dolum celat sermonis ornatu.

603. DURUM STIRPE GENUS. Italiae disciplina, & vita laudatur: quam & Cato in Originibus, & Varro in Gente populi Romani commemorat.

PIERII.

599. ET MORTI PRAETENDERE MUROS. In codicibus aliquot antiquis, *Marti* legitur; sed enim *morti*, pro bello positum ait Servius.

604. SAEVOQUE GELU DURAMUS. In antiquis aliquot codicibus, *duroque gelu*, habetur; sed *saevo* castior omnino lectio.

Deferimus, saevoque gelu duramus & undis:
605 Venatu invigilant pueri, silvasque fatigant:
Flectere ludus equos, & spicula tendere cornu.
At patiens operum parvoque adsueta juventus
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne aevom ferro teritur, versaque juvencum
610 Terga fatigamus hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem.
Canitiem galea premimus; semperque recentis
Comportare juvat praedas, & vivere rapto.
Vobis picta croco & fulgenti murice vestis,

De-

SERVII.

604. GELU DURAMUS, ET UNDIS. Undis gelidis, & est *ἓν διὰ δυοῖν*, ut: *Hamis auroque trilicem:* nam nemo quod plus est prius dicit: si enim duo essent, ante *aquam* diceret: sic *gelu*.

605. VENATU. Pro venatui, ut: *Curru*, pro, *currui:* ablativus dubius, vel pro dativo. PUERI. Bene venationem pueris dedit; opus rusticum jam juveoibus. SYLVASQUE FATIGANT. Ipsi fatigantur in sylvis: aut pro feris *sylvas* posuit, in quibus sunt ferae.

606. FLECTERE LUDUS EQUOS. Aliorum labor nostrae pueritiae ludus est. *Flectere* autem, verbo antiquo usus est: nam equites apud veteres Flexutes vocabantur, sicut ait Varro Rerum humanarum. Saoe Poeta meminit sui, nam ait superius: *Ante urbem pueri & primaevo flore juventus Exercentur equit.*

607. AT PATIENS OPERUM, PARVOQUE ADSUETA IUVENTUS. Hoc & in Georgicis laudat: nam magnae virtutis est, in nimio labore parvis esse contentum.

608. TERRAM DOMAT. Bene bellico usus est verbo: & ne a re militari discederet, non dixit *terras colimus*, sed *domamus*, ac si diceret, cum hostes desunt, terras ferro domamus. QUATIT OPPIDA BELLO. Oppidum quidam a vico castelloque magnitudine secernunt: alii locum muro, fossave, aliave qua muoitione conclusum: alii locum aedificiis constitutum, ubi fanum, comitium, forum, & murus sit: Alii *oppidum* dici ab oppositiooe murorum; vel quod hominibus locus esset oppletus; vel quod opes illo munitioois gratia congestae sunt.

609. VERSA JUVENCUM TERGA FATIGAMUS HASTA. Agriculturam sine officio belli non gerimus. Est autem *κακοσύνθετον* & *ὁμοιοτέλευτον*. nam *terga*, cum eodem fine casus terminatur, ut *versa hasta*. Nam est ita: *versa hasta juvencorum terga fatigamus*, id est, caedendo urgemus.

610. TARDA SENECTUS. In aliis, SERA SENECTUS.

611. NEC SENECTUS DEBILITAT VIRES ANIMI. Bene *animi*, quia non est ausus *corporis* dicere: nec enim potest fieri, ut, quamvis robustus senex, vires habeat prioris aetatis, & suae comparetur adolescentiae. Nunc ergo, licet dicat fortes esse etiam senes, bona tamen est usus temperatione, ut diceret nihil animorum vigori derogare temporis vetustatem.

612. CANICIEM GALEA PREMIMUS. Id est, semper militamus.

614. VOBIS PICTA CROCO. Vituperatio Trojanorum, in qua utitur argumentis, quae in Rhetoricis commemorat Cicero, a gente, ab habitu, a gestu, ab animo. Et sunt molliores versus apti ad carpendam molliciem. Sane vestes acu pictas coloribus Phryges primi invenerunt: nam ideo & artifices talium vestium Phrygiones appellantur. FULGENTI MURICE. Purpura. Hanc autem vitio & dedecori apud majores fuisse constat. Juvenalis: *Peregrina ignotaque nobis Ad scelus atque nefas quaecumque est purpura ducit.*

PIERII.

613. CONVECTARE JUVAT PRAEDAS. In Romano codice, in Mediceo, & pervetustis aliquot aliis, *comportare*, legitur. Sane *comportari* dicuntur, quae proveniunt ex reditibus. Horatius: *Si comportatis rebus bene cogitat uti.* Ita de iis omnibus, quae ex agro in urbem comportantur. *Convectare* tamen magis placet eruditis auribus.

615 Desidiae cordi; juvat indulgere choreis:
Et tunicae manicas, & habent redimicula mitrae.
O vere Phrygiae, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma; ubi adsuetis biforem dat tibia cantum.
Tympana vos buxusque vocant Berecyntia matris
620 Idaeae. Sinite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus equino
Intendit telum, diversaque brachia ducens

Con-

SERVII.

615. DESIDIAE CORDI. Vobis sunt: & est ab animo argumentum. CHOREIS. Servavit hoc loco naturam syllabae, quam in sexto metri caussa corripuit, ut: *Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt*.

616. ET TUNICAE MANICAS. Tunicae vestrae habent manicas, quod etiam Cicero vituperat, dicens: *Manicatis ac talaribus tunicis*. Nam colobiis utebantur antiqui, quae dicta sunt ἀπὸ τῆ κολοβῶ. Sane *habent*, bis subaudiendum. ET HABENT REDIMICULA MITRAE. Illud dicturus fuerat: Habetis in pileis redimicula: quod convertit in vituperationem majorem, dicens: *Religatas habetis mitras*. Nam *pilea*, virorum sunt: *mitrae*, feminarum, quas *calanticas* dicunt. *Mitra* autem proprie Lydorum fuit, ut: *Moeonia mentum mitra*: quem habitum imitati sunt Trojani. Alii *mitras* meretricum esse voluerunt, quod hic est tanquam effeminatis objectum.

617. O VERE PHRYGIAE. Ipsos vituperaverat *Phryges*; nunc ad majorem injuriam *Phrygias*, non *Phryges* dixit. Sic Homerus: Ὦ πέπονες κάκ' ἐλέγχε', Ἀχαιΐδες, οὐκ ἔτ' Ἀχαιοί. ALTA DINDYMA. Montes Matris deum. *Ite* autem *per alta* sic dicit, quasi currite per Dindyma, & ducite choros per Dindyma: nec sufficit Nomano, loqui injuriam Trojanorum, nisi etiam sacris numinum conjunctam faciat. Sed hoc jam quasi moriturus loquitur: hoc est enim, *Digna atque indigna relatu Vociferans*, ut, *digna*, sint, quae de suorum virtute dixit; indigna, quae impia & in deos ausus est.

618. BIFOREM DAT TIBIA CANTUM. Bisonum, imparem. Et servavit eis tibiarum suarum, id est, Phrygiarum, naturam. Tibiae aut serranae dicuntur, quae sunt pares, & aequales habent cavernas: aut Phrygiae, quae & impares sunt, & inaequales habent cavernas. Ergo *biforem*, dissonum, dissimilemque: non enim sunt pari modulatione compositae: ut enim ait Varro: *Tibia Phrygia dextra unum foramen habet: sinistra duo, quorum unum, acutum sonum habet, alterum gravem*.

619. BUXUSQUE VOCAT BERECYNTIA. A monte *Berecynto* dicta. Dicitur autem & *haec buxus* & *hoc buxum*, ut: *Et torno rasile buxum*. Unde superfluo quidam arborem generis feminini esse volunt, cum hoc loco etiam de ligno generis feminini habeamus exemplum.

620. ET CEDITE FERRO. Aut ferrum relinquite: & est iteratio: aut *caedite ferro*, id est, cum viri non sitis, abscindite partem virorum, id est, castrare vos debetis, more vestrorum Gallorum, Cybeles sacerdotum, ut Juvenalis: *Phrygio quos tempus erat jam More supervacuam cultris abrumpere carnem*.

621. JACTANTEM. De suorum gloria. DIRA CANENTEM. Ad injuriam Trojanorum.

622. NERVOQUE EQUINO. Quia in arcubus nervi equini solent esse. Accius Philoctete: *Tendens nervo equino concita tela*.

PIERII.

619. TYMPANA VOS BUXUSQUE VOCANT BERECYNTIA. In antiquis exemplaribus, *vocat*, numero singulari, ut cum viciniori supposito congruat. Est & *Verecynthia*, per υ digammon in codicibus nonnullis. Ut hujusmodi pleraque alia, Graecae consonantis sono. Male vero scribunt, qui syllabae pene ultimae adspirationem apponunt, quum τ sit apud Graecos. Βερεκύντια.

620. ET CEDITE FERRO. Servius intelligi putat de culteris, quibus sacerdotes Deae Cybeles evirabantur. Atque ita *cedite*, parete, interpretandum erit; sed enim figuratius est dicere, *ferro*, hoc est, bello. Neque indecora est illa ejus sententiae per diversa vocabula repetitio, quam is fere negligit.

Constitit, ante Jovem supplex per vota precatus:
625 Juppiter omnipotens, audacibus adnue coeptis.
Ipse tibi ad tua templa feram sollemnia dona,
Et statuam ante aras aurata fronte juvencum
Candentem, pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
630 Audiit, & caeli Genitor de parte serena
Intonuit laevum: sonat una fatifer arcus.
Effugit horrendum stridens adducta sagitta:
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro

Tra-

SERVII.

624. ANTE JOVEM SUPPLEX PER VOTA PRECATUS. Atqui Apollinem debuit invocare jaculaturus sagittas; sed dicimus ideo Jovem invocatum, quia omne initium & incrementum Jovi debetur, ut: *Ab Jove principium Musae*. Unde nunc Ascanius, non quid faciat, cogitat; sed quid primum, inde invocat Jovem.

625. JUPPITER OMNIPOTENS. Hoc epitheton interdum ad gloriam numinis ponitur; interdum ad caussam dicentis. Namque hoc loco dicendo *omnipotens*, ostendit eum etiam his, qui per se minus valent, praestare posse virtutem.

626. IPSE TIBI. Bene *ipse*, quia adhuc pro Ascanio pater solebat sacrificare: nam ideo & *solemnia* ait, quae fieri solerent, ut se ostenderet, si victoria & pax esse secuta, etiam illius officii capacem esse. FERAM SOLEMNIA DONA. *Feram*, de juvenco non dicimus; sed adducam. Intelligimus ergo alia dona eum ferre promisisse. Singulis enim numinibus certa sunt dona, quae offeruntur: unde est: *Strueremve suis altaria donis*, id est, congruis.

627. ET STATUAM ANTE ARAS. Aptam se daturum victimam ostendit: alibi: *Si ductus cornu stabit sacer hircus ad aras*. Quotiens enim victima reluctabatur, ostendebat se improbari. Lucanus: *Discussa fugit ab ara Taurus*. JUVENCUM autem secundum Romanas ceremonias dicit: nam Jovi de tauro non immolabatur, ut etiam in tertio diximus, nisi cum triumphi nomine suovetaurilia fiebant: quod tamen ideo admissum est, quia non tantum Jovi, sed & aliis diis, qui bello praesunt, sacrificatur. AURATA FRONTE JUVENCUM. Ita enim victimae ornari consueverant.

628. CANDENTEM. Candidum. Juvenalis: *Duc in Capitolia magnum cretatumque bovem*. CAPUT CUM MATRE FERENTEM. Hoc est, non juvenci matrem, sed quae jam peperisset: unde consuetudo permansit, ut vacca simul & taurus auratis cornibus Jovi Copitolino immolarentur. Et aequalem matri, nondum patri. Juvenalis: *Quem jam pudet ubera matris Ducere: qui vexat nascenti robora cornu*.

630. DE PARTE SERENA. Ut non caussae sit, sed augurii, & auspicii vis ostenderetur: solent enim tonitrua per tempestatem inferri.

631. INTONUIT LAEVUM. Prosperum. Ut enim etiam supra diximus, quae sinistra nobis videntur, intuentibus caelum, illic dextra sunt; non quod sinistra bona sunt, sed quod dextra caeli, nobis sinistra sunt. SONAT UNA LETIFER ARCUS. Simul atque cognovit augurium.

632. ET FUGIT. Melius EFFUGIT legitur. Et figura est, *horrendum effugit*.

633. PERQUE CAPUT REMULI VENIT. Figmenta haec vulnerum plerumque non sine ratione ponunt Poetae: nam modo hunc ideo in capite dicit esse percussum, quia eum supra vaniloquum introduxerat, & superbum: quod vitio capitis evenit. Horatius: *Attollens vacuum plus nimio gloria verticem*. Sic Homerus Thersiten a tergo vulneratum dicit usque ad praecordia: nam ait: σκήπτρῳ δὲ μετάφρενον ἠδὲ καὶ ὤμω πλῆξεν: quia eum stultum induxerat. Item de Achille dicit: πόδας ὠκὺς Ἀχιλλεύς. Item ποδάρκης δῖος Ἀχιλλεύς: quem legimus in talo esse vulneratum. Vel ideo *per caput* & *cava tempora*, ut divinitus misso telo nulla pars alia corporis, sed caput vulneratur, scilicet ut hominis, qui infanda & impia de religionibus dixerat, sacrilegium capite expiaretur.

PIERII.

630. AUDIIT. In antiquis per synaeresin, *audit*: de quo saepe alibi dictum.

631. SONAT UNA LETHIFER ARCUS. In Rom. cod. & nonnullis aliis legitur, *fatifer*.

632. EF-

Trajicit. I, verbis virtutem inlude ſuperbis.
635 Bis capti Phryges haec Rutulis reſponſa remittunt.
Hoc tantum Aſcanius. Teucri clamore ſequuntur,
Laetitiaque fremunt, animoſque ad ſydera tollunt.
Aetheria tum forte plaga crinitus Apollo
Deſuper Auſonias acies urbemque videbat,
640 Nube ſedens, atque his victorem affatur Iülum:
Macte nova virtute puer, ſic itur ad aſtra,
DIs genite, & geniture deos. Jure omnia bella
Gen-

SERVII.

634. VIRTUTEM INLUDE. *Inludo tibi*, & *inſulto tibi* dicimus: nam *inludo te*, figuratum eſt, ut hoc loco: item *inſulto te*. Salluſtius: *Multos a pueritia bonos inſultaverat*.

635. HAEC RUTULIS. Pro, talia: vitavit pronomen.

636. HOC TANTUM ASCANIUS. Et dixit & fecit.

637. ANIMOSQUE. Aut ſuos, aut Aſcanii, per favorem.

639. ACIES URBEMQUE. Syllepſis.

640. NUBE SEDENS. Sicut ſolent numina; Juno: *Nec tu me aeria ſolam nunc ſede videres Digna indigna pati*. VICTOREM. Bene ei, qui unum occiderat, addidit dignitatem. AFFATUR IULUM. Non ita, ut Iulus audiret.

641. MACTE. *Magis aucte adfectatae gloriae*. Et eſt ſermo tractus a ſacris: quotiens enim aut tus, aut vinum ſuper victimam ſundebatur, dicebant, *mactus eſt taurus vel vino*, vel *ture*, hoc eſt, cumulata eſt hoſtia & magis aucta. *Macte* ergo, pro, *mactus eſto*, vocativum pro nominativo poſuit, ut Perſius: *Stemmate quod Tuſco ramum milleſime ducis Cenſoremve tuum vel quod trabeate ſalutas*, pro *milleſimus* & *trabeatus*: & Virgilius: *Vicinoſque ignare paras invadere portus*, pro, *ignarus*: & alibi: *Quot Amaſene pater*, pro, *Amaſenus*: ſic ergo & *macte*, pro, *mactus*. Quod autem *eſto* non addidit, ab antiquitate deſcivit: nam veteres *macte eſto* dicebant; ſed hoc ſecutus ſuam conſuetudinem fecit: nam & alibi: *Dives inaceſſos ubi ſolis filia Lucos*: & iterum IV. Aen. *Dives quae munera Dido*, praetermiſit cujus rei dives; cum veteres *dives illius rei* dicerent: quod ipſe alibi: *Dives opum variarum*, & *Dives pictai veſtis & auri*. Item cum veteres natalem diem, vel locum, vel tempus dicerent, ut Horatius: *Natalemque mares Delon Apollinis*: & Plautus in Pſeudolo: *Natalem hunc mihi diem ſcitis eſſe*: Virgilius his omiſſis dixerit: *Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis, Iola*. Ergo & hic ita ſubtraxit: nam integrum eſt, *macte eſto nova virtute, puer*: *Mactus* autem apud veteres etiam *mactatus* dicebatur, ut Ennius: *Livius inde redit magno mactatus triumpho*. Et Lucilius lib. V. *Macte, inquam, virtute, ſimulque his verſibus eſto*. Et in Pontificalibus ſacrificantes dicebant deo: *Macte hoc vino inferio eſto*. NOVA VIRTUTE PUER. Aut magna & mira, ut: *Pollio & ipſe facit nova carmina*: aut re vera *nova*, quantum ad bellum.

642. DIIS GENITE. Propter Venerem. GENITURE DEOS. Propter Julium Caeſarem, & Auguſtum. JURE. Merito.

PIERII.

632. EFFUGIT HORRENDUM STRIDENS ELAPSA SAGITTA. Quamvis Servius *effugit* agnoſcat; vetera tamen exemplaria, *& fugit*, legunt: & pro *elapſa*, *adlapſa*, & *allapſa* inveni. In Romano vero codice, & in aliquot aliis ipſa venerandis vetuſtate, *adducta*, ſcriptum animadverti. In qua lectione ipſum jaculantis, & telum contendentis geſtum aſpicere videaris. Ovidius: *Viderat adducto tendentem cornua nervo*. Loco tamen hoc nonnulli volunt, *allapſa*, melius eſſe.

633. ET CAVA TEMPORA FERRO TRAJICIT, I, VERBIS VIRTUTEM ILLUDE SUPERBIS. Eſt & hic quoque unus ex illis locis, qui tam varie leguntur quam variae ſunt veterum codicum manus: nam in Romano codice, *tranſadigit verbis*, ſcriptum habetur, facta nimirum injuria ſententiae: ſi nequeas, *I, verbis virtutem illude ſuperbis*, integrum ſubjungere: nam ſi tollas, *I*, verbum, totam ejus ſententiae venuſtatem tollas. In Oblongo codice perveteri, *trajecit*; in aliquot aliis, *tranſjecit*; ſed enim oblati etiam mihi ſunt codices pervetuſti, in quibus, *tranſfigit*, ſcriptum videas. Quare aut hic aliquid ſimile verſibus illis exlegibus: *Nec te comitem hinc aſportare Creuſam*. Et: *Reſtriſque ſtridentibus*: aut quod omnino placet, *trajicit*, legendum: ut: *i, verbis*, ſubſequatur.

Gente ſub Aſſaraci fato ventura reſident:
Nec te Troja capit. Simul haec effatus, ab alto
645 Aethere ſe mittit, ſpirantis dimovet auras,
Aſcaniumque petit. Formam tum vertitur oris
Antiquom in Buten. Hic Dardanio Anchiſae
Armiger ante fuit, fiduſque ad limina cuſtos.
Tum comitem Aſcanio pater addidit. Ibat Apollo
650 Omnia longaevo ſimilis, vocemque, coloremque,
Et crinis albos; & ſaeva ſonoribus arma:
Atque his ardentem dictis adfatur Iulum:
Sit ſatis, Aeneide, teli inpune Numanum
Oppetiiſſe tuis :- Primam hanc tibi magnus Apollo
Con-

SERVII.

643. GENTE SUB ASSARACI. Sub gente Romana. *Aſſaracus* enim pater eſt Capyos, avus Anchiſae. FATO VENTURA. Magna: haec enim bella ſunt gravia, quae fatali ratione proveniunt, ut Trojana, & Thebana. RESIDENT. Sedabuntur, ut *tempeſtatem reſidere* dicimus.

644. NEC TE TROJA CAPIT. Vel major es quam patria, vel major es meritis quam civitas, in qua nunc es. Lucanus de Caeſare: *Plus patria potuiſſe tua*.

645. SPIRANTES. Vitales, quibus ſpiramus & vivimus.

646. ASCANIUMQUE PETIT. Notandum *petit*, ſine inſidiis dictum.

647. ANTIQUUM IN BUTEN. Hic *Butes*, ſemel hic nominatur, ut bis, *Nautes*.

648. FIDUSQUE AO LIMINA CUSTOS. Aedituus fuit: quod, ut ſupra diximus, in ingenti honore apud majores fuit. Illic enim & epulabantur, & deos colebant. Cenſus etiam omnis illic ſervabatur: quod & Plautus docet in Aſinaria, in qua inducit Sauriam, ſervum atrienſem, in tota familia plurimum poſſe. *Ad limina* ſane, figuratum.

651. SAEVA SONORIBUS ARMA. Strepitu terribilia. Et ſunt *ſaeva arma*, quae habent ſonorem, ut, *aurea bullis Cingula*: An etiam *ſonoribus ſaeva?*

652. ARDENTEM. Deſiderio dimicandi: unde, *animoſque ad ſydera tollunt*. Melius Aſcanii intelligimus, ſicut Statius de Menaeceo: *Et laudibus implet honeſtis*.

653. AENEIDE. Patronymicum hoc non venit ab eo, quod eſt *Aeneas*: nam *hic Aeneades*, & *o Aenaede* faceret. Sed ab eo, quod eſt Aeneis, a Theſeis Theſeide.

654. PRIMAM HANC TIBI MAGNUS APOLLO. Dicendo *primam hanc* pollicetur & aliam. CONCEDERE autem ſe ideo dixit: quia ſagittarum deus eſt: & licet eum Jupiter juverit, Apollo tamen ſuum ſibi officium vindicat, quod dicit ſe conceſſiſſe: quia non prohibuit. Ea enim, quae ab aliis numinibus poſcimus, tunc implentur, ſi non adverſentur numina. quorum propria ſunt quae poſcimus: unde & in quarto Juno ait: *Adero, & tua ſi mihi certa voluntas*. Hoc eſt, quod in me eſt, jungam eos: reſtat ut tuum implere velis officium.

PIERII.

645. AB ALTO AETHERE SE MITTIT. In antiquis aliquot, *miſit*, praeterito tempore.

646. FORMA TUM VERTITUR ORIS ANTIQUUM IN BUTEM. Plerique veteres codices, *formam*, legunt, cujuſmodi lectio abraſa eſt ex Mediceo. Eſt &, *antiqum*, unico *u* legere: quod olim per *c* ſcribatur *anticum*, ut, *poſticum*.

651. ET CRINES ALBOS. In Porcio, & quibuſdam aliis manu ſcriptis codicibus, *crineis flavos*, habetur; ſed qui Dardanio Anchiſae Armiger ante fuit, albos jam capillos habere debebat. Qui vero *flavos* repoſuere, forte *alvos*, corrupta ſeculi pronuntiatione, quam emendare conatus eſt Adamantius, ſcriptum invenerant, ejusque abuſionis ignari, *flavos*, ſcribendum judicarunt: nam *albos*, in codice Delphio, & aliquot aliis antiquis, omnino legi.

653. SIT SATIS AENIDE. In Rom.cod. legitur, *Aeneade*, ſecunda ſyllaba a principio correpta, per abjectionem τῦ ἰῶτα ex diphthongo. In reliquis tamen exemplaribus, *Aenide*, habetur κατὰ συγκοπὴν: vel *Aeneide*, per diphth. integra

655 Concedit laudem, & paribus non invidet armis.
Cetera parce, puer, bello. Sic orsus Apollo
Mortalis medio adspectus sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Adgnovere Deum proceres divinaque tela
660 Dardanidae, pharetramque fuga sensere sonantem.
Ergo avidum pugnae, dictis ac numine Phoebi,
Ascanium prohibent: ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris:
665 Intendunt acris arcus, amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis: tum scuta, cavaeque
Dant sonitum flictu galeae: pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens pluvialibus Haedis
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
670 In vada praecipitant; cum Juppiter horridus austris

Tor-

SERVII.

655. PARIBUS NON INVIDET ARMIS. Pari gloriae: nam ut Apollo puer occiso Pythone ultus est matris injuriam, sic Ascanius occiso Numano Trojanorum castra injuriasque defeodit. *Paribus* ergo *armis*, id est, similibus; non peritia, sed genere victoriae.

656. CAETERA. Deinceps: & est adverbium: id est, in caeterum: est autem Ennianum: *Cetera, quos peperisti, ne cures*. ORSUS. Modo locutus, id est, pro eo, qui desierit: alias coepit, quod magis est proprium; ut: *Sic Venus, at Veneris contra sic filius orsus*.

657. MEDIO SERMONE. Ideo *medio*, quia non respondit Ascanius. *Sermo* enim est duorum vel plurium oratio, & ex dicente respondcoteque conficitur.

660. FUGA. Abscessu: & more suo abeuntes deos inducit agnosci. PHARETRAMQUE SONANTEM. Quia dixit supra: *Et saeva sonoribus arma*. Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο, Αὐτοῦ κινηθέντος.

661. DICTIS. Propter auditam orationem. AC NUMINE. Propter agnitum deum.

663. ANIMASQUE IN APERTA PERICULA MITTUNT. Plus enim quam manifesta sunt praesentia pericula, quando audientibus Trojaois bello prohibeatur Ascanius, ne periclitaretur.

665. INTENDUNT ACRES ARCUS. Pro, ipsi acres: ut enim & iu primo diximus, arcum uniusquisque habet pro viribus sui. AMENTAQUE TORQUENT. Pro, tela ameotis torquent: nam *amentum*, est lorum, quo media hasta religatur & jacitur.

667. FLICTU. Pro adflictu, vel ioflictu, id est, ictu: nam detraxit more suo praepositionem: & loquutus est juxta antiquum morem. Pacuvius Teucro: *Flictus navium*.

668. PLUVIALIBUS HOEDIS. Supra Tauri cornua est signum, cui Auriga nomen est: hunc cum Tauro una clara stella conjungit. Retinet autem Auriga stellas duas in manu, quae *Hoedi* vocantur, & capram, quam Amaltheam dicunt: quarum & ortus & occasus gravissimas tempestates faciunt. Oriuntur autem cum Scorpione mense Octobri.

670. JUPPITER. Aer: ut Horatius: *Manet sub Jove frigido venator*. EDUXIT. Quidam pro educavit volunt intelligi.

PIERII.

dictione. Unde *Aeneis* patronymicum foemin. diphthongo soluta; sed enim Priscianus ait, Virgilium auctoritate sua dixisse *Aeneiden*, quod secundum regulas, *Aeneas*, esse debuerat.

667. DANT SONITUM FLICTU GALEAE. In Romano codice, & aliquot aliis, *adflictu*, legitur, ex paraphrasi sumptum: nam Servius agnoscit, *flictu*. Io aliquot codicibus antiquis mutato numero legitur: *Dant sonitum galeae flictu*.

Torquet aquosam hiemem, & caelo cava nubila rumpit.
Pandarus & Bitias, Idaeo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco silvestris Hiera
Abietibus juvenes patriis & montibus aequos,
675 Portam, quae ducis imperio commissa, recludunt
Freti armis, ultroque invitant moenibus hostem.
Ipsi intus dextra ac laeva pro turribus adstant
Armati ferro, & cristis capita alta corusci:
Quales aëriae liquentia flumina circum,

Si-

SERVII.

674. MONTIBUS AEQUOS. Idae, vel ejus arboribus exaequandos.

675. DUCIS IMPERIO COMMISSA. Aut quae ei *commissa* fuerat imperio absentis Aeneae: aut, quod est melius, quae imperio Aeneae fuerat *commissa*, id est, clausa: unde & *commissurae*, dicuntur conjunctiones tabularum, secundum superiorem sensum. Contrarium est, quod dixit: *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros*. Aeneas enim abscedens principibus omnium rerum commiserat curam. Alii *ducis*, Ascanium accipiunt: alii *commissa* ideo *clausa* accipiunt, quia superius lectum est: *Heja ingenti clamore per omnes Condunt se Teucri portas*. Quietis enim rebus portae patebant, per quas se Teucri sub adventum hostis receperant; propterea quod ait: *Namque ita discedens praeceperat optimus armis Aeneas, si qua interea fortuna fuisset, Non aequo dare se campo, non obvia ferre Arma viros, sed castra fovere*. Sane *commissa*, deest sibi, vel illis, Pandaro, & Bitiae; ne contrarium sit, quod dixit: *Rectores juvenum & rerum dedit esse magistros*. Scimus enim, quod Mnestheo & aliis ducibus imperaverat Aeneas, ad petenda proficiscens auxilia, ne portas aperirent, ut: *Castra modo, & tutos servarent aggere muros*. Item legimus, Mnesthea & Seresthum ductores fuisse, & rerum magistros; non Pandarum & Bitiam: unde apparet, quia hunc locum male intellexit Donatus, dicens, *Commissam portam*, id est, *creditam Pandaro & Bitiae*: qui duces non erant. Cornutus vero melius sensit, dicens: *portam, quae ducis imperio commissa fuerat, hoc est, clausa, eam aperuerunt*. *Commissura* enim, dicitur tabularum conjunctio: sicut Cicero in Fontejana meminit. Ergo melius est, ut *commissam*, dicamus *clausam*, quam creditam Pandaro & Bitiae.

676. MOENIBUS. Pro, in moenia.

677. PRO TURRIBUS. Aut vice turrium: aut pro defensione.

678. ARMATI FERRO. Aut bene instructi armis: aut, ut Asper dicit, ferrea corda habentes, id est, dura, & cruenta cogitantes: ut Ennium sit secutus, qui ait: *Succincti corda machaeris*.

679. QUALES AERIAE. Comparatio Homero: Ἐν δὲ πύλῃσι δύ' ἀνέρας εὗρον ἀρίστους Υἷας ὑπερθύμους Λαπιθάων αἰχμητάων· Τὸν μὲν Πειριθόου υἷα κρατερὸν Πολυποίτην. Τὸν δὲ Λεοντῆα, βροτολοιγῷ ἶσον Ἄρηϊ. Τὼ μὲν ἄρα προπάροιθε πυλάων Ἕστασαν· ὡς ὅτε τε δρύες οὔρεσιν ὑψικάρηνοι, Αἵτ' ἄνεμον μίμνουσι, καὶ ὑετὸν ἤματα πάντα, Ῥίζῃσιν μεγάλῃσι διηνεκέεσσ' ἀραρυῖαι. Ὣς ἄρα τὼ χείρεσσι πεποιθότες ἠδὲ βίηφι Μίμνον ἐπερχόμενον μέγαν Ἄσιον, οὐδ' ἐφέβοντο. LIQUENTIA FLUMINA. Juxta Padum, & Athesim, Venetiae flumina, est etiam fluvius *Liquetius*, inter Altinum & Concordiam, quem nunc commemorat. Ergo *Liquetia*, proprium est nomen; non epitheton: ne incipiamus a generalitate, ad speciem reverti: quod vitiosum est, ut si dicas: Circa flumina nascuntur arbores: & sic inferas, circa Tyberim vel Anienem: sufficit enim dixisse, circa flumina, generaliter. Unde apparet, quia *Liquetia* legendum est, non liquentia.

PIERII.

672. IDAEO ALCANORE CRETI. Veteres aliquot codices, *nati*, habent, ex paraphrasi lectione inculcata contextui.

677. PRO TURRIBUS ASTANT. In veteribus nonnullis, *instant*, legitur; sed *adstant* melius.

679. LIQUENTIA FLUMINA CIRCUM. In Oblongo quidem codice, *liquetia*, legitur. Unde quidam arbitrati sunt de fluvio nobili, in Foro Julii, dictum. Romanus tamen codex cum plerisque aliis, *liquentia*, legunt. Saepe enim fit, ut posito genere species subjungatur. Hinc addit: *Sive Padi ripis, Athesim seu propter amoenum*.

680 Sive Padi ripis, Athesim ſeu propter amoenum,
Conſurgunt geminae quercus, intonſaque caelo
Attollunt capita, & ſublimi vertice nutant.
Inrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentis.
Continuo Quercens, & pulcher Aquicolus armis,
685 Et praeceps amimi Tmarus, & Mavortius Haemon,
Agminibus totis aut verſi terga dedere,
Aut ipſo portae poſuere in limine vitam.
Tum magis increſcunt animis diſcordibus irae,
Et jam collecti Troës glomerantur eodem,
690 Et conferre manum, & procurrere longius audent.
Ductori Turno, diverſa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuntius, hoſtem
Fervere caede nova, & portas praebere patentis.
Deſerit inceptum, atque inmani concitus ira
695 Dardaniam ruit ad portam, fratresque ſuperbos:
Et primum Antiphaten, is enim ſe primus agebat,

The-

SERVII.

680. SIVE PADI RIPIS, ATHESIM SEU PROPTER. *Padus*, Italiae fluvius, aliquas provincias dextra laevaque contingit, inter quas & Venetiae partem praeterfluit. ATHESIS, Venetiae fluvius eſt, Veronam civitatem ambiens, & in Padum cadens.

681. INTONSAQUE CAELO. Hoc ad ſupradictas criſtas refertur. GEMINAE QUERCUS. Non quia tantum duae naſcuntur; ſed ad iſtorum ſimilitudinem reſpexit; id eſt, quando ſimiles elevantur quercus.

684. PULCHER EQUICOLUS ARMIS. Ut *pulcher veſtibus*, ſic *pulcher armis*, hoc eſt, per arma: & quod erat armorum retulit ad perſonam: & melius figuratum, quam ſi dixiſſet, *pulchris armis*.

685. PRAECEPS ANIMI. Figurate genitivo junxit: nam dicimus, *praeceps iracundia*, *praeceps furore*. MAVORTIUS HAEMON. Non Martis filius; ſed bellicoſus.

686. AGMINIBUS TOTIS. Deeſt *ab*: & ſignificat, eos primo fugatos eſſe, mox occiſos: aut certe aliquos fugatos, aliquos interemptos. Quidam dubium putant, utrum, *ab agminibus totis terga dedere*, an *ab agminibus verſi*.

687. POSUERE IN LIMINE VITAM. Ut: *animasque in vulnere ponunt*.

688. ANIMIS DISCORDIBUS IRAE. Hoſtilibus, ſcilicet Trojanorum, qui a Rutulis diſcordabant.

692. NUNTIUS. Et qui nuntiat dicitur, & qui nunciatur; ſed modo hic qui nunciatur.

695. FRATRESQUE. Quos ſupra portam dixit tenere.

696. SE PRIMUS AGEBAT. Juxta veteres, *agebat*, pro veniebat, ut: *Ecce gubernator ſeſe Palinurus agebat*. Plautus in Moſtellaria: *Unde agis te?* Ut enim nos e contrario dicimus, *duco me*, ita illi, *agit ſe*, ἀπὸ τοῦ ἄγειν. *Se agebat*, hoc eſt, incedebat. Tractus autem ſermo eſt a ratione Phyſica: nam agitur corpus animi judicio: unde Terentius: *Quo te agis?*

PIERII.

684. CONTINUO QUERCENS. In antiquis aliquot codicibus *Querquens* habetur. ET PULCHER EQUICOLUS. In antiquis partim, *Equiculus*, partium, *Aquiculus*, legitur.

685. ET PRAECEPS ANIMI TMARUS. In anquis aliquot, *Tmaros*.

686. AUT VERSI TERGA DEDERE. In codicibus nonnullis, *averſi terga dederunt*; ſed enim *aut*, neceſſarium videtur, ut ſententia & ordo conſtent.

687. AUT IPSO PORTAE. Neque id placet, quod *ipſi* in nonnullis veteribus habetur exemplaribus.

688. TROES.

Thebana de matre nothum Sarpedonis alti,
Conjecto ſternit jaculo. Volat Itala cornus
Aëra per tenerum, ſtomachoque infixa ſub altum
700 Pectus abit: reddit ſpecus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone tepeſcit. (num:
Tum Meropem atq; Erymantha manu, tum ſternit Afid-
Tum Bitian ardentem oculis, animiſque frementem,
Non jaculo: neque enim jaculo vitam ille dediſſet:
705 Sed magnum ſtridens contorta phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam nec duo taurea terga,
Nec duplici ſquama lorica fidelis & auro
Suſ-

SERVII.

697. THEBANA DE MATRE. Parentheſis eſt. Sane Thebae, aliae Aegyptiae, aliae Boeotiae, aliae Phrygiae. SARPEDONIS ALTI. Id eſt, nobilis.

698. ITALA CORNUS. Telum de Itala cornu factum, & materiam pro opere poſuit.

699. STOMACHD INFIXA. Graecus ſermo eſt.

700. SPECUS VULNERIS. Poetica exaggeratio: *ſpecum* enim pro cavatione poſuit.

701. ET FIXO FERRUM IN PULMONE. Et ferrum fixum, & pulmonem fixum poſſumus accipere.

702. ERYMANTHA MANU. Id eſt, gladio cominus ferit: nam illi, de quibus ſuperius dixit, non manu occiſi ſunt, ſed miſſo jaculo. Ergo ad differentiam teli jacti, accipe *manu*, id eſt, gladio.

703. ARDENTEM OCULIS, ANIMISQUE FREMENTEM. Et geſtu corporis, & mente commotum.

704. NEQUE ENIM JACULO. Parentheſis. VITAM DEDISSET. Pro, reddidiſſet.

705. PHALARICA VENIT. De hoc telo legitur, quia eſt ingens, torno factum, habens ferrum cubitale, & rotunditatem de plumbo in modum ſphaerae. In ipſa ſummitate dicitur etiam ignem habere adfixum, ſtuppa circumdatum, & pice oblitum: incenſumque aut vulnere hoſtem, aut igne conſumit. Hoc autem telo pugnatur de turribus, quas *phalas* dici manifeſtum eſt: unde & in Circo *Falae* dicuntur diviſiones inter euripum & metas, quod ibi conſtructis ad tempus turribus, his telis pugna edi ſolebat. Juvenalis: *Conſulit ante phalas, delphinorumque columnas*. Ergo a *phalis* dicta *eſt phalarica*, a muro ſicut muralis. Sane *phalaricam* Lucanus dixit nervis mitti tortilibus e quadam machina, ut: *Hunc aut tortilibus vibrata phalarica nervis Obruat*. Virgilius vero ait, Turnum manu jaculari potuiſſe: unde apparet, aut a Lucano ad auxeſin illius, qui occidendus fuerat, eſſe dictum: aut a Virgilio ad laudem Turni, qui talem haſtam manu jaculatus eſt.

706. FULMINIS ACTA MDDD. Amat tela cum impetu venientia fulminibus comparare. TAUREA TERGA. Uſurpavit pro, *taurina*. Alibi, *taurinis follibus*: unde, ſicut & Plinius dicit: *Derivationes firmas non habent regulas, ſed exeunt prout auctoribus placet*. Bene autem per tranſitum ejus arma deſcripſit.

707. DUPLICI SQUAMA ET AURO. Id eſt, duplicibus ſquamis aureis. *Squamae* autem, ſunt loricarum catenae in modum ſquamae compoſitae. Sane *ſquama*, & ſplendorem ſignificat, ſi a piſcibus veniat; & ſordes, ſi ab ſqualore; ſed in Virgilio ubique ſplendorem ſignificat.

PIERII.

688. TRDES GLOMERANTUR EODEM. In Romano codice legere eſt, *in unum*: ſed melius, *eodem*, hoc eſt, ad eandem portam, quam Pandarus & Bitias recluſerant. Fuit vero, *in unum*, paraphraſis.

699. AERA PER TFNUEM. In pleriſque codicibus, *tenerum*; ſed & *tenuem*: & *aeri*, & *aurae*, ſaepe additum invenias.

700. REDDIT SPECUS ATRI VULNERIS UNDAM. Quamvis in pleriſque codicibus, *vulneris*, legatur: & Servius *ſpecus vulneris* agnoſcat exaggeratione poetica; ſunt tamen alii codices antiqui, in quibus *ſanguinis undam*, legas.

702. TUM STERNIT APHIDNUM. In codice Romano, *Achidnum*. in Oblongo: *Afidnum*, per F Latinum; in allis, *Afidum*; in aliis, *Aphipnum*; denique tot varietates, quot pene codices.

Sustinuit: conlabsa ruunt inmania membra.
Dat tellus gemitum, & clipeum super intonat ingens.
710 Qualis in Euboico Bajarum litore quondam
Saxea pila cadit; magnis quam molibus ante
Constructam ponto jaciunt: sic illa ruinam
Prona trahit, penitusque vadis inlisa recumbit.
Miscent se maria, & nigrae attolluntur arenae.
715 Tum sonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile

In-

SERVII.

709. ET CLYPEUM SUPER INTONAT INGENS. Aut *ipse ingens* super clypeum iotonat: aut *ingens clypeum* super ipsum tonat: nam lectum est etiam *hoc clypeum*, ut probat Caper: quod magis debemus accipere: nam Homerum imitatus est, qui ait: ἀμφὶ δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

710. EUBOICO BAJARUM LITTORE. Bene *Bajarum* addidit, ne Euboeam iosulam intelligeremus, unde Chalcidenses venerunt, qui condiderunt Cumas, quae sunt Baiis vicinae. Postumius de Adventu Aeneae, & Lutatius Commuoium historiarum, *Bojam* Euximi comitis Aeoeae nutricem, & ab ejus nomine *Bojas* vocatas dicunt. Veteres tamen portum *Bajas* dixisse, Varro, & a *Bajo* Ulyxis comite, qui illic sepultus est, *Bajas* dictas tradit. QUONDAM. Hic *quondam*, pro expletiva posuit. Alii *quondam*, medii temporis volunt: quidam *quondam*, ad perpetuitatem temporis referunt, hoc est, ut solet fieri.

712. PONTO JACIUNT. Hoc est, contra Pontum. SIC ILLA. *Sic*, protrahendum: nam cum dixisset, *qualis*, addidit, *sic illa*.

713. PRONA TRAHIT. Ita enim exaedificatur.

715. PROCHYTA ALTA TREMIT. Atqui haec insula plana est; sed epithetoo de praeterito traxit: nam, ut dicit Plinius in Naturali historia, Inarimes insula fuit alta, quae terrae motu diffusa aliam insulam fecit, quae Prochyta, ab effusione, dicta est: *fundere* enim est προχύειν. *Prochyta* ergo *alta*, quondam scilicet. Hanc Naevius in primo belli Punici de cognata Aeneae nomen accepisse dicit; sed *Inarime* nunc *Enaria* dicitur: & saepe fulgoribus petitur, ob hoc, quod Typhoeum premat, & quia in eam ad contumeliam simiae missae sunt, quas Graiorum lingua ἀρίμους, id est, *Enarias* dicunt: ob quam causam *Pithecusam* etiam vocitant; licet diversi auctores varie dicant: oam alii hanc insulam Typhoeum; alii Enceladum tradunt premere. Et putatur nove dictum, *Inarimem*, quod & singulari numero, & addita syllaba dixerit, cum Homerus εἰν Ἀρίμοις posuerit, ut prior syllaba praepositionis locum obtineat. Livius, in libro nonagesimo quarto, *Inarimem* in Maeoniae partibus esse dicit, ubi quinquaginta millia terrae igni exustae sunt. Hoc etiam Homerum significasse vult. *Prochyta* ergo *alta*, quondam scilicet. DURUMQUE CUBILE. Hoc est, mortiferum, ad poenam statutum.

PIERII.

709. ET CLYPEUM SUPER INTONAT INGENS. Dubitare videtur Servius, an *clypeum ingens* dicendum sit genere neutro, ut cum Homerica sententia congruat, ἀμφὶ δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ. Quod alibi Virgilius expressit: *Sonitum super arma dedere*; sed enim Livius libro quarto de bello Macedonico, *Clypea argentea decem ait*: quod tamen de imaginibus intelligi eo loco nonnulli volunt. Asserit ad haec Nonius Marcellus, *Clypeum*, utroque genere pro scuto Virgilium posuisse, ut eo loco: *Ardentes clypeos*. Et hic: *Clypeum super intonat ingens*. *Clypeum* enim *ingens*, indubitato legit Nonius: quo genere & Licioius usus est. Diximus vero, clarissimos olim viros tam in genere, quam in scriptione differentiam posuisse: aliterque *clypeum*: aliter *clipeum*; aliter *clupeum* significare: cujus rei cura sit penes eos, qui nunc etiam & hoc & hujusmodi alia diligentissime perquisivere: quorum doctissimos libros spero brevi in lucem prodituros.

710. QUALIS IN EUBOICO. In Romano, *talis*; sed id ex paraphrasi.

712. CONSTRUCTAM JACIUNT PONTO. Antiqui omnes codices hoc numero legunt: *Constructam ponto jaciunt*; sed magis placet interjectus dactylus.

713. PENITUSQUE VADIS ILLISA RECUMBIT. In antiquis aliquot codicibus legitur, *undis inlisa*; sed, *vadis*, magis placet. Alludit autem Poeta ad portus Lucrini reparationem ab Augusto factam, quum aedificatus a Julio Caesare corruisset.

Inarime Jovis imperiis inpoſta Typhoëo.
Hic Mars armipotens animum vireſque Latinis
Addidit, & ſtimulos acris ſub pectore vertit:
Inmiſitque fugam Teucris, atrumque timorem.
720 Undique conveniunt; quoniam data copia pugnae,
Bellatorque animos Deus incidit.
Pandarus, ut fuſo germanum corpore cernit,
Et quo ſit Fortuna loco, qui caſus agat res,
Portam vi multa converſo cardine torquet
725 Obnixus latis humeris, multoſque ſuorum
Moenibus excluſos duro in certamine linquit:
Aſt alios ſecum includit recipitque ruentis.
Demens! qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit inrumpentem, ultroque incluſerit urbi:
730 Inmanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis offulſit, & arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtae
Sanguineae, clipeoque micantia fulmina mittunt.
Adgnoſcunt faciem inviſam atque inmania membra
735 Turbati ſubito Aeneadae. Tum Pandarus ingens

E-

SERVII.

718. STIMULOS ACRES. Saeviendi ſcilicet: nam ſunt & timoris, & libidinis ſtimuli. Notanda quoque prooeconomia, quae id agit, ut veriſimile ſit, Turnum victorem evaſiſſe de caſtris.

720. UNDIQUE CONVENIUNT. Non dicit qui conveniant, ſed illi ſine dubio, quibus Mars injecit audaciam, inventa opportunitate irrumpere caſtra Trojana. QUONIAM. Poſtquam.

725. OBNIXUS. Conniſus, conabundus.

726. DURO IN CERTAMINE LINQUIT. Sine ſpe evadendi.

727. AST ALIOS SECUM INCLUDIT. Pro hoſtibus, quoniam multos ſuos excluſiſſet. Statius: *Par operi jactura lucro: namque hoſte recepto Excluſero ſuos*. Poteſt tamen & dubium eſſe, *includit*, utrum hoſtes, an ſuos? ULTRO. Inſuper.

728. DEMENS. Hoc ex affectione ſua poſuit Poeta. Alibi: *Sed tum forte, cava dum perſonat aequora concha Demens, & cantu vocat in certamina divos*. RUTULUM. Poteſt accuſativus eſſe, poteſt & genitivus.

PIERII.

723. QUI CASUS AGAT RES. In Romano & in Mediceo, *quis*, ut Grammaticorom praeceptionibus fieret ſatis: nam *quis* cum s dici volunt Grammatici, auctore Soſipatro, cum in quaerendo, ut: *Quis te nate Dea*. In inferendo autem, *qui*, ſine s, ut: *Ille, vides, pura juvenis qui nititur haſta*. Eſt enim praepoſitivum, *quis*; ſubjunctivum, *qui*: quod tamen auctores non obſervarunt. Ut Attius: *Qui nam Tantalidarum internitioni modus ſit*. Et Virgilius: *Qui caſus agat res*. Haec Cariſius.

731. LUX OCULIS EFFULSIT. In Romano codice, *offulſit*, ut ſuperius.

733. CLIPEOQUE MICANTIA FULGURA MITTIT. In Romano, Mediceo, & in Porcio, *fulmina*: & verbum *mittit* numero variat.

Emicat, & mortis fraternae fervidus ira
Effatur: Non haec dotalis regia Amatae,
Nec muris cohibet patriis me dia Ardea Turnum.
Caſtra inimica vides: nulla hinc exire poteſtas.
740 Olli ſubridens ſedato pectore Turnus:
Incipe, ſi qua animo virtus, & conſere dextram:
Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. Ille rudem nobis & cortice crudo
Intorquet ſummis adnixus viribus haſtam.
745 Excepere aurae vulnus; (Saturnia Juno
Detorſit veniens) portaeque infigitur haſta.
At non hoc telum, mea quod vi dextera verſat,
Effugies: neque enim is teli nec vulneris auctor.
Sic ait, & ſublatum alte conſurgit in enſem,
750 Et mediam ferro gemina inter tempora frontem

Di-

SERVII.

737. DOTALIS REGIA AMATAE. Aut tibi data per dotem; aut quia ſperabatur. Et bene *Amatae*, quae illum ſola generum eſſe cupiebat, contra mariti judicium. Ergo eum mulieri probatum, non viro, dicit. Notandum ſane, quia id agit, ut oſtendat, ſe non per imprudentiam Turnum incluſiſſe; ſed illum per temeritatem ſibi minime profutura caſtra penetraſſe.

740. OLLI SUBRIDENS. Magnam confidentiam virtutis oſtendit.

742. PRIAMO NARRABIS ACHILLEM. Propter illud Sibyllae: *Alius Latio jam partus Achilles*. Et dictum eſt, ut illud: *Degeneremque Neoptolemum narrare memento*.

743. RUDEM NODIS. Non laevem, nec pulchram, ſed fortem. CORTICE CRUDO. Viridi: nam haſtae igni plerumque torrentur.

745. VULNUS SATURNIA JUNO DETORSIT VENIENS. *Vulnus veniens*, id eſt, ictum, quo vulnerari debuit. Plerique, ſed non idonei commentatores dicunt, hoc loco occiſum Turnum; ſed cauſſa oeconomiae gloriam a Poeta Aeneae eſſe ſervatam; quod falſum eſt: nam ſi veritatem hiſtoriae requiras, primo praelio interemptus Latinus eſt in arce: inde, ubi Turnus Aeneam vidit ſuperiorem, Mezentii imploravit auxilium: Secundo praelio Turnus occiſus eſt; & nihilominus Aeneas poſtea non comparuit: Tertio praelio Mezentium occidit Aſcanius. Hoc Livius dicit, & Cato in Originibus.

747. TELUM. Hoc loco *telum*, gladium dixit, a longitudine: unde & *muſtela* dicitur, quaſi mus longus. *Telum* autem poſuiſſe pro gladio, illud ſignificat, quod infert paullo poſt: *Conſurgit in enſem*. VERSAT. Librat, jactat: & eſt Ennianum: *Verſat mucronem*.

748. IS TELI. Talis, par, ſimilis.

749. ALTE CONSURGIT IN ENSEM. Genus feriendi Gallicanum. Salluſtius: *Regreſſi ad faciliores ictus loco cedebant*.

PIERII.

741. SIQUA ANIMO VIRTUS. In Romano, *animi*; ſed magis placet, *animo*.

745. AT NON HOC TELUM. Miratur Servius, *telum*, pro gladio poſitum; ſed enim & apud oratores invenitur. In Rhet. ad Heren. lib. primo: *Ajax in ſilva poſtquam reſcivit quae feciſſet per inſaniam, gladio incubuit. Ulyſſes intervenit, occiſum conſpicatur, corpore telum cruentum educit*. Eſt in Mediceo, *librat*, pro, *verſat*, ſcriptum.

746. NEQUE ENIM IS TELI NEC VULNERIS AUCTOR. In Romano codice, in Porcio, & aliquot aliis ſcriptum, *neque enim es*; ut ſit, ideo non effugies: quia tu non *es* auctor, teli neque vulneris: tua enim evitari poſſunt, mea autem minime.

750. GE-

Dividit, inpubesque inmani volnere malas.
Fit sonus: ingenti concussa est pondere tellus.
Conlabsos artus atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus aequis
755 Huc caput atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu sociosque inmittere portis,
Ultimus ille dies bello gentique fuisset.
760 Sed furor ardentem caedisque insana cupido
Egit in adversos.
Principio Phalerim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc raptas fugientibus ingerit hastas
In tergus. Juno vires animumque ministrat.
765 Addit Halym comitem, & confixa Phegea parma;

Igna-

SERVII.

751. IMPUBESQUE. Pathos ex aetate movit.
755. HUC CAPUT. *Huc* pependit, figurate.
759. BELLO GENTIQUE FUISSET. Dun dicit: & bellum finiri potuisset, omnibus interemptis; & gens penitns fuisset exstincta, occiso Ascanio, a quo Romani ducunt nriginem. Iden *bello gentique* dixit: quia plerumque bellnm finitur, gente superstite; ut in belln Trojann cnntigit.

760. CAEDISQUE INSANA CUPIDO. Oeconomia est, quae excusat Turnum, cur non, a porta fugatis Trojanis, penitus deleta sint castra.

762. PRINCIPIO. Intra castra, post Trojanorum fugam. SUCCISO POPLITE GYGEN EXCIPIT. Ordn est: Excipit & succidit poplitem, nt: *Postibus haesit adesis*: &: *Scuta latentia condunt*. Nam ante fuit, ut eum circumveniret insidiis. *Poples* autem, *po*, correpta est; sicut in Sereno legitur; sed producitur positinne.

763. HINC. Nec loci est, nec temporis; sed ordinis, id est, deinde. RAPTAS autem, de hostilibus cadaveribus; nam quod dicit Donatus, *ab armigero*, non procedit; nec enim lectum est, cum solus inclusus fuerat Turnus, ut post ait: *Unus homo, quamvis possit*, sicut in *Suggere tela mihi*: & pauln post: *Tum magnam corripit hastam, Et jacit*.

764. JUNO VIRES ANIMUMQUE MINISTRAT. Oeconomia, ut, quod dicit, possit esse verisimile; ne sit incongruum, unum tot occidisse, Junonis dat auxilium. Horatius in Arte poetica: *Nec Deus intersit, nisi dignus vindice nodus Inciderit*.

PIERII.

750. GEMINA INTER TEMPORA. Codices nonnulli veteres legunt, *media inter tempora*: figurata elocutione; mediam frontem, inter media tempora.

754. ATQUE ILLI IN PARTIBUS AEQUIS. Antiqui codices omnes, quotqunt vidi, legunt absque *in*: *Atque illi partibus aequis*.

760. CAEDISQUE INSANA CUPIDO. In veteribus aliquot exemplaribus, *insanda*.

764. IN TERGUM. Romanus codex, *tergus* habet. Quam lectionem hoc citatn versu Flavius Snsipater agnnscit adversus eos, qui pro dorso *tergum*, *tergi* fecere; *tergus* vero, *tergeris*, pro pelle contendebat; nam & *terga boum* dictum a Virgilio reperit; quum *tergum* tantum hominis esse contenderent. Exemplis vero Virgilianis impunitas etiam illi datur, qui putant *tergum* hominis, *tergus* vero pecoris nominari: nam & *Tergora deripiunt costis*: & alibi: *Venit in tergum adversi Sulmonis*, legitur.

765. ET CONFIXUM PHEGEA PARMA. Veteres nmnes codices, *confixa*, legunt, *parma*; sed *confixum*, figuratius est.

Ignaros deinde in muris Martemque cientis
Alcandrumq; Haliumque Noëmonaque Prytanimque,
Lyncea tendentem contra, ſociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere dexter
770 Occupat: huic uno dejectum comminus ictu
Cum galea longe jacuit caput. Inde ferarum
Vaſtatorem Amycum, quo non felicior alter
Unguere tela manu, ferrumque armare veneno:
Et Clytium Aeoliden, & amicum Crethea Muſis;
775 Crethea Muſarum comitem, cui carmina ſemper
Et citharae cordi, numerosque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virum, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita caede ſuorum,
Conveniunt Teucri, Mneſtheus acerque Sereſtus;
780 Palantisque vident ſocios, hoſtemque receptum.
Et Mneſtheus: Quo deinde fugam, quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quae jam ultra moenia habetis?
Unus homo, & veſtris, o cives, undique ſeptus

Ag-

SERVII.

766. MARTEMQUE CIENTES. Pugnam agitantes.

767. ALCANDRUMQUE, HALIUMQUE, NOEMONAQUE PRYTANIMQUE. Homeri verſus, tantum conjunctione mutata. Ἄλκανδρόν θ᾽ Ἅλιόν τε Νοήμονά τε Πρύτανίν τε. Unde apparet, non ad hiſtoriam; ſed ad ornatum poematis haec nomina pertinere.

768. TENDENTEM CONTRA. In ſe facientem impetum.

771. CUM GALEA LONGE JACUIT CAPUT. Ad exprimendam celeritatem praeterito uſus eſt tempore. Potuiſſe autem caput cum galea longe jaci, praemiſſa loci altitudo ſignificat. Ergo eum cominus percuſſum intelligamus; ſed tantam vim ictus fuiſſe, ut longe caput excuteret.

772. FELICIOR. Peritior; nam in ungendis telis non eſt felicitas, ſed peritia. Sane nec *ungo*, nec *ungentum*, *u* recipit, excepto uno nomine, ut *unguen*; unde eſt: *Et pingues unguine ceras*. Eſt autem mira brevitate inducta deſcriptio.

773. FERRUMQUE ARMARE VENENO. Specioſe dictum, *armabat ferrum*, quo nos armari conſuevimus; ut ex venenato ferro vehementius & pernicioſius vulnus ſit.

774. AMICUM CRETHEA MUSIS. Poetam lyricum: & tale eſt ſchema per repetitionem, ut: *Sequitur, pulcherrimus Aſtur, Aſtur equo fidens*.

775. MUSARUM COMITEM. Non re vera *comitem*, ſed carminum ſtudioſum.

776. NUMEROSQUE INTENDERE NERVIS. Rhythmos facere intentione nervorum: nam *numeri*, ſunt rhythmi, ut: *Numeros memini, ſi verba tenerem*. Hoc ergo dicit: Secundum chordas verba componebat.

778. AUDITA CAEDE SUORUM. Servat τὸ πρέπον, ne praeſentibus ducibus Turnus tot ſtrages feciſſe videatur.

781. QUO DEINDE FUGAM? Aut vacat *deinde*, ut *tandem*, *gentium*, *locorum*: aut intelligimus mente eum tractaſſe, quod de campis milites ſolent ad caſtra confugere; & ſic dixiſſe: *Quo deinde?* ſcilicet, de caſtris quo fugietis ulterius? & hoc eſt melius; unde & ſequitur: *Quos alios muros*. Et ſic eſt dictum poſt cogitationem, *quo deinde?* Sicut Terentius dixit: *Quid igitur faciam?* Eſt ea autem amara accuſatio.

783. UNUS HOMO. Ac ſi diceret, mortalis. Et

bona

Aggeribus, tantas ſtrages impune per urbem
785 Ediderit? juvenum primos tot miſerit Orco?
Non infelicis patriae veterumque deorum,
Et magni Aeneae ſegnes miſeretque pudetque?
Talibus accenſi firmantur, & agmine denſo
Conſiſtunt. Turnus paullatim excedere pugna,
790 Et fluvium petere, ac partem, quae cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum: ceu ſaevum turba leonem
Cum telis premit infenſis: at territus ille,
Aſper, acerba tuens, retro redit: & neque terga
795 Ira dare aut virtus patitur: nec tendere contra
Ille, quidem hoc cupiens, potis eſt per tela viroſque.
Haud aliter retro dubius veſtigia Turnus
Inproperata refert, & mens exaeſtuat ira.
Quin etiam bis tum medios invaſerat hoſtes:
800 Bis confuſa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus e caſtris propere coit omnis in unum:
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere, aëriam caelo nam Juppiter Irim
Demiſit, germanae haud mollia juſſa ferentem;

Ni

SERVII.

bona extenuatio eſt, cum ſupra dixerit: *Rutulum in medio non agmine regem.*

786. INFOELICIS PATRIAE. Trojae, in qua nunc ſunt. VETERUMQUE DEORUM. Penates ſignificat, quos ſemper coluere Trojani.

787. MISERETQUE, PUDETQUE. Sic Pallas: *Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.*

791. ACRIUS HOC TEUCRI. Cum eum decedentem viderent.

792. CEU SAEVUM TURBA LEONEM. Senſus hic eſt: Haud aliter Turnus retrocedens petebat fluvium, ac ſolet leo, preſſus multitudine, nec terga praebere, propter iram & pudorem; nec poſſe, licet cupiat, in venantes impetum facere. Comparatio Homeri eſt.

796. ILLE QUIDEM. Parentheſis. POTIS EST. Ille enim *Tendere contra potis eſt per tela viroſque.*

799. INVASERAT HOSTES. Aut ſpeciem praeteriti temporis mutavit, aut tempora: nam cum dixiſſet, *invaſerat*, ſubjunxit, *vertit*.

802. NEC CONTRA VIRES AUDET SATURNIA JUNO. Atqui favente numine debuit etiam contra multitudinem poſſe; ſed hoc Jupiter vetuit.

804. HAUD MOLLIA JUSSA FERENTEM. Melius quam Homerus, hunc locum exſequutus eſt: ſalvo enim ſenſu vitavit & fabuloſa & vilia: nam ille ipſas minas exſequitur. SUFFICERE. Subminiſtrare.

PIERII.

789. TURNUS PAULATIM EXCEDERE PUGNA. In Romano codice, *pugnae*, legitur; ſed *pugna*, medius judicant eruditi viri.

790. ET PARTEM QUAE CINGITUR AMNI. In Romano codice, & aliquot aliis, *unda*, pro *amni* habetur.

 804. De-

805 Ni Turnus cedat Teucrorum moenibus altis.
Ergo nec clipeo juvenis ſubſiſtere tantum,
Nec dextra valet: injectis ſic undique telis
Obruitur. Strepit aſſiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & ſaxis ſolida aera fatiſcunt;
810 Diſcuſſaeque jubae capiti: nec ſufficit umbo
Ictibus: ingeminant haſtis & Troës & ipſe
Fulmineus Mneſtheus. Tum toto corpore ſudor
Liquitur, & piceum (nec reſpirare poteſtas)
Flumen agit: feſſos quatit acer anhelitus artus.
815 Tum demum praeceps ſaltu ſeſe omnibus armis
In fluvium dedit. Ille ſuo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et laetum ſociis abluta caede remiſit.

SERVII.

806. ERGO. Quia numinis eſt deſertus auxilio.

807. NEC DEXTRA VALET. Cum dixiſſet *clypeo*, non ſubjunxit gladium, ſed *dextram*; ut oſtenderet, eum, nec ſe armis tegendo, nec hoſtem telis petendo, valuiſſe.

808. TELIS OBRUITUR, Lucanus eundem ſenſum per declamationem dicit: *Telorum nimbo peritura & pondere ferri*. TEMPORA CIRCUM. Totus locus Homeri eſt.

810. JUBAE CAPITI. Pro, quae in capite ſunt. UMBO, id eſt, ſcutum: nam totum a parte ſignificat: *umbo* enim, media clypei pars eminens eſt.

813. ET PICEUM (NEC RESPIRARE POTESTAS) FLUMEN AGIT. Ordo eſt: *Sudor piceum flumen agit*: hoc eſt; ſordidum: quia ſine reſpiratione pugnabat.

814. FESSOS QUATIT AEGER ANHELITUS. Probus ait: *Commodius hic eſt aeger, quam in quinto: Vaſtos quatit aeger anhelitus artus:* quamvis conſuetudo ſit Virgilio iſta mutandi. Quidam, *acer*, legunt: & volunt in quinto, *aeger*, aptius dictum de ſene; hic de juvene, *acer*, melius convenire.

815. TUM DEMUM. Poſtquam ſe aliter evadere non poſſe vidit. OMNIBUS ARMIS. *Cum*, minus eſt.

816. ILLE SUO CUM GURGITE FLAVO. Hyſterologia eſt, cum ille eum excepit: non enim procedit, *cum ſuo gurgite*: quaſi poſſet fieri, ut eum Tyberis ſine ſuis fluentis exciperet. Fluvium autem pro Deo poſuit; unde ſubdit, *ille*, ſcilicet Deus, ſuo gurgite eum accepit; aliter ſuperfluum eſt: *Et fluvius gurgite accepit*. Sane quaerunt multi, cum Tyberis Aeneae faveat, cur liberaverit Turnum; ſed ſolvitur iſta ratione: Ob hoc Turnum dicit eſſe liberatum, ut major Aeneae gloria ſervaretur. Alii tradunt de Tybri, qui Aeneae favet, nunc Turnum in Junonis gratiam eſſe ſervatum.

PIERII.

804. DEMISIT GERMANAE HAUD MOLLIA JUSSA FERENTEM. In codicibus aliquot antiquis legere eſt: *Miſit germanae haud*, abſque ulla Synalepha, quod nequaquam placet.

817. ACCEPIT VENIENTEM. In antiquis pleriſque codicibus, *fugientem*, repoſitum ab iis, qui fugae dedecus noluerint Turno illatum: ſed enim fuga & fugere, non ſemper in opprobrium, ſed pro celeri curſu ſaepiſſime ponitur. Sumpta vero haec figura nimirum ex hiſtoria Coclitis, qui, reſciſſo a tergo ponte ſublicio, cum armis ſe in fluvium dedit, incolumisque ad ſuos enatavit.



Ant. Visentini f.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER DECIMUS.

PANDITUR interea domus omnipotentis Olympi,

Con-

SERVII.

Vs. 1. PANDITUR INTEREA DOMUS OMNIPOTENTIS OLYMPI. Hoc dicit, factus est dies, secundum poeticum morem: quia poetae dicunt matutino tempore aperiri caelum, noctu vero claudi: unde est illud alibi: *Ante diem clauso componet vesper Olympo*. Nam & paulo post descripturus est noctem, ut: *Jamque dies caelo concesserat*: unde intelligamus, alium diem esse consumptum: & nunc eum more solito noctis praetermisisse descriptionem. Quanquam *panditur caelum*, etiam simpliciter possumus accipere, quovis tempore; scilicet ad numina convocanda: quod & melius est, quia ait *interea*, id est, dum haec geruntur: nam *interea* particula praeterita negotia conjungit futuris. OLYMPI. Caeli, quasi ὅλος λαμπρὸς, ideo, quia totum lucet.

PIERII.

Vs. 1. PANDITUR INTEREA DOMUS OMNIPOTENTIS OLYMPI. Quia sunt, qui parum probant epitethon *omnipotentis* olympo applicatum, quod Jovis est peculiare, hi, *omnipatentis*, quod omnibus, vel ab omni parte pateat, legendum existimarunt.

Conciliumque vocat Divum pater atque hominum rex
Sideream in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum aspectat, populosque Latinos.
5 Considunt tectis bipatentibus. Incipit ipse:
Caelicolae magni, quia nam sententia vobis
Versa retro, tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris.

Quae

SERVII.

2. DIVUM PATER. Pro, divorum, sicut *Argivum, Danaum, Teucrum*. Videtur accusativi singularis specie pro genitivo plurali usus.

3. SYDEREAM IN SEDEM. In astriferum circulum: non enim omnes circuli astriferi sunt; sed solus superior: aut *sydeream*, lucidam dixit. UNDE ARDUUS OMNES. Ut alibi: *Et jam finis erat, cum Juppiter aethere summo Despiciens mare velivolum*.

4. CASTRAQUE DARDANIDUM ASPECTAT, POPULOSQUE LATINOS. Post generalitatem intulit speciem: consequens est enim, ut omnes terras videns, cernat etiam castra Trojana. Nonnulli sane *Dardanidum*, pro, Dardanidarum adserunt, ut sit genitivus generis masculini specie foeminina.

5. BIPATENTIBUS. Physice dixit: nam caelum patet ab ortu & occasu. Est autem sermo Ennianus, tractus ab ostiis, quae ex utraque parte aperiuntur: unde & modo, *bipatentibus*, apertis intelligimus; quod intrantibus & exeuntibus pateant.

6. CAELICOLAE MAGNI. Orationis istius intentio hoc agit, ut ab odiis Trojanorum Juno revocetur. QUIANAM. Cur, quare: sermo Ennianus: *Quianam legiones caedimus ferro*.

7. VERSA RETRO? Mutata, ut: *Quae te genitor sententia vertit?* Quidam *versa retro* intelligunt, quod rursus ad discordias videntur rediisse: alii *versa retro*, pro inversum acta; quasi quae prius rectum iter pergebat derivata. CERTATIS. Aut contra vos; aut contra sententiam meam.

8. ABNUERAM BELLO ITALIAM CONCURRERE TEUCRIS. Id est, prohibueram Italiam contra Trojanos bella suscipere. Quomodo *abnueram?* cum ipse in primo dixerit: *Bellum ingens geret Italia;* Quod ita solvitur: aut quia cum uno deo vel dea aliter loquitur: unde est in primo: *Hic tibi fabor enim, quando haec te c. r.* aliter vero, cum omnibus diis, utilitatis caussa, propter removendam eorum contentionem & dissensionem. Sed secundum sapientes quosdam, alia est necessitas fati; alia voluntas deorum; vis nulla est: quod ipse manifestius in quinto ostendit his versibus: *Vel quae portenderet ira Magna deum, vel quae fatorum posceret ordo*. Nam in primo Aeneid. de ira Junonis ait: *Acti fatis maria omnia circum*. Et iterum in primo *fatorum arcana* se dixit narraturum, non suam voluntatem ostensurum; sed ibi secreto filiae dicit, ut: *Hic tibi (fabor enim quando haec te cura remordet.)* Hic aliter; idem invidiose diis omnibus praesentibus videtur loqui, propter removendam eorum dissensionem: aut certe quia ait in primo: *Ternaque transierint Rutulis hiberna subactis*. Illic enim dixit, Aeneam in Italia contra Rutulos tantum esse pugnaturum; nunc autem omnis est Italia in bella commota Junonis instinctu, quod & Alecto promisit, ut: *Finitimas in bella feram rumoribus urbes*. Et Juno pollicita est, se magis esse facturam, ut: *Ego, si qua super fortuna laborum est, Ipsa regam*. *Abnueram* autem, prohibueram; ut contra, *annuit*, promittit & consentit significat.

PIERII.

Neque desunt, qui *omniparentis Olympi*, legendum autument: eamque lectionem etiam Jovianus Pontanus, vir litteratissimus, videtur agnovisse. Alii non *olympi*, sed *olympia*, quippe *domus*, in antiquis exemplaribus contendunt inveniri. Nos tam nova, quam vetera illa Vaticanae bibliothecae exemplaria perscrutati, atque alia, atque alia undecumque nacti, scriptum passim animadvertimus, *omnipotentis*. Similiter in duodecimo; *Rex omnipotentis olympi*. Nam *Olympum* Cleantes Deorum omnium maximum judicavit. Ita *olympi*, non *olympia*, passim scriptum est. Praeterea Quintilianus versum hunc quinque continuis constare dactylis ait, dubioprocul, sex dicturus, si *olympia* reperisset. Neque idem taciturus Priscianus; quum in duodecim carminibus versum hunc quinque dactylos habere dixit.

2. CONCILIUMQUE VOCAT DIVOM PATER. Sunt codices antiqui, ubi *consilium* scriptum inveniatur. Malunt tamen Grammatici pro congregatione concionis, aut senatus, *concilium* per c scribi.

6. QUIANAM SENTENTIA VOBIS VERSA RETRO. Superius in eo versu: *Heu quianam tanti cinxerunt*

runt

Quae contra vetitum discordia? quis metus aut hos
10 Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnae (ne arcessite) tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum atque Alpes inmittet apertas:

Tum

SERVII.

9. QUAE CONTRA VETITUM DISCORDIA. Vetationem, prohibitionem meam. Et sic dixit *vetitum* ut aequum: unde est: *Et servantissimus aequi*. Sane sub commonitione omnium Deorum, maxime solam tangit Junonem, cujus odia insequebantur hoc etiam bello Troianos: quod etiam sequentes Jovis allocutiones manifestius indicant.

10. FERRUMQUE LACESSERE. Pro, ferro se lacessere, ordo autem: Quis metus suasit aut hos arma sequi, ferrumque lacessere: non est enim, *hos suasit*, ne fiat σολοικισμός. Quamvis inveniatur hujusmodi figura, ut: *Juturnam misero, fateor, succurrere fratri Suasi*. Et Ennianus: *Quis te persuasit?*

11. NE ARCESSITE, TEMPUS. Nolite bellorum tempora praeoccupare. Et bene satisfacit uxori cum prohibitione. Significat autem bellum Punicum secundum, quo Annibal ingressus Italiam cum plurimis locis vicerit, praecipue apud Cannas, vicum Apuliae, omnem populi Romani delevit exercitum.

12. OLIM. Quandoque.

13. ALPES IMMITTET APERTAS. Emphasis est: non enim dixit, per *Alpes immittet exercitum*; sed ipsas *Alpes*: quas patefecit, non sibi tantum, sed omnibus gentibus, quae secundum Catonem & Livium muri vice tuebantur Italiam: quas Annibal, post bella Hispaniae, quae decem & septem annis confecit, ante exustas aceto infuso rupit, ut Juvenalis: *Et montem rupit aceto*. Denique loca ipsa, quae rupit, Poeninae Alpes vocantur. Quamvis legitur a Poenina dea, quae ibi colitur, *Alpes* ipsas vocari. Sane omnes altitudines montium licet a Gallis *Alpes* vocentur, proprie tamen montium Gallicorum sunt; quas quinque viis Varro dicit transiri posse: *Una, quae est juxta mare, per Liguras; altera, qua Hannibal transiit; tertia, qua Pompejus ad Hispaniense bellum profectus est; quarta, qua Hasdrubal de Gallia in Italiam venit; quinta, quae quondam a Graecis possessa est, quae exinde Alpes Graecae appellantur*.

PIERII.

runt aethera nimbi, Pontanum diximus in libro de poeticis numeris, *heu qui nam*, contendisse legendum. In vetustissimo tamen Vaticanae codice, & in plerisque aliis, *quianam*, legisse me professus sum, veluti etiam hoc loco habetur. Quem sermonem Ennianum esse asserit Servius. Et Valerius Probus, *quianam*, adverbium, constare ait tribracho. Eoque adverbio usum Virgilium adjungit: *Heu quianam tanti cinxerunt*; sed enim ne illa Pontanum in omni doctrinarum genere ea aetate facile principem somniasse putem, vetusti, neque quidem pauci numero, Mediceus, Porcius, Vitalianus, & plerique alii codices faciunt, in quibus, *quae nam sententia*, legitur: atque ita facile etiam, *qui nam nimbi*, reperiri credam; sed enim hoc aliorum sit judicium. Illud tamen ego dissimulare non possum, quod super hoc loco Pomp. Festus ex Verrii Flacci dictatis exscripsisse se professus est, *quianam*, pro quare, & cur, positum; & apud antiquos, ut Nevius in carmine Punici belli: *Summe Deorum regnator, quianam genus isti*. Et in satyra: *Quianam Saturnium populum pepulisti*. Ennius libro septimo: *Quianam dictis nostris sententia flexa est*. Atque hic Ennianus sermo, quem citat Servius.

11. ADVENIET JUSTUM PUGNAE, NE ACCERSITE TEMPUS. Impressi quidem omnes codices cum aliquot ex antiquis legunt, *accersite*; sed enim Romanus, & hic, & alibi, verbum hoc in hanc sententiam, *arcessite*, scribit: & ita in Mediceo, & in Porcio, & aliquot aliis antiquis exemplaribus notatum observavi: neque id in codicibus tantum Virgilianis, verum etiam apud Terentium eodem modo legi in antiquissimis codicibus manu scriptis, ubi in Andria vulgata habent exemplaria: *Ubi voles accerse*: vetera, quae diximus, legunt, *arcesse*: ita in Adelphis, pro, *Ut uxorem accersas abi*; in his, *arcessas*, habetur. Sane *accerso*, & *arcesso* Terentius Scaurus unum idemque verbum putat: quod D, quam ipse libenter in C mutat, eadem littera subsequente, in hujusmodi compositionibus nonnunquam etiam in R transire solent. Nonnulli differentiam esse voluerunt, ut *arcesso* ab eo verbo sit, quod est *arceo*; *accerso* vero ab eo, quod est *cio*. Utcumque vero scribatur, ad eandem pertinere significationem. Carisius vero eos errare scribit, qui *accerso*, ex eo, quod est *Arceo*, ductum putant; sicut *arcesso*: interesse enim ait, quod *arcessere*, est accusare; est *accersere* autem, vocare.

Tum certare odiis, tum res rapuisse licebit,
15 Nunc sinite; & placitum laeti componite foedus.
Juppiter haec paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O Pater, o hominum Divumque aeterna potestas;
(Namque aliud quid sit, quod jam inplorare queamus?)

Cer-

SERVII.

14. Res rapuisse licebit. Clarigationem exercere, hoc est, per Feciales bellum indicere: nam veteres *laedere*, *res rapere* dicebant; etiamsi rapinae nullum crimen existeret: similiter *satisfacere*, *res reddere* dicebant. Nam Ancus Marcius, cum videret populum Romanum, ardentem amore bellorum, & plerumque inferre gentibus bella, nulla justa exstante ratione; & exinde pericula creari, misit ad gentem Equicalanam, & accepit jura Fecialia, per quae bellum indicebatur hoc modo, sicut etiam de Albanis retulit Livius. Nam si quando homines aut animalia ab aliqua gente rapta essent populo Romano, cum Fecialibus, id est, sacerdotibus, qui faciendis praesunt foederibus, proficiscebatur etiam Pater patratus, & ante fines stans clara voce dicebat belli caussam: & nolentibus res raptas restituere, vel auctores injuriae tradere, jaciebat hastam, quae res erat pugnae principium; & sic jam licebat more belli res rapere. *Clarigatio* autem, aut a clara voce dicta est, qua utebatur Pater patratus: aut ἀπὸ τῶ κλήρε, hoc est, *forte*: nam per bellicam sortem agros hostium invadebant: unde & κληρονόμοι dicuntur Graece, qui jure sortiuntur bona defuncti.

15. Placitum. Aut mihi scilicet, aut fatis: aut quod velim vobis placere.

16. Juppiter haec paucis. Habet personarum acceptionem: ut superioribus personis det breviloquium; e contra inferiori potestati prolixam orationem, unde ait de Venere: At non Venus aurea contra Pauca refert. Quia Veneri causam necesse est reddere, ideo non pauca refert, aut quia mater dolens, aut quia inferior. Item Dido, quasi regina paucis locuta est, ut: *Tum breviter Dido*.

18. O Pater, o hominum. Et Titianus, & Calvus, qui Themata omnia de Virgilio elicuerunt, & conformaverunt ad dicendi usum, in exemplo Controversiarum has duas posuerunt adlocutiones, dicentes, Venerem agere statu absolutivo, cum dicit Junoni: Tu caussa fuisti periculorum his, quibus Italiam fata concesserant; Junonem vero niti statu relativo; per quem ostendit Trojanos non sua causa laborare, sed Veneris. O pater. Generaliter, *pater*, accipe; non tantum Veneris: nam supra ait: *Divum pater, atque hominum rex*. Et bene in principiis favorem alibi arte conciliat. Hominum divumque aeterna potestas. Hunc locum Probus quaerit: sed dixit unam rem secundum Physicos; alteram secundum Mathematicos: nam *divum potestas* est, quia ipse est aether, qui elementorum possidet principatum; *hominum* vero ideo, quia bona Jovis inradiatio honores hominibus tribuit. *Aeterna* autem *potestas*, adjecit propter aliorum numinum discretionem: nam legimus & Apollinem divinam deposuisse potestatem: & Herculem, vel Liberum patrem, non semper deos fuisse. Unde & Deae arborum cum arboribus vivunt, & cum arboribus dicuntur mori: quocirca & Ἀμαδρυάδες sunt appellatae. Sicut autem hominum, & rerum *potestas* est: an, quemadmodum pro rege vel magistratu *potestas* solet dicere.

19. Namque aliud quid sit. Ac si diceret: cum fere omnes dii in favorem Junonis concesserint. *Namque* enim conjunctio ostendit, eam hanc habuisse cogitationem; est autem parenthesis. Implorare. *Implorare*, est auxilium cum miseratione deposcere: qua ratione bene dicimus, *Implore te*, ut misero feras auxilium; contra, *imploro te ad diem festum*, non procedit.

PIERII.

15. Et placidum laeti componite foedus. Non eo inficias, *placidum*, per D in veteribus aliquot codicibus reperiri, prout in impressis, vulgatisque omnibus habetur. Romanus tamen codex, atque Mediceus, *placitum*, per T legit: quam lectionem agnoscere videtur Servius, quum exponit, *mihi scilicet*.

18. O pater, o hominum Divumque aeterna potestas. Romanus codex una cum Porcio, & aliis quibusdam, legunt: *rerumque aeterna potestas*. Probus Grammaticus, horum unum secundum Physicos, alterum secundum Mathematicos esse dicit. Circa res vero, Physica versatur investigatio.

20 Cernis ut insultent Rutuli; Turnusque feratur
Per medios insignis equis, tumidusque secundo
Marte ruat? Non clausa tegunt jam moenia Teucros.
Quin intra portas, atque ipsis proelia miscent
Aggeribus moerorum, & inundant sanguine fossae.
25 Aeneas ignarus abest. Numquamne levari
Obsidione sines? muris iterum inminet hostis
Nascentis Trojae: nec non exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Aetolis surgit ab Arpis
Tydides. Equidem (credo) mea volnera restant:

Et

SERVII.

20. CERNIS. Ad augendam invidiam ait *cernis*, ac si diceret, non est opus narratione, cum Trojanorum miserias ipse conspicias. INSULTENT RUTULI. Propter illud est: *Interea Rutuli portis circum omnibus instant*. *Insultare* autem, est inimicis irridere per cavillationem: unde & Graeci ἐπιχαιρεκακίαν vocant. *Exultare* vero, gloriari, & laetum esse.

21. PER MEDIOS. Suos scilicet. INSIGNIS EQUIS. Propter illud: *Viginti lectis equitum comitatus*: nam castra non eques inruperat: & ambiguum, utrum *equis insignis*, an *equis feratur*. SECUNDO MARTE. Ad illud respicit: *Hic Mars armipotens animet viresque Latinis Addidit*.

22. RUAT. Irruat. CLAUSA MOENIA. Ad quae in extremis solent adflicti confugere. Magna invidia est: Scimus enim ultimum esse praesidium, in castra confugere, & hostilem impetum plerumque differre; sicut factum est in bello Trojano. Modo ergo dicit, ademptam esse etiam hanc aram misericordiae: siquidem intra muros hostis insultat.

23. QUIN. Quinetiam. IPSIS. In ipsis, *aggeribus*, aut in munitionibus; sed abusive. In muris autem ideo, quia supra dixit: *Ignares deinde in muris, Martemque cientes*.

24. AGGERIBUS. *Agger*, proprie dicitur terra illa, quae vallo facto propius ponitur; sed abusive & muros & munimenta omnia *aggerem* dicimus: sicut modo, *aggeribus moerorum*, pro munimentis. MOERORUM. Antique ait pro murorum: nam veteres pleraque eorum, quae nos per *u* dicimus, per *oe* diphthongon pronuntiabant. Hinc est *moerorum*, pro murorum. Et contra *punio*, pro *poenio*, quod verbum a *poena* venit, quod Graecum est vocabulum, ποινὴ dictum. Hinc est: *Punica regna vides*: cum *Poenos* ubique legerimus: hoc autem facit Graeca orthographia: nam quam nos *u* habemus, illi diphthongon habent *ου*: & ideo putarunt, posse pro hac littera, licet non eadem, diphthongon poni. INUNDANT. Implent, & inundare faciunt.

25. AENEAS IGNARUS ABEST. Ne merito videatur pati: neque enim potest videri fecisse bellum, qui factum esse ignorat: aut hoc ipso miserabilis, quia ignarus excessus. LEVARI OBSIDIONE SINES? Liberari: & oblique per Jovem invidiam commovet Junoni.

27. NASCENTIS TROJAE. Invidiose: quia jam ruinis periclitatur, quae modo nascitur.

28. AETOLIS SURGIT AB ARPIS. Atqui non est venturus: unde accipiamus, Venerem non quasi deam loqui; sed quasi unam de Trojanis, ut in primo: *Unius ob iram Prodimur*. Item: *Caeli quibus adnuis arcem*. Ne futura ignorare videatur. *Aetolis* autem *Arpis* sic dixit, ut *Cumas Euboicas*: nam de *Aetolia* Diomedes venit, qui *Arpos* in Apulia collocavit.

29. MEA VULNERA RESTANT. Ut possim iterum vulnerari.

PIERII.

24. AGGERIBUS MOERORUM. Praeteribo, *adgeribus*, &, *atgeribus*, ut habetur in exemplaribus antiquis. Illud missum non faciam, multos, auctoritatem Servii secutos, *moererum*, per *oe* diphthongum scriptitasse: nam omnino esse quaedam nomina ait Probus, quae *u* litteram in *oe* litteras convertant; ut puta *murorum*, *moerorum*, & caetera talia. In Romano tamen codice, in Mediceo, in Porcio, & plerisque aliis manu scriptis, *murorum* per *u* notatum. Plura vero super hoc videris apud Servium. ET INUNDANT SANGUINE FOSSAE. Antiqui codices plerique legunt, *fossas*, ut, *Rutuli*, sit subjectum. Quam lectionem agnoscere videtur Servius, dum ait: INUNDANT, *implent*, *& inundare*

fa-

30 Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si ſine pace tua, atque invitò numine Troës
Italiam petiere; luant peccata: neque illos
Juveris auxilio. Sin tot reſponſa ſecuti,
Quae Superi Maneſque dabant; cur nunc tua quiſquam
35 Vertere juſſa poteſt? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exuſtas Erycino in litore claſſis?
Quid tempeſtatum regem, ventoſque furentis
Aeolia excitos? aut actam nubibus Irim?
Nunc etiam Manis (haec intentata manebat
40 Sors rerum) movet, & ſuperis inmiſſa repente

Ale-

SERVII.

30. DEMOROR. Expecto, ſuſtineo, id eſt, ut dea mortalium armis interſim, & ipſa depugnem: & ſic dixit *mortalia arma*, ut in duodecimo, *vulnus mortale*.

31. SINE PACE TUA. Sine tua benevolentia, ſine voluntate tua, ſine tua conceſſione, ut: *Orantes pacem, veniamque precantes*. Item: *Exorat pacem Divum*. Ergo *pace*, benevolentia, ſuffragio; ut ſolet dici, *pace illius dixerim*. Dicendo autem: Si ad Italiam ſine deorum voluntate venerunt, dent poenas; oſtendit fatum eſſe abſolutum. Et inſinuatione utitur, id ficta conditione concedendo, quod non eſſe verum, Venus conſcia eſt; ut deinde, quum diu rem indignam oſtenderit, & indignitatem auxerit, nihil ſimile a ſe fictum oſtendens, magis ac magis Jovis exoret favorem. INVITO NUMINE TROES. Syllepſis eſt per genus.

32. LUANT PECCATA. *Luant*, id eſt, ſolvant. Dicimus autem & *luo poenam*, ſed melius eſt, *luo peccatum*: nam peccatum ſolvitur poena. Qui enim crimine tenetur obnoxius, poena eum a priſtina liberat obligatione. Contra, *luo poenam*, ſi dixeris, non procedit, quaſi poena ſolvatur: auctoritas tamen licenter iſta confundit more, quo ſolet poni, vel a ſequenti quod praecedit, vel a praecedenti quod ſequitur.

33. NEQUE ILLOS JUVERIS AUXILIO. Conceſſivus eſt modus iſte ſecundum Probum: namque in Artibus non invenitur. Fit autem, quotiens taedio contentionis quaſi videmur concedere, quod tamen nolumus fieri: nam id agit Venus hoc loco, ut Jupiter magis praeſtet auxilium. RESPONSA SECUTI. Hoc eſt, ſi non ſolum prohibiti non ſunt, ſed eis etiam conceſſum eſt.

34. SUPERI. Ut Apollo. MANES. Ut Creuſa, vel Anchiſes, vel Hector. QUISQUAM. Verecunde: quia apud maritum contra uxorem agit.

35. NOVA CONDERE FATA. Quae adverſus quae ſtatuiſti.

36. EXUSTAS ERYCINO IN LITTORE CLASSES. Nunc per ἀντικατηγορίαν ad accuſationem alterius tranſit: argumentum eſt enim, utrum habeat voluntatem nocendi, quae nocuit. *Erycino* autem *in littore*, ſecundum opinionem ſuam dixit: nam alii apud Cajetam dicunt exuſta navigia: unde & Cajecta dicta eſt ἀπὸ τοῦ καίεσθαι. Quamvis quatuor naves exuſtae ſunt, haec tamen exaggerat.

37. QUID TEMPESTATUM REGEM. Ubique *repetam*, ſubaudiendum eſt.

38. ACTAM NUBIBUS IRIM. Impulſam, ſcilicet ut perſuaderet matribus incendium navium: aut ſecundum artem Rhetoricam, rem unam in duas diviſit, ut latius pateret rei acerbitas, interpoſito alio crimine: nam per Irim naves exuſtae ſunt. Sed melius eſt (ut non ſit iteratio) ad Turnum miſſam Irim intelligere. Nec nos moveat ordo converſus: ſolent enim graviora in principiis & in fine ſecundum artem Rhetoricam poni. NUBIBUS. Per nubes.

40. SORS RERUM. Id eſt, regnum: nam per ſortem inter ſe fratres, Juppiter, Neptunus, & Pluton, mundi regna diviſerunt: quae Juno, praeter Inferos, in Trojanorum perniciem moverat. SUPERIS IMMISSA. Ac ſi diceret, non jam Trojanis, ſed diis. Reſpexit autem ad illud: *Et coeli convexa per auras*.

PIERII.

faciunt: dicturus nimirum implentur, ſi *feſſae*, plurali nominativo legiſſet.

34. CUR NUNC TUA QUISQUAM VERTERE JUSSA

SA

Alecto, medias Italum bacchata per urbis.
Nil super imperio moveor: speravimus ista,
Dum Fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
45 Dura; per eversae, genitor, fumantia Trojae
Excidia obtestor: liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat superesse nepotem.
Aeneas sane ignotis jactetur in undis;
Et, quamcumque viam dederit Fortuna, sequatur.
50 Hunc tegere, & dirae valeam subducere pugnae.
Est Amathus, est celsa mihi Paphus, atque Cythera,
Ida-

SERVII.

41. BACCHATA PER URBES. Non vagata, sed *bacchata*, id est, persurit: & bene *bacchata*, quia, per simulationem sacrorum Liberi patris, matres egerat in furorem.

42. SUPER IMPERIO. Id est, de imperio, ut: *Multa super Priamo rogitans*: & quasi de salute sua se dicit laborare. Est autem verecunda petitio, & obliqua, per quam magna Jovi invidia commovetur, qui imperium Trojanis promiserat. SPERAVIMUS ISTA. Absolute dixit.

44. CONJUX DURA. Hic distinguendum, ne incipiant esse duo epitheta: *Dura fumantia excidia*: quod contra artem fit, nulla interposita conjunctione. *Dura* autem, debere distingui, ipse ex persona Junonis ostendit: *Quae dura potentia nostra egit?* Et mire *conjux*, quasi vitium mariti sit. NULLA autem REGIO, invidiose dixit, ut supra: *Cunctus ob Italiam terrarum clauditur orbis*: cum a sola arceantur Italia.

45. PER EVERSAE GENITOR FUMANTIA TROJAE. Cum dicimus: *Rogo te per deos*, hoc videmur dicere: Memineris religioni curae esse petionem meam: sicut in primo expressit: *At sperate deos memores fandi atque nefandi*. Cum autem dicimus: *Rogo te per miserias meas*, videmur dicere: Memineris ab eo te rogari, qui miserias pertulit: ut qui rogatur, ad misericordiam, miseriarum commemoratione flectatur: sicut est nunc in Veneris petitione: nam ideo sic rogat, ut commemoratione Trojanae infelicitatis impetret misericordiam. Alias stultum est, cum adjuratur Jupiter per excidia Trojanorum. Sallustius in primo: *Postremo ipsos colonos per miserias & incerta humani generis orare*. FUMANTIA autem, quae fumaverunt, non enim nunc fumant.

47. INCOLUMEM ASCANIUM. Ideo Venus pro Aenea non petit hoc loco; non, quia pro eo non movetur; sed aut quia scit, eum celerius esse moriturum: aut quia soli Ascanio debetur imperium & summa rerum, ut: *Cui regnum Italiae, Romanaque tellus Debentur*. Ideo est pro eo sollicita: non quia pro filio non movetur.

48. AENEAS SANE. Quidam *sane* pro valde accipiunt, ut, Cicero pro Quintio: *Sane caeterarum pater familias & prudens, & attentus*.

51. EST AMATHUS. *Amathus* & *Paphos*, Cypri insulae civitates sunt, Veneri consecratae. *Amathus* ab *Amathonte*. CELSA PAPHOS. Antiqua Paphos, quae nunc *Palaepaphos* dicitur, in excelso fuit posita, ex quo loco aedificia, permittente pace, in littus deducta sunt. CYTHERA. Insula est contra Laconicam, Veneri consecrata. Dicimus autem *haec Cythera*, sicut *haec Solyma*, *haec Artaxata*, *haec Megara*.

PIERII.

SA POTEST. Ita quidem scriptum est in antiquo codice Vaticanae bibliothecae; sed in Romano, *jura*, non *jussa* legitur. In Oblongo autem & aliquot aliis, *flectere jussa*: quod plerisque doctis viris jam receptum est.

48. AENEAS SANE IGNOTIS JACTETUR IN UNDIS. Et *sane*, & *undis*, in plerisque omnino codicibus habetur; sed Romanus codex antiquissimus, & qui apud me est, *Aeneas procul ignotis*, legunt: atque etiam pro *undis*, *oris*, in veteribus aliquot exemplaribus inveni. Et est concessio amaritudinis plena: *Aeneas procul ignotis jactetur in oris*, dum tantum liceat mihi Ascanium in urbibus meis, aut Amathunte, aut Papho, aut Cytheris incolumem servare. Magis tamen placet, *undis*, ut adludat obiter ad futu-

Idaliaeque domus. Positis inglorius armis
Exigat hic aevum. Magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam. Nihil urbibus inde
55 Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, & Argolicos medium fugisse per ignis?
Totque maris, vastaeque exhausta pericula terrae,
Dum Latium Teucri recidivaque Pergama quaerunt?
Non satius cineres patriae insedisse supremos,
60 Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum & Simoënta
Red-

SERVII.

52. IDALIAEQUE DOMUS. *Idalium*, civitas Cypri est: & hic *Idaliam* dixit, cum ipse dixerit: *Aut super Idalium*.

53. AEVUM. Hic vitam, alias aetatem. INGLORIUS. Sine triumphis, immemor gloriae. Cicero in Tusculanis: *Quae de vita inhonorata & ingloria dici solent*.

54. NIHIL URBIBUS INDE OBSTABIT TYRIIS. Id est, ab Ascanio Tyrii nihil timebunt: & verum est: nam Scipio vastaturus est Africam.

55. QUID PESTEM EVADERE BELLI JUVIT. In fine jam agit miserabiliter, sicut egit & in principiis: nam hoc praecipit ars Rhetorica, ut epilogi & principia pari argumentatione tractentur. PESTEM autem, incendium significat, ut: *Et toto descendit corpore pestis*: cum de navibus loqueretur incensis.

56. FUGISSE PER IGNES?, Exprimit, quid sit, *pestem belli evadere*.

58. RECIDIVAQUE PERGAMA. Renascentia. Tractus est autem hic sermo ab arboribus, quae aliis sectis repullulant. Ergo illud solum *recidivum* dicimus, quod postea renascitur: unde modo *recidiva Pergama* dixit, quae renovantur ab his, qui superstites sunt Trojanis periclis.

59. NUM SATIUS. Deest *fuit*. CINERES PATRIAE INSEDISSE. Propter illud in quarto: *Dulcesque meorum Reliquias colerem*.

60. ATQUE SOLUM, QUO TROJA FUIT. Sic in tertio: *Et campos, ubi Troja fuit*. XANTHUM ET SIMOENTA REDDE ORO MISERIS. Ambiguum est, utrum dicat, redde nobis re vera antiquam Trojam; an, redde nobis terras alias in Italia, ad similitudinem Trojae: novimus enim hanc fuisse consuetudinem; ut advenae patriae suae sibi imaginem redderent, ut: *Effigiem Xanthi, Trojamque videtis*. Bene ergo Venus medio usa est loquendi genere, ut utrumque significaret, & antiquae redditum Trojae imperium & Italiae, quod Trojanis Jupiter ad similitudinem Trojae fore promiserat: & magis hoc est, quod latenter desiderat atque petit.

PIERII.

futuram Aeneae mortem; ut in quarto: *Cadat ante diem, mediaque inhumatus harena*.

50. ET DIRAE VALEAM SUBDUCERE PUGNAE. In antiquissimo codice, *durae*; sed in aliis omnibus, *dirae*.

51. EST AMATHUS, EST CELSA MIHI PAPHOS ATQUE CYTHERA. In exposito Palatino codice legere est: *Amathus, est celsa Paphos, atque alta Cythera*: cui lectioni secretior ille codex minoribus litteris perscriptus, non nihil adstipulatur, quamvis in eo sunt litterae aliquot inversae. Adjuvat etiam id, quod inferius Juno eadem argumenta retorquens ait: *Sunt alta Cythera*. Sunt vero codices antiqui, ubi *Amathos* scriptum sit; sed enim Ἀμαθοῦς Graece dicitur: & eodem modo proferunt Latini, ejusdem diphthongi ου servato sono.

53. EXIGAT HIC AEVUM. Antiqua pleraque exemplaria, *exiget*, indicandi qualitate legunt. Non in deposcendi figura, nam illud: *Magna ditione Carthago premat Ausoniam*, separatum est membrum per concessionem.

56. ET ARGOLICOS MEDIOS FUGISSE PER IGNES. In Romano codice, in Mediceo, in Porcio, & nonnullis aliis antiquis, *medium* legitur: quod multo magis placet.

58. RECIDIVAQUE PERGAMA QUAERUNT. *Recidiva* quidem in multis habetur exemplaribus tam recentibus quam vetustis, tractum sermonem de arboribus, quae aliis sectis repullulant, ait Servius. Qui quidem longe eruditius mihi videtur exposuisse alibi, *post casum restituta*, eo versu, *Et recidiva manu posuissem Pergama victis*. Ut enim a *recido*, *recidivus*, quod si a *caedo*, *seco*, deduceretur, secunda syl-

Redde, oro, miſeris: iterumque revolvere caſus
Da, pater, Iliacos Teucris. Tum regia Juno
Acta furore gravi: Quid me alta ſilentia cogis
Rumpere, & obductum verbis volgare dolorem?
65 Aenean hominum quiſquam divumque ſubegit
Bella ſequi, aut hoſtem regi ſe inferre Latino?
Italiam fatis petiit auctoribus: eſto:
Caſſandrae inpulſus furiis. Num linquere caſtra
Hortati ſumus, aut vitam committere ventis?

Num

SERVII.

62. CASUS DA PATER ILIACOS. Reddantur nobis errores priſtini, dummodo praeſentia bella vitemus. ITERUMQUE REVOLVERE CASUS. Si ad Trojam vis referre, ſic dic: Nobis redde Trojam per naufragia & pericula, id eſt, patiamur denuo quae pertulimus, dumtaxat nobis Troja reddatur. Si vero ad Italiam vis referre, ſic intellige: Redde nobis Italiam, & libenter repetimus ea, quae in Troja pertulimus.

63. ALTA SILENTIA. Juno ubique ſilens inducitur: unde ei oratio, niſi ex nimia neceſſitate, non datur: unde eſt: *Acta furore gravi*. Statius: *Junonem tacitam furibunda ſilentia torquent*. Et notandum, quia ſingulatim dicta Veneris hac oratione ſolvuntur. SILENTIA autem RUMPERE, loqui proprie dictum. Sciendum enim, quod *vocem rumpere*, eſt tacere: unde apparet, uſurpative dictum eſſe: *Compoſito rumpit vocem*: id eſt, loquitur: nam *vocem rumpere*, ſilere eſt; *ſilentium rumpere*, loqui.

64. OBDUCTUM DOLOREM. Celatum jam, & diuturna cicatrice coopertum: nam *obduci* dicuntur *vulnera*, quae cicatrice clauduntur.

65. AENEAN HOMINUM QUISQUAM. Ad illud: *Quae ſuperi maneſque dabant*: & celans quae facta ſunt, ea quae non ſunt facta, commemorat: nam non Aeneas, ſed Turnus Junonis inſtinctu bella commovit. SEQUI autem petere, ut: *ſidera voce ſequentem*. Utitur autem replicatione rerum objectarum: poſt enim ſequitur reſolutio.

67. ESTO. Modo eſt concedentis adverbium: nam Graecum eſt ἔστω. Illo autem loco verbum eſt: *Eſto nunc Sol teſtis*. FATIS AUCTORIBUS. Num hic reſponſis? quia hoc ſequitur.

68. CASSANDRAE IMPULSUS FURIIS. Bene *furiis*, plurali numero, quod de vaticinantibus non dicitur. Ergo ut videantur merito eſſe decepti, qui Caſſandrae inſanienti crediderunt: quod nunc falſo a Junone dicitur, ſicut ex verbis probamus Anchiſae, qui ait in tertio: *Aut quem tum vates Caſſandra moveret?* NUM LINQUERE CASTRA. Illa ait, *abeſt*: haec ait *reliquit*, ut ipſi adſignet culpam: & eſt ſtatus finitivus, non tam dicendo abiſſe, quam reliquiſſe.

69. VITAM COMMITTERE VENTIS. Non qui enavigavit, hoc dixit; ſed *ventis*, id eſt, incertis & inanibus rebus.

PIERII.

ſyllaba produci deberet. His tamen ita diſputatis, & codex Romanus, & alter pervetus, qui apud me eſt, *rediviva* legunt. Quod non ita proprie dictum nonnulli putant. Sextus tamen Pompejus, ubi *redivivum* eſſe, ex *vetuſto renovatum* exponit, exemplum ex Cicerone citat lib. primo in Verrem: *Utrum exiſtimatis minus operis eſſe unam columnam efficere ab integra novam, nullo lapide redivivo*. Ita enim eſt in antiquo Pompeii codice.

67. ITALIAM PETIIT FATIS AUTHORIBUS. In codicibus nonnullis admodum vetuſtis legere eſt, *Italiam fatis petiit auctoribus*. Quod nonnulli putarunt T litteram poſſe reddere ſyllabam communem, quum ejuſmodi ſcanſionis ratio caeſurae debeatur. Ut apud Ovidium VII. Metamorphoſeos: *Diſſimilemque animum ſubiit Aeeta relictus*: quod imperite nonnulli depravarunt, qui *ſubiit pater relictus*, legendum cenſuere: ignari nomen Αἰήτας in eam formam contrahi non poſſe. Aliquot ex iis codicibus qui *petiit auctoribus* habent, *petit* unico *i* ſcribunt; ſed id longiore linea notatum, ut duorum vicem ſubeat. Ut INFERIS Choriambici dimenſione unico I notatum in antiquo lapide legi, quem C. Curtius, C. L. Antiochus pater, & Aricinia Nais mater Baſſo filio poſuerunt: ita enim eſt:

DEBVIT HOC NATVS NOBIS PRAESTARE DVOBVS,
VT CINERES PATRIOS DEDERET INFERIS.

70 Num puero ſummam belli, num credere muros?
Tyrrhenamve fidem, aut gentis agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quae dura potentia noſtri
Egit? Ubi hic Juno, demiſſave nubibus Iris?
Indignum eſt, Italos Trojam circumdare flammis
75 Naſcentem, & patria Turnum conſiſtere terra:
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.
Quid face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere praedas?
Quid ſoceros legere, & gremiis abducere pactas?

Pa-

SERVII.

70. NUM PUERO SUMMAM BELLI. Quod Venus ad miſerationem; haec ad indignationem poſuit: & eſt exaggeratio ab aetate.

71. TYRRHENAMQUE FIDEM. Inire ſocietatem cum inimicis gentibus Turno. *Fidem* autem, auxilium petens; an *fidem*, ſacramentum, quod adhibetur ad belli ſocietatem; *Agitare* autem, ad gentes pertinere melius eſt. Ergo *Tyrrhenam fidem*, extrinſecus accipiendum, *invocare*, aut *petere*: aut certe diſrumpere foedera, quae Turnus cum Tyrrhenis inierat. Sciendum ſane, Turnum auxiliorum cauſa ad Mezentium confugiſſe. GENTES QUIETAS. Nam licet vellent in bella prorumpere, tamen erant quietae, propter illud oraculum: *Externos optate duces*.

72. QUIS DEUS IN FRAUDEM? Interrogatio. *In fraudem* autem, in periculum: ita enim in Jure lectum eſt: *Fraudi erit illa res*, id eſt, periculo. QUAE DURA POTENTIA NOSTRA. Ad illud reſpicit: *Si nulla eſt regio Teucris, quam det tua conjunx Dura*.

73. UBI HIC JUNO. Melius quam ſi dixiſſet, *ego*, ut: *Degeneremque Neoptolemum narrare memento*. NUBIBUS IRIS. Propter illud: *Aut actam nubibus Irim*.

74. INDIGNUM EST ITALOS TROJAM CIRCUMDARE FLAMMIS. Rhetoricum eſt: nam quotiens aliqua non poſſumus ſolvere, paria opponimus, quod nunc Juno facit: nam negare non poteſt, nec ſolvere, quia obſidentur Trojani: unde dicit: hoc indignum eſt, Trojanos obſideri; aliena eos matrimonia praeripere, dignum eſt. Sic in Bucolicis: *Dic, quibus in terris, & eris mihi magnus Apollo, Tris pateat caeli ſpatium non amplius ulnas*: quod, quia non potuit ſolvere, & ipſe objecit: *Dic, quibus in terris inſcripti nomina regum Naſcantur flores*.

75. NASCENTEM: T [illegible].

76. PILUMNUS AVUS. Comparat genus Turni cum Aenea, dicens etiam Turni avum deum eſſe. Varro *Pilumnum & Picumnum* infantium deos eſſe ait, eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploretur an utilis ſit, qui natus eſt. Piſo, *Pilumnum* dictum, quia pellat mala infantiae; ſed *Pilumnus*, idem Stercutius, ut quidam dicunt, qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita appellatus eſt. Si ergo proavus Latini eſt; non Turni avus: nam Stercutii Picus, Pici Faunus, Fauni Latinus eſt filius; ſed in his nominibus abutitur Poeta. DIVA VENILIA MATER. Hoc ad Veneris obtrectationem dicit, *cui Diva Venilia mater*: nam *Venilia* Nympha eſt. *Pilumnum* autem avum Turni ideo dicit, ut a vicino nobilis genere eſſe videatur, ſicut eſt Aeneas: nam paulo poſt dictura eſt ipſa Juno, *Pilumnuſque illi quartus pater*. Sane hanc *Veniliam*, quidam Salaciam accipiunt, Neptuni uxorem. Salaciam, a ſalo; *Veniliam*, quod veniam det exigentibus.

77. ATRA FACE. Saevo bello: & eſt belli definitio: unde Homerus: οἳ οἱ μὲν μάχοντο: non enim facibus Trojani pugnaverant, ſed ferro, id eſt, bello.

78. AVERTERE PRAEDAS. Invidioſe: ceterum nihil rapuerant.

79. LEGERE. Furari: unde & *ſacrilegi* dicuntur, qui *ſacra legunt*, hoc eſt, furantur. Alibi: *Vel quae ſublegi tacitus tibi carmina nuper*. GREMIIS ABDUCERE PACTAS? Id eſt, ſponſas: nam ante uſum tabularum matrimonii, cautiones ſibi invicem emittebant, in quibus ſpondebant, ſe conſentire in jura matrimonii, & fidejuſſores dabant: unde & admiſſum eſt, *ſponſum & ſponſam* ut dicamus, a *ſpondendo*. Caeterum proprie *ſponderi* puellae eſt: ergo ſponſus, non quia promittitur, ſed quia ſpondet, & ſponſores dat. Sane exaggeratio eſt nimia in eo, quod ait: *Gremiis abducere*: tanquam jam uxores.

80 Pacem orare manu, praefigere puppibus arma?
Tu potes Aenean manibus ſubducere Grajum,
Proque viro nebulam & ventos obtendere inanes:
Et potes in totidem claſſem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juviſſe, nefandum eſt:
85 Aeneas ignarus abeſt: ignarus & abſit.
Eſt Paphus, Idaliumque tibi, ſunt alta Cythera.
Quid gravidam bellis urbem, & corda aſpera tentas?
Noſne tibi fluxas Phrygiae res vertere fundo
Conamur? nos? an miſeros qui Troas Achivis
90 Objecit? quae cauſſa fuit conſurgere in arma
Europamque Aſiamque, & foedera ſolvere furto?

SERVII.

80. PRAEFIGERE PUPPIBUS ARMA. Propter illud; *Scuta virum fluvio pictasque innare carinas:* ſcilicet quando ad petenda auxilia navigavit. PACEM ORARE MANU, PRAEFIGERE PUPPIBUS ARMA. Propter: *Centum oratores augusta ad moenia regis Ire jubet.*

82. PROQUE VIRO NEBULAM. Ad opprobrium *pro viro* dixit, non, *pro filio*, *rem inanem* appoſitam: aut quando cum Venus a Diomede liberavit: vel Neptunus ab Achille; quod Veneri imputatur: quia in ejus gratiam factum eſt, *αὐτίκα τῷ μὲν ἔπειτα κατ' ὀφθαλμῶν χέεν ἀχλὺν Πηλείδῃ Ἀχιλῆϊ.* VENTOS INANES. Vacuos: & eſt nebulae definitio.

83. ET POTES IN TOTIDEM CLASSEM CONVERTERE NYMPHAS. Licet hoc Mater deum fecerit, tamen Veneri imputatur: quia in ejus gratiam factum eſt, ut in illo loco: *Quas illi Philomela dapes?* cum Progne fecerit, ſed propter Philomelam: aut certe quia dicunt ipſam Venerem eſſe Matrem deum.

84. NOS ALIQUID RUTULOS CONTRA JUVISSE NEFANDUM EST. Confeſſio eſt: non enim negat ſe juviſſe; ſed attenuat, dicendo *aliquid*.

85. AENEAS IGNARUS ABEST. Ea quae ſolvere non poſſumus, inridemus, ut hoc loco: ſic in Bucolicis praemiſit: *Divini opus Alcimedontis:* poſtea per irriſionem ait: *Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit.*

87. GRAVIDAM BELLI URBEM. Alibi: *Populosque feroces Contundet.* *Urbem* autem, provinciam dicit, quo modo: *Italiam quaero patriam.*

88. NOSNE TIBI FLUXAS RES. Status relativus, per quem oſtendit Venerem magis Trojanis cauſſam fuiſſe periculorum. FLUXAS. Molles, quae poſſent etiam ſine inimicis perire. *Res fluxas*, rempublicam fluxam dicit: vel *fluxas*, labefactatas.

89. QUI TROAS ACHIVIS. Ideo maſculinum genus poſuit: quia dei *ἀρσενόθηλεις* ſunt, ut dictum eſt ſupra: ideo dicit, *qui*, de Venere: nam in ſubauditione ponuntur ea, quae non poſſumus dicere aperte.

90. CONSURGERE IN ARMA. Pro conſurgendi: infinitus modus verbi, pro participio.

91. FOEDERA SOLVERE FURTO? Legitur in hiſtoriis, quod Trojani cum Graecis foedus habuerunt: unde etiam Paris eſt ſuſceptus hoſpitio, & ſic commiſit adulterium. Ergo *Foedera ſolvere furto*, eſt amicitias adulterio diſſipare: nam *furtum*, eſt adulterium, unde eſt: *Et dulcia furta:* an, quod Paridem victum a Menelao ſubripuit morti? an, quod Pandarus diſſipavit? ut ſit, per FURTUM? Et everſi Ilii haec eſt vera cauſſa: nam foedera, quae inter Graecos & Trojanos fuerunt, ita ſoluta ſunt. Hercules, cum expugnato Ilio filiam Laomedontis Heſionem, Priami ſororem, Telamoni dediſſet, profecti ſunt legati cum Priamo, & eam minime repetere potuerunt, illis dicentibus, ſe eam habere jure bellorum: unde commotus Priamus miſit Paridem cum exercitu, ut aliquid tale abduceret, aut uxorem regis, aut filiam: qui, expugnata Sparta, Helenam rapuit. Hinc ergo Virgilius utrumque tangit: & iſtam hiſtoriam, quam modo diximus; & propter judicium Paridis: quamvis fabula ſit illa res, & a poetis compoſita.

PIERII.

80. PACEM ORARE MANU, PRAEFIGERE PUPPIBUS ARMA. In aliquot codicibus legere eſt, & *praeficere:* quod hoc loco videtur emphaſin habere.

Me

Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovive Cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
95 Haud justis adsurgis, & inrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno: cunctique fremebant
Caelicolae adsensu vario. Ceu flamina prima,
Cum deprensa fremunt silvis, & caeca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
100 Tum Pater omnipotens, rerum cui prima potestas,
Infit. Eo dicente Deum domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus aether:
Tum Zephyri posuere: premit placida aequora pontus.
Accipite ergo, animis atque haec mea figite dicta.

SERVII.

92. DARDANIUS. Propter injuriam Aeneae hoc posuit, qui *Dardanus* dicitur: nam perite dubium nomen elegit, qui contumeliam communicaret Aeneae. SPARTAM EXPUGNAVIT. De historia hoc est, ut diximus: nam cum sollicitata Helena Parin sequi noluisset, egressus ille civitatem obsedit: qua eversa Helenam rapuit: unde & postea recipi meruit a marito.

93. TELA DEDI. Aut bello, aut amori Alexandri. CUPIDINE. Eo scilicet, quo in amore Paridis Helena compulsa est.

94. DECUIT METUISSE. Optima est elocutio: nam utrumque praeteriti est temporis. Si enim dixeris, *decet metuisse*, incongruum est, quia *decet* praesentis est, *metuisse*, praeteriti. SERA. Pro sero, ut. *Nec sera comantem Narcissum.*

95. IRRITA. Vana, substantiam non habentia. JACTAS. Ventilas.

96. ORABAT. Loquebatur: unde & *oratores* dicti sunt: nam *rogabat*, si dixeris, non procedit: quia magis convitiabatur.

97. ASSENSU VARIO. Quia pars Veneri, pars Junoni favebat. CEU FLAMINA PRIMA, CUM DEPRENSA PREMUNT SYLVIS. Non subito deprensa; sed aut in sylvis detenta, aut intellecta.

98. ET CAECA VOLUTANT MURMURA. Non tempestatis facit comparationem; sed signi tempestatis futurae. Quadam enim arcana ratione fit, ut sit murmur in sylvis ante ventorum adventum; ut testatur Lucanus, quum Amyclas Caesari futura signa tempestatis enarrat: *Sed mihi nec motus nemorum, nec littoris ictus, Nec placet incertus, qui provocat aequora, Delphin:* unde ait: *Coeca murmura*: quorum ratio non apparet, ut: *Coecique in nubibus ignes Terrificant animos*. Sic in Georgicis: *Continuo ventis surgentibus, aut freta ponti Incipiunt agitata tumescere, & aridus altis Montibus audiri fragor.*

102. TREMEFACTA SOLO TELLUS. Loquente Jove stupor elementorum omnium ostenditur per naturae mutationem: nam & quidquid in aeterno motu est, quievit; & contra, terra mota est, quae semper immobilis: unde Horatius: *Et bruta tellus.*

103. ZEPHYRI POSUERE. Salustius: *Jam repente visus saevire Tagus*. PREMIT PLACIDA. Id est, premendo reddit placida.

104. ACCIPITE ERGO ANIMIS. Totus hic locus de primo Lucillii translatus est libro, ubi inducuntur Dii habere concilium, & agere primo de interitu Lupi cujusdam judicis in republica: postea sententias dicere. Sed hoc, quia indignum erat heroico carmine, mutavit, & induxit primo loquentem Jovem de interruptis foederibus, cujus orationem interrupit Venus; post secuta Junonis verba sunt, quibus redarguit Venerem: unde nunc Juppiter illud, quod omiserat, reddit, dicens: Ergo quoniam pacem esse non sinitis, ea quae sum dicturus accipite: & hoc significat versus, qui subsequitur.

PIERII.

93. FOVIQUE CUPIDINE BELLA. In antiquis fere omnibus *fovive* legitur, non inepte.

100. RERUM CUI SUMMA POTESTAS. In Romano codice, *prima potestas*.

105 Quandoquidem Ausonios conjungi foedere Teucris
Haud licitum; nec vestra capit discordia finem:
Quae cuiq; est Fortuna hodie, quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve fuat, nullo discrimine habebo:
Seu fatis Italum castra obsidione tenentur,
110 Sive errore malo Trojae monitisque sinistris.
Nec Rutulos solvo. Sua cuique exorsa laborem
Fortunamque ferent. Rex Juppiter omnibus idem.
Fata viam invenient. Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentis, atraque voragine ripas
115 Adnuit, & totum nutu tremefecit Olympum.
Hic finis fandi. Solio tum Juppiter aureo

Sur-

SERVII.

105. QUANOOQUIDEM. Bene dicendae sententiae ordinem servat: nam sicut & in Sallustio, & in Philippicis legimus, antequam dicatur sententia, ejus praemittitur ratio: quod hodieque in usu est.

106. HAUD LICITUM EST. Et *licuit* dicimus, & *licitum est*: sicut & *placuit*, & *placitum est*. Terentius: *Ubi sunt cognitae, placitae sunt*.

107. QUAE CUIQUE EST FORTUNA HODIE. Specialiter Jupiter pro Trojanis agit; sed hac arte, ut videatur totum pro Junone loqui: & re vera verba pro Junone sunt; sed altius intuens deprehendit Trojanorum favorem: nam dicendo, *nulli favebo*, & in eo statu fore res, in quo sunt hodie, Trojanis se favere significat, quorum ducis adventu statim victoria consequeretur. Et vult nihil valere ea, quae aut Venus conquesta fuerat de absentia Aeneae, aut Juno de Turni parentibus dixerat, in ejus scilicet commendationem. SECAT. Sequitur, tenet, habet, ut: *Ille viam secat ad naves*: unde & *sectas* dicimus, habitus animorum, & instituta philosophorum circa disciplinam.

108. FUAT. Id est, fuerit: futuri temporis est verbum defectivum.

109. SEU FATIS ITALUM CASTRA OBSIDIONE TENENTUR. Sive malo fato Italorum obsidentur castra Trojae; sive Trojani malo errore, & *monitis sinistris* ad Italiam venerunt; neminem absolvo: unde propter Amphibologiam sic distingue, *Italum*: & infer, *Castra obsidione tenentur*, scilicet Trojanorum: ipsi enim obsidentur, non Itali.

110. NEC RUTULOS. Hoc & de Trojanis dictum accipe. SOLVO. Absolvo: nam Aphaeresim pertulit *solvo*. MONITIS autem SINISTRIS, propter, *Cassandrae impulsus furiis*.

111. EXORSA. Rerum initia, actus hodierni diei: id est, secundum sua coepta habebit eventum. LABOREM FORTUNAMQUE, Periculum, & fortunam, felicitatem.

113. FATA VIAM INVENIENT. Scit enim hoc esse fatale, ut Aeneas imperet in Italia. Et videtur hic ostendisse, aliud esse fata, aliud Jovem. STYGII PER FLUMINA FRATRIS. Hypallage est, *Per Stygia flumina fratris*. Et bene etiam jurejurando confirmat: ut rem immobilem necessitate constituat.

115. TOTUM NUTU TREMEFECIT OLYMPUM. Hoc Homericum est: μέγαν δ' ἐλέλιξεν Ὄλυμπον.

PIERII.

103. TUM ZEPHYRI POSUERE. In antiquis aliquot, *Et Zephyri*.

104. ACCIPITE ERGO ANIMIS. Antiqui aliquot codices *adcipite* scribunt, incolumi praepositione; sed enim antiquissimum est, *Accipere*, *cc* geminato scribere. Siquidem Velius Longus ait Lucilium instituisse, *accipio* & *accurrere* geminato *cc* notare.

107. QUAE CUIQUE EST FORTUNA. Non placet *quaecunque*, ut in vetustis aliquot codicibus habetur.

108. TROS RUTULUSVE FUAT. In aliquot antiquis codicibus *Rutulusne* legitur.

113. FATA VIAM INVENIENT. In Mediceo codice, *inveniat* scriptum est, imperative; ut sit sententiae perlatae pronuntiatio; non tamen expungendum est *invenient*, quum id quoque suam habeat orationis majestatem.

Surgit, caelicolae medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus instant
Sternere caede viros, & moenia cingere flammis.
120 At legio Aeneadum vallis obsessa tenetur:
Nec spes ulla fugae. Miseri stant turribus altis
Nequidquam, & rara muros cinxere corona.
Asius Imbrasides, Hicetaoniusque Thymoetes,
Assaracique duo, & senior cum Castore Thybris,
125 Prima acies. Hos germani Sarpedonis ambo,
Et Clarus, & Haemon, Lycia comitantur ab alta.

SERVII.

117. CAELICOLAE MEDIUM. Poeticae mores hominum ad deos refert, ut magistratum deducunt.

118. PORTIS CIRCUM OMNIBUS INSTANT. Instant portis omnibus circum, id est, circum circa fusi: nam modo *circum*, adverbium loci est.

120. AST LEGIO. Prolepsis: nam legionis nomen Trojani temporis non fuit. VALLIS. Intra vallos, id est, fossarum fustes, qui *valli* vocantur: munitio ipsa, *vallum*, dicitur neutraliter: & hoc dicit: Tenebantur Trojani intra vallos, quos ipsi posuerant; ne eorum castra facile irrumperent Rutuli. *Vallum* enim, modo non obsidentium, sed obsessorum, debemus accipere.

121. NEC SPES ULLA FUGAE. *Fuga*, miserrimum & ultimum praesidium est; tamen etiam hoc carebant.

123. IMBRASIDES. Imbrasi filius. HICETAONIUS. Hicetaonis filius. Et bene ex varietate syllabarum quaesivit ornatum: nam patronymica aut *des*, aut in *ius* exeunt, quibus & uti possumus. Quae enim in ΩN terminantur, ad nos transire non possunt, ut Πιθεων.

124. SENIOR CUM CASTORE THYBRIS. Possumus & solum Thybrim senem accipere: possumus & Castorem; si legamus: *Et senior cum Castore Thybris*: nam Amphibolia est.

125. PRIMA ACIES. Hoc est, magni viri: & est definitio eorum, qui in prima acie fuerunt: unde laudis magis est, quod dixit *prima acies*: ordinis enim esse non potest: quia res in muro agitur. GERMANI SARPEDONIS. Aut inter se germani filii Sarpedonis; aut Sarpedonis fratres, ex eadem matre.

126. LYCIA ALTA. Nobili, quos comitantur, qui sunt Lycia ab alta.

PIERII.

123. IASIUS IMBRASIDES. Rom. codex *Asius* legit: nam *Iasius*, quadrisyllabi forma est, ut *Iasion*. Ut apud Ovidium: *Iasionia Ceres*: quod imperite quidam legunt, *Iasona flava Ceres*. In aliquot vero aliis antiquis omnino codicibus, *Lasius* legitur. Sane quidem Homerus *Asium* inter Trojanos proceres recenset; sed apud eum Hyrtaci non Imbrasi ille filius appellatur.

224. ET SENIOR CUM CASTORE TYBRIS. In Romano codice *Thymbris* legitur: quod ne forte ridiculum videatur, sciendum est, dictionem, quae *Thybris* est apud Latinos, Θύμβριν apud Graecos dici, ut apud Hesychium & Stephanum. Theocritus Κῆλαι κατὰ Θυμβρίδος ὕδωρ, a quo Syracusanos fluvium hunc nostrum appellasse indicat Servius in tertio Aeneidos. Sed ibi, ut plerumque alibi, corruptus. Sed ne de nomine tantum proprio *Thymbrin* dici debere putet, pro Romano fluvio *Thybrin* quoque scriptum in antiquissimo codice Virgiliano ostendit mihi Angelus Colotius.

126. ET CLARUS ETHEMON LYCIA COMITANTUR AB ALTA. Bona codicum pars, ex iis praesertim, qui vulgati sunt, unum tantum proprium nomen ponere videntur, ut Sarpedonis fratres innominati sint, & his comes Ethemon accedat, clarusque sit epitheton. Romanus vero codex una cum veteribus plerisque aliis legunt, *Et Clarus, & Haemon, Lycia comitantur ab alta*. Ut nomina haec fratrum Sarpedonis fuisse noris, *Clarum* quippe, *Haemonemque*. *Clarus* enim pro nomine proprio sive hominis, sive insulae primam corripit. Atque &, sive quod monosyllabum est in principio pedis, sive quod caesura Tritimemeris, sive quod sequitur adspiratio, produci potest. In aliquot etiam exemplaribus antiquis legere est: *Ida comitantur ab alta*, non *Lycia*. Nempe quod epitheton monti potius quam provinciae congruat. Sed enim Servius *alta* pro nobili positum ait. Pluribus enim de caussis Lycia nobilis.

Fert

Fert ingens toto conixus corpore ſaxum,
Haud partem exiguam montis, Lyrneſſius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.
130 Hi jaculis, illi certant defendere ſaxis,
Molirique ignem, nervoque aptare ſagittas.
Ipſe inter medios, Veneris juſtiſſima cura,
Dardanius caput, ecce, puer detectus honeſtum:
Qualis gemma micat, fulvum quae dividit aurum,
135 Aut collo decus, aut capiti: vel quale per artem
Incluſum buxo, aut Oricia terebintho
Lucet ebur: fuſos cervix cui lactea crinis
Accipit, & molli ſubnectens circulus auro.

Te

SERVII.

127. FERT INGENS TOTO. Quidam ſine effectu ferentem ſaxum inproprie inductum accipiunt; ſed hoc ita reſolvunt: quod, qui jactum ſaxum refert, unius tantum rei eventum oſtendit; qui *ferentem* dicit, longum jactum notat.

128. LYRNESIUS. Id eſt, Phryx. *Acmon* ergo & *Meneſtheus*, filii Clytii: nam *Lyrneſſos*, civitas eſt Phrygiae, unde fuit Briſeis; quam civitatem Achilles expugnavit.

129. MENESTHEO. Non *Mneſtheo*, de quo paulo poſt dicturus eſt, legendum eſt, ne verſus non ſtet; ſed *Meneſtheo*; ita tamen, ut meminerimus in ultima ſyllaba eſſe Synaereſin, propter rectam ſcanſionem.

130. HI JACULIS. Rutuli ſcilicet. ILLI SAXIS. Trojani.

131. MOLIRIQUE IGNEM. Quid eſt *moliri*? num injicere, an tentare jacere? & ſubaudiendum, alii atque alii.

132. VENERIS JUSTISSIMA CURA. De quo merito curet: quia ei debebatur imperium.

133. CAPUT DETECTUS. Sine galea: quaſi non pugnaturus: nam audierat: *Caetera parce puer bello:* erat autem inter duces quaſi. ECCE. Pro admiratione & demonſtratione. HONESTUM. Pulchrum. Terentius: *Ita me dii bene ament, honeſtus eſt*.

134. MICAT. Scilicet Aſcanius fulget quaſi gemma.

135. AUT COLLO, AUT CAPITI. Figurate: nam commune eſt colli vel capitis decus.

136. ORICIA TEREBYNTHO. *Oricos*, civitas eſt Epiri, juxta quam naſcitur *terebynthus*, nigrum lignum habens, folia in buxi ſpeciem. Retulit autem comparationem ad candidum vultum, qui erat nigris crinibus cinctus.

PIERII.

128. LYRNESIUS AGMON. Antiqua exemplaria *Acmon* per *c* ſcribunt. Sunt vero omnino adeo cognatae litterae *c* & *g*, ut vix pronuntiatione diſtingui intelligantur. Eſt & illud in quibuſdam codicibus antiquis, quod ſaepe *c* pro *s* ponitur: quia poſteriora tempora figuram *s* litterae, ſi Graece ſcriberent, ad ſimilitudinem *c* litterae Latinae delinearunt. Quare non mirum ſi etiam *Lyrnecius*, pro, *Lyrneſius* ſcriptum inveniatur.

129. NEC FRATRE MENESTHEO. Servius omnino dactylum vult in quinta ſede, & *Meneſthee*, interjecta vocali *e* inter *m* & *n* omnino legendum contendit. Neque deſuut vetuſti codices, qui eodem ſcribant modo. Antiquiora tamen exemplaria verſum ſpondaicum faciunt, dum *Mneſthee* legunt. Ultimae enim duae ſyllabae in unam coeunt, *κατὰ συνίζησιν*.

136. AUT ORICIA TEREBYNTHO. Multi *Oricia*, per *c* ſcribendum curarunt. Vulgatiora exemplaria per *θ*, *Orithia*. Verum *Oricus* per *ω μέγα*, civitas eſt Ionio ſinu: & *Oricae*, paludis in Epiro, ſua in Europa mentionem facit Hecataeus. Et ab utroque nomine *Oricius* deducitur. Quae dicta volui, quia ſunt, qui *Orithon*, per *ϑ*, & ita *Orithia* ſcribendum libris jam editis autumant. Sed & *Terebynthum*, per *y* in pene ultima male ſcribunt, quae *ἰῶτα* eſt apud Graecos. In quo omnia corrigenda ſunt exemplaria Latina. Praeterivi vero de induſtria, quod in quibuſdam veteribus codicibus, *Coricia* legitur, quum *Oricia* in longe pluribus legatur.

138. ET MOLLI SUBNECTIT CIRCULUS AURO. In codicibus nonnullis admodum vetuſtis, *ſubnectens* legitur.

Te quoque magnanimae viderunt, Ismare, gentes
140 Volnera dirigere, & calamos armare veneno.
Maeonia generose domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, Pactolosque inrigat auro.
Adfuit & Mnestheus, quem pulsi pristina Turni
Aggere moerorum sublimem gloria tollit;
145 Et Capys: hinc nomen Campanae ducitur urbi.
Illi inter sese duri certamina belli
Contulerant: media Aeneas freta nocte secabat.
Namque ut ab Euandro castris ingressus Etruscis,

Re-

SERVII.

139. MAGNANIMAE GENTES. Hic est ordo, aliter non stat versus: est autem Prosphonesis. ISMARE. Modo nomen est proprium: nam *Ismarius*, facit appellativum, a monte *Ismaro*, Thraciae.

140. VULNERA DIRIGERE. Pro, dirigentem: *vulnera* autem *dirigere*, id est, sagittas, quibus fiunt vulnera: est autem ὕστερον πρότερον, aut vulnus pro sagitta posuit, ut: *Insequitur infesto vulnere Pyrrhus*: aut acerrime expressit inevitabiles sagittas, dicens eum *vulnera*, non tela dirigere.

141. MOEONIA. Lydia, quae ante *Moeonia* vocabatur. Ergo ideo *generose*, quod Lydius. PINGUIA CULTA. Aut figuratum est, quae exercendo culta faciunt, aut *culta*, pro arvis.

142. PACTOLUSQUE IRRIGAT AURO. *Pactolus & Hermus*, Lydiae flumina sunt, aurum sicut Tagus, trahentia. Sed Pactoli fabula talis est: Midas rex, cum ibi regnaret, Silenus captus ab ejus sociis & vinctus est, miseratione vel prudentia eum & resolvi fecit, & omni adfabilitate fovit: quibus rebus ille gratiam rependens, praestitit Midae, ut, quidquid tetigisset, in aurum verteretur; sed cum ille, quaecumque convertens, fame periclitaretur, ex praecepto in Pactolum fluvium abluendi gratia se mittere jussus est: in quem se cum jecisset, ferendi auri naturam flumini dedit, ipse destitit in aurum, quae contingebat, mutare. *Inrigat* autem *auro*, mire; cum ramenta quaedam auri inveniri dicantur.

145. ET CAPYS: HINC NOMEN CAMPANAE DUCITUR URBI. Iste quidem dicit, a *Capy* dictam *Capuam*, sicut Ovidius, qui *Capyn* de Trojanis esse commemorat: *Ille dedit Capyi repetita vocabula Trojae*. Quod & Lucanus sensit, *Moenia Dardanii tenuit Campana coloni*. Caeliusque Trojanum *Capyn* condidisse Capuam tradidit, eumque Aeneae fuisse sobrinum: alii hunc *Capyn* filium Capeti volunt esse, Tyberini avum, ex quo fluvius Tyberis appellatus est, eumque *Capuae* conditorem produnt: alii *Capyn Samnitem* condidisse *Capuam* confirmant. Sed *Capuam* vult Livius a locis campestribus dictam, in quibus sita est. Sed constat, eam a Tuscis conditam, viso falconis augurio, qui Tusca lingua *Capys* dicitur: unde est *Capua* nominata. Tuscos autem omnem pene Italiam subjugasse manifestum est. Alii a Tuscis quidem retentam, & prius, Alternum vocatam: Tuscos a Samnitibus exactos Capuam vocasse: ob hoc, quod hanc quidam Falco condidisset, cui pollices pedum curvi fuerunt, quemadmodum falcones aves habent, quos viros Tusci Capuas vocarunt. Varro dicit propter caeli temperiem, & cespitis foecunditatem, campum eundem Capuanum, sive Campanum dictum, quasi signum salutis & fructuum.

147. CONTULERANT. Nocte interveniente peregerant. MEDIA AENEAS FRETA NOCTE SECABAT. Aut media nocte, aut freta media.

148. NAMQUE UT AB EUANDRO. Ad petenda auxilia, dum inter suos & Turnum bella gerebantur. Et est explanatio rerum, quas Aeneas gessit, postquam est profectus ab Euandro ad petenda auxilia, dum inter suos & Turnum bella gerebantur: rem enim ante omissam breviter exsequitur.

PIERII.

142. PACTOLUSQUE IRRIGAT AURO. In Romano codice, non sine dulci aurium pruritu, *Pactolos* legitur. In aliquot aliis, *Pactolus & irrigat*. Sed *Pactolusque*, vel *Pactolosque irrigat*, plurium codicum consensu comprobatur.

144. AGGERE MURORUM. *Moerorum*, hoc loco scriptum est in Romano codice. In aliis *murorum*.

Regem adit, & regi memorat nomenque genuſque;
150 Quidve petat, quidve ipſe ferat, Mezentius arma
Quae ſibi conciliet, violentaque pectora Turni,
Edocet: humanis quae ſit fiducia rebus
Admonet, inmiſcetque preces. Haud fit mora: Tarchon
Jungit opes, foeduſque ferit: tum libera fati
155 Claſſem conſcendit juſſis gens Lydia Divum,
Externo commiſſa duci. Aeneïa puppis
Prima tenet, roſtro Phrygios ſubjuncta leones:
Inminet Ida ſuper, profugis gratiſſima Teucris.
Hic magnus ſedet Aeneas, ſecumque volutat
160 Eventus belli varios: Pallaſque ſiniſtro
Adfixus lateri jam quaerit ſidera, opacae

No-

SERVII.

149. REGEM ADIT. Inſtanti tempore adit.

150. QUIDVE PETAT. Scilicet auxilium. QUIDVE IPSE FERAT. Auxilii viciſſitudinem, ut ſupra Euandro: *Accipe, daque fidem*. Multi autem, *quidque petat, quidque ipſe ferat*, dicunt oportuiſſe dici; ſed mutatam conjunctionem: neque enim ex alterius perſona exponitur; ſed totum ex Aeneae: & ideo QUE, conjunctione opus fuiſſe; VE enim proprie vel ſignificat, ut ſic: *Nec patris Anchiſae cineres maneſve revelli*. MEZENTIUS ARMA QUAE SIBI CONCILIET. Injicit latenter timorem, ne forte poſſit collectis auxiliis Mezentius in regna remeare, a quibus ſuerat ante depulſus.

151. VIOLENTAQUE PECTORA TURNI. Superba, ut eſt illud: *Quos illi bello profugos egere ſuperbo:* id eſt, violento.

152. HUMANIS QUAE SIT FIDUCIA REBUS. Latenter hoc dicit: Nolite putare fixam eſſe & ſtabilem felicitatem: magna eſt enim rerum varietas; invicem accipietis auxilia.

153. ADMONET, IMMISCETQUE PRECES. Partim rogat, partim admonet, hoc ſolatium eſſe vitae humanae tutiſſimum; ſi vel mutua dentur auxilia, vel in proſperis poſiti etiam ſubjecta conſiderent: & eſt ſuperioris verſus expreſſio: nam edocet, quid peteret, & quid eum ſolicitaret. *Admonet* vero, vel cauſſa Mezentii, vel quia inſtabilis eſt & vaga fortuna. TARCHON. Hoc nomen ubique Graece ponit, excepto uno loco, ut eſt: *Haud procul hinc Tarcho; & Tyrrheni*, quod metri cauſa fecit.

154. FERIT. Facit, ex more Romano, propter porcum, qui de lapide feritur. LIBERA FATIS. Exempta neceſſitate fatali, qua pugnare non poterant propter illud: *Externos optate duces*.

155. GENS LYDIA. Per derivationem *Lydia gens:* nam *Lydia*, provincia, proprium eſt.

157. PRIMA TENET. More viri fortis in principiis eſt. Alibi: *Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat Agmen*. ROSTRO PHRYGIOS SUBJUNCTA LEONES. Pro, ſubjunctos Leones habens. Vult pro jugo roſtrum navis fuiſſe; leones autem ſingulos in ſingulis navis partibus fuiſſe depictos. Sane notatur a Criticis Virgilius hoc loco, quemadmodum tam cito dixit potuiſſe naves Aeneae fieri: quod excuſat pictura, quam ſolam mutatam debemus accipere. Ergo hanc navem Aeneae ab Etruſcis datam intelligamus. Quidam volunt hanc navem ex his eſſe, quibus Aeneas ad Euandrum erat evectus, & ad Etruriam terra eſſe portatam.

158. GRATISSIMA. Propter illic navigia fabricata.

160. EVENTUS BELLI VARIOS. Licet haberet fortiſſimum militem, cogitabat tamen incerta bellorum.

161. JAM QUAERIT SYDERA. Deeſt, de Aenea. Et *quaerit ſydera*, num de ſyderibus quaerit; an ipſa ſydera; id eſt, recenſet: aut num cauſa quaerendi quod cupiat vicem diſcere.*

PIERII.

154. TUM LIBERA FATIS. In Rom. cod. & Oblongo *fati*, ſingulari numero, genitivo caſu legitur: quod minime contemnendum eſt.

157. ROSTRO PHRYGIOS SUBVECTA LEONES. In Mediceo, in Porcio, & aliis pleriſque co-

 dicibus

Noctis iter, jam quae passus terraque marique.
Pandite nunc Helicona, Deae, cantusque movete;
Quae manus interea Tuscis comitetur ab oris
165 Aenean, armetque rates, pelagoque vehatur.
Massicus aerata princeps secat aequora tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui moenia ClusI,
Quique urbem liquere Cosas: quis tela, sagittae,
Corytique leves humeris; & letifer arcus.
170 Una torvus Abas. Huic totum insignibus armis

Ag-

SERVII.

162. NOCTIS ITER. Aut per quae nox decurrit: aut quae intuentes nautae iter peragunt noctibus. JAM. Modo, ut: *Jamque hos cursu, jam praeterit illos*. QUAE PASSUS TERRAQUE MARIQUE. Num quia, audiendo res gestas Aeneae, incendatur & ipse ad imitandi cupiditatem?

163. PANDITE NUNC HELICONA DEAE. Parnassus, mons est Thessaliae juxta Boeotiam, quem locum aliquando Aones tenuerunt, qui in duo finditur juga, Cithaeronem Liberi, & Heliconem Apollinis & Musarum. Ex quo fons manare dicitur, quem Pegasi ungula protulisse fertur, qui vocatur Hippocrene.

164. TUSCIS. *Thusci*, a frequenti sacrificio sunt dicti ἀπὸ τ͂ θύειν unde *Thuscos* populos bene dicimus: *Thusciam* vero non debemus dicere: quia nequaquam in idoneis auctoribus legitur; sed aut *Etruria* dicenda est, ab *Etrusco* principe; aut *Lydia*, a *Lido*; aut *Tyrrhenia* ab ejus fratre, qui, ut supra diximus, cum parte populi de Moeonia venit ad Italiam; quod ergo hic dicit Virgilius: *Thuscis comitetur ab oris*, de Tuscorum finibus intelligendum est.

166. MASSICUS AERATA PRINCEPS SECAT AEQUORA TIGRI. Inter auxilia accipiendum: nam Aeneae prima est navis: & licet sit catalogus, in quo enumerantur hi, qui de Thuscia venerunt, invenit tamen aliquam varietatem, quod hos navibus venisse commemorat; cum in septimo Turni praesidia per terram venisse commemoraverit. Sane sciendum, amare Virgilium ducibus Italis dare nomina vel fluviorum vel montium. Ut ergo supra *Almonem*, & *Aventinum* commemoravit, sic nunc *Massicum* dicit: nam *Massicus*, mons est, unde & *Massicum vinum* dicitur. Plerique tamen *Massicum*, nolunt proprium nomen esse, sed appellativum, dicentes *Osinium* esse *Massicum* regem: nam paulo post dicturus est: *Qua rex Clusinis advectus Osinius oris*: & nunc dicit: *Qui moenia Clusi*. Multi alium *Massicum*, alium *Osinium* esse volunt. AERATA TIGRI. Cujus rostrum erat in similitudem *tigridis*: namque solent naves vocabula accipere a pictura tutelarum: hinc est: *Hunc vehit immanis Triton*. Item: *Et aurata fulgebat Apolline puppis*. *Tigri* autem, secundum regulam dixit: nam Graeca nomina, quae genitivum singularem in DIS mittunt, in eo tantum & in dativo crescunt; in accusativo autem, vocativo, & ablativo, paria sunt nominativo, ut *Tigris, tigridis, tigridi, tigrin, o tigris, a tigri; Isis, Isidis, Isidi, Isin, o Isis, ab Isi*. Si aliter invenerimus, abusive dictum est, ut in Lucano: *Ocyor & coeli flammis & tigride foeta*.

167. MOENIA CLUSI. Pro *Clusii*: nam *Clusium* dicitur: & est dictum per Synaeresim, sicut: *Nec cura peculi*, pro, peculii. *Clusium* autem, est oppidum juxta Massicum; quod in Etruria condidit Clusius Tyrrheni, sive Telemachus Ulyxis.

168. COSAS. Civitas Thusciae, quae numero dicitur singulari secundum Sallustium: unde apparet *Cosas* esse usurpationem.

169. CORITIQUE. *Coryti*, proprie sunt arcuum thecae; dicuntur tamen etiam sagittarum, quas & *pharetras* vocamus.

170. UNA. Ad totam classem refert. TORVUS. Pro forti & aspero, vel terribili.

PIERII.

dicibus antiquioribus, scriptum observavi *subjuncta*, quod longe venustius est. Praetereo autem lectionem eam, quae *subjecta* legit: quod non ita placet.

168. QUIQUE URBEM LIQUERE COSAS. Usurpationem esse dicit Servius, *urbem Cosas*, quum apud Sallustium singulari numero dicatur. Arusianus inter elocutionum exempla hoc observat: *Urbem singulari numero, & nomen plurale conjunctum*.

170. UNA TORVUS ABAS. In Romano, *torvos*: & ita pleraque alia, quae consulto dissimulavimus; ne delicatis quorundam auribus fastidio essemus.

Agmen, & aurato fulgebat Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast Ilva trecentos
Insula, inexhaustis Chalybum generosa metallis.
175 Tertius, ille hominum divumque interpres Asylas,
Cui pecudum fibrae, caeli cui sidera parent,
Et linguae volucrum, & praesagi fulminis ignes,
Mille rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parere jubent Alpheae ab origine Pisae:

Urbs

SERVII.

171. FULGEBAT. Scilicet puppis, aurato Apolline. ARMIS. Exercitu.

172. POPULONIA. Civitas Thusciae. Matrem autem eorum, qui venerant, patriam dixit, ut alibi: *Insignem quem mater Aricia misit:* quidam *Populoniam*, post XII. populos in Etruria constitutos, populum ex insula Corsica in Italiam venisse, & condidisse dicunt: alii *Populoniam* Volaterranorum coloniam tradunt: alii Volaterranos Corsis eripuisse *Populoniam* dicunt.

173. EXPERTOS BELLI. Peritos: nam *expertes*, sunt *ignari*. *Belli* autem, potest pro, in bello accipi. ILVA. Quidam *Ilvam*, Aethalen dictam volunt; est autem insula adjaceus Thusciae, in conspectu Populoniae. Probus TRECENTOS, subdistingui vult, ut *insula*, sequentibus jungatur.

174. INEXHAUSTIS CHALYBUM GENEROSA METALLIS. Quanto exhausta fuerit, tanto generosior, hoc est, πολύγονος. Ergo *in exhaustis*, non est una pars orationis: Namque Plinius secundus dicit: *Cum in aliis regionibus effossis metallis terrae sint vacuae, apud Ilvam hoc esse mirum quod sublata renascuntur: & rursus de hisdem locis effodiuntur*. Varro & aliud dicit: *Nasci quidem illic ferrum; sed in stricturam non posse cogi, nisi transvectum in Populoniam Tusciae civitatem, ipsi insulae vicinam*.

175. HOMINUM, DIVUMQUE INTERPRES ASYLAS. *Interpres*, medium est: nam & deorum, quos interpretatur, & hominum, quibus interpretatur, & divinas indicat mentes, *interpres* vocatur. Et notandum, quod ait Nigidius Figulus, has artes ita inter sese esse conjunctas, ut alterum sine altero esse non possit: unde his, quos perfectos vult probare Virgilius, omnium divinandi artium praestat scientiam, ut hoc loco. Item supra Heleno, de quo ait: *Trojugena, interpres divum, qui numina Phoebi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sydera sentis*. Nigidius autem solus est post Varronem; licet Varro praecellat in Theologia; hic in communibus literis: nam uterque utrumque scripserunt.

176. FIBRAE. *Fibrae*, sunt jecoris extremitates. PARENT autem, est, peritissime agnoscuntur. Quod *parent*, obtemperant, non procedit: nam quomodo sydera, vel fibrae, vel aves vel fulgura possunt obtemperare; Aut *parent*, apparent, ac patent; quasi nihil ei absconditum, vel abstrusum sit. An hyperbolice tantam illi scientiam syderum, vel ceterarum, quas dixit, rerum esse, ut ei parere videantur, sicut dicimus artes quibusdam esse subjectas? Sed *parent*, id est, agnoscuntur: quod ad omnia referendum est, ad *fibras*, *sydera*, *voces avium*, & *fulmina:* nam si, *videntur*, tantum accipias, cujus possunt videri, nec tamen intelligi. Item voces avium non videntur; sed agnoscuntur auditae.

177. PRAESAGI FULMINIS IGNES. *Praesagi*, futura denuntiantis, ut: *De caelo tactas memini praedicere quercus*. Est enim Jovis solius fulmen, de quo tantum futura noscuntur, ut in octavo plenius de fulminis generibus dictum est. Alii non ipsum *fulmen praesagum* accipiunt; sed eos *praesages*, qui inde futura praedicunt.

178. RAPIT. Raptim ducit. DENSOS ACIE. In acie constrictos, & conjunctos.

179. ALPHEAE AB ORIGINE PISAE. *Alpheus*, fluvius est inter *Pisas* & Elidem, civitates Arcadiae, ubi est templum Jovis Olympici: ex quibus locis venerunt, qui *Pisas* in Italia condiderunt, dictas a civitate pristina: unde nunc addidit: URBS HETRUSCA SOLO: cum praemisisset: ALPHEAE AB ORIGINE PISAE. Sane *Pisas* antiquitus conditas a Peloponeso profectis; vel ab his, qui cum Nestore ab Ilio venerunt. Alii *Pisum*, Celtarum regem, fuisse Apollinis Hyperborei filium, & cum Samnitibus bellum gessisse, a quorum regina, quae post conjugis mortem imperio successerat, receptum, in Etruria oppidum suo nomine condidisse. Alii locum * ex deo privigno genitum,

180 Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt, (mens omnibus una sequendi)
Qui Caerete domo, qui sunt Minionis in arvis.
Et Pyrgi veteres, intempestaeque Graviscae.
185 Non ego te, Ligurum ductor fortissime bello,
Trans-

SERVII.

tum, juvenem viribus magnis, *Pisas* condidisse ajunt: Cato Originum I. qui *Pisas* tenuerint ante adventum Etruscorum, negat sibi compertum; sed inveniri Tarchontem, Tyrrheno oriundum, postquam eorum locorum dominium ceperit, Pisas condidisse; cum ante regionem eandem Teutones quidam, Graece loquentes, possederint. Alii, ubi modo *Pisae* sunt, Phocida oppidum fuisse ajunt, quod nobis iudicio est a Peloponneso originem id oppidum trahere. Alii incolas ejus oppidi Teutas fuisse, & ipsum oppidum Teutam nominatum, quod postea *Pisas* Lydi lingua sua Lunarem portum significare dixerunt; quare huic urbi a Portu Lunae nomen impositum. Alii ab Epeo, Trojani equi fabricatore, conditum tradunt, qui cum aliis Graecis in hanc regionem rejectus est: ubi, postquam Trojanae captivae metu dominarum, ad quas deducebantur, naves incenderunt, desperatione reditus remansit, urbemque condidit, & ab ea, quae est in Peloponneso, *Pisas* cognominavit.

181. EQUO FIDENS. Id est, eques optimus. Quidam *Astur*, pro, *Astures* accipiunt, apud quos equi & equites optimi perhibentur. VERSICOLORIBUS ARMIS. Depictis: per quod bellicosus ostenditur.

182. TERCENTUM ADJICIUNT. Accedunt & consentiunt ejus voluntati: unde ait: MENS OMNIBUS UNA SEQUENDI: id est, conjurati sunt. Probus *adjiciunt*, adjacent, & quasi juxta sunt, tradit.

183. QUI CAERETE DOMO. Ac si diceret: qui sunt domo Carthagine. *Caere* autem, ut & supra diximus, etiam Agylla, dicitur, ἀπὸ τ̃ χαίρειν, quod verbum salutandi gratia apud Graecos dici solet. Hanc Pelasgi condiderunt, qui cum sitim passi, nec usquam aquam invenientes, casu quodam fontem invenissent, in eodem loco oppidum condiderunt. Nec videatur contrarium, quod ait: *Ducit Agyllina nequidquam ex urbe secutos:* quasi & Turno & Aeneae praestet auxilium: nam & illi Lausum fugientem secuti sunt; hi vero communi odio & consilio totius civitatis in Mezentium arma commoverunt. MINIONIS. Fluvius est *Minio* Thusciae, ultra Centumcellas.

184. ET PYRGI VETERES. Hoc castellum nobilissimum fuit eo tempore, quo Thusci piraticam exercuerunt: nam illic metropolis fuit: quod postea expugnatum a Dionysio, tyranno Siciliae, dicitur, de quo Lucilius: *Scorta Pyrgentia*. INTEMPESTAEQUE GRAVISCAE. *Graviscanum* oppidum, alii *intempestum* dicunt, ventis & tempestatibus carens: quod nulla potest ratione contingere. *Intempestas* ego *Graviscas*, accipimus pestilentes: & secundum Plinium in Naturali historia, & Catonem in Originibus, ut *intempestas* intelligas sine temperie, id est, tranquillitate: nam ut ait Cato: *Ideo Graviscae dictae sunt, quod gravem aerem sustinent*.

185. LIGURUM DUCTOR. Nam Liguria post Thusciam est, circa Gallos.

PIERII.

172. SEXCENTOS ILLI. Adeo varia est scribendi ratio, si omnia consectere, ut nullum pene verbum invenias uno modo scriptum, quod alia aut alia aetas aliter non scripserit. *Sexcentos* quidem nemo non per x notat; sunt tamen antiqui codices, in quibus id nomen per s notatum invenias *sescentos*, quum tamen aetates quaedam aliae s in x mutare gauderent: ut in nomine *Xecundus* fieri solitum, superius indicavimus.

183. QUI CERETE DOMO. Non referam loco hoc codicum varietates, quum omnino casta lectio sit *Cerete domo*, ea elocutione, qua dictum alibi: *Qui genus unde domo*. Quaque dixit Horatius: *Unde domo*, *Quis*. Ita in ultima scena Paenuli Plautini, *domo Carthaginenses sunt*. Et quod Romae apud Zampolinos ostendit mihi Antonius Valla Theanen. antiqua inscriptione notatum, D. PERUSIA, quod signat *Domo Perusia*. Atque in iisdem aedibus:

POLINGENVOS DOMO
BONDINCOMAGUS.

Ex quo locus apud Plinium examinandus de *oppido Bondinco*, in Padi hostio.

184. INTEMPESTAEQUE GRAVISCAE. In Romano codice, *Gabiscae* legitur, Librariorum imperitia: *Graviscas* enim, quod gravem aerem sustineant, dictas ajunt.

Transierim, Cinyra, & paucis comitate Cupavo,
Cujus olorinae surgunt de vertice pennae:
Crimen amor vestrum, formaeque insigne paternae.
Namque ferunt, luctu Cycnum Phaethontis amati,
190 Populeas inter frondis, umbramque sororum
Dum canit, & maestum Musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam;
Linquentem terras, & sidera voce sequentem.
Filius, aequales comitatus classe catervas,
195 Ingentem remis Centaurum promovet: ille

In-

SERVII.

186. CYCNE. Cunare: quidam duci nomen datum tradunt a Cunaro monte, qui in Piceno. CUPAVO. Hic *Cupavo*, & declinatur *Cupavo*, sicut *Cicero*, *Cato*.

188. CRIMEN AMOR VESTRUM. Phaetontem a Cycno amatum aut pie, aut turpiter, accipiamus necesse est. Si turpiter, talis est sensus: Crimen vestrum est, o Cycne, & Phaeton, quod sic amastis: hoc vobis tantum potest objici. Alii *vestrum*, pro, tuum accipiunt: & ad solum Cycnum referunt, ut: *Vos, o Calliope, precor:* si pie amavit, secundum Asprum, *crimen* erit causa, ut 11. Aeneid. *Et crimine ab uno disce omnes*, ut sit sensus: O Phaetontiades sorores, & o Cycne, causa vestrum, id est, vestrae mutationis, amor est: quia sic Phaethontem amastis, ut periretis.

189. NAMQUE FERUNT LUCTU CYCNUM PHAETONTIS AMATI. *Phaeton*, Clymenes & Solis filius fuit, qui cum doleret objectum sibi ab Epapho, rege Aegypti, quod esset non de Sole, sed de adulterio procreatus, duce matre venit ad Solem, & poposcit, ut, si vere esset ejus filius, petenda praestaret: quod cum Sol jurasset per Stygem paludem se esse facturum, petit ille, ut ejus currus agitaret. Sol post jusjurandum negare non potuit. Acceptis itaque curribus Phaeton, cum orbitam Solis excessisset, & coepisset mundus ardere, a Jove fulminatus, in Eridanum cecidit, qui & Padus vocatur. Hujus interitum flentes sorores, Phaetusa & Lampetusa, deorum miseratione in arbores commutatae sunt: ut hic dicit, in *populos:* ut in Bucolicis, in *alnos*. Fuit etiam quidam Ligus, *Cycnus* nomine, dulcedine cantus ab Apolline donatus; amator Phaetontis, qui cum eum fleret extinctum, longo luctu in avem sui nominis versus est: qui postea ab Apolline inter sydera conlocatus est: cujus nunc filium *Cupavonem* dicit habere *cycni* pinnas in galea, ad formae paternae insigne monstrandum.

190. UMBRAMQUE SORORUM. Ambitiose dictum, pro, inter arbores de sororibus factas. Et est unum de his, quae habet Virgilius inimitabilia, & sua propria. Tale est illud: *Sinuatque alterna volumina crurum*. Item: *Cum primum sulcos aequant sata*.

191. MUSA. Carmine, cithara, cantilena.

192. CANENTEM SENECTAM. *Qui canentem senectam* [pro albo colore neoterice dictum putant] mollibus transegit in plumis.

193. SYDERA VOCE SEQUENTEM. Cum cantu caelum petentem: vel, quod est re vera relatus in sydera, sicut videmus in sphaera.

194. AEQUALES COMITATUS CLASSE CATERVAS. Aut aequaliter habens per naves distributas catervas: aut ipsi duci pares virtute.

195. CENTAURUM. Aut nomen navis; aut qui erat in navi pictus.

PIERII.

186. TRANSIERIM CIGNE. Sive *Cicne*, ob cognationem; sed enim nomen hoc in antiquis exemplaribus aliter scriptum inveni. Siquidem in eo codice, quem Pomponii Laeti delicias fuisse dicunt, & in vetustis aliis plerisque, qui apud me sunt, atque etiam in aliquot aliis Vaticanae bibliothecae, legitur, *Cinero:* in Romano *Cumaro*. *Cycne* vero, & *Cygne*, divulgatorum est exemplarium. Non enim hic Ligurum ductor *Cycnus;* sed insignis cycni gestamine Inducitur ob ejus Cycni memoriam, qui luctu Phaethontis canentem molli pluma duxisse senectam fertur.

187. OLORINAE SURGUNT DE VERTICE PENNAE. In Romano codice: *pinnae*, ut adsolet. In aliquot aliis, *cristae* notatum est; sed *cristae*, paraphrasin fuisse crediderim.

Inſtat aquae; ſaxumque undis inmane minatur
Arduus, & longa ſulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet Ocnus ab oris,
Fatidicae Mantus & Tuſci filius amnis:
200 Qui muros matriſque dedit tibi, Mantua, nomen;
Mantua dives avis. Sed non genus omnibus unum.
Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni:
Ipſa caput populis: Tuſco de ſanguine vires.
Hinc quoque quingentos in ſe Mezentius armat,
205 Quos patre Benaco velatus arundine glauca

Mi-

SERVII.

198. OCNUS. Iſte eſt *Aucnus*, quem in Bucolicis Bianorem dicit, ut: *Namque ſepulchrum Incipit apparere Bianoris*. Hic *Mantuam* dicitur condidiſſe, quam a matris nomine appellavit: nam fuit filius Tyberis & *Mantus*, Tyreſiae Thebani vatis filiae, quae poſt patris interitum ad Italiam venit. Alii *Mantos* filiam Herculis vatem fuiſſe dicunt. Hunc *Ocnum* alii Auletis filium, alii fratrem, qui Peruſiam condidit, referunt: &, ne cum fratre contenderet, in agro Gallico Ceſenam, quae nunc Bononia dicitur, condidiſſe: permiſiſſe etiam exercitui ſuo, ut caſtella munirent, in quorum numero *Mantua* fuit. Alii a Tarchonte Tyrrheni fratre conditam dicunt: *Mantuam* autem ideo nominatam, quod Etruſca lingua *Mantum*, Ditem patrem appellant, cui etiam cum caeteris urbibus & hanc conſecravit. *Mantus* vero, genitivus Graecus eſt: nam ſi Latine declinaveris, *Mantonis* facit, ſicut in Plauto legimus, *Ionis*.

201. DIVES AVIS. Maioribus praepotens. Et bene *dives avis*, quia non ab Ocno, ſed ab aliis quoque condita fuit: primum namque a Thebanis; deinde a Tuſcis; noviſſime a Gallis; vel, ut alii dicunt, a Sarſinatibus, qui Peruſiae conſederant. SED NON GENUS OMNIBUS UNUM. Quia origo Mantuanorum & a Tuſcis venit, qui in Mantua regnabant, & a Venetis: nam in Venetia poſita eſt, quae & Gallia Ciſalpina dicitur.

202. GENS ILLI TRIPLEX, POPULI SUB GENTE QUATERNI. Quia Mantua tres habuit populi tribus, quae in quaternas curias dividebantur: & ſingulis ſinguli Lucumones imperabant, quos in tota Tuſcia duodecim fuiſſe manifeſtum eſt: ex quibus unus omnibus praeerat. Hi autem totius Tuſciae diviſas habebant quaſi praefecturas; ſed omnium populorum principatum Mantua poſſidebat: unde eſt: *Ipſa caput populis*. Ergo Virgilius miſcet novam & veterem Etruriam; ut utriuſque principatum patriae ſuae adſignet; cum alioquin Mantua ad haec auxilia pertinere non debeat; quod Aeneas nulla a Tranſpadanis auxilia poſtulaverit, cum omnis exercitus adverſum Mezentium uno loco conſederit: & propterea putetur Poeta in favorem patriae ſuae hoc locutus, ut de hac ſola trans Padum pro Aenea adverſum Mezentium auxilia faciat veniſſe, & quod nec populorum nomina, nec Lucumonum retulerit.

203. TUSCO DE SANGUINE VIRES. Robur totum a Lucumonibus habuit.

204. IN SE ARMAT. Id eſt, odio ſui in arma compellit.

205. PATRE BENACO VELATUS ARUNDINE GLAUCA MINCIUS. *Benacus*, lacus eſt Venetiae, de quo fluvius naſcitur *Mincius*. Jure ergo Dux Venetus fluvium provinciae ſuae depinxit in navi: quem Benaci filium, quia ex ipſo habet originem, dicit.

PIERII.

198. ILLE ETIAM PATRIIS AGMEN CIET OCNUS AB ORIS. In antiquo ſatis exemplari legere eſt, *quin etiam patriis*. Hemiſtichium vero reliquum duabus tranſpoſitis dictionibus, in uno ex antiquioribus, qui ſunt in Vaticana bibliotheca, legitur, *Patriis Ocnus ciet agmen ab oris*. Eſt & ubi legatur, *Ognus*, per G, uti *Cycnus*, & *Cygnus*.

205. QUOS PATRE BENACO. In Romano codice, *Venaco*, more ſuo ſcriptum eſt per V digammon. Quin etiam Adamantii Martyrii regula eſt, ut in iis, quae utrum per B mutam, an per V digammon ſcribenda ſint, quaerit, ſive producta fuerit prima ſede collocata, ſi quidem maſculini vel neutri generis exiſtant, per V ſignari, ut *venator*, *velum*, *veretrum*, *τὸ μό-* *[illegible]*, *venabulum*: & ſimilia. Si vero foeminina ſint, tantummodo quorum origo a maſculino venire non cernitur, per B mutam ſcribi

de-

Mincius infesta ducebat in aequora pinu.
It gravis Aulestes, centenaque arbore fluctus
Verberat adsurgens: spumant vada marmore verso.
Hunc vehit inmanis Triton, & caerula concha
210 Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem praefert, in pristin desinit alvus;
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio Trojae, & campos salis aere secabant.

Jam-

SERVII.

207. GRAVIS. Fortis, ut: *Ferit ense gravem Tymbreus Osyrim*: vel *gravis*, aut animo, aut aetate, aut *gravis*, propter navem: nam sequitur: *Centenaque arbore fluctum Verberat assurgens*. CENTENAQUE ARAORE. Non ait remis, sed arboribus, ad exprimendam navis magnitudinem, quae plures habuit remorum ordines: unde ait Lucanus: *Et summis longe ferit aequora remis*.

208. MARMORE. Mari. TRITON. Pictus, in navis prora sedens: & sic ait, quasi de vero Tritone, ut: *Galea alta Chimaeram Sustinet, Aetnaeos efflantem faucibus ignes*. CAERULA. *Caerula freta*; non *concha caerula*, ne non stet versus, si *caerula*, fuerit septimus casus.

210. LATERUM TENUS. Ut: *Crurum tenus*, ἄχρι τῶν ταρσῶν. HISPIDA. Horrida, setosa.

211. FRONS HOMINEM PRAEFERT. Modo *frontem*, primam hominis partem intelligere debemus: nam hoc dicit: A capite usque ad ima latera, hominis monstrabatur effigies.

212. SPUMEA SEMIFERO. Incertum, utrum pictus, an ex aere factus.

213. TOT LECTI PROCERES. Quare Tarchontem praeteriit; An, quia illi omnes sub imperio ejus fuerunt? TER DENIS. Triginta naves accipiamus fuisse; non, ut quidam volunt, singulos duces tricenas naves habuisse: nam enumeratorum militum non convenit numerus; praesertim cum sequatur: SUBSIDIO TROJAE: id est, parvo auxilio: nam apud majores bella non ambitu, sed virtute constabant. TROJAE. Aut castra Aeneae dixit: aut *Trojae*, pro Trojanis.

PIERII.

debere, *besica*, *bellua*, *bestia*; designat tamen quae duarum fuerint syllabarum, ex quibus Beta, τὸ πεῦτλον, polisyllaba sequatur. Quare, qui *Venaco* scripsere, Adamantii sententiam secuti sunt. Sed enim quam ponit ille, *Besica*, nemo nunc per B scribit, si Latine: a vento vero eam deduci tradit Caper, & *vensica*, ea de caussa dicta est a nonnullis. Sunt praeterea multa alia, quae nunc aliter scribimus & enuntiamus, quam Adamantius praeceperit: *vernam* enim, per V scribimus & enuntiamus, pro servo domi nato, quem ille, uti superius diximus, tum differentiae caussa, tum etymologiae per B scribi praecipit. *Larva* etiam, τὸ δαιμόνιον, per V scribimus, ille per B mavult, *larba*, non aliter ac *herba*, *tuba*, *turba*. Similiter nos *naevus*, per V, ille per B, *nebus*, ut *cibus*, *rubus*. Contra vero, nunc omnium mos Latine scribentium est, ut *labor*, *balbusque*, per B mutam scribantur; ille *lavor*, ut *favor*, & *fervor*, scribit: & *balvum*, ut *curvum*, *facvum*, *torvum*, per V digammon. Sed utrum nos, an ille melius, incompertum est mihi: quum videam non solum inscriptiones tam multas a nostri temporis usu variare, verum etiam opinatissimorum hominum sententias super hac scribendi ratione latas. Sed enim optimum factu judicaverim ita se ad usum accommodare; ne, dum doctiores esse volumus, derisui habeamur. Sequamur vero M. Tullii Ciceronis exemplum, qui, quum pleraque aliter quam in usu forent, enuntianda cognosceret, libentissime tamen cessit consuetudini. Neque vero nos tam multa ex marmoribus, ex nomismatis, ex tabulis aeneis, ex diversorum Grammaticorum sententiis, ex veteribusque codicibus congessimus, ut omnia ea suscipienda censeremus: sed, ut quos Grammaticorum vulgus nunc errores appellat, non imperitia, sed temporum usu evenisse commoneremus.

207. CENTENAQUE ARBORE FLUCTUM VERBERAT. In Romano codice, *fluctus*, plurali numero.

211. IN PISTRIN DESINIT ALVUS. In antiquioribus *pristin*, de quo dictum.

214. SPUMAS SALIS AERE SECABANT. In aliquot antiquis codicibus, *ruebant*, legitur, versu aliunde repetito.

215 Jamque dies caelo concesserat: almaque curru
Noctivago Phoebe medium pulsabat Olympum:
Aeneas (neque enim membris dat cura quietem)
Ipse sedens clavumque regit velisque ministrat.
Atque illi medio in spatio chorus, ecce, suarum
220 Occurrit comitum: Nymphae (quas alma Cybele
Numen habere maris, Nymphasque e navibus esse
Jusserat) innabant pariter, fluctusque secabant,
Quot prius aeratae steterant ad litora prorae.
Adgnoscunt longe regem, lustrantque choreis.
225 Quarum, quae fandi doctissima, Cymodocea
Pone sequens dextra puppim tenet, ipsaque dorso
Emi-

SERVII.

215. JAMQUE DIES CAELO CONCESSERAT. Non dicit diem intervenisse: nam supra ait: *Media Aeneas freta nocte secabat*. Et *caelo concesserat*, pro in caelo, & deest, nocti.

216. NOCTIVAGO. Nomen mire compositum. Cursus enim Lunae non rectus est per Zodiaci medium, sicut Solis, qui cursus agit per Eclipticam lineam, quae Zodiacum bifariam dividit; cum Luna ad extremas Zodiaci decurrat oras, nunc in austrum, nunc in septemtrionem declinans, & vagans. Id autem *vagum* appellatur, quod non rectam secat viam; sed errare dicitur: unde & ἀπὸ τῆς πλάνης, id est, *ab errore*, Πλανῆται vocati sunt. PHOEBE. Luna; sicut Sol, *Phoebus*. Item & Titan, Sol; & Titanis, Luna. Describit autem mediam noctem, & dicit finitum diem secundum Romanum ritum, qui a media nocte diem numerant; & noctem similiter a medio die. Nec Lunae fit sine caussa commemoratio: nam aliter Nymphae videri non poterant.

218. CLAVUMQUE REGIT. Pro, clavo navem regit: & dat Aeneae, sicut jam in quinto libro, gubernandi peritiam. VELISQUE MINISTRAT. *Velis*, quidam dativum volunt, non ablativum; ut si dicamus, *aliquem ministrare convivis*.

219. MEDIO IN SPATIO. Inter navigandum. CHORUS COMITUM NYMPHAE. De navibus factae: & mire *comitum*, quia cum eo venerant.

220. ALMA CYBELE. A *Cybelo*, Phryge, qui primus ei sacrum instituit, alma Mater Deum dicta *Cybele*; vel ἀπὸ τοῦ κυβιστᾶν τὴν κεφαλὴν, id est, *capitis rotatione*: quod semper Galli, per furorem motu capitis comam rotantes, ululatu futura praenuntiabant. Lucanus: *Crinemque rotantes Sanguinei populis ulularunt tristia Galli*. *Cybele* autem, Bacchius est: nam *Cybele*, Anapaestus est, ut: *Hic mater cultrix Cybele*: vel a *Cybelo* sacerdote, vel a Cybele.

222. INNABANT PARITER. Quia de navibus versae.

223. QUOT PRIUS. Id est, quantae; ad numerum retulit: ergo subtrahit, *tot*.

224. LUSTRANTQUE. Circumdant, & circumeunt.

225. DOCTISSIMA CYMODOCEA. Poetice: sicut etiam mutatio ipsa confingitur. Ergo *doctissima*, quae divinitus hanc doctrinam fuerit consecuta: nam stultissimum est, quod quidam ait: ideo *doctissima*, quia Ilionei navis fuit.

226. PONE SEQUENS. Hoc quidam ideo dictum tradunt, quod adversae videri nolunt: unde Eclog. VIII. est: *Transque caput jace, ne respexeris*. DORSO EMINET. Peritia natandi ostenditur.

PIERII.

215. JAMQUE DIES COELO DISCESSERAT. In antiquis exemplaribus, quod valde placet, *concesserat*, legitur: quamvis *discesserat* non improbem.

223. QUOT PRIUS AERATAE STETERANT AD LITTORA PRORAE. Versum hunc superius habundare diximus: neque in veteribus codicibus, nisi adscriptum inveniri; hic vero congruum habet locum. Caeterum in Oblongo codice, non *prorae*, sed *naves*, scriptum est. In aliquot aliis, *puppes*, legitur: quod ideo placet, quia, uti eo loco superiore dicebamus, prorae pelago obvertuntur, stant litore puppes.

Eminet, ac laeva tacitis subremigat undis.
Tum sic ignarum adloquitur. Vigilasne, Deum gens,
Aenea? vigila, & velis immitte rudentes.
230 Nos sumus Idaeae sacro de vertice pinus,
Nunc pelagi Nymphae, classis tua. Perfidus ut nos
Praecipites ferro Rutulus flammaque premebat;
Rupimus invitae tua vincula, teque per aequor
Quaerimus. Hanc genetrix faciem miserata refecit,
235 Et dedit esse deas, aevumque agitare sub undis.
At puer Ascanius muro fossisque tenetur
Tela inter media atque horrentis Marte Latinos.
Jam loca jussa tenent forti permixtus Etrusco
Arcas eques. Medias illis opponere turmas,
240 Ne castris jungant, certa est sententia Turno.
Surge age, & Aurora socios veniente vocari.

Pri-

SERVII.

227. TACITIS. Aut ipse tacitus; aut pro, tacite, & leniter. SUBREMIGAT. Subnatat.

228. IGNARUM ADLOQUITUR. Aut praesentiae suae ignarum, aut quod e navibus Nymphae factae sunt. VIGILASNE DEUM GENS. Verba sunt sacrorum; nam virgines Vestae certa die ibant ad Regem sacrorum, & dicebant: *Vigilasne rex? vigila*. Quod Virgilius jure dat Aeneae, quasi & Regi, quem ubique & Pontificem, & sacrorum inducit peritum. Et bene primo interrogat; deinde quod *vigilat*, approbat. DEUM autem GENS. Propter, *Diis genite, & geniture deos*.

229. VELIS IMMITTE RUDENTES. Hoc est, rudentibus vela immitte, id est, laxa, ut est illud Georg. III. *Notas odor attulit auras: Immissi* autem dicuntur *rudentes*, cum vela laxantur.

230. SACRO DE VERTICE. Argute *sacro*, ne miretur Aeneas deas factas. PINUS. Hoc loco, secundum quartam declinationem dixit: in Bucolicis juxta secundam, ut: *Menalus argutumque nemus, pinosque loquentes Semper habet*. NOS SUMUS. Loquitur per definitiones.

231. PERFIDUS. Qui post foedus bella commovit. Hinc Latinus: *Ipsi has sacrilego pendetis sanguine poenas*. Alii e communi sermone *perfidum* Rutulum dici, quia ipsa Trojana est. UT NOS. *Ut*, pro quoniam. Plautus in Pseudolo: *Ut lassus veni de via, me volo curare*. Et in Mostellaria: *Eundem animum mihi oportet esse gratum, ut impetravi:* pro quoniam.

232. PRAECIPITES. Nomen pro adverbio, praecipitanter.

233. RUMPIMUS. Propter illud: *Continuo puppes abrumpunt vincula ripis*. INVITAE. Ac si diceret: malueramus tibi potius servire, quam in Nympharum numina commutari. TEQUE PER AEQUOR QUAERIMUS. Id est, haec nobis vagandi causa est, ut te invenire, & juvare possimus.

234. REFICIT. Aut vacat RE: aut quia in ipsis forma fuerat navium: ergo alteram fecit.

235. ET DEDIT ESSE DEAS. Graeca figura, ut: *Donat habere viro*. AEVUM. Immortalitatem. AGITARE. Διάγειν, hoc est, agere.

238. JAM LOCA JUSSA TENET. Ut & supra diximus, hoc κατὰ τὸ σιωπώμενον accipiendum est; nam intelligimus, eum equites misisse per terram.

240. NE CASTRIS JUNGANT. Aut SE subaudis: aut *jungant*, pro jungantur.

241. SOCIOS VENIENTES VOCARI. Antiquo verbo militiae usus est: *viros* enim *vocari* significat eos, qui necessitate in bellum, non voluntate conveniunt.

PIERII.

228. TUNC SIC IGNARUM ADLOQUITUR. In Romano codice, *ignavum*, librarii omnino indiligentia scriptum est.

233. RUMPIMUS INVITAE TUA VINCULA. In codicibus aliquot antiquis, omnino *rumpimus* habetur; sed in Mediceo, & plerisque aliis, *rupimus*, praeterito tempore.

Primus in arma jube, & clipeum cape: quem dedit ipse
Invictum Ignipotens, atque oras ambiit auro.
Crastina lux, mea si non inrita dicta putaris,
245 Ingentes Rutulae spectabit caedis acervos.
Dixerat: & dextra discedens inpulit altam,
Haud ignara modi, puppim. Fugit illa per undas
Ocior & jaculo, & ventos aequante sagitta.
Inde aliae celerant cursus. Stupet inscius ipse
250 Tros Anchisiades: animos tamen omine tollit.
Tum breviter supera aspectans convexa precatur:
Alma parens Idaea Deum, cui Dindyma cordi,
Turrigeraeque urbes, bijugique ad frena leones;
Tu mihi nunc pugnae princeps, tu rite propinques
255 Augurium, Phrygibusque adsis pede, diva, secundo.

Tan-

SERVII.

245. CRASTINA LUX MEA &c. SPECTABIT CAEDIS ACERVOS. *Spectabit*, est vera lectio: & ordo est: Si mea dicta iotita non putaris, crastina lux ingentes acervos caedis videbit; nam male quidam SPECTABIS legunt, & ad lucem referunt; quod oon procedit: nullus enim sic loquitur: O Aenea, si quae dico mioime credis, o lux crastina, ingentes caedis acervos videbis. Alii more aotiquo *lux*, pro luce accipiunt. Lucilius io tertio: *Hinc media remis Palinurum pervenio nox:* pro nocte. Longus ait: Deest *veneris:* uode & ipse, *spectabit*, legit.

246. DEXTRA DISCEDENS IMPULIT. Mire *discedens:* adjuvatur enim pulsus recedente eo, qui impulerit.

247. FUGIT. Pro velociter posuit. HAUD IGNARA MODI. Moderationis. Impulit navem libramento peritiae & moderationis: quippe quae fuerat navis.

248. OCIOR ET JACULO. Breviter tribus comparavit: quoniam & sagittam ventis aequavit.

249. INDE ALIAE CELERANT CURSUS. Hoc est, inde aliae Nymphae aliarum navium cursus celeriores efficiunt, sicut fecerat Cymodocea. An, *aliae naves?* INSCIUS. Id est, rerum, quas audierat; nam credere ex aperto non poterat.

250. OMINE. Augurio promissae victoriae.

251. CONVEXA. Hic, *convexa*, epitheton est, quia ait: *supera convexa:* alibi solum *convexa*, principale est.

252. ALMA PARENS IDAEA DEUM. *Alma*, proprie *tellus* est, ab eo, quod nos alat: abusive tamen etiam aliis numinibus hoc epitheton datur. Terram autem ipsam constat Matrem Deum esse; unde & simulacrum ejus cum clavi pingitur; nam terra aperitur verno; hyemali clauditur tempore. DINDYMA, Mons Phrygiae.

253. TURRIGERAEQUE URBES. Civitates turritae, quas terra gerit; unde & cum corona turrita Mater Deum piogitur. AD FRENA LEONES. Ideo hoc fingitur, quod omnis feritas maternae subjacet affectioni, & subjugata est. Figurate autem, *leones ad frena bijugi*, id est, frenati leones.

254. PROPINQUES. Facilius efficias, prosperes, matures, propitium facias, ut: *Et propius res aspice nostras.*

255. PHRYGIBUSQUE ADSIS. Ac si diceret, & cultoribus tuis.

PIERII.

242. PRIMUS IN ARMA. Sunt codices antiqui, ubi *pronus in arma* sit scriptum; sed *primus*, castior lectio. QUEM DEDIT IPSE INVICTUM IGNIPOTENS. In codicibus aliquot antiquis legere est: *Quem dedit ingens;* sed *ipse*, magis placet, & pondus habet.

251. SUPERA ASPECTANS CONVEXA. In nonnullis codicibus antiquis, *spectans*, legitur; sed magis placet, *adspectans*.

Tantum effatus: & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio sociis edicit, signa sequantur,
Atque animos aptent armis, pugnaeque parent se.
260 Jamque in conspectu Teucros habet, & sua castra,
Stans celsa in puppi: clipeum cum deinde sinistra
Extulit ardentem. Clamorem ad sidera tollunt
Dardanidae e muris. Spes addita suscitat iras.
Tela manu jaciunt: quales sub nubibus atris
265 Strymoniae dant signa grues, atque aethera tranant
Cum sonitu, fugiuntque notos clamore secundo.
At Rutulo regi ducibusque ea mira videri
Ausoniis; donec versas ad litora puppes
Respiciunt, totumque adlabi classibus aequor.

Ar-

SERVII.

256. TANTUM EFFATUS. Breviter, ut supra dixit, propter lucem jam maturam, id est, plenam; nam non crepusculum; sed lux matura describitur. REVOLUTA. Id est, aperta: sicut contra, involutum dicimus esse, quod clausum est. RUEBAT autem, non occidebat; sed oriebatur, cum impetu veniebat: quia per orbem, ut: *Et ruit Oceano nox:* Est autem, hysteron proteron in sensu: prius enim nox fugatur, & sic dies oritur.

257. MATURA. Multa, quasi tempestiva, & quam jam esse oportebat: aut satis plena & clara.

258. SOCIIS EDICIT. Secundum dicta Nymphae. SIGNA SEQUANTUR. Vel tesserae, vel tubarum, vel re vera signa militaria.

264. QUALES SUB NUBIBUS ATRIS. Id est, altis modo.

265. STRYMONIAE GRUES. A fluvio Thraciae *Strymone*, juxta quem habitant. Haec autem comparatio non ad telorum pertinet jactum, sed ad Trojanorum clamorem: nam & Homerus sic posuit; a quo sumitur comparatio:

Τρῶες μὲν κλαγγῇ τ' ἐνοπῇ τ' ἴσαν, ὄρνιθες ὣς
Ἠΰτε περ κλαγγὴ γεράνων πέλει οὐρανόθι πρό,
Αἵ τ' ἐπεὶ ἂν χειμῶνα φύγον καὶ ἀθέσφατον ὄμβρον
Κλαγγῇ ταίγε πέτονται ἐπ' ὠκεανοῖο ῥοάων.

266. FUGIUNTQUE NOROS. Aut quosvis ventos frigidos: nam etiam grues significant tempestatem futuram, ut in Georgicis legimus: *Aut illum surgentem vallibus imis Aeriae fugere grues:* aut re vera *notos:* horum enim calorem fugiunt, cum revertuntur in Thraciam ex Aegypto. SECUNDO. Num laeto? Trojanorum clamor ex gaudio.

269. ALLABI CLASSIBUS AEQUOR. Labi cum classibus; aut, aequore classem labi. Quidam ita exponunt, & hoc ad phantasiam Rutulorum referunt: quoniam admirantibus his unde tanta fiducia animos Trojanorum incessisset, repentina facies multarum adpropinquantium perinde visa est, atque si ipsum aequor cum classibus allaberetur.

PIERII.

261. CLYPEUM TUM OEINOE SINISTRA EXTULIT AROENTEM, CLAMOREM AO SIDERA TOLLUNT DARDANIOAE. In antiquis plerisque codicibus, *clipeum cum*, & *quom* legitur: hoc est, Quom inde extulit clipeum, Dardanidae clamorem tollunt. Altera tamen lectio per dissoluta membra magis poetica est.

263. DAROANIDAE E MURIS. In Romano codice, *Dardanidae muris*, absque *e* particula legitur, adverbialiter. Reliqua exemplaria, *e muris*, habent. Eamque lectionem agnoscit Probus, ubi fieri synaloepham ait, quum diphthongus in simplicem longam cadit, hoc exemplo.

270 Ardet apex capiti, criſtiſque a vertice flamma
Funditur, & vaſtos umbo vomit aureus ignes:
Non ſecus, ac liquida ſi quando nocte cometae
San-

SERVII.

270. ARDET APEX CAPITI. Ex ſequentibus intelligimus Aeneae armorum fieri deſcriptionem; nam dicturus eſt: *At non audaci Turno fiducia ceſſit*: quamvis talia arma conſpiceret. Si tamen primam reſpicias connexionem, quaſi de Turno videtur dicere: quod non procedit. *Apex*, coni altitudo hoc loco. Eſt autem Homeri & locus & comparatio:

Παμφαίνονθ' ὥς τ' ἀστέρ' ἐπεσσύμενον πεδίοιο,
Ὅς ῥά τ' ὀπώρης εἶσιν, ἀρίζηλοι δέ οἱ αὐγαὶ
Φαίνονται, πολλοῖσι μετ' ἀστράσι νυκτὸς ἀμολγῷ,
Ὅν τε κύν' Ὠρίωνος ἐπίκλησιν καλέουσι
Λαμπρότατος μὲν ὅ γ' ἐστὶ, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται,
Καί τε φέρει πολλὸν πυρετὸν δειλοῖσι βροτοῖσιν.

Hoc autem iſte violentius poſuit, quod ille tantum ſtellae facit comparationem; hic etiam ſtellae peſtiferae, reſpiciens quas clades Rutulis ſit illaturus Aeneas. Poſſumus tamen *Apex capiti* accipere, utrumque eum fuiſſe complexum, cum dicit: *Ardet apex capiti, criſtiſque a vertice flamma Funditur*: & ſacerdotis, per *apicem*, & viri fortis facere mentionem: dicitur autem *apex*, virga, quae in ſummo pileum Flaminum lana circumdata, & filo conligata erat; unde etiam Flamines vocabantur. Hoc autem nomen a veteribus tractum eſt: *apere* enim, veteres ritu Flaminum *adligare* dicebant; unde *apicem* dictum volunt.

272. COMETAE SANGUINEI LUGUBRE RUBENT. Pro, lugubriter. *Cometae* autem, Latine Crinitae appellantur: & Stoici dicunt has ſtellas eſſe ultra XXXII. quarum nomina & affectus Avienus, qui iambis ſcripſit Virgilii fabulas, memorat. Plinius etiam Secundus dicit: *Cometas, ſtellas eſſe naturales, quae apparent certis temporibus*. Ita hoc quoque commemorat: *cometas* fieri de planetis quinque; unde interdum bona: interdum peſſima ſignificant; nam ſi de Venere aut Jove fiant, optima praenuntiant; ſi de Marte aut Saturno, deteriora; nam Mercurius ſemper talis eſt, qualis ille, cui cohaeret; unde & miniſter deorum fingitur. Hinc eſt ergo quod ait modo: *Cometae ſanguinei lugubre rubent*, id , noxii. Hanc ſtellam Electram dicunt, cum qua Juppiter concubuit, quae, cum Trojam ardentem videret, capillum lacerabat, atque ita in aſtra eſt recepta. Sane Avienus *cometarum* has differentias dicit: Stella, quae obliquam faciem poſt ſe trahens, quaſi crinem facit, Hippius vocatur; iſta, ſi ab occaſo Solis in ortum veniat, mala Perſidi & Syriae oſtendit; ſi ad meridiem tetenderit, Africam & Aegyptum a malis relevat, ſolis pecoribus peſtem denuntians; ſi ſeptentrionem reſpexerit, Aegyptum bellis & miſeriis premit; ſi occidentem tetenderit, gravat Italiam, & quidquid ab Italia uſque ad Hiſpanias tendit; ſi a meridie in ſeptentrionem ierit, a bellis quidem externis ſecuritatem denuntiat, ſed ſeditiones domeſticas ſignificat. Alter *Cometes* eſt, cui ex gladio nomen eſt, (nam Graece ξιφίας appellatur) cujus tractus eſt longior, & pallidus color, neque comas habere dicitur, & hebetior ejus flamma eſt; qui ſi orientem adtenderit, Regem Perſidis dolis ſignificat appetendum: denuntiat & bella: etiam Syrios pari conditione involvit: & Libyam atque Aegyptum fraude & inſidiis nuntiat poſſe laborare; quod ſi occidentem attenderit, foedera nova regionis ejus regi ſignificat, quae dicit per puellam congregatam in nuptias poſſe diſſolvi. Alter *Cometes* eſt, qui Lampadias appellatur, & quaſi fax lucet; hic cum orientem attenderit, omnes illas orientis partes dicit nebulis poſſe laborare, frugeſque eorum caliginoſo aere corrumpi; ſi meridiem attenderit, Africam dicit ſiccitate, & ſerpentibus poſſe laborare; ſi occidentem ſpectaverit, Italiam dicit adſiduis fluminum inundationibus laborare; ſi ſeptentrionem viderit, ſamen gentibus ſeptentrionalibus ſignificat. Eſt etiam alter *Cometes*, qui vere *Cometes* appellatur; nam comis hinc inde cingitur. Hic blandus eſſe dicitur; qui, ſi orientem attenderit, laetas res ipſi parti ſignificat; ſi meridiem, Africae aut Aegypto gaudia; ſi occidentem inſpexerit, terra Italiae voti ſui compos erit. Hic dicitur apparuiſſe eo tempore, quo eſt Auguſtus fortitus imperium; tunc denique gaudia omnibus gentibus futura ſunt nuntiata; ſi ſeptentrionem attenderit, proſpera univerſa ſignificat. Eſt alter *Cometes*, in tympani modum, quia & valde lucet, & Electri colorem habet, quem Diſceum vocant; quoniam iſte ex imo loco ſolet gigni, orbi terrarum caedes, rapinas, bella, & caetera mala ſignificat. Sextum *Cometem* appellari ex Regis *Typhonis* nomine, Typhonem dicunt, qui ſemel in Aegypto ſit viſus, qui non igneo, ſed ſanguineo rubore fuiſſe narratur; globus ei modicus dicitur & tumens; crinem ejus tenui lumine apparere fertur, qui in Septentrionis parte aliquando fuiſſe dicitur: Hunc Aethiopes dicuntur & Perſae vidiſſe, & omnium malorum & famis neceſſitates per-

Sanguinei lugubre rubent, aut Sirius ardor:
Ille sitim morbosque ferens mortalibus aegris
275 Nascitur, & laevo contristat lumine caelum.
Haud tamen audaci Turno fiducia cessit
Litora praecipere, & venientis pellere terra.
(Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:)
Quod votis optastis, adest, perfringere dextra:
280 In manibus Mars ipse, viri. Nunc conjugis esto
Quisque suae tectique memor: nunc magna referto

SERVII.

pertulisse: quorum plena, vel pleniores differentias, vel in Necepso, vel Petosiri, siquem delectaverit, quaerat.

273. SIRIUS ARDOR. *Sirius*, stella est in ore canis: quae, ut in tertio diximus, quantum in ipsa est, pestifera est, sed pro qualitate adjacentium aut vincitur, aut majoribus utitur viribus: hinc est, quod, cum certo tempore semper oriatur, non semper est noxia. Sed secundum Physiologicos, idcirco calidius sidus putatur, quod ita malignam vim habet: nam quod naturam inimicam ori habeat, propterea fieri, ut aegro aquam hauriat ad restinguendam sitim: nam ideo eos, qui rabidi canis morsu continguntur, aquam refugere; &, ni cito subveniatur, perire siti: quia virus ejus animalis, quod contrarium ori sit, similiter in corpore humano saeviat.

275. LAEVO. Noxio hic, ut: *Si mens non laeva fuisset:* alibi pro bono, ut IIII. Georg. *Si quem numina laeva sinunt*. An potius *laevo*, noxio: quia canis circa Austrum est, & Astrologi judicia, quae sunt in eo caelo, *sinistra* vocant? Quod autem ait: CONTRISTAT LUMINE CAELUM cum de stella loqueretur, quam armis splendentibus comparavit, bene hoc Statius ad ipsa arma transtulit, dicens: *Armaque in auro Tristia*.

277. LITTORA PRAERIPERE. Pro, praeripiendi, & depellendi.

279. QUOD VOTIS OPTASTIS ADEST. Magna ars persuadentis est, ut, quod cupit fieri, in praejudicium trahat. Sic hoc loco, quia vult Turnus, ut optent pugnam ejus socii, hanc eos semper dicit, optasse. PERFRINGERE DEXTRA. Fortiter facere: & bene verbo usus est militari.

280. IN MANIBUS. Non jam in votis; sed manibus est res. ESTO. Pro, *sit:* tertia namque persona est.

281. REFERTO FACTA PATRUM. Alii hic distinguunt, ut sit, referat modo uniusquisque facta patrum & laudes. Et secutus Sallustium hoc dixit, qui ait, Hispanorum fuisse, ut in bella euntibus adolescentibus facta parentum memorarentur a matribus. Alii distinguunt: *Nunc magna referto facta:* ut duas res dixerit: nunc unusquisque & suorum factorum meminerit, & laudis parentum.

PIERII.

270. ARDET APEX CAPITI. In Romano codice, *capitis*, legitur; Sed enim magis placet *capiti*, dativo casu. CRISTISQUE A VERTICE FLAMMA FUNDITUR. Confusus nimium ordo, nisi vetera succurrerent exemplaria, ut antiquissimum illud Romanis litteris perscriptum, in quo legere est: *Cristisque ac vertice flamma funditur*: ita etiam in Mediceo. In aliquot aliis veteribus, *cristis ac vertice*, legitur, absque *que*. Utrumlibet ex his magis placet, quam *a vertice*.

271. ET VASTOS UMBO VOMIT AUREUS IGNES. In antiquis nonnullis codicibus, *aereus* legitur; sed *aureus*, rem magnifice magis amplificat. Et inferius, ubi Aeneas congreditur cum Mezentio, idem habetur: *Sed substinet aureus umbo*. Sciendum vero, in eadem dictione eandem esse lectionis varietatem apud Livium lib. VIII. de bello Macedonico. Et XII. *Clypea aerata ab aedd. Cur. P. Claudio, & P. Sulpitio Galba sunt posita:* quod in emendatioribus exemplaribus, *aurata*, legitur.

277. LITTORA PRAERIPERE. In antiquioribus codicibus legitur: *litora praecipere:* id vero significat, capere ante locum: quod in historiis frequens, & apud Livium lib. II. tertiae Decadis, ubi passim legitur de Annibale effugium meditante: *Dum ipse longius spatium fuga praeriperet*. Antiquiores codices habent, *praeciperet*. Et eodem modo libro primae Decadis sexto, ubi legitur: *Nobiles homines in possessionem agri publici grassari: nec, nisi antequam omnia praeripiant, divisum sit, locum ibi plebi fore*. In antiquo codice, *Nisi antequam omnia praecipiant*, scriptum est.

280. IN MANIBUS MARS IPSE VIRIS. Romanus

Fa- codex,

Facta patrum, laudes. Ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egressisque labant vestigia prima.
Audentis Fortuna juvat.
285 Haec ait, & secum versat, quos ducere contra,
Vel quibus obsessos possit concredere muros.
Interea Aeneas socios de puppibus altis
Pontibus exponit: multi servare recursus
Languentis pelagi, & brevibus se credere saltu:
290 Per remos alii. Speculatus litora Tarchon,
Qua vada non spirant, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu;
Advertit subito proras, sociosque precatur:
Nunc, o lecta manus, validis incumbite remis;
295 Tollite, ferte rates; inimicam findite rostris
Hanc terram, sulcumque sibi premat ipsa carina.
Frangere nec tali puppim statione recuso;

Ar-

SERVII.

283. EGRESSIQUE. Si *egressi*, figurate dictum est.

285. VERSAT QUOS DUCERE CONTRA. Cogitat quidem, sed non facit; ne diviso exercitu vincantur; quod sequentia indicant: nam paulo post dicturus est: *Et rapit acer Totam aciem in Teucros*, AUDENTES FORTU. Terentius: *Fortes fortuna adjuvat*. Potest haec sententia & superioribus adplicari, & per se separatim intelligi. CONCEDERE. Vacat CON.

287. PUPPIBUS ALTIS. Non pontibus. PONTIBUS. Transtris, scalis navium. SERVARE. Pro, servaverunt.

288. SE CREDERE. Pro, crediderunt.

289. LANGUENTIS. Tranquilli. BREVIBUS. Vadis.

290. PER REMOS. Id est, scaphis, & deest, descendunt.

291. NON SPERANT. Legitur & SPERAT, quod melius est: nam, dum vada esse non sperat, incidit in ea: quia, *fracta non remurmurat unda: Sed mare inoffensum crescenti adlabitur aestu*.

293. PRECATUR. Modo, cum precibus hortatur.

295. TOLLITE, FERTE. Ad celeritatem nimirum dictum est. FINDITE ROSTRIS. Militari felle dictum est: ut etiam terra ipsa quodammodo sentiat hostis adventum.

297. STATIONE. *Statio*, est portus temporalis: nam *portus* est, ubi hyematur; sed modo *statio*, siccum littus significat: nam hoc dicit: Potiar terra; & navem frangere non recuso.

PIERII.

codex, & alia quaedam vetera exemplaria, *viri*, legunt, vocandi casu; sed neque displicet, *viris*, hoc est iis, qui viri erunt, Mars favebit.

283. DUM TREPIDI, EGRESSISQUE LABANT VESTIGIA PRIMA. Romanus codex, & plerique alii veteres admodum, legunt: *Dum trepidi egressique labant vestigia:* quod magis figuratum est. Alii quidam codices manu scripti, *gressusque*, legunt; sed vulgatam ego lectionem non damnarim.

288. MULTI SERVARE RECURSUS LANGUENTIS PELAGI. Sunt codices antiqui, in quibus legatur, *recessus;* sed *cursus*, & *recursus*, in hoc significato in usu est frequentiori.

291. QUA VADA NON SPERAT. Romanus codex cum Oblongo, & aliquot allis, legunt: *qua vada non spirant:* ut illud in primo Georgicon: *Fervetque fretis spirantibus aequor*. In uno ex iis, qui, *spirant*, legunt, paraphrasis superaddita, *crispantur;* sed magis placeret, *in verticem desidunt*. Quin etiam in aliquot ex iis, qui apud me sunt, legere est: *qua vada non spumant*; Servius, *sperat*, melius esse putat: quod majorem viri ferociam ostendit. Ridiculum, quod in impressis aliquot codicibus, *spectat*, legitur.

297. FRAN-

Arrepta tellure ſemel. Quae talia poſtquam
Effatus Tarchon, ſocii conſurgere tonſis,
300 Spumantiſque rates arvis inferre Latinis:
Donec roſtra tenent ſiccum, & ſedere carinae
Omnes innocuae. Sed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis dorſo dum pendet iniquo,
Anceps ſuſtentata diu, fluctuſque fatigat,
305 Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos & fluitantia tranſtra
Inpediunt, retrahitque pedem ſimul unda relabens.
Nec Turnum ſegnis retinet mora: ſed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in litore ſiſtit.
310 Signa canunt. Primus turmas invaſit agreſtes
Aeneas, omen pugnae; ſtravitque Latinos,
Occiſo Therone, virum qui maximus ultro
Aenean petit. Huic gladio perque aerea ſuta,

Per

SERVII.

302. INNOCUAE. *Innocuus*, eſt, cui non nocetur; *innoxius*, qui non novit nocere; ſed hoc plerumque confundunt Poetae. *Innocuum*, quibus non ſit nocitum; alibi *littus innocuum*, quod noceat. SED NON PUPPIS TUA. Εὐδιόρθωτις, & προσφώνησις.

303. DORSO INIQUO. *Dorſum*, eſt durior arena, quae remeantibus fluctibus & euntibus plerumque denſetur, & in modum ſaxi indureſcit, quod a nautis *pulvinus* vocatur; a Graecis θῖς. Homerus: παρ' θῖνα θαλάσσης. Probus *vadis dorſo*, pro *vado*, dictum putat, ut in Georg. *Dorſo nemoris*. INIQUO. Sibi nocenti.

304. SUSTENTATA. Non ab alio, ut: *Fratremque ruentem Suſtentat dextra*; ſed quaſi αὐτοχειρῶν: vel *ſuſtentata*, cum ſuſtentaretur. Melius *ſuſtentata*, pro ſuſpenſa accipitur: nam ideo & *anceps* eſt, cum huc atque illic nutaret. FLUCTUSQUE FATIGAT. Subaudis, *eam*: nam *fluctus*, nominativus eſt ſingularis.

305. EXPONIT IN UNDIS. Ideo *in undis*, non *in undas*: quia in ipſo loco res agitur, nec eſt mutatio.

306. FRAGMINA. Antique dictum: nam *fragmenta*, dici debere nonnulli adſerunt.

311. OMEN PUGNAE. Salluſtius: *Pugnam illam pro omine bello futuram*. Ideo ergo *omen*, quia, ſicut nunc, ſic ubique vincet Aeneas. INVASIT AGRESTES. Quia ſupra ait: *Et latos vaſtant cultoribus agros*.

312. THERONE. Hoc nomen tantum in Pindaro lectum eſt. Et bene in honorem victoris victum laudat.

PIERII.

297. FRANGERE NEC TALI PUPPIM STATIONE RECUSO. Romanus codex, Mediceus, & alii quidam pervetuſti, legunt, *puppes*, numero multitudinis: quod oſtendit, eum parvi facere navis omnes, quotquot agebat, dummodo ſemel arripiat tellurem: & hoc quoque magis ac magis hominis ferociam, ardoremque pugnandi indicat.

306. ET FLUITANTIA TRANSTRA. Non placet, quod in antiquis aliquot codicibus legitur, *effluitantia*: nam ſententia & illud expoſcit.

307. RETRAHITQUE PEDES SIMUL UNDA. In codicibus aliquot antiquis, *pedem*, legitur, figurate.

313. PERQUE AUREA SCUTA. In Romano codice, in Mediceo, & in eo, qui apud me eſt, *ſuta*, legitur: quod nequaquam diſplicet, quum pulchra ſit loricae periphraſis, a *ſuo*, *ſuis*. Eodem vero vocabulo, ſed forma alia, uſus eſt etiam in quarto Georgicon: *Corticibus fuerint tibi ſuta cavatis*.

Per tunicam ſqualentem auro, latus haurit apertum.
315 Inde Lichan ferit, exſectum jam matre peremta,
Et tibi, Phoebe, ſacrum; caſus evadere ferri
Quod licuit parvo. Nec longe Ciſſea durum,
Immanemque Gyan, ſternentes agmina clava,
Dejecit leto: nihil illos Herculis arma,
320 Nec validae juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidae comes, uſque gravis cum terra labores
Praebuit. Ecce Pharo, voces dum jactat inertis,

In-

SERVII.

314. TUNICAM SQUALENTEM. Splendentem loricam. *Squalentem auro*, ſplendentem auro: & ſignificat copiam denſitatemque auri in ſquamarum ſpeciem intertexti: *ſqualere* enim dictum a ſquamarum crebritate atque aſperitate, quae in ſerpentum piſciumve coriis viſuntur. Alibi: *Quem pellis ahenis In plumam ſquamis auro conſerta tegebat*. Alibi: *Jamque adeo Rutulum thoraca indutus, ahenis Horrebat ſquamis*: quidquid igitur inculcatum obſitumque aliqua re erat, *ſqualere* dicebatur. HAURIT. Modo ferit, ſignificat; non nudum latus, ſed quod aperuerat: & putatur ὕστερον πρότερον. Quidam Italicam elocutionem putant: cum enim a latere quis aliquem adortus gladio occidit, *hauſit illum* dicunt.

316. ET TIBI PHOEBE SACRUM. Omnes, qui ſecto matris ventre procreantur, deo Apollini conſecrati ſunt: quia Deus medicinae eſt, per quam lucem ſortiuntur: unde & Aeſculapius ejus fingitur filius: ita enim eum eſſe procreatum ſupra diximus. Caeſarum etiam familia ideo Apollinis ſacra retinebat: quia, qui primus de eorum familia fuit, exſecto matris ventre natus eſt: unde etiam *Caeſar* dictus eſt: licet varia de hujus nominis etymologia dicantur, ut diximus ſupra.

317. QUOD LICUIT PARVO. Legitur & CUI LICUIT. Et reſpexit ad illud, quod ferrum nunc Juvenis vitare non potuit, quod parvus evaſit. NEC LONGE. Pro, nec multo poſt, adverbium loci pro temporis; antique.

320. JUVERE MANUS. Id eſt, ſuae. USQUE. Tamdiu, donec. DUM TERRA. Donec in terra.

321. LABORES PRAEBUIT. Nove dixit; cum *bona praeberi* dicantur. An ideo *praebuit*, quod haec Herculi profuerunt, ut ad immortalitatem per iſta perveniret.

322. ECCE PHARON. Legitur & *Pharo*, ut: *Is clamor caelo*: ut ſit dativus, ab eo, quod eſt *Pharus*. Si autem *Pharon* legeris, figuratum eſt: nam de nominativo tranſit ad dativum, dicens *clamantis in ore*. INERTES. Aut quod alii inertiam objecerint: aut quia, ubi pugnari oportet, loqui inertis eſt.

PIERII.

315. INDE LYCHAM FERIT EXSECTUM JAM MATRE PEREMPTA. In Romano codice, & aliquot aliis, *exſectum*, integris partibus. Miſſum facio codicem antiquum, in quo, *exemptum*, legitur. Ea enim paraphraſis fuit, quae contextui mox inſerta eſt. In Oblongo perveteri exemplari, *& ſectum*, legitur, quod neſcio quid leporis habere videtur & particula copulativa geminata, *& ſectum jam matre perempta, & tibi, Phoebe, ſacrum*: in quo illud etiam animadvertendum, in nonnullis codicibus antiquis, *ſatum*, non *ſacrum* legi: quod non aeque placet.

316. CASUS EVADERE FERRI, CUI LICUIT PARVO. Haud temere in codicibus aliquot antiquis ſcriptum crediderim, *quod licuit*: ea quippe de cauſſa ſacrum, quod parvo licuit, ferrum evadere, quum maternus uterus exſecaretur.

320. NIL ILLOS HERCULIS ARMA. In antiquis codicibus, *nihil*: & pro *nil validae*, *nec validae*, legitur.

322. ECCE PHARON VOCES DUM JACTAT INERTES. Rom. codex, & Oblongus, *Pharo*, abſque *n* ſcribunt, ut *Plato*, *Solo*, & hujuſmodi pleraque, quae apud Latinos abſque *n* littera proferri debent. Cujus rei manifeſtum uſum videas apud Statium Papinium: *Stimulatque Agamemno volenter*. Sane C. Julius Ro. quem Soſipater ſcriptorem diligentiſſimum appellat, dictum a Virgilio notat, *Exultat Amazon*: quamvis nullum nomen Latinum *on* litteris finiatur, & ideo *Rhodum*. & *Delum* accuſativo dicamus. Quaedam tamen eſſe inquit Plinius Secundus, quae ad nos uſque proprios gentis ſuae vultus, formamque cuſtodirent, ut *Pluton*, *Xenophon*, de quo alibi.

Intorquens jaculum clamanti ſiſtit in ore.
Tu quoque, flaventem prima lanugine malas
325 Dum ſequeris Clytium infelix nova gaudia, Cydon;
Dardania ſtratus dextra, ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande, jaceres:
Ni fratrum ſtipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies, ſeptem numero, ſeptenaque tela
330 Conjiciunt. Partim galea clipeoque reſultant
Inrita; deflexit partim ſtringentia corpus
Alma Venus. Fidum Aeneas adfatur Achaten:
Suggere tela mihi, (non ullum dextera fruſtra
Torſerit in Rutulos) ſteterunt quae in corpore Grajum
Ilia-

SERVII.

324. FLAVENTEM MALAS: Flaventes malas habentem, ſcilicet primae aetatis: & eſt ordo: Tu quoque Cydon miſerande jaceres, dum ſequeris Clytium flaventem prima lanugine malas: id eſt, dum adoleſcentem ſectaris, cuius amore flagrabas: *Qui juvenum tibi ſemper erant*.

325. INFOELIX NOVA GAUDIA CYDON. De Cretenſibus accipimus quod in amores puerorum intemperantes fuerunt: quod poſtea in Laconas, & in totam Graeciam tranſlatum eſt, adeo ut Cicero dicat in libris de Republica: *Opprobrio fuiſſe adoleſcentibus, ſi amatores non haberent*. Propter quod Poeta *Cydonem* inducit amatorem. Novimus autem *Cydonas*, Cretenſes dici. Sane *Cydon*, quando nomen eſt proprium, CY naturaliter producit; ſi appellativum, corripit CY, ut: *Parthus ſive Cydon, telum immedicabile torſit*. Tamen Statius etiam in proprio corripuit, ut: *Haec regi promiſſa Cydon haec Lampe dabamus*. Quod fecit, abutens licentia, qua utimur in propriis nominibus. NOVA GAUDIA. Quem primum tunc amare coeperat.

326. STRATUS. Deeſt, pene. SECURUS AMORUM. Hoc loco, indulgens: aliter: *Securus amorum germanae*, id eſt, contemnens, non curans. MISERANDE. Pro, miſerandus: nam pro nominativo vocativum poſuit, ut contra: *Socer arma Latinus habeto*: licet illic poſſit accipi, ſocer arma Latinus habeat: nam *habeto*, & ſecundae & tertiae perſonae eſt. Tamen etiam alibi nominativum pro vocativo poſuit, ut: *Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum*.

328. STIPATA COHORS. Id eſt, unanimiter veniens.

329. SEPTEM NUMERO. Hoc eſt, pro ſeptem: & deeſt quia: veteres enim ita enunciabant: Lucilius in IIII. *Hi prae ſe portant ingentes munere piſces Triginta numero*. An potius proprie? Credibile eſt enim, ut ſaepius jecerint. SEPTENAQUE TELA. More ſuo, pro ſeptem, ut *bina*, pro duobus: *Frenaque bina*.

331. DEFLEXIT PARTIM STRINGENTIA CORPUS ALMA VENUS. Quidam ἐνεστηκότως putant, id eſt, jam ſtringentia: alii participium praeſens pro futuro accipiunt, id eſt, quae, niſi eſſent deflexa, ſtringere debuerant. Male ait Donatus: *Hoc loco ante dictorum oblitum eſſe Vergilium: quod poſt Jovis prohibitionem bellis facit numina intereſſe*: non reſpiciens, Jovem magis hortatum eſſe deos in foedera, quam a bellis prohibuiſſe: nam & paulo poſt, tam Juno, quam Juturna, bellis intererunt.

332. ACHATEN. Omnia nomina, quae in TES exeunt, vocativum in A mittunt, ut *Achates*, *Achata*, *Timoetes*, *Timoeta*.

333. SUGGERE TELA MIHI. Ordo eſt: *Suggere tela mihi*, quae in campis Iliacis in Graecorum ſtetere corporibus: nullum enim dextera mea in Rutulos ſine cauſa jaculabitur telum eorum, quae jam ſunt caede hoſtium comprobata. Qui vero, *ſteteruntque in corpore Grajum*, per conjunctionem, non per pronomen, legunt, hi neque ſic debuiſſe dici putant, & mutatam a Poeta conjunctionem. Alii *que* conjunctionem pro *enim* ponunt, ut: *Primaque oriens erepta juventa eſt*.

PIERII.

334. STETERANT QUAE IN CORPORE GRAJUM. In antiquis aliquot codicibus, *ſteterunt*, legitur: ut illud: *Obſtipui ſteteruntque comae*.

335 Iliacis campis. Tum magnam corripit hastam,
Et jacit. Illa volans clipei transverberat aera
Maeonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra: trajecto missa lacerto
340 Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem:
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Aeneam petiit: sed non & figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatae.
345 Hic Curibus, fidens primaevo corpore, Clausus

Ad-

SERVII.

336. TRANSVERBERAT. Scindit:

388. HUIC FRATER SUBIT. *Huic subit*, id est, prope.

339. TRAJECTO MISSA LACERTO. Quae fuerat missa retroacto lacerto.

340. PROTINUS. Jugiter, continue. TENOREM. Modum currendi; id est, eodem impetu fertur.

341. MORIBUNDA. Morienti similis. Quod ita esse etiam Sallustius comprobat & ostendit, qui ait: *Quasi vitabundus per tramites & saltuosa loca exercitum ductare*. Nam Jugurtha non vitabat legatum; sed sese eum vitare simulabat: nam quia nomen est, ideo significat similitudinem, non passionem: quod si participialiter diceretur, a passivo veniret: omnia enim participia, a passivo in DUS exeunt. *Moribunda*, similis morienti: non enim participialiter aliquid significat; sed nominis habet significationem; nomiois autem significatio similitudinem habet, non passionem. Quando dico, *moriturus est*, vere moriturus est; *moribundus* autem, non vere, sed similis morienti est: unde & Sallustius dicit, *quasi vitabundus*. NERVIS. Aut necessarie additur *nervis*, aut *nervis* tantum *pependit*.

342. FRATRIS DE CORPORE RAPTO. Si diceret *fratrum de corpore*, speciosius esset: quod ideo omisit, quia hasta Alcanoris tantum vulneraverat manum; in Maeonis vero haeserat corpore.

344. EST LICITUM. Quoniam non contradixerat. FEMUR. *Femur* dicimus: quia legitur, & declinatur *hujus femoris*; illius vero ablativi non invenitur nominativus: *Laetus Eripit a femine*: licet Caper in libris Enucleati sermonis dicat, *femen*; sed non ponit exemplum: ergo aut *hoc femur*, aut *hoc femen*: nam *femus*, non dicimus penitus.

345. HIC CURIBUS. Hoc est, *tunc*. Et est ordo: Tunc fidens primaevo corpore advenit Lausus Curibus: qui erat de Curibus, ut *Veeres Romulia*. Aut, *fidens Curibus*, id est, multitudine, ut: *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Lausus*.

PIERII.

337. MEONIS. In antiquis codicibus plerisque cum diphthongo, *Maeonis*. CUM PECTORE RUMPIT. In Romano codice, *rupit* est, praeterito tempore. In aliis, *rumpit*.

339. TRAJECTO MISSA LACERTO PROTINUS HASTA FUGIT. Servius TRAJECTO, *retroacto*, exponit. At cur non potius *transfosso*, ut hastae impetu lacertum intelligamus trajectum, quum subsequatur: *Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit*.

345. VIRIBUS HIC FIDENS PRIMAEVO CORPORE LAUSUS ADVENIT. In hoc membto codices tam impressi, quam manu scripti, tam veteres, quam novi, multipliciter variant. In omnibus tamen venerandae antiquitatis codicibus pars illa prior eodem consensu legitur: *hic curibus fidens*, quod etiam Servius submonuit. Deinde Lausi nomeo ad hanc usque aetatem quorumdam omnino veterum codicum adsensu admissum est, quum *Clausus*, a quo *gens Claudia* derivarit, Sabinorum ductor alibi nominetur a Virgilio: *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum Agmen agens Clausus*. Et hic vetera quaedam exemplaria, *Clausus*, habent; sed interim eorum stuporem praetereamus, qui Numitorem, Curibus populis clausum stipatumque, quod juventuti primaevae fideret, Aeneam telo petiisse interpretantur. Sane vero quod *advenit* in impressis codicibus omnibus legitur: neque non in aliquot ex vetustioribus, in Oblongo illo Pomponianis deliciis, *advelat*, habetur.

Advenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta,
Sub mentum graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem animamque rapit, trajecto gutture: at ille
Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
350 Tris quoque Threïcios Boreae de gente suprema,
Et tris, quos Idas pater & patria Ismara mittit,
Per varios sternit casus. Accurrit Halaesus,
Auruncaeque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis Messapus equis: expellere tendunt
355 Nunc hi, nunc illi: certatur limine in ipso
Ausoniae. Magno discordes aethere venti
Proelia ceu tollunt, animis & viribus aequis.
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedunt:
Anceps pugna diu: stant obnixi omnia contra.
360 Haud aliter Trojanae acies aciesque Latinae
Concurrunt: haeret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late

In-

SERVII.

348. RIGIDA. Id est, tenens eam, non vibrans & jaciens.

350. BOREAE DE GENTE SUPREMA. Aut originem ducentes de Zeto & Calai, qui filii Boreae & Orithyae Nymphae fuerunt, ut, *de gente*, de genere accipiamus. Aut certe in Hyperboreis montibus natos: unde est origo venti Boreae. *Suprema* autem, pro, supremi Boreae. Si autem, ut quidam volunt, *Boream*, principium generis accipiamus, erit *suprema*, dictum pro summa: quod si ventum intelligimus, *suprema*, ultima, modo: sicut enim dictum est, initium flandi Boreas concipit. ISMARA. Thraciae civitas, a monte *Ismaro* dicta; hic enim foeminino, *Ismara*, quia patriam dixit; ibi neutrius est: *Juvat Ismara Baccho Conserere*.

354. EXPELLERE TENDUNT. Hoc est, loco se invicem movere contendunt.

355. LIMINE. Decenter dictum, hoc est, in littore.

356. MAGNO AETHERE. In magno aere: nam venti in aethere non sunt, sed in aere: sic supra: *Atque aethera tranant Cum sonitu:* pro, aerem.

359. OBNIXA OMNIA CONTRA. Mare mari; nubes nubibus; venti ventis. Legitur & OBNIXI; ut referatur ad ventos.

360. HAERET PEDE PES. Pro, pedi: nam est Antiptosis: & est Homeri versiculus:
Ἀσπὶς δ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

362. RORANTIA. Ut: *Eleusinae matris volventia plaustra: Rotantia* ergo, quae rotantur.

PIERII.

352. OCCURRIT HALESUS. In antiquis, *occurrit Alaesus*, diphthongo AE in media sita syllaba: quae tamen raro in codicibus antiquis habetur; sed ita Graeci scribunt hujusmodi nomen Ἄλαισος, absque etiam adspiratione.

359. STANT OBNIXI OMNIA CONTRA. In antiquis omnibus exemplaribus, praesertimque Vaticanis tribus, legere est: *Stant obnixa omnia contra:* reliqui fere omnes abrasi, in quibus, *obnixi*, adulterina lectione repositum: nam *obnixa*, cum Servii quadrat interpretatione dicentis: *Mare mari, nubes nubibus, venti ventis*. Neque vero parum me moverit Arusiani Messi observatio, dum is elocutionis modum, quo *obnoxius contra illa* dicimus, hoc exemplo probat: *Stant obnixi omnia contra:* ubi de ventis dubio procul intelligit: si *omnia* sit praepositionis appositum. Dici vero & *obnoxius huic rei*, ex Georgicon tertio, & Aeneidos duodecimo comprobatur: *Arboris obnixus trunco*.

Inpulerat torrens, arbuſtaque diruta ripis,
Arcadas, inſuetos acies inferre pedeſtris,
365 Ut vidit Pallas Latio dare terga ſequaci,
Aſpera quis natura loci dimittere quando
Suaſit equos; unum quod rebus reſtat egenis,
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris:
Quo fugitis, ſocii? per vos, & fortia facta,
370 Per ducis Euandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriae quae nunc ſubit aemula laudi,
Fidite ne pedibus. Ferro rumpenda per hoſtis
Eſt via, qua globus ille virum denſiſſimus urguet:
Hac vos, & Pallanta ducem patria alta repoſcit.
375 Numina nulla premunt: mortali urguemur ab hoſte
Mortales: totidem nobis animaeque manuſque.
Ecce, maris magna claudit nos objice pontus:

Deeſt

SERVII.

363. Torrens. Non Tyberis, ſed quicumque alius fluvius, ad tempus creſcens.

364. Insuetos acies inferre pedestres. Quia ſaxis, quae torrens intulerat, impediti Arcades, omiſſis equis pedeſtrem pugnam inſueti inierant; & a Latinis pellebantur. Et Arcadas, accuſativus pluralis eſt, cujus ultima ſyllaba ideo brevis eſt, quia nominativus pluralis in *es* terminatur, ut *hi Arcades*, idem *delphines*, *delphinas*.

365. Latio sequaci. Metonymia, pro Latinis, alibi: *Invadunt urbem ſomno vinoque ſepultam*.

366. Dimittere quando. *Quando*, ſiquidem. Et eſt Romanae militiae: nam in locis impeditis equos comitibus dabant, & pedeſtri certamine confligebant.

369. Quo fugitis? Hoc amare dictum eſt: & jam preces ſequuntur. Per vos et fortia facta. Adjurat eos per ipſorum facta: quoniam non habet puer proprios titulos: nam eſt ei prima militia.

370. Per ducis Euandri. Melius *ducis*: quam ſi dixiſſet, Regis: hoc enim nomen exprimit ducentem in praelia. Salluſtius: *Quo cupidius in ore ducis ſe quiſque bonum & ſtrenuum oſtentantes*: non dixit, proconſulis. Devictaque bella. Finita, exhauſta: nam hoſtis vincitur, non bellum.

371. Subit. Succedit, ut: *Cui deinde ſubibit*. Laudi. Ut ſolet, virtuti: poteſt proprie intelligi.

372. Fidite ne pedibus. Dativus eſt, *pedibus*; non ablativus: nam *fido tibi* dicimus.

373. Hac vos et Pallanta ducem patria alta reposcit. Hoc vult patria, ut per caedes hoſtium revertamur.

375. Numina nulla premunt. Argumentatur a facili, dicens, non contra deos, ſed contra mortales bella tractamus.

377. Ecce maris. Quod eſt efficax, in fine poſuit: nam dicit, eos quo fugiant non habere; cum terra teneatur ab hoſtibus; mare autem pedibus tranſire non poſſint; caſtra vero ingredi turpiſſimum ſit: aut certe etiam hoc impoſſibile, ſi ab hoſtibus obſidentur, ut quidam volunt, intelligentes: *Et rapit acer totam aciem in Teucros*, ſcilicet ſuam, quam ducebat, caeteris relictis. Magna claudit nos obice pontus. Periphraſis: id eſt, mari claudimur. Modo uſus habet, ut *hic obex* dicamus: unde quidam magno obice legunt. Antiqui etiam *haec obex* dicebant, ſecundum quod eſt *magna obice*. Hinc eſt, quod nonnulli vitant generis dubietatem, & legunt *magni*, ſcilicet, *maris*. Caper tamen in libris Dubii generis, probat dici & *hic obex*, & *haec obex*: quod, ut diximus, hodie de uſu receſſit.

PIERII.

366. Dimittere quando suasit equos. In antiquis aliquot, *demittere*, legitur: nam *dimittere*,

Deest jam terra fugae. Pelagus Trojamne petemus?
Haec ait, & medius densos prorumpit in hostis.
380 Obvius huic primum, fatis adductus iniquis,
Fit Lagus: hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit: hastamque receptat
Ossibus haerentem. Quem non super occupat Hisbo,
385 Ille quidem hoc sperans: nam Pallas ante ruentem,
Dum furit incautum crudeli morte sodalis,
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc Sthenelum petit, & Rhoeti de gente vetusta

SERVII.

378. TROJAM. Id est, castra Trojanorum.

379. DENSOS PRORUMPIT IN HOSTES. Ut eos hortaretur exemplo.

380. FATIS INIQUIS. Exitum praeoccupavit futurum.

381. MAGNO PONDERE. Hoc est, magni ponderis, ut: *Aere cavo clypeum*, pro, aeris cavi.

383. RECEPTAT. Ideo frequentativo usus est: quia ossibus inhaerentem hastam facile avellere minime poterat. Et expressit moram quandam, & molitionem extrahentis. Ergo *receptat*, est frequenti concussione divellit. Tale est & illud: *Clypeoque sinistram Insertabam aptans*.

384. QUEM NON SUPER OCCUPAT. *Quem super*, *Lagum*, subauditur, stantem: id est, quem non desuper occupat: ideo autem *desuper*, quia Pallas ad evellendam hastam fuerat inclinatus.

385. NAM PALLAS ANTE RUENTEM DUM FURIT. Ordo est: nam eundem Pallas ante excipit, id est, dolo interimit. Ille enim incautus ruerat, furens propter crudelem mortem sodalis.

387. TUMIDO IN PULMONE. Et naturaliter tumido, & quia furebat. *In pulmone* autem *recondit*, Archaismos est, pro, in pulmonem.

388. HINC HELENUM PETIT. Pro *tunc*, loci adverbium pro temporis. RHOETI DE GENTE VETUSTA ANCHEMOLUM. Haec fabula in Latinis nusquam invenitur auctoribus. Avienus tamen, qui totum Virgilium & Livium jambis scripsit, hanc commemorat, dicens Graecam esse. Rhoetus ergo Marrhubiorum rex fuerat in Italia, qui Anchemolo filio Casperiam superduxit novercam: hanc privignus stupravit. Quo cognito, cum eum pater persequeretur, & ad poenam vocaret, fugiens ille se ad Daunum contulit. Merito ergo in bello Turni, Dauoi filio Anchemolus gratiam reddit. *Gente* autem *vetusta*, ideo: quia a Phorco, deo marino, originem ducere legitur. Hoc totum Alexander Polyhistor tradit, quem Lucius Sylla civitate donavit.

PIERII.

in diversas partes mittere significat: & *dimissus Senatus*, quia alius alio, domum quisque suam revertens, ingreditur. Juniores tamen Grammatici volunt *demittere*, deorsum mittere significare, neque unquam accipi pro relinquere.

371. PATRIAE QUAE NUNC SUBIT AEMULA LAUDIS. In Rom. codice, & plerisque antiquioribus codicibus, *laudi*, dativo casu legitur.

373. QUA GLOBUS ILLE VIRUM DENSISSIMUS URGET. In Romano codice, *que*, & *urguet*, Attiano more habetur. Ita inferius: *Mortali urguemur ab hoste*.

377. ECCE MARIS MAGNO CLAUDIT NOS OBJICE PONTUS. *Magno*, virili genere, in impressis omnibus codicibus legas: In antiquis vero, *magna*, foeminino genere. Idque recepisse Servius videtur, quum dixit: *Quidam magno objice legunt*. Aitque nonnullos ad evitandam ambiguitatem legere malle, *magni*, scilicet maris. Usqueadeo vates, summus loquendi, scribendique artifex, sub ferulam, si Deo placet, revocatur a Grammaticis, qui nolunt amplius *hic* & *haec obex* dici: ut veteribus dicere concessum est. Est & illud adnotandum, *obice*, unico *i*, in antiquis codicibus scribi.

378. DEEST JAM TERRA FUGAE, PELAGO TROJAMNE PETETIS. *Pelago*, impressa omnia legunt exemplaria; quum tamen in vetustioribus omnibus, *fugae*. *Pelagus*, legatur; quod alii viderint. Praeterea pro, *petetis*, *petemus*, persona prima, in plerisque codicibus habetur. In aliquot ex iis, qui apud me sunt, *petamus*, quod figuratius est.

381. HIC

Anchemolum, thalamos aufum inceftare novercae.
390 Vos etiam gemini Rutulis cecidiftis in arvis,
Daucia Laride, Thymberque, fimillima proles,
Indifcreta fuis, gratufque parentibus error.
At nunc dura dedit vobis difcrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput Euandrius abftulit enfis:
395 Te decifa fuum, Laride, dextera quaerit;
Semanimefque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accenfos monitu, & praeclara tuentes
Facta viri, mixtus dolor & pudor armat in hoftes.
Tum Pallas, bijugis fugientem Rhoetea praeter
400 Trajicit. Hoc fpatium, tantumque morae fuit Ilo:
Ilo namque procul validam direxerat haftam:
Quam medius Rhoeteus intercipit, optime Teuthra,
Te fugiens, fratremque Tyren: curruque volutus

Cae-

SERVII.

390. VOS ETIAM GEMINI. Ut fupra: *Tu quoque flaventem prima lanugine malas*.

392. SUIS. Etiam fuis. Lucanus: *Et amiffum fratrem lugentibus offert*. Et eft abfolutum, fuis omnibus; non, parentibus tantum.

393. DISCRIMINA. Differentias. THYMBRE. Pro *Thymber*, metri cauffa Metaplafmum fecit: ipfe enim fuperius *Thymber* dixit.

394. EUANDRIUS ABSTULIT ENSIS. Poffeffivum eft modo; non patronymicum.

395. DECISA SUUM. Mire *fuum*, tanquam dominum, a quo fuerat feparata:

396. SEMIANIMESQUE MICANT DIGITI, FERRUMQUE RETRACTANT. Ennii eft, ut: *Ofcitat in campis caput a cervice revulfum, Semianimefque micant oculi, lucemque requirunt*. Quem verfum, ita ut fuit, ad fuum carmen tranftulit Varro Attacinus.

397. TUENTES. Modo intuentes, alias defendentes, fignificat.

398. DOLOR, ET PUDOR. Sic de Mezentio: *Aeftuat ingens Uno in corde pudor, mixtoque infania luctu*. Alii *dolorem*, alicujus ftudii ardorem, & promptam gloriae cupiditatem, veterum more dictum volunt, ut Graeci πόνον appellant. Lucilius in quinto: *Nam omnibus unus dolor receptus laborque*.

399. FUGIENTEM RHOETEA PRAETER. Id eft, praeterfugientem.

400. HOC SPATIUM, TANTUMQUE MORAE FUIT ILO. Subaudis, ad mortem Ili hoc fpatium fuit folum, & haec fola mora, quo minus Ilus periret. De cujus morte cum nihil dicat, intelligendum eft.

402. INTERCIPIT. Quia *intercipi aliena* dicuntur. TEUTHRA. Ab eo, quod eft *hic Teuthras*, *hujus Teuthrae*, ficut *Aeneas*, *Aeneae*.

403. TYREN. Ab eo, quod eft *hic Tyres*.

PIERII.

381. HIC MAGNO VELLIT DUM PONDERE SAXUM. In Romano codice, *vellit magno*; fed quod ibidem *cum*, pro *dum*, pofitum eft, non placet: lege vero *hunc*, accufativo cafu.

388. HINC HELENUM PETIT. In antiquis plerifque codicibus, *Stelenum*, habetur: unde Librarii *s* & *t* in adfpirationem convertere. In Romano codice, *Stenelum*, legitur; fed abfque adfpiratione. Id vero nomen apud Graecos per θ notatur Σθένελος.

398. MISTUS DOLOR ET PUDOR ARMAT IN HOSTES. In Romano codice pro, *pudor*, legitur *furor*; fed enim *pudor* magis placet: quia viderunt juvenem Pallanta ftrenue facientem, a quo tam acriter reprehenfi fuerant.

403. FRATREMQUE TYREN. In Romano codice, *Tyrin*: quia fcilicet ἦτα nunc aliter pronuntiatur apud Latinos, aliter apud Graecos: Τύρην enim eft a nominativo Τύρης.

Caedit ſemanimis Rutulorum calcibus arva.
405 Ac velut optato, venit aeſtate coortis,
Diſperſa immittit ſilvis incendia paſtor:
Correptis ſubito mediis, extenditur una
Horrida per latos acies Volcania campos:
Ille ſedens victor flammas deſpectat ovantis.
410 Non aliter ſocium virtus coit omnis in unum:
Teque juvat, Palla. Sed bellis acer Haleſus
Tendit in adverſos, ſeque in ſua colligit arma.
Hic mactat Ladona, Pheretaque, Demodocumque:
Strymonio dextram fulgenti deripit enſe
415 Elatam in jugulum: ſaxo ferit ora Thoantis,
Oſſaque diſperſit cerebro permixta cruento.
Fata canens ſilvis genitor celarat Haleſum;

Ut

SERVII.

404. SEMANIMIS. Poteſt & *ſemianimis*, ab eo, quod eſt *ſemianimus*, legi.

405. OPTATO. Id eſt, ex voto: per aeſtatem enim venti frequenter optantur, & quaſi contingere videntur ex voto: quia difficili aeſtate validiores ſunt.

406. DISPERSA. Ex diverſis locis.

407. MEDIIS. Abſolute dixit. EXTENDITUR UNA. Sicut duces diverſis locis commiſſa praelia continuaverant.

408. ACIES VULCANIA. Ideo abuſus eſt, quia comparatio ad bellum pertinet: nam de igne aciem dicere incongruum ſatis eſt: ergo *acies Vulcania*, vis ignis, quae late per campos effunditur.

409. ILLE SEDENS. Non quaſi Pallas, pugnantibus ſuis, nihil agat; ſed comparatur illius ſecuritati hujus voluntas. VICTOR. Cui vota processerunt, voti compos, ἐπιτυχών. OVANTES. Abuſio eſt, non proprietas.

410. COIT OMNIS IN UNUM. Id eſt, compellit: unanimiter omnes fortiter faciunt.

411. SED BELLIS ACER. *Sed*, modo inceptiva particula eſt, ut in Salluſtio ſaepius; ſicut *at* interdum: nam non eſt conjunctio ratiocinantis.

412. IN SUA COLLIGIT ARMA. Poſt ſcutum ſe clauſit, alibi: *Et ſe collegit in arma*.

415. ELATAM IN JUGULUM. Jugulo ſuo vulnus minantem.

417. FATA CANENS. Quaſi divinus. Alii CAVENS legunt; ſecundum quod non ſtatim & divinus apparet: nam cavere potuerat & ab aliis audita.

PIERII.

405. AC VELUT OPTATA VENTIS AESTATE COHORTIS. *Optata* quidem, in vulgatis codicibus habetur; ſed enim antiqui omnes, quotquot habui, *optato*, legunt, adverbialiter, quod admittere videtur Servius, dum interpretatur, *ex voto*. Sed ejus quoque exemplaria paſſim corrupta ſunt. Hoc vero ita legendum, OPTATO, id eſt, *ex voto: per aeſtatem enim venti frequenter optantur, & quaſi contingere videntur ex voto:* quod ſi, *optata*, legas, nihil ad Servii paraphraſin; ſed contrarium ſenſum habebit: ut aeſtas optetur ventis ſurgentibus. Quare *optato* omnino mihi legendum videtur.

410. NON ALITER SOCIUM VIRTUS COIT OMNIS IN UNUM. In Oblongo numerus ita mutatus: *non aliter virtus ſocium coit*.

411. HALESUS. In aliquot antiquis, *Alaeſus*, per *ae* diphthongon, ut ſuperius dictum, & abſque ulla adſpiratione.

414. DEXTRAM FULGENTI DIRIPIT ENSE. Non in antiquo tantum codice Romano, verum etiam in quibuſdam aliis pervetuſtis, hoc loco legitur, *deripit* per *e*: ſignificat enim hoc ſeparationem; ſed aliud quid in *diripere*.

416. OSSAQUE DISPERGIT. *Diſpergit*, inſtanti tempore, legitur in vulgatis exemplaribus. In antiquioribus vero omnibus, quos prae manibus habuimus, *diſperſit*, praeterito.

417. FATA CANENS SYLVIS GENITOR CAELARAT ALAESUM. In codicibus nonnullis, *fata cavent*, legitur: quod non ita Servio ſatisfacit.

Ut ſenior leto canentia lumina ſolvit.
Injecere manum Parcae, teliſque ſacrarunt
420 Euandri. Quem ſic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Thybri pater, ferro, quod miſſile libro,
Fortunam atque viam duri per pectus Haleſi.
Haec arma exuviaſque viri tua quercus habebit.
Audiit illa Deus: dum texit Imaona Haleſus,
425 Arcadio infelix telo dat pectus inermum.
At non caede viri tanta perterrita Lauſus,
Pars ingens belli, ſinit agmina: primus Abantem
Oppoſitum interimit, pugnae nodumque moramque.
Sternitur Arcadiae proles; ſternuntur Etruſci;

Et

SERVII.

418. CANENTIA LUMINA. Aut Hypallage eſt, pro, ipſe canens: aut phyſicam rem dicit: dicuntur enim pupillae mortis tempore albeſcere.

419. INJECERE MANUM PARCAE. Traxerunt debitum ſibi. Et ſermone uſus eſt Juris: nam *Manus injectio* dicitur: *quotiens, nulla judicis auctoritate exſpectata, rem nobis debitam vindicamus*. TELISQUE SACRARUNT EUANDRI. Multis experimentis oſtenditur, Virgilium ſubtiliter & aliud agentem ritum vetuſtiſſimorum ſacrorum referre. Hic ergo, cum dicit, *teliſque ſacrarunt Euandri*, docet, quidquid deſtinatum Diis, id ſacrum appellari; perveniri autem ad Deos non poſſe, niſi libera onere corporis fuerit anima; quod niſi morte fieri non poteſt: opportune ergo hic *ſacratum Haleſum* loquitur, cum imminebat interitus.

421. DA NUNC TYBRI PATER. Vicinum invocat numen, circa cujus ripas bella tractantur: ſic ut ſupra: *Tu dea, tu praeſens noſtro ſuccurre labori*.

422. DURI. Aut fortis, aut aſperi & crudelis in hoſtes.

423. TUA QUERCUS. In tuis ripis creata. Sane ſuperius de ſpeciebus ſtativi augurii dictum eſt, in quibus *capillorem* eſſe diximus, quod hoc loco tangit. *Capillor* autem dicitur, cum auſpicato arbor capitur & conſecratur Jovis fulguri: dicit enim his verſibus: *Da nunc, Tybri pater, ferro, quod miſſile libro, Fortunam* &c. *Haec arma exuviaſque viri tua quercus habebit*: Hic ergo, cum *arborem* nominat, videtur veteris ritus inducere mentionem.

424. AUDIIT. Modo exaudiit, & ad effectum deduxit. Paulo poſt tantum audiit, ut: *Audiit Alcides juvenem*. DUM TEXIT. Dum ſpoliat: nam tempus praeſens eſt, non praeteritum: ab eo, quod eſt *texo*. Sic Plautus: *Ego hunc hominem hodie texam pallio*. Et *tegit*, *te*, primam ſyllabam corripit; ut tantum poſitione longa ſit.

425. INERMUM. Et *inermem* dicimus, & *inermum*.

426. PERTERRITA SINIT AGMINA. Subaudis, eſſe.

427. PRIMUS ABANTEM. Ideo *primus*, quia comites ejus exemplum ſecuti ſunt: nam infert: *Sternitur Arcadiae proles, ſternuntur Etruſci*. Et: *Agmina concurrunt ducibuſque & viribus aequis*.

428. OPPOSITUM. Obſtantem, fortiter pugnantem. Et quidam dubium volunt, utrum *pugnae oppoſitum*, an *nodum pugnae*, quod eſt melius. NODUMQUE MORAMQUE. Bene addidit *moram*, ne *nodum*, alium acciperemus: nam *nodus*, proprie eſt denſa peditum multitudo: ſicut *turma*, equitum, ut lectum eſt in Diſciplina militari. *Nodum* ergo pro difficultate accipe, quae vix poſſit reſolvi.

PIERII.

421. DA NUNC, TYBRI, PATER. In Romano codice familiari errore, *Tybre*, ſcriptum eſt.

424. DUM TEXIT IMAONA. In aliquot antiquis, *Imaeona*, per *ae* diphthongon, legitur; ſed in pluribus, *Imaona*. Sed neque placet *Abanthum*, ut in Romano codice legitur, quum *Abas*, *Abantis* declinetur: quare *Abantem* rectius.

428. OPPOSITUM INTERIMIT PUGNAE. In Romano codice utraque orationis parte integra, *interemit*, ſcribitur, pene ultima correpta: non enim praeteritum eſt.

430 Et vos, o Grajis inperdita corpora, Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque & viribus aequis.
Extremi addensent acies: nec turba moveri
Tela manusque sinit. Hinc Pallas instat & urguet,
Hinc contra Lausus, (nec multum discrepat aetas)
435 Egregii formae; sed quis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox illos sua fata manent majore sub hoste.
Interea soror alma monet succurrere Lauso
440 Turnum; qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios: Tempus desistere pugnae.
Solus ego in Pallanta feror; soli mihi Pallas
Debetur: cuperem ipse parens spectator adesset.
Haec ait; & socii cesserunt aequore jusso.

At

SERVII.

430. GRAIIS IMPERDITA CORPORA TEUCRI. Quos Graeci perdere nequiverunt. TEUCROS autem accipimus, quos secum duxit Aeneas: nam ait: *Quorum de numero qui sese in bella sequantur Praestantes virtute legit*. Alias non procedit: nam paulo post erupturi sunt, qui obsidentur in castris. *Inperdita* autem, quis ante hunc?

432. EXTREMI ADDENSENT ACIES. Lucanus: *Quantum pede prima relato Constringit gyros acies*. DENSEO antem, secundae conjugationis est. NEC TURBA MOVERI TELA, MANUSQUE SINIT. Lucanus: *Gladiosque suos compressa timebat*. Quidam sane *turbam*, multitudinem accipiunt: nam plurali numero, *turbas*, perturbationes dixerunt, & strepitus: unde & Terentium *turbas*, *lampadas* propter strepitum volunt dixisse, cum parcus senex perperam per publicum duci suadeat, nec strepitum per turbas adhiberi.

438. MAJORE SUB HOSTE. Sub hostilitate: nam sub diversis hostibus pereunt.

439. MONET SUCCURRERE LAUSO. Expositio talis est: Monitus a sorore continuo secat agmen: atque ut vidit socios, &c.

441. FEROR. Pro, ferri debeo, id est, redibo.

443. CUPEREM IPSE PARENS SPECTATOR ADESSET. Aspere & amare dictum: multa enim mala graviora videntur, si ante oculos nostros eveniant, quam si audiantur. Tale est, ut in secundo de Polyte: *Qui nati coram me cernere lethum Fecisti*: non enim objicit Pyrrho, quod occiderit; quia hoc jus belli exigebat; sed, quare vidente patre, & his similia, ut. *Impositique rogis juvenes ante ora parentum*. Et: *An fratris miseri lethum crudele videres?* Et: *Vidi oculos ante ipse meos*: Et: *Victum tendere palmas Ausonii videre*.

444. AEQUORE JUSSO. Pro, ipsi jussi: & est usurpatum participium: nam *jubeor*, non dicimus: unde potest venire *jussus*. Quamvis interdum sic dicatur, ut Lucanus: *Cujus servaveris umbram, si, quidquid jubeare, velis*. Sic ergo hic participium usurpavit, ut Horatius verbum, dicens: *Haec ego procurare & idoneus imperor, & non invitus*. Ergo satis licenter dictum est; adeo ut hoc loco Probus correptum *a*, longum posuerit.

PIERII.

439. MONET SUCCURRERE LAUSO. *Succurrere*, passim in vulgatis est codicibus. In pluribus vero manu scriptis, praesertimque Vaticanis, *succedere*, scriptum animadverti. Neque tamen nusquam, *succurrere*, legitur.

441. TEMPUS DESISTERE PUGNAE. In Romano codice, *pugna* est, auferendi casu.

444. ET SOCII CESSERUNT AEQUORE IUSSI. In Mediceo, & antiquis aliquot exemplaribus, *jusse*, legitur: quod figurate dictum agnoscit Servius.

445 At Rutulum abſceſſu juvenis, tum juſſa ſuperba
Miratus, ſtupet in Turno, corpuſque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia viſu.
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut ſpoliis ego jam raptis laudabor opimis,
450 Aut leto inſigni. Sorti pater aequus utrique eſt.
Tolle minas. Fatus medium procedit in aequor,
Frigidus Arcadibus coit in praecordia ſanguis.
Deſiluit Turnus bijugis: pedes apparat ire
Comminus. Utque leo, ſpecula cum vidit ab alta
455 Stare procul campis meditantem in proelia taurum,
Advolat; haud alia eſt Turni venientis imago.
Hunc ubi contiguum miſſae fore credidit haſtae,
Ire prior Pallas, ſi qua fors adjuvet auſum
Viribus inparibus; magnumque ita ad aethera fatur:
460 Per patris hoſpitium, & menſas, quas advena adiſti,
Te precor, Alcide, coeptis ingentibus adſis:
Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,

Victo-

SERVII.

445. TUM. Deinde.

446. STUPET IN TURNO. Id eſt, in Turnum intuens.

447. OMNIA. Quae omnia; an circa Turni arma & corpus?

448. TYRANNI. Regis ſuperbi.

449. AUT SPOLIIS EGO JAM RAPTIS LAUDABOR OPIMIS, AUT LETHO. Dilemma argumentum, quod eſt ab utraque parte firmiſſimum, & concludit adverſarium. SPOLIIS OPIMIS. Quae dux duci detrahit, ut diximus ſupra, *ſpolia opima* ſunt.

450. SORTI PATER AEQUUS UTRIQUE EST. *Sorti*, pro, caſui, & fortunae. AEQUUS. Hoc eſt, aequo animo feret, ſi occidero: quia dixerat Turnus: *Cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet*.

451. FRIGIDUS ARCADIBUS COIT IN PRAECORDIA SANGUIS. Praeſagio mortis futurae.

452. PEDES APPARAT IRE. Ne videatur pugnae iniquitate viciſſe.

453. SPECULA CUM VIDIT AB ALTA. Hoc ad currus altitudinem ſpectat: *leo*, ad Turni violentiam atque feritatem: & eſt ordo: *Utque leo advolat, talis eſt imago Turni venientis*. Homerus; *Ὥς τι λέων ἐχάρη μεγάλῳ ἐπὶ σώματι κύρσας.*

457. CONTIGUUM. Poſtquam vidit eum veniſſe intra jactum teli, ſcilicet ut poſſit feriri.

458. IRE PRIOR PALLAS. Subaudis *voluit ire*: Alii *Ire*, pro *it* legunt, ut ſit infinitivus pro indicativo. SI QUA. Si quando. FORS. Fortuna: & dictum eſt propter illud: *Audentes fortuna juvat*. AUSUM. Num, pro, audentem?

460. PER PATRIS HOSPITIUM. Deeſt, mei.

461. TE PRECOR, ALCIDE. Supra, contra inferiorem hoſtem, fluminis imploravit auxilium: nunc, contra hoſtem majorem viribus, deum invocat virtute praeſtantem.

462. CERNAT SEMINECI. Ad illud quod ait Turnus: *Cuperem ipſe parens ſpectator adeſſet*: hic dicit: *Ipſe ſuum cernat interitum*.

PIERII.

445. TUM JUSSA SUPERBA. In Oblongo codice perveteri, *dicta*; ſed *juſſa*, magis placet.

446. MIRATUS STUPET. Quidam codices antiqui, *miratur*, habent: quod non ita placet.

455. MEDITANTEM PRAELIA TAURUM. Duo exemplaria antiquiora Vaticanae bibliothecae legunt: *Meditantem in praelia*.

Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque sub imo
465 Corde premit gemitum, lacrimasque effudit inanes.
Tum Genitor natum dictis adfatur amicis:
Stat sua cuique dies: breve & inreparabile tempus
Omnibus est vitae: sed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojae sub moenibus altis
470 Tot gnati cecidere Deum: quin occidit una
Sarpedon, mea progenies. Et jam sua Turnum
Fata vocant, metasque dati pervenit ad aevi.

SERVII.

463. VICTOREMQUE EERANT MORIENTIA LUMINA TURNI. Donatus dicit *meminerint*; sed melius est, *sustineant*, quasi pondus & poenam: nec enim meminisse oculi possunt.

465. LACHRYMASQUE EFFUNOIT INANES. Hic ostendit eventum futurum.

467. STAT SUA CUIQUE DIES. Sectis philosophorum poetae pro qualitate negotiorum semper utuntur: nec se unquam ad unam alligant, nisi quorum hoc propositum est: ut fecit Lucretius, qui Epicureos tantum secutus est. Scimus autem inter se sectas esse contrarias: unde fit, ut in uno poeta aliqua contraria inveniamus, non ex ipsius vitio; sed ex varietate sectarum. Illud namque, quod ait in quarto: *Sed misera ante diem*, Epicureorum est, qui casibus cuncta concedunt. Nunc quod dicit: *Stat sua cuique dies*, Stoicorum est, qui dicunt fatorum statuta servari. Sane prudenter fecit, ut fluxam & vagam opinionem Epicureorum daret homini, id est, sibi; (nam illud ex persona poetae dictum) hanc autem validam daret Jovi: nam Stoici & nimiae virtutis sunt, & cultores deorum. STAT autem, fixa est. DIES vero, tempus vitae: nam foeminino usus est genere: cum enim masculino utimur, re vera diem significamus. Sane prudenter negaturus R causa coepit: quia qui rogat, dum suspensus expectatione est, potest audire causam, cur sibi postea negatum sit. Caeterum si statim neges, nec admittit excusationem: ideo negaturus Juppiter sic coepit. BREVE TEMPUS VITAE. Quia quandoque finitur: ipse paulo post: *Rhoebe diu, res si qua diu mortalibus ulla est, Viximus*. Item Cicero: *Quid est enim hoc ipsum diu, in quo est aliquid extremum?*

468. OMNIBUS EST. Magna consolatio, quae ostendit non esse dolenda communia. Quis enim indignetur, contingere sibi, quod omnium est? SED FAMAM EXTENDERE FACTIS. Contra illud, quod occurrebat, vitanda esse ardua, si communis omnibus mors esset, brevis vita: dicit ideo amandas esse virtutes, ut vitae brevitas fama & gloriae meritis, possit augeri. OPUS. Officium.

470. GNATI DEUM. Ut Achilles Thetidis, Memnon Aurorae, Ascalaphus Martis.

471. SARPEDON. Secundum Virgilii declinationem, ut: *Nothum Sarpedonis alti*, ultima habebit accentum in nominativo; secundum Homerum, qui & *Sarpedonos*, & *Sarpedontos* facit, & ultima & penultima syllaba habet accentum. ET JAM SUA TURNUM. Multi ETIAM legunt, ut sit ECCE: sed pertinet ad consolationem: *cito periturus est ille, qui vincit*.

472. METAS. Fines; ut: *His ego nec metas rerum, nec tempora pono*. PERVENIT. Bene ad exprimendum celerem mortis adventum, praeterito usus est tempore.

PIERII.

462. CERNAT SEMINECI SIBI ME RAPERE ARMA CRUENTA, VICTOREMQUE FERANT MORIENTIA LUMINA TURNI. In Oblongo codice, *cernant*, numero multitudinis legitur: cujus suppositum erit, *lumina morientia*, in quo etiam, *mortalia*, scriptum est; sed ut alterum illud non improbarim, ita hoc minime receperim, quum *morientia*, magis faciat ad sententiam.

465. LACHRYMASQUE EFFUDIT INANES. In aliquot antiquis codicibus: *Lacrumasque effundit inanis*; sed *effudit*, praeteritum, magis placet, posito, *audiit*.

470. TOT NATI CECIDERE DEUM. In antiquis, *gnati*, ex Valerii Frontonis distinctione.

471. ETIAM SUA TURNUM FATA VOCANT. In codicibus aliquot, *manent*, legitur; sed *vocant*, magis placet, quia magis facit ad consolationem, si poena non differatur: & *vocant*, instare significat.

Sic ait, atque oculos Rutulorum rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus haſtam,
475 Vaginaque cava fulgentem deripit enſem.
Illa volans, humeri ſurgunt qua tegmina ſumma,
Incidit, atque viam clipei molita per oras,
Tandem etiam magno ſtrinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro praefixum robur acuto
480 In Pallanta diu librans jacit, atque ita fatur:
Aſpice, num mage ſit noſtrum penetrabile telum.
Dixerat; at clipeum, tot ferri terga, tot aeris,
Cum pellis totiens obeat circumdata tauri,
Vibranti medium cuſpis tranſverberat ictu,
485 Loricaeque moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum fruſtra de volnere telum:

Una

SERVII.

473. RUTULORUM REJICIT ARVIS. Reſpiciendo fecit partem feliciorem: unde in ſecundo ait: *Aſpice nos, hoc tantum:* quidquid enim Juppiter videt, admodum juvat. REICIT. *Re* naturaliter brevis eſt, & eam pro longa poſuit. Sic alibi: *Reice, ne maculis infuſcet vellera pullis:* quod licet poſſit excuſari: quia cum facit *rejeci*, inter duas vocales *i* poſita, producit ſuperiorem, ut dicamus longam eam eſſe; quia per declinationem longa futura eſt; tamen, quia in hac re argumentum magis eſt, quam ratio, dicamus ectaſim factam, quae poetis plerumque conceditur.

475. FULGENTEM DERIPIT ENSEM. Ne jacto telo inermis eſſet.

477. VIAM MOLITA. Hoc eſt, cum difficultate quaeſivit: per quod & ſoliditas clypei, & minus firmus haſtae jactus oſtenditur.

478. STRINXIT. Tactu modico praeteriit: ita enim ab antiquis dicebatur: & eſt ſignificatio levis vulneris.

479. FERRO PRAEFIXUM ROBUR. Periphraſis haſtae.

481. NUM MAGE SIT. Legitur & NUNC MAGIS EST. Unus tamen eſt ſenſus. Sed ſi MAGE legamus, propter metrum dictum eſt, pro, *magis:* ſicut etiam *pote*, pro, *potis*. Perſius: *Qui pote vis dicam nugaris cum tibi Calve?* Quod adeo in uſum venit, ut etiam in proſa inveniatur. Cicero in Frumentaria: *Mage condemnatum hominem in judicium adducere non poſſe*. PENETRABILE. Pro, *penetrale* dicitur: nam quod *penetrat*, *penetrale* dicitur; quod autem *penetratur*, *penetrabile*.

482. TOT FERRI TERGA. Non dicit, quot terga, ſed multa.

483. CUM PELLIS. Quidam *pellis* humiliter dictum accipiunt.

484. CUSPIS INGENS. Ita accipiendum, ne incongruum ſit, ſi dixerit de puero *ingens pectus*. Sane *cuſpidem* abuſive pro haſtae mucrone poſuit.

485. ET PECTUS PERFORAT. Hic ſubdiſtinguendum eſt; ut *ingens*, ſicut diximus, ad ſuperiora poſſit referri.

PIERII.

475. FULGENTEM DIRIPIT ENSEM. In Romano codice, *deripit*, more ſuo, uti ſuperius.

476. HUMERIS SURGUNT QUA TEGMINA SUMMA. In nonnullis Vaticanae bibliothecae codicibus, & in iis, qui apud me ſunt, *humeri*, habetur, genitivo caſu: quod magis placet: & pro *ſumma*, *prima*, legitur in Romano codice.

482. TOT FERRI TERGA TOT AERIS, CUM PELLIS TOTIES OBEAT CIRCUNDATA TAURI. In antiquis nonnullis codicibus reperitur, *cum*, ſive *quom:* non *tot*, hoc pacto: *Dixerat; at clipeum quom ferri terga tot aeris, quom pellis toties obeat circundata tauri*. Sed omnino melius, ut in vulgatis.

484. VIBRANTI CUSPIS MEDIUM TRANSVERBERAT. In aliquot, *vibranti medium cuſpis*, mutato numero.

486. ILLE RAPIT CALIDUM FRUSTRA DE VULNERE TELUM. In Romano legitur: *de pectore*.

Una eademque via ſanguis animusque ſequuntur.
Corruit in vulnus: ſonitum ſuper arma dedere:
Et terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
490 Quem Turnus ſuper adſiſtens:
Arcades, haec, inquit, memores mea dicta referte
Euandro. Qualem meruit, Pallanta remitto.
Quisquis honos tumuli, quidquid ſolamen humandi eſt,
Largior. Haud illi ſtabunt Aeneïa parvo
495 Hoſpitia. Et laevo preſſit pede, talia fatus,
Exanimem, rapiens inmania pondera baltei,
Inpreſſumque nefas: una ſub nocte jugali
Caeſa manus juvenum foede, thalamique cruenti:
Quae.

SERVII.

487. ANIMUSQUE SEQUUNTUR. *Animus* pro anima: nam *animus*, conſilii eſt: *anima*, vitae: Quidam ſecundum Epicureos *animam* per totum corpus diviſam eſſe volunt: & exinde poſſe fieri, ut quis amputata parte corporis vivat: *animum* vero eſſe *τὸ ἡγεμονικὸν animae*, ſine quo vivere non poſſumus: ego ſecundum ſectam ſibi notam Poeta locutus.

488. SONITUM SUPER ARMA DEDERE. Homeri eſt: Ἀράβησε δὲ τεύχε' ἐπ' αὐτῷ.

491. REFERTE EUANDRO. Poteſt & hic diſtingui: poteſt & ſupra referri: ut ſit: *Euandro remitto qualem meruit filium.*

493. QUIDQUID. Pro, quodcumque. Plautus in Bacchidibus: *Quidquid eſt nomen ſibi*. SOLAMEN HUMANDI EST. Solatium, dolentis ſcilicet patris: quia hoc ſolatium viventium eſt, humare defunctos.

494. STABUNT. Conſtabunt. Hoc ergo dicit: *non illi parvo*: non parvo periculo conſtabunt Aeneae hoſpitia: & eſt proverbialis ſenſus. BALTEI. Poteſt & Synaereſis eſſe, *baltei*: poteſt & hypermetrus verſus eſſe: nam ſequens a vocali inchoat. *Baltheus* autem, in numero ſingulari maſculi eſt tantum generis. Juvenalis: *Balteus, & tunicae, & criſtae*; in numero vero plurali, & neutri, ut idem Juvenalis: *Quotiens rumoribus ulciſcuntur baltea*.

497. IMPRESSUMQUE NEFAS. Inſculptum nefas Danaidum. Donatus tamen *impreſſum* dicit, coactum: quod a patre compulſae ſunt facere. Sane fabula talis eſt: Aegyptus & Danaus, fratres fuere, Beli filii. Ex his Danaus quinquaginta filias habuit, & Aegyptus totidem filios. Sed cum inter eos contentio de Memphidis imperio fuiſſet, multis ſaepe adductus contumeliis Danaus fratri Aegypto ceſſit imperio; & Minervae conſilio ad Peloponneſum perrexit: cujus cives, ibi rex factus, a ſuo nomine Danaos appellavit: quod cum Aegyptum momordiſſet, veritus, ne Danaus de filiabus per generos & nepotes auxilia conquireret, fraude concepta, filiis ſuis quinquaginta fratris filias in matrimonium poſtulavit, quas Danaus, dolorem exilii retinens, mox promiſit; ſed cum factae eſſent nuptiae, ſponſae omnes ſponſos ſuos, monente patre Danao, nuptiali nocte necaverunt: ſola Hypermneſtra ſervato Lynceo fugam dedit, qui poſt adeptus patruum Danaum interemit. Hae Danaides apud Inferos hanc poenam habuiſſe dicuntur, ut in dolium pertuſum aquam mittant. NEFAS. Declinatione caret. SUB NOCTE. Pro, in nocte.

PIERII.

487. SANGUISQUE ANIMUSQUE SEQUUNTUR. In Romano codice, & aliquot aliis, *ſanguis animusque*, abſque particula copulativa priori loco; ſed enim ea repetita in ſimilibus plena venuſtatis eſt, niſi verſum etiam elangueſcere anima deficiente velimus.

488. CORRUIT IN VULNUS. In Oblongo codice pervetuſto, *concidit* legitur; ſed *corruit*, majorem habet vim.

490. QUEM TURNUS SUPER ASSISTENS. In Romano codice verſus integer, his additis dictionibus: *ſic ore profatus*. Alii nugas alias addidere.

496. EXANIMUM. Antiqui codices libentius *exanimem* ſcribunt per *e*, ut obſervatum ſaepe; ſed utrumque receptum a Grammaticis.

Quae Clonus Eurytides multo caelaverat auro:
500 Quo nunc Turnus ovat ſpolio gaudetque potitus.
Neſcia mens hominum fati ſortisque futurae,
Nec ſervare modum rebus ſublata ſecundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverit emtum
Intactum Pallanta, & cum ſpolia iſta, diemque
505 Oderit. At ſocii multo gemitu lacrimisque
Inpoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture parenti;
Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert:
Cum tamen ingentis Rutulorum linquis acervos!
510 Nec jam fama mali tanti, ſed certior auctor,
Advolat Aeneae, tenui diſcrimine leti
Eſſe ſuos: tempus verſis ſuccurrere Teucris.
Proxima quaeque metit gladio, latumque per agmen
Ar-

SERVII.

499. BONUS EURYTIDES. Laus ab artifice, ut: *Mira quem fecerat arte Lycaon*. Item: *Divini opus Alcimedontis*. CAELAVERAT AURO. Non, auro caelaverat; ſed in auro.

500. OVAT. Jactat, gloriatur: & eſt ordo, quo ſpolio potitus, ovat, gaudetque.

501. NESCIA MENS HOMINUM. Hoc ad Turnum pertinet: quia propter hunc periturus eſt balteum, quem nunc ſe ſuſtuliſſe laetatur.

502. SERVARE MODUM. Nunquam neſcia, ideo *Nec ſervare modum*. SUBLATA. Elata.

503. MAGNO CUM OPTAVERIT EMPTUM. *Magno emptum*, ſcilicet pretio. Sic & alibi: *Et magno mercentur Atridae:* ſenſus autem talis eſt: Erit tempus, quo Turnus optabit quovis pretio redimere, ne ipſe Pallantem occidiſſe videatur.

505. MULTO GEMITU. Cum multo gemitu, lacrymis: minus eſt hic, *cum*.

507. O DOLOR, ATQUE DECUS. Hos duos verſus plerique a Poeta dictos volunt: alii a ſociis, qui reportant cadaver. *Dolor* autem, propter illud: *Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert*. *Decus* propter illud: *Cum tamen ingentes Rutulorum linquis acervos*.

510. CERTIOR AUCTOR. Id eſt, nuntius verus.

511. ADVOLAT AENEAE. De morte Pallantis ſcilicet, ut poſtea inferantur, quae praeterea addit. TENUI DISCRIMINE LETHI. Modico mortis interſtitio: per quod magna Pallantis virtus oſtenditur: quo interempto omnis eſt in fugam converſus exercitus.

512. VERSIS. Fugatis.

513. LATUMQUE PER AGMEN ARDENS LIMITEM AGIT. Ordo eſt: *Latum limitem ardens agit*, id eſt, facit: ſic melius, quam ſi dicas: *latum per agmen*. Ergo ſic intelligamus, aut per ordinem, aut per Hypallagen: nam & ſupra ſic ait: *Haec ego vaſta dabo, & lato te limite ducam*.

PIERII.

499. QUAE BONUS EURYTION MULTO CAELAVERAT AURO. *Eurytion*, paſſim in codicibus impreſſis habetur; ſed in antiquis, *Eurytides*, uno omnium conſenſu poſitum eſt. Epitheton vero illud, *bonus*, in manu ſcriptis exemplaribus variat: nam Oblongus codex, Mediceus, & aliquot ex iis, qui apud me ſunt, *Clonus*, habent. Romanus una plus littera *Clonius*. Alius codex pervetuſtus *Conus*. Sed quum *Eurytides* ſit patronymici forma, *Clonus*, quod in codicibus emendatioribus habetur, pro nomine proprio mihi magis placet. Legendum igitur, *Quae Clonus Eurytides*.

507. O DOLOR, ATQUE DECUS MAGNUM, REDITURE PARENTI. In Romano codice, *parentis*, quippe dolor, & decus; ſed omnino magis placet, *parenti*, acquiſitivo caſu.

512. TEN-

Ardens limitem agit ferro; te, Turne, ſuperbum
515 Caede nova quaerens. Pallas, Euander, in ipſis
Omnia ſunt oculis: menſae, quas advena primas
Tunc adiit, dextraeque datae. Sulmone creatos
Quatuor hic juvenes; totidem, quos educat Ufens,
Viventis rapit, inferias quos inmolet umbris,
520 Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas.
Inde Mago procul infenſam contenderat haſtam;
Ille aſtu ſubit: at tremebunda ſupervolat haſta.
Et genua amplectens effatur talia ſupplex:
Per patrios manis, per ſpes ſurgentis Iuli,
525 Te precor, hanc animam ſerves natoque patrique.
Eſt domus alta: jacent penitus defoſſa talenta

Cae-

SERVII.

515. Pallas, Euander in ipsis Omnia sunt oculis. Erat rectum: *Pallas*, *Euander*, *menſae*, *quas advena primus Tunc adiit*, *dextraeque datae*, *In ipſis omnia ſunt oculis*. Sed perite ſciſſa eſt narratio, per quam animus Aeneae perturbatus exprimitur.

517. Tunc adiit. Quidam *tunc*, pro quondam accipiunt.

518. Quatuor hic juvenes. Emphaſis virtutis: quod multos, quod juvenes, quod armatos, quod rapit: minus enim fuerat, ſi dixiſſet, *capit*: unde in XI. *Vinxerat & poſt terga manus*, *quos mitteret umbris Inferias*.

519. Inferias quos immolet umbris. *Inferiae*, ſunt ſacra mortuorum, quae Inferis ſolvuntur. Sane mos erat, in ſepulchris virorum fortium captivos necari: quod poſtquam crudele viſum eſt, placuit gladiatores ante ſepulchra dimicare, qui a *buſtis*, *buſtuarii* appellati ſunt.

Ὁ δ' ἐπεὶ κάμε χεῖρας ἐναίρων,
Ζωοὺς ἐκ ποταμοῖο δυώδεκα λέξατο κούρους
Ποινὴν Πατρόκλοιο Μενοιτιάδαο θανόντος.

520. Captivo sanguine. Pro, captivorum, ut: *Captivi pendent currus*. Item: *Captivaque veſtis Congeritur*: & eſt, ut diximus, ſpecioſus ornatus. Mago. Dativus eſt, ut ſupra: *Ilo namque procul*.

521. Contenderat. Adverſum jecerat.

522. Ille astu. *Aſtu*, pro ſcientia bellica. Subit. Subſedit.

524. Per patrios manes, et spes surgentis Iuli. Per eas perſonas rogat, propter quas petatur. Et bene, ut in belli calore, breviter omnes locos ad impetrandam veniam complectitur.

526. Penitus defossa talenta. Multi enim divitias ſuas obruebant: unde Horatius: *Quid juvat, immenſum te argenti pondus & auri Furtim defoſſa timidum deponere terra?* Sane melius *infoſſa* diceret, quam *defoſſa*: ad quod eſt metri neceſſitate compulſus: nam fugit dubiam ſyllabam. Et quidam volunt, tria genera argenti vel auri Poetam complexum, ſignatum, factum, infectum; ſignatum eſt, quod in nummis; factum, quod in vaſis & ſignis, ut: *Caelati argenti*: infectum, quod in maſſis, ut: *Infectique mihi*. Atqui *talentum*, non ad numerum ſolet, ſed ad pondus referri; niſi forte uſum temporis ſui heroicis temporibus Poeta voluerit applicare. Hic eſt locus Homeri:

Ζώγρει, Ἀτρέος υἱὲ, σὺ δ' ἄξια δέξαι ἄποινα.
Πολλὰ δ' ἐν ἀφνειοῦ πατρὸς κειμήλια κεῖται,
Χαλκός τε, χρυσός τε, πολύκμητός τε σίδηρος.
Τῶν κέν τοι χαρίσαιτο πατὴρ ἀπερείσι' ἄποινα,
Αἴ κεν ἐμὲ ζωὸν πεπύθοιτ' ἐπὶ νηυσὶν Ἀχαιῶν.

PIERII.

512. Tempus versis succurrere Teucris. In Romano codice hoc etiam loco, *ſuccedere*, legitur, uti ſuperius, *ſuccedere Lauſo*.

516. Mensae quas advena primus Tunc adiit. In Rom. cod. *primum*. In aliis quibuſdam, *primus*. Idem tamen facit, *primus*, ſed figurate.

521. Inde Mago procul infensam quum tenderet hastam. Varia verſus hujus lectio eſt apud codices antiquos. Impreſſi vero vulgatique

omnes

Caelati argenti: ſunt auri pondera facti,
Infectique mihi. Non hic victoria Teucrum
Vertitur; aut anima una dabit diſcrimina tanta.
530 Dixerat. Aeneas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quae multa talenta,
Gnatis parce tuis. Belli commercia Turnus
Suſtulit iſta prior, jam tum Pallante peremto.
Hoc patris Anchiſae manes, hoc ſentit Iulus.
535 Sic fatus galeam laeva tenet, atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus adplicat enſem.
Nec procul Haemonides, Phoebi Triviaeque ſacerdos,
Infula cui ſacra redimibat tempora vitta,
Totus conlucens veſte, atque inſignibus armis.

Quem

SERVII.

528. NON HIC VICTORIA TEUCRUM VERTITUR. In meo ſcilicet interitu. Lucanus: *Non pondera rerum, Nec momenta ſumus.*

529. DABIT DISCRIMINA. *Dabit*, aut compenſabit; aut faciet, ut: *Quas turbas dedit*. DISCRIMINA autem, differentiam circa eventum & victoriam.

532. GNATIS PARCE TUIS. *Talenta parce*, per accuſativum, Plautine dictum, qui ait in Milite: *Parce vocem*. Qui in Virgilium declamationes ſcripſit, de hoc loco ſic ait, ex perſona Aeneae: *Improbus es, qui aut regi dones, aut filios exhaeredes*. PARCE autem, eſt ſecundum antiquos *ſeria*, aut apud Lucilium & Ennium invenitur. Quod autem dicit *gnatis parce tuis*, cum ſupra dixerit, *gnatoque patrique?* non eſt contrarium: nam *liberos*, etiam unum dicimus filium, adeo ut Terentius etiam *filiam*, *liberos* dixerit, in Hecyra: *Qui illum dignum decreverint, ſuos cui committerent liberos:* ubi pater de filia ad uxorem loquitur. Ergo uſurpavit, reſpiciens ad liberos, ut gnatos de uno diceret. COMMERCIA. Viciſſitudines, & ignoſcendi facultatem; vel captivorum redemptionem.

533. JAM TUM PALLANTE PEREMPTO. Pro, jam tum, cum Pallantem peremit.

534. HOC PATRIS ANCHISAE MANES. Idem ſentire & patrem & filium dicit; quaſi hoc commodum ad illos pertineat.

537. NEC PROCUL AEMONIDES. Hoc nomen licet poſſit eſſe patronymicum, quia in *des* exit, ut dicamus, Aemonis filius; tamen melius eſt, ut id proprium eſſe dicamus: quia nuſquam aliud nomen ejus aut praemiſſum eſt, aut ſecutum: ergo ſimile eſt patronymico, ut ſit *Aemonides*, ſicut *Tydides*.

538. INFULA. Faſcia, in modum diadematis, a qua vittae ab utraque parte dependent: quae plerumque lata eſt, plerumque tortilis, de albo & cocco.

539. INSIGNIBUS ARMIS. Aſper ſic legit, & utitur Salluſtii exemplo, qui ait: *Equo atque armis inſignibus*. Probus vero, INSIGNIBUS ALBIS, dicit legendum; ut albas veſtes accipiamus, quae ſacerdotibus congruae ſunt: ſicut Statius dicit de Amphiarao: *Albaque purpureas interplicat infula criſtas*.

PIERII.

conveniunt in epitheto, *infenſam*; ſed in Romano, *infeſtam*, eſt. Praeterea, *cum tenderet*, vulgo legitur; ſed in Romano, *contenderat*. Oblongus vero, atque aliquot alii eadem forma, unica dictione, *contenderat*. Tu vero videris, ſive *cum tenderet*, ſive per interpoſitionem, *Procul infenſam contenderat*, legi placeat, utrum *Mago* ſit dativi caſus, ut Servius putat.

536. CAPULO TENUS ABDIDIT ENSEM. Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii admodum vetuſti legunt, *applicat enſem*.

537. NEC PROCUL AEMONIDES. In codicibus aliquot antiquis huic nomini aſpiratum eſt.

538. INFULA CUI SACRA REDIMIBAT TEMPORA VITTA. Romanus ille codex ſecretior, *ſacre*, legit, pro ſacerdoti. Praeterea ſunt qui *redimeibant* per *ei* in pene ultima ſcribant, quod ego nuſquam in his codicibus antiquis obſervavi; ſed recte fieri, ex frequenti ſcriptione hujuſmodi, quae in antiquorum monumentis paſſim inſpicitur, & ex Lucillii inſtituto ſuperius oſtendimus.

540 Quem congressus agit campo, labsumque superstans
Inmolat, ingentique umbra tegit. Arma Cerestus
Lecta refert humeris, tibi, rex Gradive, tropaeum.
Instaurant acies, Volcani stirpe creatus
Caeculus; & veniens Marsorum montibus Umbro,
545 Dardanides contra furit: Anxuris ense sinistram,
Et totum clipei ferro dejecerat orbem.
Dixerat ille aliquid magnum, vimque adfore verbo
Crediderat, caeloque animum fortasse ferebat;
Canitiemque sibi & longos promiserat annos.
550 Tarquitus exsultans contra fulgentibus armis,
Silvicolae Fauno Dryope quem nympha crearat,

Ob-

SERVII.

540. AGIT CAMPO. Insequitur per campum.

541. IMMOLAT. Quasi victimam, ut ille consueverat: nam hoc verbo ad sacerdotis nomen adlusit. Sane *immolari*, proprie dicuntur hostiae; non cum caeduntur; sed cum accipiunt molam salsam. Cato in Originibus ita ait: *Boves immolatos, prius quam caederentur, profugisse in Siciliam*. INGENTIQUE UMBRA TEGIT. Aut magnitudine corporis sui, aut clypei, obumbrat ejus cadaver: aut *ingenti umbra*, id est, morte, ut: *In aeternam clauduntur lumina noctem*: aut *ingenti umbra tegit*, secundum usum accipiendum, id est, insultatione eum opprimit, & adumbrat; ut *superatos* dicimus *adumbratos*; aut *ingenti umbra tegit*, ut inferiorem tegit adversum hostes fortior, quod institutum minuit causa spoliorum detrahendorum: sequitur enim: *Arma Serestus Lecta refert humeris*. SERESTUS. Serestos duos intelligamus, unum in castris, & unum cum Aenea: nam Trojani nondum erupere de castris, ut intelligamus eum, quem supra dixit: ergo duo sunt; nec mirum, cum ipse dixerit, quod exemplo esse possit: *Assaracique duo*.

542. LECTA REFERT. Proprie dixit: nam spolia, quae aptantur tropaeis, legi dicuntur, id est, eligi. TIBI REX GRADIVE. Ut: *Tibi, Phoebe, sacravit*. TROPAEUM. Declinatio Latina est: unde penultima habebit accentum, in numero vero plurali, quia *tropaea* dicimus sicut Graeci, nec aliquid inde mutilamus, erit in antepenultima accentus, sicut apud Graecos, scilicet tertia syllaba a fine.

543. INSTAURANT AICES VULCANI STIRPE CREATUS CAECULUS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον, nam ante fusas accipimus, ex eo, quod dixit, *instaurant*. VULCANI STIRPE CREATUS. Notandum *stirpem*, de patre dictum, cum semper de longa generis significatione dicatur.

544. VENIENS. Pro, qui venerat.

545. DARDANIDES. Patronymicum a majoribus. ANXURIS ENSE SINISTRAM. Quidam ex hoc volunt intelligi etiam Umbronem occisum: constat enim vere ab Aenea occisum, sicut ipse hoc libro in Catalogo ait: *Sed non Dardaniae medicari cuspidis ictum Evaluit*.

546. DEJECERAT. Plus quam perfecto usus est, ad exprimendam celeritatem, uti: *Suras incluserat auro*.

547. DIXERAT ILLE ALIQUID MAGNUM. Proverbialiter dictum est, ac si diceret; non mirum sit occisum esse eum, qui sibi plurimum adrogabat. Μὴ μέγ' εἴπῃς. Corinthus ut sordidum improbat.

548. CAELOQUE ANIMUM FORTASSE FEREBAT. Forte se exaequaverat caelo, ut de Aenea Drances: *Quibus caelo te laudibus aequem*: aut *ferebat*, elevabat, quod solus esset majore senectute victurus, debellatis omnibus, id est, Aenea, cum suis.

549. LONGOS. Pro, multos.

551. SYLVICOLAE FAUNO DRYOPE QUEM NYMPHA CREARAT. *Faunus*, hoc loco quidam rusticus intelligendus est, non deus, sicut supra *Anxyrus*, quem legimus Jovem. Alii Fauni filium, sed antequam Faunus in deorum numero reciperetur. Nonnulli nympham, non deam volunt, etiam Graece sponsam dictam, vel quae recens nupta sit; ne incredibile sit, ex duobus numinibus procreatum esse

Obvius ardenti sese obtulit. Ille reducta
Loricam clipeique ingens onus inpedit hasta.
Tum caput orantis nequidquam, & multa parantis
555 Dicere deturbat terrae; truncumque tepentem
Provolvens, super haec inimico pectore fatur:
Istic nunc, metuende, jace. Non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra sepulcro:
Alitibus linquere feris: aut gurgite mersum
560 Unda feret, piscesque inpasti volnera lambent.
Protenus Antaeum & Lucan, prima agmina Turni,
Persequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volscente satum: ditissimus agri

Qui

SERVII.

mortalem: quanquam haec numina, secundum Aristotelem, aliquando moriantur: nam & Eryx, Veneris & Neptuni filius, ab Hercule occisus est,

552. ILLE REDUCTA. Id est, longa, ut: *Interea videt Aeneas in valle reducta*. Et intelligimus, protenta hasta Tarquito arma esse impedita. Alii *reducta*, retroacta dicunt, quod non procedit.

553. IMPEDIT. Non permisit usui esse ad protegendum Tarquitum.

555. DETURBAT TERRAE. Hoc est, in terram.

556. SUPER HAEC INIMICO PECTORE FATUR. Quaeritur, quid tantum iste commiserat, ut sic saeviret Aeneas? Sed ubique de morte Pallantis objicitur dolor.

557. ISTIC, NUNC. Sarcasmos est, id est, hostilis irrisio. *Istic* autem, pro, hic. Est autem Homeri versus:

Ἐνταυθοῖ νῦν κεῖσο μετ' ἰχθύσιν, οἵ σ' ὠτειλῆς
Αἷμ' ἀπολιχμήσονται ἀκηδέες.

NON TE OPTIMA MATER. Utrum, vere mater, an terra patria?

558. PATRIO SEPULCHRO. Aut etiam hinc apparet, Faunum hominem fuisse; aut, ut quidam volunt, potest hoc ad matrem referri, ut dicat Aeneas quod mater eum sepelire non possit in sui patris monumentis, id est, in avi ejus materni.

559. ALITIBUS FERIS. Σχηματίζουσιν ὀρνέοις. Plautus: *Avi me ferae similem faciam, ut praedicas*.

560. IMPASTI. Ita avidi, ut semper credantur impasti, sicut de Harpyiis dixit: *Et pallida semper Ora fame*: quasi famelicae.

561. PRIMA AGMINA. Qui agminis erant primi.

562. FORTEMQUE NUMAM FULVUMQUE CAMERTEM. Fulvum, Ξανθὸν: horum in Catalogo meminit.

PIERII.

542. TIBI REX GRADIVE TROPHEUM. In compluribus ex his veteribus codicibus, *tropaeum*, absque adspiratione legitur: & ita scribendum esse censent plerique viri doctissimi, ejusque inscriptionis usus in veterum monumentis non uno apparet loco.

555. TRUNCUMQUE PROVOLVENS. Oblongus codex, atque etiam alter publico expositus usui, neque non Mediceus, *repentem*, habent. Romanus quoque huc tendit, quamvis litteris transpositis, *petentem*, ibi sit.

557. NUNC TE OPTIMA. Potius, *non*. In aliquibus vero codicibus, deest *te*.

561. PROTINUS ANTAEUM ET LYCAM. In Oblongo codice, *Lyncam*, est, una plus littera. Romanus, *Lucam* habet, quod ridiculum forte cuipiam videbitur; sed enim in aliquot aliis quoque codicibus, eodem modo *Lycam* scriptum inveni. Neque quod Υ in υ mutatum sit, ut in plerisque aliis factitatum; sed quia *Lucam*, eadem pene forma, qua *Lucagus*, apud Virgilium Latinam esse dictionem crediderim, prima producta, quae corripitur in *Lyca*, ut ibi: *Inde Lycam ferit*. Et ita apud Ovidium semper. Sic etiam reliqua ejusdem analogiae, *Lycaon*, *Lycurgus*. Nos vero frequenti nuncupatione Elephantos comperimus *Lucas boves* appellatos a Lucania, ubi primum eos viderint Romani: quare *Luca*, Romanum est vocabulum. Quod vero sequebatur, satis corrupte: *Prima agmina Turnum*, ex antiquioribus exemplaribus recte jam scribi coeptum est, *Turni*.

563. MAG-

Qui fuit Ausonidum, & tacitis regnavit Amyclis.
565 Aegaeon qualis, centum cui brachia dicunt,
Centenasque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribusque arsisse, Jovis cum fulmina contra
Tot paribus streperet clipeis, tot stringeret ensis.
Sic toto Aeneas desaevit in aequore victor,
570 Ut semel intepuit mucro. Quin ecce Niphaei
Quadrijuges in equos adversaque pectora tendit:

At-

SERVII.

564. AUSONIDUM. Pro, Ausonidarum: sicut *deum*, pro, *deorum*: nam *Ausonidum*, a genere foeminino venit, *haec Ausonis*, & *hae Ausonides*. *Ausonidarum* vero venit ab eo, quod est *hic Ausonida*, & *hi Ausonidae*. TACITIS REGNAVIT AMYCLIS. Inter Cajetam & Terracinam oppidum, constitutum est a Laconibus, qui comites Castoris & Pollucis fuerunt: & cum Glauco, filio Minois, in Italiam venerunt: & missi cum Ausonis ab Amyclis, provinciae suae Laconicae civitate, ei inditum nomen est. Lacones itaque isti, cum secundum Pythagoream sectam a caede omnium animalium abstinerent, (unde Juvenalis: *a cunctis animalibus abstinuit*) quia tamquam homines, & a vicinis paludibus natas serpentes, occidere nefas putarent, ab iisdem interempti sunt: unde *Amyclas tacitas* dicit, id est, Pythagoreas: nam Pythagorica virtus est quinquennale silentium. Cicero propter nimiam modestiam perisse illos ait, dum a finitimis accipiunt injurias, & tacent eas. Est & alia expositio: Cum frequenter falso nuntiarentur hostes, & inani terrore civitas quassaretur, lata lege cautum est, ne quis unquam hostis nuntiaret adventum. Postea, cum vere hostis veniret, nullo nunciante, ex improviso civitas capta est: unde *tacitae Amyclae* dictae sunt, quod periere silentio. Hinc est, quod ait Lucilius: *Mihi necesse est loqui: nam scio Amyclas tacendo perisse*. Vel *tacitis*, de quibus taceatur, id est, ignobiles, & non dignae aliqua opinione: vel Hypallage est, pro, ipse tacitus.

565. AEGAEON QUALIS. Ipse est, qui & Briareus dicitur, Coeli, & Terrae filius. Homerus: Ὃν Βριάρεων καλέουσι θεοί, ἄνδρες δέ τε πάντες Αἰγαίωνα. In VI. *Et centumgeminus Briareus*. Alii hunc ex Terra & Ponto natum dicunt, qui habuit Coeum & Gygen fratres. Hic contra Titanas Jovi adfuisse dicitur, vel, ut quidam volunt, Saturno. IGNEM PECTORIBUS ARSISSE. Asper dicit, *ignem* hunc, nativum intelligendum calorem, venientem ex ferocia, ut sit: Cum vim suae crudelitatis efflaret: alii *ignem* hunc fulminis volunt, ut sit dictum quemadmodum in primo: *Illum exspirantem transfixo pectore flammas*. Sane notandum, ignem arsisse, cum igni alia res ardeat.

567. JOVIS CUM FULMINA CONTRA. Quia dicitur flammam emisisse oribus suis contra Jovis fulmen. Homerus nihil dicit aliud, quam centum manus eum habuisse, & auxilio eum Jovi adversus Neptunum, Junonem, & Minervam fuisse: & forte aut suum ignem, aut Jovis acceptum spirasse pro eo; ut sit *contra*, non adversus Jovem; sed similiter, a pari, ut Terentius in Adelphis in capite Comoediae: *Ille ut item contra me habeat, facio sedulo*.

568. PARIBUS. Id est, inter se paribus.

569. SIC. Ut non unam manum putares: namque ad hoc pertinet comparatio, ut intelligamus, eum multitudinis vice dimicasse. *Desaevit* autem, hic valde saevit; alias saevire desinit.

570. INTEPUIT MUCRO. Nimia scilicet caede.

571. QUADRIJUGES. Propter Homoeoleuton noluit *quadrijugos* dicere, & contulit se ad aliam declinationem: nam & *quadrijugus*, & *quadrijugis*, dicimus, sicut *inermus*, & *inermis*; *exanimus*, & *exanimis*.

PIERII.

563. MAGNANIMO VOLSCENTE SATUM. In antiquis codicibus vel *s*, vel *c* tantum invenias scriptum, *Volsente*, vel *Volcente*; quod superius adnotatum est.

569. AENEAS DESAEVIT IN AEQUORE VICTOR. Sunt codices antiqui, in quibus non *in aequore*, sed *in agmine* legatur; sed enim magis placet *in aequore*, quia multo plus dicit.

570. QUIN ECCE NYPHEI. In antiquis aliquot *Nipaei*, absque adspiratione, & per *i* Latinum; sed *Nyphaei* frequentius.

571. QUADRIJUGES IN EQUOS. In codicibus aliquot antiquis, *quadrijugos* legas.

Atque illi longe gradientem, & dira frementem
Ut videre, metu versi retroque ruentes
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
575 Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit equos: strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Aeneas tanto fervore furentes:
Inruit, adversaque ingens apparuit hasta.
580 Cui Liger:
Non Diomedis equos, nec currus cernis Achilli,
Aut Phrygiae campos: nunc belli finis & aevi
His dabitur terris. Vesano talia late
Dicta volant Ligeri: sed non & Troïus heros
585 Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus, ut pronus pendens in verbera telo
Admonuit bijugos: projecto dum pede laevo

Ap-

SERVII.

572. ATQUE ILLI. Equi scilicet: nam ad superiora retulit: quod sciendum est esse vitiosum: interposuit enim: *Adversaque pectora tendit*. Alibi: *Praestanti corpore tauros Avertit, totidem forma superante juvencae: Atque bos*, &c. LONGE GRADIENTEM. Longis gradibus incedentem: & est militaris incessus: aut longinquo.

574. EFFUNDUNTQUE DUCEM. Et hoc loco omisit occisum, ut supra: *Dardanides contra furit*.

575. BIJUGIS. Erit nominativus *hic bijugus*: nam alias *bijugibus* faceret, si esset tertiae formae, ab eo, quod est *hic bijugis*, *hujus bijugis*.

576. ADVERSAQUE INGENS. Hoc est, adversus ipse cum hasta apparuit. Et bene *ingens* visus, cum adversa hasta minaretur.

581. NON DIOMEDIS EQUOS, NEC CURRUM CERNIS ACHILLIS. Duos objecit, a quibus est victus Aeneas: nec tamen usquequaque: nam eorum impetus evitavit.

583. VESANO. Hic poeta adfectationem suam accommodavit, dicendo *vesano*.

585. DICTA PARAT. Potest legi: *Edicta parat contra*.

586. PRONUS. Pendens in verbera. *Pronus*, nomen est: nam & comparatur, ut *pronior*. Si autem participium esset, fieret vitiosa locutio sine interpositione conjunctionis.

587. ADMONUIT. Praeteritum, pro praesenti. PROJECTO. Extento, id est, antejacto, ut: *Projectaque saxa Pachyni*.

PIERII.

574. RAPIUNTQUE IN LITTORE CURRUS. Romanus codex cum altero exposito Vaticanae bibliothecae, legunt *ad litora currum*. Unum enim currum agebat Nyphaeus. In quibusdam aliis codicibus manu scriptis, non contemnendae vetustatis, legere est, *rapiuntque ad litora cursus*; sed magis placet *currus*, aut *currum*: quia facta est mentio effusi ducis.

580. CUI LIGER. Quamvis non parum venustatis & elegantiae videatur habere lectio absque eo carminis imperfecti principio, *Cui Liger*; ea tamen duo verba passim in antiquis codicibus reperimus: quare illa praeterire religio est.

581. NEC CURRUS CERNIS ACHILLIS. In aliquot codicibus antiquis *currum*; sed hic magis placet *currus*, numero plurali ad amplificationem positum.

585. JACULUM NAM TORQUET IN HOSTEM. Exemplaria pleraque ex iis, quae fuere nobis prae manibus, *in hostes*, numero multitudinis legunt: una enim Lucagus, & Liger impetum faciunt in Aeneam, cujus uno tantum ictu alter moribundus volvitur, alter delapsus veniam implorat.

Aptat ſe pugnae, ſubit oras haſta per imas
Fulgentis clipei: tum laevum perforat inguen,
590 Excuſſus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Aeneas dictis adfatur amaris:
Lucage, nulla tuos currus fuga ſegnis equorum
Prodidit, aut vanae vertere ex hoſtibus umbrae.
Ipſe rotis ſaliens juga deſeris. Haec ita fatus
595 Arripuit bijugos. Frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delabſus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, ſine hanc animam, & miſerere precantis.
Pluribus oranti Aeneas: Haud talia dudum
600 Dicta dabas. Morere, & fratrem ne deſere frater.
Tum latebras animae pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius, torrentis aquae vel turbinis atri
More furens. Tandem erumpunt, & caſtra relinquunt

Aſ-

SERVII.

592. LUCAGE NULLA TUOS CURRUS FUGA SEGNIS EQUORUM PRODIDIT, &c. Haec adlocutio contraria eſt ſuperiori: hoc enim continet: Objeciſti mihi, quod ſim & ab Achille & a Diomede converſus in fugam. Te vero, o Lucage, nec equorum tarditas prodidit: quod mihi contigit, cum a Diomede occiſus eſt Pandarus, qui in eodem curru dimicabat: nec aliqua umbra equi tui ſunt territi: quod factum ſaepius in Homero legitur: ſicut & paulo poſt, Turnum cogit imago bella deſerere. Poteſt tamen & ad illud referri, quo tempore eum ab Achille nube cava Neptunus eripuit, ut in quinto commemoratur. Poteſt & ad aliud referri, quod Niſeus paulo ante ab equis ſuis proditus eſt.

594. IPSE ROTIS SALIENS. Sarcaſmos eſt: nam per irriſionem dictum eſt: qui non morte dejectus es: ille enim vulneratus ciciderat. *Rotis* autem, curru, a parte totum. SINE. Permitte, relinque, patere, id eſt, συγχώρησον.

601. LATEBRAS ANIMAE PECTUS. Definitio eſt pectoris, id eſt, in quo anima latet & continetur.

602. EDEBAT. Quaſi ad ſpectaculum: unde & *munerum editores* vocantur. FUNERA. Caedes, ut: *Quis funera fando Explicet*.

603. TORRENTIS AQUAE. Notandum, quod *aquae* addiderit, cum abſolute *torrens* dicatur.

604. MORE FURENS. Expoſuit ſuperiora epitheta. TANDEM ERUMPUNT. Solutam obſidionem oſtendit. ASCANIUS PUER. Syllepſis: ordo eſt: Aſcanius & juventus; nam *obſeſſa* & ad Aſcanium pertinet.

PIERII.

595. ARRIPUIT BIJUGOS, FRATER TENDEBAT INERMES. In codicibus aliquot pervetuſtis, *inertis* legitur. Id tametſi non ita placebat: quia tamen tam multis in exemplaribus inveniebamus, duximus adnotandum.

602. TALIA PER CAMPOS EDEBAT FUNERA VICTOR DARDANIUS TORRENTIS AQUAE. Probatiores illi codices Vaticanae bibliothecae, & aliquoi alii *ductor Dardanius* legunt: quod mirifice placet: ut inferius habebimus: *Saevae jamque altius irae Dardanio ſurgunt ductori*. Sunt etiam codices, in quibus non *Dardanius*, ſed *Dardanus & torrentis aquae*, legatur. Illud ſimplicius, hoc figuratius eſt.

603. VEL TURBINIS ATRI MORE FURENS. In Romano codice, *fremens* legitur; ſed hoc loco *furens* melius eſt, ut: *Furit immiſſis Volcanus habenis*: de clade enim hic loquitur, non de ſtrepitu.

605 Aſcanius puer, & nequidquam obſeſſa juventus.
Junonem interea compellat Juppiter ultro:
O germana mihi atque eadem gratiſſima conjunx,
Ut rebare, Venus (nec te ſententia fallit)
Trojanas ſuſtentat opes: non vivida bello
610 Dextra viris, animuſque ferox, patienſque pericli.
Cui Juno ſummiſſa: Quid, o pulcherrime conjunx,
Sollicitas aegram, & tua triſtia dicta timentem?
Si mihi, quae quondam fuerat, quamque eſſe decebat,
Vis in amore foret; non hoc mihi namque negares,
615 Omnipotens; quin & pugnae ſubducere Turnum,
Et Dauno poſſem incolumem ſervare parenti.
Nunc pereat, Teucriſque pio det ſanguine poenas.
Ille tamen noſtra deducit origine nomen.
Pilumnuſque illi quartus pater: & tua larga
Sae-

SERVII.

608. UT REBARE. Ut arbitrabaris, verum eſt, quod Trojani Venetis nituntur auxilio: & dictum eſt per Ironiam: nam ſuperflue quidam hanc orationem ſimpliciter dictam volunt, ut re vera dicat Juppiter, per ſe nihil poſſe Trojanos: quod falſum eſt: adeo ut Junonis oratio ad Ironiam, non ad ſimplicia verba reſpondeat. NEC TE SENTENTIA FALLIT. Hoc per Parentheſim dictum eſt.

609. VIVIDA. Id eſt, fortis, ut v. Aeneidos *Sed bello vivida virtus*.

611. CUI JUNO SUMMISSA. Humilis: & quia intellexit obliqua Trojanorum accuſatione impugnari ſuum pudorem, etiam ipſa reſpondet oblique.

612. TRISTIA. Vel quae triſtem faciant: vel ſevera. Terentius: *Triſtis ſeveritas ineſt in vultu, atque in verbis fides*. Item contra Virgilius: *Furias amnemque ſeverum*, id eſt, triſtem.

615. QUIN. Ut non: nam affirmativa particula eſt. Quidam hunc ordinem eſſe volunt: Namque ſi mihi, quae quondam fuerat vis, in amore foret, non hoc mihi negares; quin poſſem pugnae ſubducere Turnum. Alii hoc genus elocutionis accipiunt, ut per ea, quae in parentheſi poſita ſunt, reliquo ſenſui occurratur, non his, quae primo poſita ſunt: hic enim ad illud, quod inſertum eſt: *Non hoc mihi namque negares Omnipotens; quin & pugnae ſubducere Turnum, & Dauno poſſem incolumem ſervare parenti*: alioquin, dempta hac parentheſi, non congruit primum cum poſtremo, ſi ita dicas: *Si mihi quae quondam fuerat, quamque eſſe decebat, vis; quin & pugnae abducere Turnum, Et Dauno incolumem poſſem ſervare parenti*. Plautus in Ciſtellaria: *Is ſervus (ſed abhinc annos factum eſt* XIII.) *cum conſpicatus eſt primo crepuſculo puellam exponi*.

617. NUNC PEREAT, TEUCRISQUE PIO DET SANGUINE POENAS. Δεικτικῶς eſt: non enim agit, ut pereat; ſed magis favet ejus ſaluti: nam ſtatim ſubjicitur, cur indigne fiat: *Ille tamen noſtra deducit origine nomen*, ut in ſecundo: *Jamdudum ſumite poenas, Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridae*. Quod autem dicit, *pio ſanguine*; Aeneae latenter eum exaequat, qui ubique inducitur cultor deorum.

618. ILLE TAMEN. Quamquam moriturus eſt, tamen a nobis originem ducit. NOSTRA. Divina, id eſt, aut Jovis, aut Junonis, aut omnium deorum.

619. QUARTUS PATER. Abavus: nec eſt contratium, quod ait ſupra: *Cui Pilumnus avus*. Potuit enim fieri, ut & avus ejus & abavus a *Pilumno Pilumni* nominarentur: ergo per *patris* appellationem oſtendit cognationem.

PIERII.

611. CUI JUNO SUBMISSA. In Romano codice & *Juno ſummiſſa* legitur.

615. QUIN ET PUGNAE SUBDUCERE TURNUM.
In

620 Saepe manu, multiſque oneravit limina donis.
Cui rex aetherii breviter ſic fatur Olympi:
Si mora praeſentis leti tempuſque caduco
Oratur juveni, meque hoc ita ponere ſentis;
Tolle fuga Turnum, atque inſtantibus eripe fatis.
625 Hactenus indulſiſſe vacat. Sin altior iſtis
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum; ſpes paſcis inanis.
Et Juno adlacrumans: Quid ſi, quod voce gravaris,
Mente dares; atque haec Turno rata vita maneret?
630 Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri
Vana feror. Quod ut o potius formidine falſa

Lu-

SERVII.

621. REX AETHEREI BREVITER SIC FATUR. Ubique Reges breviter loquentes oſtendit: *Juppiter haec paucis:* & : *Tum breviter Dido vultum demiſſa profatur*.

622. SI MORA PRAESENTIS LETHI. Ex Jovis conceſſione, quali aſtu egerit Juno, cognoſcitur; ſcilicet ut Turnus poſſit evadere. CADUCO. Morituro.

623. PONERE. Facere: vel, ut quidam volunt, conſtituere & decernere: alii *ponere*: pro, dare, ut XII. Aen. *Haec pro virginitate reponis?* Sane *ponere*, facere, ſicut Lucilius Homerum ſecutus, qui ait: ἄλγεα ἔθηκεν, id eſt, fecit: alii *ponere*, putare, ut ſolet dici: *Pone, me hoc feciſſe*.

625. HACTENUS INDULSISSE VACAT. Id eſt, ſufficit: hoc ingenti arte locutus eſt: nam dicendo *vacat*, oſtendit, ſupra hoc breve ſpatium ulterius bonarum ſtellarum inradiationem Turni fata differre non poſſe: unde non ait, indulſiſſe licet, ſed, *vacat*: ac ſi diceret: jam undique in mortem truditur Turnus, hoc tantum vacat ſpatium, id eſt, intervallum temporis: quaſi *hoc ſpatium*, hic locus eſt, ut parumper differatur. Hinc eſt, quod & ſupra ait: *Metaſque dati pervenit ad aevi*.

626. VENIA ULLA. Beneficium, quod te ſperat mereri. Et duas habet ſignificationes; quod petitur, ut hic; & quod conceditur, ut: *Si qua eſt victis venia hoſtibus, oro*.

627. MUTARIVE. Deeſt, poſſe: an mutatum iri?

628. QUOD VOCE GRAVARIS. Quae negas fato: *Vox* enim Jovis, fatum eſt. Statius: *Et vocem fata ſequuntur*: hoc autem dicit: utinam quae negas voce, id eſt, fato, mente praeſtares. Nam ſi *Jovis vox*, fatum eſt, poteſt aliquid fando fati ordinem commutare. GRAVARIS autem, negas, graviter fers: & hac elocutione non niſi per accuſativum utimur: ut ſi dicas, *gravor adventum tuum*, id eſt, graviter fero; *gravor praeſentiam tuam*: nam & ipſe dixit: *Quae gravaris*: aliter non dicimus in hac ſignificatione. Similiter etiam accuſativo utimur caſu, cum volumus abſolutam facere elocutionem, & per gerundi modum aliquid dicere, ut: *Petendum mihi eſt equum, codicem, byrrum*. Hinc Virgilius: *Pacem Trojano ab rege petendum*. Sic Salluſtius: *Caſtra ſine vulnere introitum*. Nam ſi dixeris, *petendus eſt codex*: non jam per gerundi modum agis, ſed participialiter loqueris.

629. RATA. Firma, perpetua.

631. VERI VANA FEROR. Id eſt, ſum veritatis ignara.

PIERII.

In codicibus nonnullis, *Turnum ſubducere pugnae*, legitur, tranſpoſitis dictionibus.

628. CUI JUNO ILLACRIMANS. In Romano, *Cui Juno lacrumans*. QUID SI, QUOD VOCE GRAVARIS. In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt: *Quid ſi quae voce gravaris*.

629. TURNO RATA VITA MANERET. *Rata* fere paſſim legitur, id Servius admittit; ſed in Romano codice *data vita* habetur: quippe qui ſuo fato, non ferro violenter moreretur. Placet vero magis omnino *rata*.

631. QUIN O POTIUS. Nonnulli *quin ut potius* ſcripſere. Exemplar. vero tria Palatina, & aliquot ex iis, quae apud me ſunt, *quod ut o potius* legunt: quamvis in eorum uno deſit *o*: hinc aliqui, ut verſui ſuccurrerent, *quin* illud, pro *quod* poſuere.

Ludar, & in melius tua, qui potes, orſa reflectas!
Haec ubi dicta dedit, caelo ſe protenus alto
Miſit, agens hiemem nimbo ſuccincta per auras:
635 Iliacamque aciem, & Laurentia caſtra petivit.
Tum Dea nube cava tenuem ſine viribus umbram
In faciem Aeneae (viſu mirabile monſtrum)
Dardaniis ornat telis; clipeumque jubaſque
Divini adſimulat capitis: dat inania verba;
640 Dat ſine mente ſonum, greſſuſque effingit euntis.
Morte obita quales fama eſt volitare figuras,
Aut quae ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
At primas laeta ante acies exſultat imago.
Inritatque virum telis, & voce laceſſit.
645 Inſtat cui Turnus, ſtridentemque eminus haſtam
Conjicit: illa dato vertit veſtigia tergo.
Tum vero Aenean averſum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem turbidus hauſit inanem:
Quo fugis, Aenea? thalamos ne deſere pactos:
650 Hac dabitur dextra tellus quaeſita per undas.

Ta-

SERVII.

632. ORSA. Pro dictis & fatis.

634. NIMBO SUCCINCTA. Id eſt, nubibus: quia praemiſit: *Agens hyemem:* quod niſi eſſet, ſplendorem acciperemus, qui eſt circa corpus deorum.

636. TUM DEA. Poteſt ſenſu integro, *dea*, detrahi. NUBE CAVA. Erit nominativus *haec nubes:* nam *nubs* non dicimus, quod ait Livius Andronicus, qui primus edidit fabulam Latinam apud nos.

638. JUBASQUE. Propter equinam caudam, quae eſſe ſolebat in galeis: unde eſt: *Criſtaque hirſutus equina.*

639. DIVINI CAPITIS. Hoc ex perſona Poetae dictum eſt de Aenea, innuentis futura: nam poſt mortem in numerum referetur deorum. INANIA. Nec a membris, nec a mente venientia.

641. OBITA. Morte ſumta, ſuſcepta, & completa.

642. AUT QUAE SOPITOS. Quae ſomnia, pro, qualia inſomnia, quae per ſomnum videmus.

643. EXULTAT. *Exultare*, eſt gaudere: & per ſe plenum eſt: nam *inſultare*, eſt inridere inimicos: & dicimus, *inſulto tibi;* licet Salluſtius dixerit: *Multos ab adoleſcentia bonos inſultaverat:* hoc eſt, in ipſos impetum fecerat: quamvis poſſit illic alia eſſe ſignificatio, *multos inſultaverat.*

644. IRRITATQUE VIRUM TELIS. Ideo hac arte egit Juno, & imagine decepit Turnum: quia, ſi ei ex aperto fugam ſuaderet, more viri fortis ille fugae praeponeret mortem; cum praeſertim ipſe in ſequentibus dicat: *Uſque adeone mori miſerum eſt?*

648. TURBIDUS. Tumens, elatus arrogantia.

649. PACTOS. Nunc paſſivum, ut: *Pacta puella.*

650. TELLUS QUAESITA PER UNDAS. Sic alibi: *En agros, & quam bello, Trojane, petiſti Heſperiam metire jacens.*

PIERII.

635. ILIACAMQUE ACIEM, ET LAURENTIA CASTRA PETIVIT. Non placet quod in codicibus aliquot antiquis *tecta*, pro, *caſtra* legitur: quamvis de urbe poſſit intelligi. In aliquot vero aliis codicibus legere eſt mutato numero: *Iliacamque aciem petit, & Laurentia caſtra.*

644. IRRITATQUE VIRUM TELIS. Impreſſi codices omnes *irritat*, *r* geminato ſcribunt, ſonet ut de nare canina litera; *irito* tamen ab *ira* eſt.

Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat
Mucronem: nec ferre videt ſua gaudia ventos.
Forte ratis celſi conjuncta crepidine ſaxi
Expoſitis ſtabat ſcalis, & ponte parato;
655 Qua rex Cluſinis advectus Oſinius oris.
Huc ſeſe trepida Aeneae fugientis imago
Conjicit in latebras: nec Turnus ſegnior inſtat:
Exſuperatque moras, & pontis tranſilit altos.
Vix proram attigerat; rumpit Saturnia funem,
660 Avolſamque rapit revoluta per aequora navem.
Illum autem Aeneas abſentem in proelia poſcit:
Ob-

SERVII.

651. VOCIFERANS SEQUITUR. Sequens clamabat: non ante dixit, & ſic eſt ſecutus.

652. NEC FERRE VIOET SUA GAUOIA VENTOS. Proverbium eſt: *Venti ferunt gaudia*, id eſt, laetantur incaſſum. Sic ſupra: *Sed aurae Omnia diſcerpunt*. Item: *Partem Mente dedit, partem volucres diſperſit in auras*.

653. FORTE RATIS. Deſcriptio per παρέκβασιν facta: non enim a ſuperioribus pendet; ſed antedictis adjungitur, ut: *Inſula Sicanium juxta latus*. Has autem deſcriptiones eſſe aptas ſed raras convenit: ſicut etiam Horatius docet in Arte poetica, dicens: *Purpureus late qui ſplendeat unus & alter Adſuitur pannus*. Sunt enim ornatui. CREPIDINE SAXI. *Crepido*, eſt abrupti ſaxi altitudo: *crepidines* etiam templorum dici ipſos ſuggeſtus, in quibus aedes ſunt conlocatae: & *crepidines* viarum, id eſt, ipſae eminentiae dextrae ſiniſtraeque. Sane hoc loco Antiptoſis facta eſt propter metrum. *Conjuncta* ergo *crepidine*, pro, *crepidini*, ſicut: *Haeret pede pes*, pro, *pedi*. Eſt autem ablativus pro dativo.

655. OSINIUS. Ipſe eſt, quem ſupra *Maſſicum* dixit. Ergo, ut diximus ſupra, ſi *Oſinius*, proprium eſt; *Maſſicus* appellativum: licet poſſit fieri, ut duo nomina unius ſint, ut, *Numa Pompilius*, *Alexander Paris*, *Numanus Remulus*. Alii volunt non eundem eſſe *Maſſicum*, quem *Oſinium*: nam duas civitates ſupra commemorat, Cluſium & Coſam: & tradunt potuiſſe fieri, ut hic *Oſinius*, rex quidem unius de memoratis fuerit civitatibus; ſed ſub imperio *Maſſici* egerit: nam & *Rannetem*, & *Remulum*, quos in ducum ordinem non numeravit, reges fuiſſe dixit. Alii hunc poſtea κατὰ τὸ σιωπώμενον volunt veniſſe: quia in catalogo ejus non meminit. CLUSINIS ORIS. Tuſciae civitate.

658. TRANSILIT ALTOS. Hoc ſermone feſtinantis celeritas indicatur.

659. VIX PRORAM. Ἀσύνδετον. Sic enim melius. RUMPIT SATURNIA FUNEM. Debuit dici, cum rumpit Saturnia funem, ut: *Vix e conſpectu Siculae telluris*, *Cum Juno aeternum ſervans*: Ideo autem *rumpit*, ne deprehenſo dolo Turnus in bellum rediret.

660. REVOLUTA PER AEQUORA NAVEM. Ὑπαλλαγή eſt, pro, revolutam navem.

661. ILLUM AUTEM AENEAS ABSENTEM IN PRAELIA POSCIT. Sic melius, quam ſicut nonnulli volunt: *Ille autem Aenean abſentem in proelia poſcit*: quaſi ad Turnum poſſit referri: *Obvia multa virum demittit corpora morti*: quod Urbanus dici arbitratur de nautis in navi inventis; quod non procedit: nam *abſens* dicitur, qui recedit; quod nunc Turno congruit, non Aeneae, qui intereſt praeliis. Illi autem *Aeneas* legunt, quod ita eſt: quia Aeneas *Multa virum demittit corpora morti*.

PIERII.

655. OSINIUS. In codicibus aliquot antiquis, *Oſirius* legitur, inſolitum nomen.

659. VIX PRORAM ATTIGERAT, RUPIT SATURNIA FUNEM. In veteribus codicibus pene omnibus, *rumpit*, inſtanti tempore legitur: res enim narratur in ipſo actu.

660. AVULSAMQUE RAPIT REVOLUTA PER AEQUORA NAVEM. In antiquis omnino, *avolſam*; ſed etiam in nonnullis *advulſam*, per *ad*, quod ad ſe traxiſſe ſignificat. Scribe vero *navim*, per *i*, ex antiquis codicibus.

Obvia multa virum demittit corpora morti.
Tum levis haud ultra latebras jam quaerit imago,
Sed ſublime volans nubi ſe immiſcuit atrae:
665 Cum Turnum medio interea fert aequore turbo.
Reſpicit ignarus rerum, ingratuſque ſalutis,
Et duplices cum voce manus ad ſidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton'me crimine dignum
Duxiſti, & talis voluiſti expendere poenas?
670 Quo feror? unde abii? quae me fuga, quemve reducet?
Laurentiſne iterum muros aut caſtra videbo?
Quid manus illa virum, qui me meaque arma ſecuti:
Quoſne (nefas) omnis infanda in morte reliqui?
Et nunc palantis video, gemitumque cadentum

Ac-

SERVII.

665. MEDIO. Ad medium. TURBO. Vis venti.

666. IGNARUS RERUM. Id eſt, artis, per quam evaſerat: hoc eſt, neſciens hoc pro ſalute ſua factum, ideoque & ingratus: nam & queritur.

668. OMNIPOTENS GENITOR. Duo Antonomaſiva pro uno proprio, ut: *Tritonia Pallas*. TANTON'. Pro, *tantone:* & conſtat mutilatas partes orationis accentum in eodem loco habere, in quo etiam integrae habuerunt: nam μόρια, id eſt, *minores particulae*, ut QUE, VE, NE, CE, quotiens junguntur aliis partibus, ante ſe accentum faciunt, qualiſlibet ſit ſyllaba, quae praecedit, ſive brevis, ſive longa, ut, *muſaque*, *bujuſce*, *illucce*, *tantone*, *adduce*, *deduce*: & haec mutilata ſimiliter proferuntur, ſcilicet ſub eodem accentu.

670. QUO FEROR? UNDE ABII? Bene variavit adverbia & pronomina. QUEMQUE REDUCET? *Quem*, qualem, ut: *Hunc ego te Euryale aſpicio?* & quaſi neſcius ſui eſt in tanta rerum permutatione.

671. LAURENTISNE. Quaſi deliberatio eſt.

672. QUID MANUS ILLA VIRUM? Syllepſis per genus: nam a *manu*, id eſt, multitudine, ad *viros*, a foeminino ad maſculinum tranſitum fecit. Ergo figuratum, & per genus & per numerum. Eſt autem mira defectio, id eſt, quid dicent?

673. QUOSVE NEFAS. Aſper *quoſne* legit, & adnotavit *ne* pro *ve*, quaſi expletiva particula.

674. PALANTES VIDEO. Intelligimus eum non longe a terra fuiſſe: nam quod ait ſupra: *Medio fert aequore:* ut diximus, *ad medium*, accipiendum eſt: aut quia *medium* dicitur omne, quod eſt inter finem & initium, ut: *Interea medium Aeneas jam claſſe tenebat*. GEMITUMQUE CADENTUM ACCIPIO. Hinc apparet, de Aenea dictum: *Obvia multa virum demittit corpora morti*.

PIERII.

663. TUNC LEVIS HAUD ULTRA. In antiquis codicibus, *tum levis*.

667. MANUS AD SIDERA TENDIT. In antiquis pleriſque codicibus *tollit* habetur.

668. TANTON ME CRIMINE DIGNUM. Erudite quidem Servius *tanton'* ſcribendum procuravit; ſed enim ejuſmodi ſcriptionis uſum parciſſime inveni in veteribus exemplaribus. In aliquot, ubi habebatur, lectionem eam nonnulli cultro etiam impetere auſi ſunt. Priſcianus tamen ubi de *ne* particula agit, eam frequentiſſime ait interrogativam eſſe, ut illud: *Hectoris Andromache Pyrrhin' connubia ſervas?* & in decimo: *Tanton' me crimine dignum*.

670. QUAE ME FUGA QUEMVE REDUCET. Romanus codex, & alii nonnulli *reducit* legunt, praeſenti tempore. De regreſſu enim ſuo in patriam loquitur. Eſt etiam in quibuſdam codicibus manu ſcriptis, *Quae me fuga*, *Quaeve reducet*. Hoc eſt, quo nunc fugio? Quo vero pacto revertar; Sed enim Servius agnoſcit *quem*, hoc eſt, qualem: & haec caſtior eſt lectio apud plures.

673. INFANDA IN MORTE RELIQUI. Vetuſtiora pleraque exemplaria, *infanda morte* legunt, abſque *in* praepoſitione: quam elocutionis figuram ſaepiſſime apud Virgilium inveneris.

675 Accipio. Quid ago? aut quae jam ſatis ima dehiſcat
Terra mihi? vos o potius miſereſcite, venti.
In rupes, in ſaxa (volens vos Turnus adoro)
Ferte ratem, ſaeviſque vadis inmittite Syrtes:
Quo neque me Rutuli, nec conſcia fama ſequatur.
680 Haec memorans, animo nunc huc nunc fluctuat illuc;
An ſeſe mucrone ob tantum dedecus amens
Induat, & crudum per coſtas exigat enſem:
Fluctibus an jaciat mediis, & litora nando
Curva petat, Teucrumque iterum ſe reddat in arma.
685 Ter conatus utramque viam; ter maxima Juno
Continuit; juvenemque animi miſerata repreſſit.

La-

SERVII.

675. IMA DEHISCAT TERRA. Dolet ſibi etiam infoelicium vota ſublata: ſiquidem in mari conſtitutus optare ſibi hiatum non poteſt terrae. *Imam* autem *terram*, prudenter dixit, quae ſuſtinet & continet maria.

676. MISERESCITE VENTI. Pro petentis qualitate nonnunquam etiam mors videtur eſſe miſeratio, ut hoc loco. Item ſupra: *Figite me, ſi qua eſt pietas*. *Miſereſcite* autem, quis ante hunc? ab eo, quod eſt *miſereſco*, & *miſereſcimus*.

677. TURNUS ADORO. Id eſt, alloquor, juxta veteres, qui *adorare*, *adloqui* dicebant: nam ideo & *adoria laus* bellica, quod omnes cum congratulatione adloquebantur eum, qui in bello fortiter fecit. Alii *adoro*, pro, oro, ut *ad* vacet, & ſit metri cauſſa additum.

678. SYRTES. Ubi arenoſa ſunt loca, *ſyrtes* vocantur. Ergo immittite me ad ſaeva vada ſyrtium: aut ad arenoſa loca: aut re vera *ad Syrtes*, id eſt, ad mundi extrema, quo me nec fama comitetur, id eſt, ubi me nemo ſciat deſertorem eſſe.

681. MUCRONE INDUAT. Aut κατεχρηστικῶς dixit *induat*, pro, feriat: aut Hypallage eſt, pro, mucronem ſuo induat corpore. Si enim *induere*, eſt veſtire; non mucrone corpus induitur, ſed induitur mucro corpore, id eſt, tegitur & veſtitur.

682. CRUDUM. Crudelem, cruentum. EXIGAT. Aviditas mori cupientis oſtenditur.

686. ANIMI MISERATA. Pro, animo miſerata: nam figurate locutus eſt, ſicut: *O praeſtans animi juvenis*, pro, animo: & *praeſtans illius rei*, id eſt, illa re.

PIERII.

675. ACCIPIO. Vetuſtiſſimum eſt, *adcipio* ſcribere; ſed uti ſuperius dictum, primum omnium Lucillius c in hoc verbo geminavit, teſte Velio Longo. AUT QUAE JAM SATIS IMA DEHISCAT TERRA MIHI. In Romano codice *dehiſcet*, futuro tempore, legitur; ſed *dehiſcat*, figuratius & elegantius.

676. TERRA MIHI VOS O POTIUS. In Mediceo legere eſt, *Terra mihi o vos o potius*: adverbio exclamationis repetito.

681. AN SESE MUCRONE OB TANTUM DEDECUS AMENS INDUAT. Multa Servius ſuper hac elocutione, qui *mucrone*, ablativo caſu legit; ſed enim Romanus codex, *mucroni*, in acquirendi ponit caſu: quaſi dicat, *det ſe in mucronem*. Magis tamen placet Hypallage, quum in aliis pleriſque, *mucrone* legatur. In Priſciani tamen codicibus, *mucronem*, accuſativo caſu legitur, ejuſmodi conſtructionis aliis etiam exemplis poſitis: ait enim: *Coronatur illam rem, & illa re: quo modo etiam Induit*. Horatius: *Magna coronari contemnat Olympia*. Virgilius: *Induit albos cum vitta crines*. Et: *An ſeſe mucronem ob tantum dedecus amens Induat*. Apud Caeſarem tamen cum ablativo caſu dictum invenies, ut in bello Veneto: *Acutiſſimis ſtipitibus induebantur*.

682. ET CRUDUM PER COSTAS EXIGAT ENSEM. In Romano codice *durum* legas, quod forte non diſpliceat: in aliquot aliis, *Crudum per coſtas dirigat*. Sed *exigat* omnino receptius.

686. JUVENEMQUE ANIMO MISERATA REPRESSIT. Variant exemplaria, dum quaedam *animo*, quaedam *animi* legunt. In quibuſdam ultima ſyllaba vitiata ſubditiciaque; ſed enim Aruſianus

Meſſus

Labitur alta ſecans fluctuque aeſtuque ſecundo:
Et patris antiquam Dauni defertur ad urbem.
At Jovis interea monitis Mezentius ardens
690 Succedit pugnae, Teucroſque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenae acies, atque omnibus uni,
Uni odiiſque viro, teliſque frequentibus inſtant.
Ille (velut rupes, vaſtum quae prodit in aequor,
Obvia ventorum furiis, expoſtaque ponto,
695 Vim cunctam, atque minas perfert caelique mariſque:
Ipſa inmota manens) prolem Dolicaonis Hebrum
Sternit humi, cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed Latagum ſaxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat os faciemque adverſam: poplite Palmum
700 Succiſo volvi ſegnem ſinit; armaque Lauſo
Donat habere humeris, & vertice figere criſtas.

Nec

SERVII.

688. AD URBEM. Ardeam: & ideo ſic longe, ne ex propinquo ſtatim rediret: & ut eum affectus retineret parentis.

689. AT JOVIS INTEREA MONITIS. Novimus ſacrilegum eſſe Mezentium: novimus quoque Jovem etiam adhortatum eſſe alios deos, ut a bello deſiſterent, & dixiſſe: *Rex Juppiter omnibus idem*. quomodo ergo procedit: *At Jovis interea monitis?* Dicimus primo, Jovem juſtitiae favere, non partibus: quod ſi eſt, jure Mezentium in Turni locum facit venire, ut juſtum praelium inveniatur, ne una pars penitus ſit a ducibus deſtituta. Quod autem dicitur, ſacrilegum Juppiter admonere non debuit; non admonet, ut vincat; ſed ut poſſit perire. Illud etiam fruſtra quaeritur, quemadmodum numini ſacrilegus obtemperare potuerit? cum Mezentium non aperte Juppiter moneat; ſed ei injiciat tale deſiderium: unde eſt: *Diine hunc ardorem mentibus addunt Euryale? an ſua cuique deus fit dira cupido?* MONITIS. Hic dativus venit ab eo, quod eſt *haec monita*: nam & *hos monitus* dicimus: unde Perſius: *Hos pueris monitus patres infundere lippos*, ſed a quarta declinatione, nec ſingulari dativo utimur, nec plurali: nam unum nomen eſt de his, quae licet duplicem habeant declinationem, tamen aliquibus eorum caſibus propter aſperitatem non utimur, ut, *laurui*, *lauribus*, cum & *hujus laurus*, & *ab hac lauro* dicamus.

691. CONCURRUNT TYRRHENAE ACIES. Quae ſpecialiter odio Mezentii in bellum ruebant.

692. UNI ODIISQUE: Bene repetitur *uni*; ut oſtendat conſpirationem Etruſcorum olim Mezentio incumbere.

693. PRODIT IN AEQUOR. Extenditur. Hinc Juvenalis: *Quae pelago occurrunt medio, longeque relinquunt Italiam*.

694. PONTO. Contra pelagus: nam dativus eſt.

695. VIM CUNCTAM. Id eſt, violentiam, impetum. CAELIQUE MARISQUE. Sicut Mezentius odiorum & telorum totius exercitus.

697. FUGACEM. Modo velocem, vel fugientem. LATAGUM OCCUPAT OS. Pro, Latigi os occupat: & eſt Graeca figura, in Homero frequens; ut ſi dicas Ἔκινησεν Ἀχιλλέα τὸν πόδα. id eſt, *Achillem percuſſit pedem*, pro, *percuſſit Achillis pedem*.

699. POPLITE PALMUM. Ea parte, qua plurimum poterat.

700. SEGNEM SINIT. Qui vulneratus nihil jam efficere poſſit.

701. DONAT HABERE. Graeca figura, ut: *Argenti magnum dat ferre talentum*.

PIERII.

Meſſus in exemplis Virgilianarum elocutionum *animi*, genitivo caſu agnoſcit una cum Servio, quae lectio eſt codicis Medicei.

695. I-

Nec non Euanthen Phrygium, Paridisque Mimanta
Aequalem comitemque: una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face praegnans
705 Cisseïs regina Parin creat: urbe paterna
Occubat: ignarum Laurens habet ora Mimanta.
Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper, multos Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia, silva
Pas-

SERVII.

703. THEANO. Mater Mimantis.

705. CISSEIS. Hecuba, filia Cissei, secundum cupidinem in Hecuba: Πολύδωρος Ἑκάβης παῖς γεγὼς τῆς Κισσέως: nam secundum alios Dymantis est. Quod autem ait: FACE PRAEGNANS, haec ratio est: quia antequam pareret, facem se peperisse vidit in somnis. PARIN CREAT. Plus est, quam si diceret: face praegnans genuit Parin. URBE PATERNA OCCUBAT. Subaudis, *Paris*: quod ut non diceret, metri est necessitate compulsus: nam deest, *qui*, ut sit, *qui urbe paterna*.

706. IGNARUM LAURENS HABET ORA MIMANTA. Scilicet casus sui; vera tamen lectio est, IGNARUM, id est, ignoratum, qui nesciretur: & est supina significatio, sicut in quarto: *Liquitque volatile ferrum Nescius*, pro, qui nesciebatur. Alii Hypallagen volunt esse, ut, Mimas in Laurenti ora ignota jacet.

707. AC VELUT ILLE. Antiqui *ille*, vel magnitudini, vel nobilitati adsignabant, ut: *Multum ille & terris*: &: *Poenorum qualis in arvis Saucius ille gravi*.

708. ACTUS. Coactus in retia.

709. DEFENDIT. Texit, ut: *Hic mihi dum teneras defendo a frigore myrtos*. VESULUS. Mons Liguriae est, juxta Alpes. Liguria autem cohaeret Tusciae, de qua fuerat Mezentius: unde est satis congrua comparatio. Sane de hoc Vesulo quidam duo flumina. Rodanum, & Padum, nasci dicunt, quorum unus, id est, Rodanus, in Tyrrhenum mare; alter, id est, Padus, in Adriaticum fluit. MULTOSQUE, pro, *multosve*: non enim vicina est palus Laurentia monti Vesulo, ut possit unus idemque aper intelligi. Sane LAURENTIA, pro, *Laurens*: nam haec est vera & recta derivatio.

PIERII.

695. IPSA IMMOTA MANENS. *Manens*, participii vox in Romano codice est, & in Mediceo, & in quibusdam aliis: in Oblongo, *manet*, verbum.

702. NEC NON EVANTEM PHRYGIUM, *Paridisque Minanta Aequalem, comitemque una quem nocte Theanas In lucem genitori Amyco dedit: & face praegnans Cisseis Regina Parin creat: urbe paterna Occubat: ignarum Laurens habet ora Minanta*. In his versibus illud observavi: in Rom. codice, *Mimanta* per *m* secunda syllaba scribi, non per *n*, ut in vulgatis plerisque codicibus habetur: inde *Theano*, per vocalem quartam, non per primam: Graece enim Θεανώ. Si quis vero quaeserit quid sibi velit structura illa duriuscula, *urbe paterna occubat*, *Ignarum Laurens habet ora Mimanta*, sciat is, *ignarum* ab Aulo Gellio legi passivo significato, quem ipsum hunc Virgilianum locum & Plauti & Salustii auctoritate subfulsit, dum nonnulla recenset nomina, quae in dextrum laevumque latus vestigia torquent. Quoniam vero in vetustis aliquot codicibus, & *occubat*, & *ignarum*, utramque dictionem subditiciam priore abrasa lectione perspicias, nonnulli, qui & ingenio & eruditione valent, codicum characteribus observatis, suspicati sunt, *ignarum*, adulterinam esse dictionem, & ex duabus unam effectam: ac si legeretur: *Urbe paterna Occubat hic. Carum Laurens habet ora Mimanta*: & sententiam candidiorem futuram & elocutionem elegantem. Hic quippe Paris, de quo dictum, occubuisse, Servius etiam agnoscit; *carum* vero *Mimanta* ipsi Paridi, cui & aequalis & comes fuerat; sed enim non ego haec ita asseruerim, ut contra A. Gellii auctoritatem stare velim; qui praesertim apud Ovidium eandem hujus nominis formam observaverim lib. Metamorph. VII. *Jamque aderat Theseus proles ignara parenti*. Quod minus advertentes interpretes, *ignota* ibi legendum putavere; sed enim quo minus omnia possumus assequi, id etiam facit, quod multa toto opere relicta sunt imperfecta, vel ipso Virgilii de se testimonio: quare non ego quidquam succensuerim cuipiam, qui nonnulla conniventibus oculis praeterierit: ut ea quoque tam multa, quae in subsequenti comparatione perquiruntur: *Ac velut ille canum*: ubi unum ex duodecim locis obscuris esse Grammatici volunt.

710 Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos.
Nec cuiquam irasci propiusve accedere virtus:
Sed jaculis tutisque procul clamoribus instant.
Haud aliter, justae quibus est Mezentius irae,
715 Non ulli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longe, & vasto clamore lacessunt.
Ille autem inpavidus partes cunctatur in omnis,
Dentibus infrendens; & tergo decutit hastas.
Venerat antiquis Corythi de finibus Acron,
720 Grajus homo; infectos linquens profugus hymenaeos:
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
Purpureum pennis & pactae conjugis ostro:
Inpastus stabula alta leo ceu saepe peragrans,
Suadet enim vesana fames, si forte fugacem
725 Conspexit capream, aut surgentem in cornua cervum;
Gaudent hians inmane, comasque arrexit, & haeret
Visceribus super incumbens: lavit inproba teter

Ora

SERVII.

710. PASTUS. Pro, pastum: nam supra ait, QUEM. Ergo Antiptosis est.

711. INHORRUIT ARMOS. Id est, *armis inhorruit:* aut certe *in armos horruit*, id est, erexit setas.

712. IRASCI. Deest, *est*. TUTIS CLAMORIBUS. Praeter periculum: id est, ipsi tuti.

714. JUSTAE IRAE. Quasi quibus odium est propter illud: *Mortua quinetiam jungebat corpora vivis, Componens manibusque manus*.

717. CUNCTATUR. Se per omnes partes disponit. TERGO. Scuto, ut: *Et venit adversi in tergum Sulmonis*.

719. CORYTHI DE FINIBUS. *Corythus*, est & civitas Tusciae, & mons, & rex, pater Dardani: unde nunc ad quosvis potest referri, *de finibus Corythi*.

720. GRAJUS HOMO. Oriundo quidem Graecus; sed qui nunc de Tuscia venisset ad bellum.

721. MISCENTEM. Perturbantem.

722. PURPUREUM PENNIS. Galeam significat purpureas cristas habentem; aut certe *purpureum pennis*, pulchrum, bene galeatum, ut: *Purpurei cristis juvenes*, id est, pulchri. PACTAE CONJUGIS. Hic ordo est: conciliata primo, dein conventa, dein pacta, dein sponsa.

724. VESANA FAMES. Alibi: *Et malesuada fames*. FUGACEM. Velocem. Homerus: Εὑρὼν ἔλαφον κεραὸν, ἢ ἄγριον αἶγα.

725. SURGENTEM IN CORNUA. Id est, crescentem, cornibus eminentem.

726. COMASQUE ARREXIT. Naturale enim est, ut irati leones arrigant jubas.

727. LAVIT. Ab eo, quod est, *lavo lavis*: nam hoc verbum & primae est conjugationis, & tertiae: a qua nunc ait *lavit*. Item Horatius: *Lavit amne crines*. Item alibi: *Neque dulci mala vino lavere*. Ergo *lavitum*, & *lavit*, sicut Plautus in Pseudolo: *Easque lachrymis lavis*, id est, humectas.

PIERII.

716. ET VASTO CLAMORE LACESSUNT. In Oblongo codice, *magno*; sed plus est, *vasto*.

726. COMASQUE ARREXIT. In aliquot antiquis, *Comas adrexit*, absque particula copulativa. Sed ea apposita magis implet.

727. VISCERIBUS SUPER ACCUMBENS LAVIT IMPRO-

Ora cruor:
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
370 Sternitur infelix Acron, & calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta caecum dare cuspide volnus:
Obvius adversoque occurrit, seseque viro vir
735 Contulit, haud furto melior, sed fortibus armis.
Tum super abjectum posito pede nixus & hasta:
Pars belli haud temnenda, viri, jacet altus Orodes.
Conclamant socii laetum Paeana secuti:
Ille autem exspirans: Non me, quicumque es, inulto,
740 Victor, nec longum laetabere: te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mixta Mezentius ira;

Nunc

SERVII.

731. INFRACTA. Aut valde fracta: aut re vera infracta.

732. ORODEN. Istum *Oroden*, virum fortem, intelligimus in fugam necessitate esse conversum: nam ipse paulo post dicturus est ad hortandos socios: *Pars belli haud temnenda viri, jacet altus Orodes.*

733. NEC JACTA CAECUM. Unum sensum, & duos, extulit. *Coecum vulnus* autem, quod averso infigitur.

735. FURTO. Insidiis.

736. PEDE NIXUS ET HASTA. Deest, ait.

737. HAUD TEMNENDA VIRI. Asper, *viris*, legit; ut sit, aliis haud temnenda: alioqui ipse ait: *Fugientem haud est dignatus Oroden Sternere*. ALTUS. Magnus, ut: *Sic pater ille deum faciat, sic altus Apollo.*

738. PAEANA SECUTI. *Paean*, proprie Apollinis laus est; sed abusive etiam aliorum dicitur; unde Pindarus opus suum, quod & hominum & deorum continet laudes, *Paeanas* vocavit. Quamvis quidem alium *Paeana* esse, alii Apollinem velint, sed vere, *Paean*, Apollo: tamen *Paeana*, carmen esse victoriae Aeschylus docet, quod ideo Apollini dicatum est: quia malorum avertendorum potens est: unde & ab Homero ultricem immittens pestilentiam inducitur.

740. NEC LONGUM LAETABERE. Duo dicit: Nec laetaberis; nec diu me indefenso: Homeri autem more morienti dedit scientiam futurorum: veluti Patroclum morientem Hectori mortem praedicere: Ἄλλο δέ τοι ἐρέω, σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν, Οὔ θην οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέῃ, ἀλλά τοι ἤδη Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, & μοῖρα κραταιὴ Χερσὶ δαμέντ' Ἀχιλῆος Αἰακίδαο. *Longum* autem, pro, longe: nomen pro adverbio posuit.

742. SUBRIDENS. Per iracundiam ridens loquitur: unde & illud per irrisionem dictum accipitur: AST DE ME DIVUM PATER, ATQUE HOMINUM REX VIDERIT. Id est, viderit utrum Mezentio possit nocere ille, quem vos deorum & hominum creditis esse rectorem.

PIERII.

PROBA TETER ORA CRUOR. Exemplaria quaedam pervetusta legunt *super incumbens*. In Romano *lavat*, in reliquis *lavit*: quod secutus est Balbus: *Lavitur patrios ubi victor ad amnes*. *Lavo* enim *lavas*, & *lavo*, *lavis*, Probus & alii litterati agnoscunt.

736. POSITO PEDE NIXUS. *Nixus* per *x*, omnia tam vulgata, quam manu scripta notant exemplaria. Probus, ut alibi dictum, id participium ejusdem formae dicit esse cum *Nisus* proprio nomine.

737. PARS BELLI HAUD TEMNENDA VIRIS JACET ALTUS ORODES. CONCLAMANT SOCII. In Mediceo codice *viri* legitur, cum paraphrasi, quae vocandi casum innuat.

Nunc morere. Aſt de me Divum pater atq; hominum rex
Viderit. Hoc dicens eduxit corpore telum.
745 Olli dura quies oculos & ferreus urguet
Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
Caedicus Alcathoum obtruncat, Sacrator Hydaſpen.
Partheniumque Rapo, & praedurum viribus Orſen:
Meſſapus Cloniumque Lycaoniumque Erichaten;
750 Illum infrenis equi labſu tellure jacentem,
Hunc peditem pedes. Et Lycius proceſſerat Agis:
Quem tamen haud expers Valerus virtutis avitae
Dejicit: Authronium Salius, Saliumque Nealces,
Inſignis jaculo & longe fallente ſagitta.
755 Jam gravis aequabat luctus & mutua Mavors
Funera: caedebant pariter pariterque ruebant
Victores victique: neque his fuga nota, neque illis.
DI Jovis in tectis iram miſerantur inanem

Am-

SERVII.

744. EDUXIT CORPORE TELUM. Quo facilius poſſet perire. Lucanus: *Non eget ingeſtis, ſed vulſis pectore telis.*

745. DURA QUIES. Blandae contraria: ſic dictum eſt, ut *ſomnus ferreus*. Eſt autem Homeri comparatio:

Ὣς ὁ μὲν αὖθι πεσὼν κοιμήσατο χάλκεον ὕπνον.

747. CAEDICUS ALCATHOUM. Hoc loco eſt confuſio in aliquibus nominibus: nam quis ſit Trojanus, quis ſit Rutulus, ignoratur.

748. RAPO. *Rapon* dicitur, ſicut *Tarchon*; ſed metri cauſſa detraxit *n*, ut poſſit Synaloepha fieri, ſicut ſupra: *Haud procul hinc Tarcho & Tyrrheni tuta tenebant.*

750. INFRENIS EQUI. Caſu equi aſperrimi, qui frenorum ſperneret regimen. *Infrenos* autem etiam homines dicimus, ut: *Hinc Numidae infreni cingunt*. Dicimus autem & *infrenus*, & *infrenis*, ſicut *inermus*, & *inermis*.

751. HAUD EXPERS. Non ignarus virtutis parentum.

754. JACULO, ET LONGE FALLENTE SAGITTA. Pro jactu longe fallentis ſagittae: nam ἓν διὰ δυοῖν dixit, ut: *Hamis auroque trilicem.* Item: *Molemque & montes inſuper altos*. An *longe*, valde?

755. MAVORS. Fortuna bellica.

756. FUNERA. Mortes. CAEDEBANT. Legitur & CEDEBANT, id eſt, terga vertebant: ſecundum quod RUEBANT, inſequebantur ſignificat. Si autem CAEDEBANT, id eſt, occidebant: RUEBANT, id eſt, cadebant.

758. IRAM MISERATUR INANEM. Generaliter dicit omnem iram bellicam: ubi enim tam inanis iracundia eſt, quam in bello, ubi, ut pereamus, iraſcimur? Aut quia nulla cauſa tam juſta eſt, ut propterea bellum geri debeat: nam ideo ait: *Et tantos mortalibus eſſe labores*: An *inanem*, non juſte conceptam? ſic *inanes fletus* Ariſtei, ut qui ſcilicet tanti non fuerint, propter quos ille ſic lamentaretur.

PIERII.

751. PRAECESSERAT AGIS. In codicibus aliquot antiquis *ages* legitur. In aliquot etiam *bargis*: ſed *Agis* receptum.

753. DEJICIT ATRONIUM SALIUS. Pro, *Atronium*, *at Cronium* in quibusdam codicibus inveni; ſed *Atronium* in caſtigatioribus. SALIUMQUE NEALCES, INSIGNIS JACULO ET LONGE FALLENTE SAGITTA. In Rom. codice pro, *inſignis*, *inſidiis* legitur. Mox quae fuerint inſidiae ſubjungit: *Jaculo, & longe ſagitta*; ſed *inſignis jaculo*, omnino recepta lectio. Eſt & *ſagicta*, per *ct*, quam diximus a *ſagaci ictu* dictam.

757. FUGA NOTA, NEC ILLIS. In antiquis *neque*, quod repetitum venuſtius videtur.

Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
760 Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno:
Pallida Tisiphone media inter millia saevit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo: quam magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
765 Stagna viam scindens, humero supereminet undas;
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit:
Talis se vastis infert Mezentius armis.
Huic contra Aeneas, speculatus in agmine longo,
770 Obvius ire parat. Manet inperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat:
Atque oculis spatium emensus, quantum satis hastae:
Dextra mihi deus, & telum quod missile libro,
Nunc adsint, voveo praedonis corpore raptis

In

SERVII.

759. AMBORUM. Pro, utrorumque.

761. PALLIDA TISIPHONE. Non ipsa dea; sed effectus Furiae, id est, furialis ardor, hoc est, insania.

763. ORION, CUM PEDES INCEDIT MEDII PER MAXIMA NEREI STAGNA. *Orion*, ut etiam in primo diximus, Oenopionis regis filius fuit, ei concessus ab Jove, Mercurio, Neptunoque, susceptis hospitio. Hic venator immensi corporis fuit, qui, quodam tempore susceptus a rege Oenopione, cum vellet ejus filiam vitiare, ille iratus opem Liberi patris, cujus erat filius, imploravit: is Satyros misit, qui soporem infunderent Orioni, & sic velut vinctum Oenopioni traderent arbitrio ejus puniendum. Tum ille Oenopion sopito ei oculos sustulit. Caecus itaque Orion, cum consuleret quemadmodum oculos posset recipere, responsum est ei, posse lumina restitui, si per pelagus ita contra Orientem pergeret, ut loca luminum radiis Solis semper offerret. Quod ille efficere ita potuit: nam cum audisset strepitum Cyclopum, Jovi fulmina fabricantium, sono ad eos ductus, unum de his suis humeris superposuit, & eo duce oraculi praecepta complevit. Non autem incongrue fingitur, ire potuisse per medium pelagus, quasi filius pro parte Neptuni. Haec autem comparatio pertinet ad solam corporis proceritatem. Alii hunc Orionem tantae magnitudinis dicunt fuisse, ut nulla eum altitudo maris ingredientem potuerit morari: unde inter sydera receptus. Sane *pedes incedit*, pro, incessit, praesens pro praeterito. PER MAXIMA autem NEREI STAGNA. Epitheto elevavit Tapinosim more suo.

766. REFERENS. Pro, ferens, more antiquo: nam RE abundat.

767. INGREDITURQUE SOLO &c. Homeri versiculus: Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει.

770. IMPERTERRITUS. Prima est compositio non secunda: nam hoc est *territus*, quod & *perterritus*: & tunc est vera compositio, cum sermonis natura convertitur. Sane *imperterritus*, quis ante hunc?

771. MOLE SUA STAT. Hoc est, in sua mole, ut dicitur, *in vestigio*.

772. SPATIUM EMENSUS, QUANTUM SATIS HASTAE. Speciosa elocutio.

773. DEXTRA MIHI DEUS. Sic dictum est, ut: *In manibus Mars ipse viri*: ut non alium sibi putet deum esse sacrilegus, quam dextram, & fortitudinem.

774. VOVEO. Consecro, & dico. PRAEDONIS CORPORE RAPTIS. *Praedones* sunt, qui populandam alienam invadunt provinciam, ut alibi: *Perfidus alta petens abducta virgine praedo.*

PIERII.

773. TELUM QUOD MISSILE LIBRO. In Oblongo vi-

775 Indutum ſpoliis ipſum te, Lauſe, tropaeum
Aeneae. Dixit. Stridentemque eminus haſtam
Injicit: illa volans clipeo eſt excuſſa, proculque
Egregium Antorem latus inter & ilia figit:
Herculis Antorem comitem, qui miſſus ab Argis
780 Haeſerat Euandro, atque Itala conſederat urbe.
Sternitur infelix alieno volnere, caelumque
Aſpicit, & dulcis moriens reminiſcitur Argos.
Tum pius Aeneas haſtam jacit: illa per orbem
Aere cavum triplici, per linea terga, tribuſque
785 Tranſiit intextum tauris opus, imaque ſedit
Inguine, ſed vires haud pertulit. Ocius enſem
Aeneas, viſo Tyrrheni ſanguine laetus,
Eripit a femine, & trepidanti fervidus inſtat.

In-

SERVII.

775. TROPAEUM. *Tropaeum*, dictum eſt ἀπὸ τ̃ τρέπειν, id eſt, ab hoſtium converſione: unde qui hoſtem fugaſſet, merebatur tropaeum: qui autem occidiſſet, triumphum, ἀπὸ τ̃ θριαμβεύειν, id eſt, ab exultatione. Sciendum ſane, Lauſo propriam ideo nihil profuiſſe pietatem: quod in eum pater mente ſacrilega munera transferebat deorum, & ei occiſorum ſpolia devovebat.

778. ANTHOREM. Erit nominativus *hic Anthores*, quomodo *Diores*: nam ſi *Anthor* fuerit nominativus ſingularis numeri, metri ratio non procedit: omnia enim Graeca nomina in OR terminata, in obliquis caſibus corripiuntur, ut *Hector Hectoris*, *Neſtor Neſtoris*, *Caſtor Caſtoris*.

779. MISSUS AB ARGIS, Profectus, ut: *Miſſus in imperium magnum*.

781. ALIENO VULNERE. Telo, quod in Aeneam fuerat deſtinatum. CAELUMQUE ASPICIT. Ut: *Alto quaeſivit caelo lucem*. Item: *Hauſit caelum, mentemque recepit*: naturaliter enim morientes cupiunt ſatiari extremo lucis aſpectu.

782. DULCES MORIENS REMINISCITUR ARGOS. Inter Phyſica ſigna moriturorum etiam hoc legitur, patriae aſpectum deſiderare perituros, ut: *Et Tyrios deſerta quaerere terra*: An ex facti poenitentia, quia ad patriam redire contempſerat?

784. LINEA TERGA. Lino enim tegebantur ſcuta, ut poſſet inhaerere pictura.

785. INTEXTUM TAURIS OPUS. Pro tergis, Plautus: *Ubi vivos homines mortui incurſant boves*. IMAQUE SEDIT INGUINE. Hypallage eſt, *ima haſta*, pro, in imo inguine.

788. A FEMINE. Ut etiam ſupra diximus, ſecundum Caprum erit nominativus *hoc femen*; licet nuſquam lectum ſit, ut etiam ipſe commemorat.

PIERII.

vibro; ſed enim haec dictio ſaepe confuſa aliis etiam locis reperitur.

778. EGREGIUM ANTOREM. Sunt qui nomini adſpirationem addant. In Romano tamen codice, & quibuſdam aliis antiquis abſque adſpiratione notatur. Nonnulli etiam *Anctorem* ſcribunt c littera ſuperflua. Quamvis ita etiam ſit in Capri codicibus de Elegantiis, ubi *procul*, & longe & prope ſignificare dicit. Inepte vero quidam & hic & ibi *auctorem* ſcripſere, inverſa N littera. Citat porro Probus locum; *Herculis Antorem comitem*, ubi nomen *Antores* ita declinari dicit, ut *Diores*.

783. ILLA PER ORBEM AERE CAVUM TRIPLICI, PER LINEA TERGA, TRIBUSQUE TRANSIIT INTEXTUM TAURIS OPUS. Miſſum facio *aere cavo*, in Romano codice; non enim ita placet, ut *cavum*. Illud non praeterierim, ubi, *per linea terga* in aliis codicibus habetur, in Romano, *ter linea terga* legi, quod maxime placet. Sunt etiam codices, in quibus non *linea*, ſed *lignea* legitur, uti ſuperius de Sulmonis ſcuto transfixo a Niſo, dictum eſt, *Fiſſo tranſit praecordia ligno*. Scuta enim viminum textu, vel

bra-

Ingemuit cari graviter genitoris amore,
790 Ut vidit, Laufus; lacrimaeque per ora volutae.
Hic mortis durae cafum, tuaque optima facta,
(Si qua fidem tanto eft operi latura vetuftas)
Non equidem nec te, juvenis memorande, filebo.
Ille pedem referens, & inutilis, inque ligatus
795 Cedebat, clipeoque inimicum haftile trahebat.
Prorumpit juvenis, fefeque inmifcuit armis:
Jamque adfurgentis dextra plagamque ferentis
Aeneae fubiit mucronem, ipfumque morando
Suftinuit. Socii magno clamore fequuntur;

Dum

SERVII.

790. LACHRYMAEQUE PER ORA VOLUTAE. Non viri fortis; fed filii eft confiderata perfona.

791. OPTIMA FACTA. Alii *optime* legunt, eft autem profphonefis. HIC. In hoc loco, vel in bello: nam adverbium eft.

792. SI QUA FIDEM TANTO EST OPERI. *Si qua*, pro fi, ut, 1. Aeneid. *Antbea fi qua*: aut pro, fi quam fidem: & quaeritur, *Si qua fides*, an de praeterito, an de futuro dicat. TANTO autem OPERI, non de fuis carminibus dicit (nec enim fibi arrogaret) fed *tanto operi*, id eft, pietati & virtuti tuae: nam hic eft fenfus: Ego quidem facta tua, o Laufe, & mortem ex pietate venientem non filebo: fi tamen crederet vetuftas ex fcelerato homine pium filium fuiffe procreatum.

794. INUTILIS. Pro, vulnere debilitatus. INQUE LIGATUS. Pro, *illigatufque*: & eft Tmefis cum Hyfterologia.

795. INIMICUM HASTILE. Cujufdam quafi picturae pompa defcribitur.

797. JAMQUE ASSURGENTIS DEXTRAE. Ordo eft: Jamque fubiit mucronem Aeneae dextrae adfurgentis, & plagam ferentis. *Subiit* autem *mucronem*, juxta ufum praefentem accufativo junxit; cum alibi antique dativo junxerit, ut: *Muroque fubibant*: quod fuis locis plenius dictum eft.

798. MORANDO SUSTINUIT. Moram injiciendo ejus impetum lufit.

PIERII.

bracteolis ligneis primum contexuntur: mox tergoribus fuperinductis, laminis etiam aereis vel auro vel argento muniuntur.

788. ERIPIT A FEMORE. In Mediceo & antiquis aliis exemplaribus *a femine* legitur: Et *femen*, nominativum agnofcit Servius ex Capro: & ita legendum effe Grammatici veteres afleverant. C. Julius Romanus Tibullum citat, qui *femini* dixerit eo verfu; *Implicuitque femur femini*, non *femori*, quafi fit *hoc femur, hujus feminis*. *Femen* enim nominativo, ut *femen*, nondum legimus (ait is) a veteribus adfertum. Sane vero & Sofipater hoc Virgiliano verfu *femine* agnofcit. Cujus haec funt verba: *Hoc femur, hujus femoris, fed frequentius hujus feminis, huic femini, dictum: & femina quam femora. Ideo Tibullus hoc ipfum erudite cuftodit, cum dicit:* Implicuitque femur femini, & *Virgilius: eripit a femine*.

792. SIQUA FIDEM TANTO EST OPERI LATURA VETUSTAS. In antiquis aliquot exemplaribus, *tanto operi*, abfque *eft*, nulla facta collifione legitur: nam o etiam alibi apud Virgilium non in Graecis tantum dictionibus, fed etiam in Latinis libera evafit ab elifione, ut eo loco: *Maeonia generofe domo, ubi pinguia culta*. Quodque alibi citavimus: *Antiqua e cedro Italufque paterque Sabinus*. Neque tamen difplicet, *tanto eft operi*, quod etiam plerique vetufti codices habent.

796. PRORIPUIT JUVENIS. In Romano codice, *prorupit* legitur: quod ideo quadrare videtur: quia fequitur: *Sefeque immifcuit armis*.

297. JAMQUE ASSURGENTIS DEXTRAE PLAGAMQUE FERENTIS AENEAE SUBIIT MUCRONEM. In antiquiffimo codice Romano, *adfurgentis dextram*, accufativo cafu legitur. Ut fit ordo: Subiit dextram Aeneae jam adfurgentis, & mucronem ferentis plagam. Dicet vero Mezentius inferius: *Ut pro me hoftili paterer fuccedere dexteae, Quem genui*.

800 Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus. Furit Aeneas, tectusque tenet se.
Ac velut, effusa si quando grandine nimbi
Praecipitant, omnis campis diffugit arator,
805 Omnis & agricola, & tuta latet arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit; in terris ut possint, sole reducto,
Exercere diem: sic obrutus undique telis
Aeneas nubem belli, dum detonet, omnem
810 Sustinet, & Lausum increpitat, Lausoque minatur:
Quo moriture ruis, majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua. Nec minus ille
Exsultat demens. Saevae jamque altius irae
Dardanio surgunt ductori, extremaque Lauso
815 Parcae fila legunt: validum namque exigit ensem

Per

SERVII.

800. DUM GENITOR NATI PARMA. De historia est: nam Scipio Africanus, cum esset vir annorum decem & septem, patrem suum defendit in bello; nec cessit viginti & septem confossus vulneribus.

802. FURIT AENEAS. Dolore scilicet, quod sibi Mezentius esset ereptus: & est integrum: quanquam furit; tenet se tamen.

803. EFFUSA SI QUANDO GRANDINE. Praeteritum pro instanti posuit.

804. PRAECIPITANT. Praecipitantur.

805. TUTA LATET ARCE. Quod scilicet se perite a tempestate defendunt. *Tuta* autem *arce*, quae tuetur.

806. ALTI FORNICE SAXI. Concavi, arcuationis curvae.

807. DUM PLUIT. Hic distinguendum: nam si junxeris, DUM PLUIT IN TERRIS, erit Archaismos: debuit enim dicere, *in terras*; tamen sciendum est, hemistichium hoc Lucretii esse, quod ita, ut invenit, Virgilius ad suum transtulit carmen. IN TERRIS UT POSSINT. Et viator, & rusticus, quibus opera sunt in terris.

808. EXERCERE DIEM. Hypallage est, pro, ut ipsi per diem exerceri possint. NUBEM BELLI. Bellantium impetum sustinet, donec deferveat. Et bene translationem fecit a vicina comparatione.

812. FALLIT TE INCAUTUM PIETAS TUA. Quod credis, idcirco me pium tibi veniam posse concedere: quia & ipse pietatis intuitu dimicas pro patris salute. *Tua* autem *pietas*, prudenter est additum: quasi non a parente descendens: cum in Deos pater sit impius, & pietas in filio sit, nulla patris imitatione.

815. FILA LEGUNT. Proprium fuerat, *rumpunt*; tamen *legunt*, aut colligunt, aut rumpunt; aut etiam transeunt, ut: *Littoraque Epiri legimus*. EXIGIT ENSEM PER MEDIUM. Poetica est descriptio: nam re vera fieri non potuit, ut & gladius transiret per medium corpus juvenis, & in corpore juvenis absconderetur: nam *exigit*, est agit trans corpus.

PIERII.

809. NUBEM BELLI, DUM DETINET OMNIS, SUSTINET. In vulgatis quidem omnibus exemplaribus, & aliquot antiquis *detinet* legitur, hoc est, moratur; sed enim illa mihi lectio castissima videtur, quam in antiquissimo codice Romano reperi, *Nubem belli, dum detonet, omnem sustinet*: pulcherrima Metaphora, & conflictui maxime commoda: quia praesertim dixerat *nubem belli*, & alibi dixit, *Fulminat Aeneas armis*. Praeterea Servius lectionem hanc videtur agnovisse; dum exponit: *dum detonet*, donec deferveat. Superius vero illud, *dum pluit*. In eodem

Ro-

Per medium Aeneas juvenem, totumque recondit.
Transiit & parmam mucro levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Inplevitque sinum sanguis: tum vita per auras
820 Concessit maesta ad manis, corpusque reliquit.
At vero ut voltum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchisiades pallentia miris,
Ingemuit miserans graviter, dextramque tetendit:
Et mentem patriae strinxit pietatis imago.
825 Quid tibi nunc, miserande puer, pro laudibus istis
Quid pius Aeneas tanta dabit indole dignum?
Arma, quibus laetatus, habe tua: teque parentum
Manibus & cineri, si qua est ea cura, remitto.
Hoc tamen infelix miseram solabere mortem;
830 Aeneae magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantis socios, & terra sublevat ipsum,

San-

SERVII.

817. PARMAM. Id est, levia arma, non clypeum. MINACIS autem, non Lausi: non enim ipse minatus fuerat. Ergo ordo est: Mucro minacis, Aeneae scilicet: aut, si ad Lausum referas *minacis*, num audacis & fortis?

819. IMPLEVITQUE SINUM SANGUIS. Mire expressus est sinus tunicae sanguinem excipiens, nec tramittens. VITA PER AURAS CONCESSIT MOESTA AD MANES. *Vita*, id est, anima. Et abusive dictum est; nam ad Inferos simulachrum pergit, non anima.

820. CORPUSQUE RELIQUIT. Potuit sine hoc sensus esse.

825. PRO LAUDIBUS ISTIS. Quia & contra fortiorem, & pro patris salute dimicare conatus est: ideo enim & pluraliter *laudibus* dixit. Alii *laudibus*, pro virtutibus, ut solet a Poeta, dictum tradunt.

826. PIUS AENEAS TANTA DABIT INDOLE DIGNUM. Propter vitandam adrogantiam tertia persona usus est, ut: *Et quisquam numen Junonis adoret? Indoles* autem, est proprie imago quaedam virtutis futurae.

827. QUIBUS LAETATUS HABE TUA. Moris enim fuerat, ut cum his rebus seppelirentur, quas dilexerant vivi.

828. SI QUA EST EA CURA REMITTO. Aut more illo dixit, quo solet sepultura ad ipsa cadavera non pertinere: licet umbris, sicut in septimo egimus, prosit, ut: *Si qua est ea gloria signat*. Item de Pallante: *Vano moesti comitamur honore*. Aut certe, siqua est ea cura Mezentio, hoc est, patri sacrilego, qui Superos Inferosque contemnit. An & tota hac re dubitat?

830. AENEAE MAGNI DEXTRA CADIS. Sic alibi: *Nomen tamen haud leve patrum Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillae*.

PIERII.

Romano codice *uu* geminato *pluvit* scriptum est. Inde *pluvia*; sed hoc idem in aliis quoque auctoribus, antiquisque codicibus observes.

817. TRANSILIT ET PARMAM MUCRO. In Romano, & in Oblongo, *transiit* habetur. Est tamen & *transilit* in antiquis aliquot codicibus.

818. LEVIA ARMA MINACIS. Quidam codices legunt *minantis*. Romanus duabus mutatis dictionibus, *media arma minaci* legit; sed omnino mos ejus librarii fuit, nonnunquam superfluam ponere, nonnunquam ob negligentiam praeterire.

823. INGEMUIT MISERANS GRAVITER. Quidam antiqui codices legunt: *Ingemuit graviter miserans dextramque tetendit*.

Sanguine turpantem comtos de more capillos.
Interea genitor Tiberini ad fluminis undam
Volnera ſiccabat lymphis, corpuſque levabat
835 Arboris adclinis trunco. Procul aerea ramis
Dependet galea, & prato gravia arma quieſcunt.
Stant lecti circum juvenes: ipſe aeger, anhelans
Colla fovet, fuſus propexam in pectore barbam:
Multa ſuper Lauſo rogitat, multosque remittit,
840 Qui revocent, maeſtique ferant mandata parentis.
At Lauſum ſocii exanimem ſuper arma ferebant
Flentes, ingentem, atque ingenti volnere victum:
Adgnovit longe gemitum praeſaga mali mens.

SERVII.

832. SANGUINE TURPANTEM. Non ipſum turpantem; ſed, ut accidit, ita dixit: COMPTOS DE MORE CAPILLOS. Antiquo ſcilicet more, quo viri ſicut mulieres componebant capillos: quod verum eſſe & ſtatuae nonnullae antiquorum docent; & perſonae, quas in Tragoediis videmus ſimiles in utroque ſexu, quantum ad ornatum pertinet capitis.

833. INTEREA. Dum haec geruntur. Et omnino ſic eſt apud Poetas *interea*, ſicut apud Salluſtium, *eodem tempore*.

834. VULNERA SICCABAT LYMPHIS. Siccabat aqua; ſed & nove & Phyſice locutus eſt; nam cum aqua omnia infundantur, hic ait *ſiccari vulnus aqua*: & ratio vera eſt, fluxus enim ſanguinis aquarum frigore continetur. LEVABAT. Inclinatione recreabat.

835. ACCLINIS. Quis ante hunc? PROCUL. Modo, juxta, ut: *Serta procul tantum capiti delapſa jacebant*.

836. GRAVIA ARMA QUIESCUNT. Cur illa pendeant, haec in terra ſint, docuit, dicendo *gravia*: unde & *quieſcunt* dixit. Bene ergo *gravia*; ut & galeam, arma, ſed levia intelligamus. Et talis eſt figura, ſicut illa Salluſtii: *Leonem atque alias feras*. Ergo & leo fera eſt? *Quieſcunt* autem, quaſi in terra poſita: quoniam galea, quae pendebat, poterat & moveri.

838. COLLA FOVET. Suſtinens ſe arboris trunco. FUSUS PROPEXAM IN PECTORE BARBAM. Barbam in pectus infuſam habens. Archaiſmos autem eſt, quod ait *in pectore*, pro, in pectus, ſicut alibi: *Mediis effuſus in undis*, pro, *in medias undas*. *Propexam* autem, quis ante hunc?

839. MULTA. Pro, multum, ſicut: *Et pede terram crebra ferit*, pro crebro. MULTUMQUE REMITTIT. Hoc pro ſaepe.

841. SUPER ARMA FEREBANT. Supra ſcutum, ſicut ſupra; *Impoſitum ſcuto referunt Pallanta frequentes*.

842. INGENTEM, ATQUE INGENTI VULNERE. Homeri dictum: *Κεῖτο μέγας μεγαλωστὶ λελασμένος ἱπποσυνάων*.

PIERII.

834. VULNERA SICCABAT LYMPHIS, CORPUSQUE LEVABAT ARBORIS ACCLIVIS TRUNCO. Exemplaria complura, Romanum, Oblongum, & quaedam alia, legunt *lavabat*: quippe quia praejectum eſt, *Vulnera ſiccabat lymphis*: ſed enim non deſunt codices veteres, in quibus *levabat* legatur: & eam lectionem agnoſcit Servius. Qua vero ratione *levaret membra*, tam vulneribus, quam certamine ſatigata, ſubjungit, *Arboris acclivis trunco*; id quod in antiquis *adclinis* ſcribitur, quod Servius exponens, *inclinatione recreabat*, ait.

835. PROCUL AEREA RAMIS DEPENDET GALEA. In Romano codice *ramo*. Unus enim ſatis erat ad ſuſtinendam galeam.

837. STANT LECTI CIRCUM JUVENES. In aliquot antiquis codicibus *Stant circum lecti proceres* legitur; ſed haec majeſtas negotio bellico non videtur congruere: quare melius *juvenes*.

838. PROPEXAM IN PECTORE BARBAM. Malunt nonnulli, *perpexam*; ſed *propexam* in antiquioribus habetur.

839. MULTOSQUE REMITTIT. In Romano codice legitur, *multumque remittit*. Sed magis placet *multos*, quod neſcio quid vehementius habet, quum & inſtantiam, & iterationem nunciorum oſtendat.

Ca-

Canitiem multo deformat pulvere, & ambas
845 Ad caelum tendit palmas, & corpore inhaeret.
Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas,
Ut pro me hostili paterer succedere dextrae,
Quem genui? Tuane haec genitor per volnera servor,
Morte tua vivens? Heu, nunc misero mihi demum
850 Exsilium infelix! nunc alte volnus adactum!
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulsus ob invidiam solio sceptrisque paternis.
Debueram patriae poenas, odiisque meorum:
Omnis per mortes animam sontem ipse dedissem.
855 Nunc vivo: neque adhuc homines lucemque relinquo:
Sed linquam. Simul hoc dicens attollit in aegrum
Se femur; &, quamquam vis alto volnere tardat,
Haud

SERVII.

845. AD CAELUM TENDIT PALMAS. Iocrepaos Deos, quasi sacrilegus. Et sciendum, uno eodemque tempore, noo eum potuisse & corpori inhaerere, & maous ad caelum levare: licet Poeta ista conjunxerit. CORPORE INHAERET. Aut inhaeret Lauso suo corpore: aut certe Hysterologia est: ut sit, *haeret in corpore;* melius tamen est, ut sit Antiptosis, pro, *corpori*, ut: *Haeret pede pes*, pro, pedi.

848. PER VOLNERA SERVOR. Aut re vera *per vulnera:* quia per totum ejus corpus mucro transierat: aut invidiose *vulnera* ait, pro, vulnus; sicut Terentius: *Nonperpeti meretricum contumelias?* Cum de una Thaide loqueretur.

850. NUNC DEMUM EXILIUM INFELIX, NUNC ALTE VULNUS ADACTUM. Solatio enim viventis filii utrumque fuerat ante tolerabile.

851. IDEM EGO. Qui nunc caussa tuae mortis fui: qui fecit ut exulis & sacrilegi filius esse dicereris.

852. PULSUS OB INVIDIAM. Excusat, ne merito expulsus esse videatur.

854. OMNES PER MORTES. Per omnia mortis genera; nam una mors est: aut *per mortes omnes*, id est, per diversa supplicia, per quae venitur io mortem: aut quasi non una tantum morte digous.

857. VIS ALTO VULNERE TARDAT. Alti vulneris violentia.

PIERII.

844. CANICIEM IMMUNDO DEFORMAT PULVERE. Exemplaria omnia vetustiora, quae versamus, *multo deformat pulvere* legunt, quod miseriam auget. Sed *immundus* proprium est epitheton pulveris. Desumpta vero est ex Homeri sententia, ubi de Achille, occiso Patroclo haec miseriarum signa describuntur, Ἀμφοτέρῃσι δὲ χερσὶν ἑλὼν κόνιν αἰθαλόεσσαν Χεύατο κὰκ κεφαλῆς. Quod ita etiam Catullus expressit: *Caniciem terra, atque infuso pulvere foedans.*

847. UT PRO ME HOSTILI PATERER SUCCEDERE DEXTRAE QUEM GENUI. In antiquis Prisciani codicibus hoc citato versu, *succumbere*, pro *succedere* habetur, quum tamen reliqui omnes Virgiliani codices, quos inspexi, *succedere* legant.

849. HEU NUNC MISERO MIHI DEMUM EXILIUM INFELIX. Io vetustis plerisque codicibus *exitium* est, quod non aeque placet: ait enim se facile tolerare exsilium potuisse, dum in tali nato conquiesceret, quo erepto, exsilium demum infoelix esse. Quia vero sequitur, *Nunc alte vulnus adactum*, recte etiam legi potest *exitium infelix*, quum omnino filium sequi decreverit, neque eo perempto velit supervivere. Inde in Aeneam dicit: *Haec via sola fuit, qua perdere posses*. Infoelix autem, quod videat se dedisse caussam caedis: Infoelix, quod frustra se morti subtraxerit, quum eam ounc ultro appetere cogatur.

854. ANIMAM SONTEM IPSE DEDISSEM. Aliquot exemplaria *dedisse* legunt, ut conveniat cum verbo *debueram*.

857. ET QUANQUAM VIS ALTO VULNERE TARDAT.

Haud dejectus, equum duci jubet. Hoc decus illi,
Hoc solamen erat: bellis hoc victor abibat
860 Omnibus. Adloquitur maerentem, & talibus infit:
Rhoebe, diu (res si qua diu mortalibus ulla est)
Viximus. Aut hodie victor spolia illa cruenta,
Et caput Aeneae referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, aperit si nulla viam vis,
865 Occumbes pariter. Neque enim, fortissime, credo
Jussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.
Dixit, & exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambas jaculis oneravit acutis;
Aere caput fulgens, cristaque hirsutus equina.
870 Sic cursum in medios rapidus dedit. Aestuat ingens

SERVII.

858. HAUD DEJECTUS. Non dejectus animo.
860. ADLOQUITUR MOERENTEM. Tristem. Haec enim animalia, secundum Homerum, cum sunt tristia, indicant dominorum mortem futuram. Et proprie *adloquitur* dixit: est enim *adloqui* consolari. Est autem Homeri comparatio:

Τὸν δ' ἄρ ὑπὸ ζυγόφιν προσέφη πόδας αἰόλος ἵππος
Ξάνθος, ἄφαρ δ' ἤμυσε καρήατι, πᾶσα δὲ χαίτη
Ζεύγλης ἐξεριποῦσα παρὰ ζυγὸν οὖδας ἵκανεν.

861. RHOEBE DIU (RES SI QUA DIU MORTALIBUS ULLA EST.) Hoc loco notant Virgilium Critici, quod homini sacrilego dedit prudentem sententiam: quam rem ratio naturalis excusat: ea enim, quae per naturam movent animos, in quamvis personam cadunt. Illa vero sunt tantum prudentum, quae non nisi consilio & ratione deprehenduntur; unde & Terentius servis dat plerumque sententias prudentissimas quidem; sed quae se per naturam offerunt cunctis, ut: NE QUID NIMIS.

862. SPOLIA ILLA CRUENTA. Arma Aeneae, Lausi cruore perfusa; unde intulit: *Et caput Aeneae:* per quod etiam spolia Aeneae intelligimus; nam Lauso nihil detraxerat. Dicit enim: *Arma, quibus laetatus, habe tua*. Si autem *cruenti*, intellexeris, scilicet crudelis: sic enim convenit personae loquentis.

863. LAUSIQUE DOLORUM. Num Lausi dolorum, ut: *Lacbrymas dilectae pelle Creusae*.

864. AUT APERIT SI NULLA VIAM VIS. Aut si nullam ostenderit fortitudo rationem. *Aperit* autem, praesens pro futuro.

865. NEQUE ENIM FORTISSIME CREDO. Quod dignaberis dominos Teucros, scilicet ignavos: nam hoc intelligimus ex eo, quod dixit equo, *fortissime*. Plerumque enim ex alterius personae vituperatione vel laude, quid de alia dicatur, agnoscimus: ut hoc loco Trojanos vituperatos ex equi laude cognoscimus. Item alibi contra: *Et nunc ille Paris*, scilicet adulter: nam illo loco ex persona Paridis vituperatur Aeneas.

867. EXCEPTUS TERGO. Equo se praebente susceptus: quod fieri plerumque conspicimus in mansuefactis equis.

868. JACULIS ONERAVIT. Aviditas saevientis exprimitur, ut saepius.

869. AERE CAPUT FULGENS. Quia supra: *Procul aerea ramis Dependet galea*.

PIERII.

DAT. In vetustis codicibus quibusdam legitur *quamquam sese alto vol. tardet*; sed enim Servius *vir* agnoscit.

860. ALLOQUITUR MOERENTEM ET TALIBUS INFIT. In codicibus aliquot antiquis, *adloquitur moerentem, ac talia fatur*.

870. SIC CURSUM IN MEDIOS RAPIDUS DEDIT. In antiquissimo codice Romano legere est, *Sic cursu in medios rapidus redit*. AESTUAT INGENS IMO IN CORDE PUDOR. Multa quidem exemplaria vetera, *uno in corde* legunt; sed *imo* magis placet. In Mediceo autem codice, non *pudor*, sed *dolor* habetur; sed neque tacebo, quamvis ineptum mihi videatur, in codicibus aliquot manu scriptis legi non *pudor*, sed *puer:* quo itidem modo, iisdemque dictionibus peccatum est in eo Propertii versu: *Si puer*

Uno

et,

Uno in corde pudor, mixtoque insania luctu,
(Et Furiis agitatus amor, & conscia virtus:)
Atque hic Aenean magna ter voce vocavit.
Aeneas adgnovit enim, laetusque precatur:
875 Sic pater ille Deum faciat, sic altus Apollo,
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, saevissime, nato
Terres? haec via sola fuit, qua perdere posses.
880 Nec mortem horremus, nec Divum parcimus ulli.
Desine. Jam venio moriturus, & haec tibi porto
Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem:
Inde aliud super atque aliud figitque volutatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
885 Ter circum adstantem laevos equitavit in orbis,
Tela

SERVII.

871. UNO IN CORDE PUDOR. *Uno* autem, pro eodem: tribus vero adfectibus conturbatum significat, pudore, ira, dolore; quae potentia sunt singula.

873. TER. Id est, saepius.

875. SIC PATER ILLE DEUM FACIAT. Bene in perniciem contemptoris deorum, deos invocat. SIC ALTUS APOLLO. Aut venerabilis; aut quia in excelso loco consecratus est.

876. INCIPIAS. Deest, *ut*. INFESTA HASTA. In vulnus parata, id est, protenta.

879. QUA PERDERE POSSES. Deest *me*: nam hoc dicit, nisi extincto filio nulla se ratione potuisse superari.

880. NEC DIVUM PARCIMUS ULLI. Hoc ideo, quia Aeneas invoca-erat deos, ut: *Sic Pater ille deum faciat, sic altus Apollo*.

883. INDE ALIUD. Id est, jacit telum. DESINE. Scilicet mortem minari: quoniam libenter moriturus adveni.

884. UMBO. Scutum: nam a parte totum intelligimus.

885. TER CIRCUM. Enarravit quid esset, *ingenti gyro*. LAEVOS EQUITAVIT IN ORBES. Secundum artem militiae: nam eques stans facillime superatur a pedite. In laevam autem partem ideo circabat ut Aeneae dextram partem circumveniret, quae utique nuda erat.

PIERII.

es, alio traice tela; quum legendum sit: *Si pudor est, alio traice tela puer*,

872. ET FURIIS AGITATUS AMOR ET CONSCIA VIRTUS. Carmen hoc non habetur in antiquissimo codice Romanae notae; sed locum habet in duodecimo libro, ubi Poeta de Turno loquitur, ut loco suo dicetur. Neque tamen incongruum est idem carmen in diversos usus disponere, veluti alterum illud: *Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras*, & Camillae & Turno adcommodavit.

874. AENEAS AGNOVIT. In antiquis codicibus est, *adgnovit enim*, per interpositionem dictum:

878. QUID ME EREPTO SAEVISSIME NATO TERRES. In antiquis aliquot codicibus legere est *terreat*: quod quamvis ex sententiae congruitate sit elegantissime dictum, quo pacto tamen versui consultum sit, videndum. Id quidem, siquis admittere voluerit, aut Synaeresin figuram esse dicat oportet, aut Amphimacrum loco dactyli positum: quod Virgilium etiam alibi fecisse a Terentiano moniti comperimus: neque id Valerius Probus inficiari potest. Sed enim ut quid sentiam, dicam, Grammaticorum adhuc nemo loci hujus meminit tam insignis, non tacituri profecto, siquid illis tale suboluisset, quare *terres* legerim, ut longe plura habent exemplaria.

881. DESINE JAM VENIO MORITURUS. In antiquis, quod magis placet, *nam venio* legitur.

Tela manu jaciens: ter ſecum Troius heros
Inmanem aerato circumfert tegmine ſilvam.
Inde ubi tot traxiſſe moras, tot ſpicula taedet
Vellere, & urguetur pugna congreſſus iniqua;
890 Multa movens animo, jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit haſtam.
Tollit ſe arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effuſumque equitem ſuper ipſe ſecutus
Inplicat, ejectoque incumbit cernuus armo.
895 Clamore incendunt caelum Troeſque, Latinique.
Advolat Aeneas, vaginaque eripit enſem,
Et ſuper haec: Ubi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? contra Tyrrhenus, ut auras
Suſpiciens hauſit caelum, mentemque recepit:
900 Hoſtis amare, quid increpitas, mortemque minaris?
Nullum in caede nefas. Nec ſic ad proelia veni,
Nec tecum meus haec pepigit mihi foedera Lauſus.

SERVII.

888. TOT SPICULA TAEDET. Hic oſtendit quid ſit, *figitque volatque*.

889. PUGNA INIQUA. Pedes contra equitem.

890. MULTA MOVENS. Utrum in ipſum, an in equum tela torqueret: quo vulnerato Mezentius carebat effugio. INTER TEMPORA. Id eſt, in frontem.

891. BELLATORIS EQUI. Per quem bellum geritur, πολεμιστής. aliter hominem dicimus bellatorem, qui bellum gerit.

894. IMPLICAT. Impedit. CERNUUS. *Cernuus* dicitur equus, qui cadit in faciem; quaſi in eam partem cadens, qua cernimus: unde & pueri, quos in ludis videmus ea parte, qua cernunt, κυβιστῶντες, *cernui* vocantur: ut etiam Varro in Ludis theatralibus docet.

895. CLAMORE INCENDUNT CAELUM. Implent, abuſive dixit. TROESQUE. Hoc eſt, Troiani; gaudio. LATINIQUE. Scilicet dolore.

896. ADVOLAT AENEAS. Multi haec nolunt diſtingui, quaſi ſimul fiant.

899. HAUSIT CAELUM. Hoc eſt, aerem. Lucretius: *In hoc coelo, qui dicitur aer*. Et hoc dicit: poſtquam reſpiravit, & mentem recepit, poſt turbationem ex equi venientem ruina.

900. HOSTIS AMARE. Aſper. Et hoc Homeri eſt, de telo dictum, quod hic ad hominem tranſtulit: ille enim ait Πικρὸν ὀϊστόν.

901. NULLUM IN CAEDE NEFAS. Mori viro forti nefas non eſt: unde in primo Aeneas & fortis, & pius, inducitur, ſic loquens: *O terque quaterque beati*. Ergo aut nihil acerbi in morte ſe paſſurum ait; aut nihil nefandum Aeneam commiſſurum, ſi ſe volentem interfecerit: quia mori decreverit; ſi mortem filii non valuiſſet ulciſci. NEC SIC AD PRAELIA VENI. Hoc eſt, ut vincerem, aut victus mortem deprecarer: ergo libenter occumbo. Nec ego ſic ut vincerem veni: hoc eſt, cum voluntate procumbo.

902. NEC TECUM MEUS HAEC PEPIGIT MIHI FOEDERA LAUSUS. Hoc eſt, non cum hoc pacto a te Lauſus receſſit, ut ego vitam requiram. FOEDERA autem PEPIGIT, per tranſlationem dixit, id eſt, non ſic pugnavit Lauſus, ut ullum mihi vitae relinqueret deſiderium.

PIERII.

898. CONTRA TYRRHENUS UT AURAS. In aliquot codicibus *et* legitur: quod non ita placet.

Unum hoc, per, ſi qua eſt victis venia hoſtibus, oro;
Corpus humo patiare tegi. Scio acerba meorum
905 Circumſtare odia: hunc (oro) defende furorem:
Et me conſortem nati concede ſepulcro.
Haec loquitur, juguloque haud inſcius accipit enſem,
Undantique animam diffundit in arma cruore.

SERVII.

903. VENIA. Beneficium, ut: *Orantes veniam*.


904. ACERBA MEORUM. Quaſi hoc de Aenea non ſenſerit.

905. HUNC ORO DEFENDE FUROREM. Inimicorum iram & poſt fata ſaevire cupientem. DEFENDE autem, eſt prohibe, ut: *Dum teneras defendo a frigore myrtos*. Et bene petit ab Aenea ſepulturam, quod ſcit eum ultro concedere, ut probavit in filio: petit autem non de ejus pietate dubitans, ſed timens iram ſuorum.

907. HAUD INSCIUS. Liptotes figura eſt: non enim dixit, non ignarus; ſed expectans omnibus votis, ut: *Munera nec ſperno*: id eſt, libenter accipio. In hac autem figura plus cogitatur, quam dicitur.

908. UNDANTIQUE ANIMAM DIFFUNDIT IN ARMA CRUORE. Ordo eſt: In arma undanti cruore animam diffundit: cujus ſedem plerique ſanguinem volunt eſſe. Et ſic eſt dictum, ut: *Una eademque via ſanguis animuſque ſequuntur*. Item: *Tuaque animam hanc effundere dextra*: quaſi quae in cruore fovetur.

P. VIR-



Ant. Visentini f.

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS LIBER UNDECIMUS.

OCEANUM interea surgens Aurora reliquit.
Aeneas, quamquam & sociis dare tempus humandis
Prae-

SERVII.

Vs. 1. OCEANUM INTEREA SURGENS AURORA RELIQUIT. More suo praetermisit noctis descriptionem, quam transisse indicat praesens ortus diei; & hoc est, unde ait Horatius: *Nec verbum verbo curabis reddere fidus Interpres*. Quae enim naturalia sunt, omnibus patent. *Surgens* autem, quae surrexit, [illegible] & [illegible].

2. AENEAS, QUAMQUAM ET SOCIIS DARE TEMPUS HUMANDIS. Consuetudo Romana fuit, ut polluti funere minime sacrificarent. Si tamen contingeret, ut uno eodemque tempore & funestaretur quis, & cogeretur operam dare sacrificiis, elaborabat, ut ante sacra completet, quam funus agnosceret: unde etiam Horatius Pulvillus in Capitolii dedicatione, cum ab inimicis ei filius nuntiaretur extinctus, ut quidam putant falso, ut alii pro vero, ait, *Cadaver sit*: nec voluit funus agnoscere, donec templa dedicaret. Secundum quem ritum etiam Aeneas inducitur ante operam dare sacrificiis: & sic ad sociorum & Pallantis sepulturam reverti.

PIERII.

Vs. 2. QUANQUAM ET SOCIIS DARE TEMPUS HU-

Praecipitant curae, turbataque funere mens eſt,
Vota Deum primo victor ſolvebat Eoo.
5 Ingentem quercum deciſis undique ramis
Conſtituit tumulo, fulgentiaque induit arma,
MezentI ducis exuvias; tibi, magne, tropaeum,
Bellipotens: aptat rorantis ſanguine criſtas,
Telaque trunca viri, & bis ſex thoraca petitum
10 Perfoſſumque locis: clipeumque ex aere ſiniſtrae
Sub-

SERVII.

3. PRAECIPITANT CURAE. Urgent. Longam enim dilationem ſepultura non patitur. Sane cum *quamquam* praemiſiſſet, non intulit *tamen*, ut alibi, *Libertas quae ſera tamen reſpexit inertem*, cum *tamen* dixerit, non praemiſit *quamquam*. DARE vero TEMPUS, relinquere, id eſt, ut breve: & habet emphaſim propter multitudinem negotiorum. TURBATAQUE FUNERE MENS EST. Funere Pallantis: κατ' ἐξοχήν: nam eſt haec conſuetudo apud poetas, ut a plebe ſegregent duces. Sic paulo poſt ait: *Interea ſocios inhumataque corpora terrae Mandemus*. Et intulit ſegregans: *Morſtamque Evandri primus ad urbem Mittatur Pallas*. Sic dictum eſt: *Reliquias Danaum, atque immitis Achilli*. Item: *Forſitan & Priami fuerint quae fata, requiras*.

4. PRIMO VICTOR SOLVEBAT EOO. Antequam luctum ſubiret & funeraretur. PRIMO autem Eoo, ſubaudimus tempore: nam Graece ἠὼς dicitur, quam nos *auroram* vocamus. Homerus ait, ῥοδοδάκτυλος ἠώς: quod nomen Latini traxerunt per derivationem, ut dicerent: *Et lactus Eois Eurus equis*. Item: *Eoasque acies*. Sane ut etiam ſupra diximus, in hoc ſermone prima ſyllaba naturaliter longa eſt; ſed cum opus fuerit, corripitur *Eoi*: aut licentia nominis proprii, aut quia eam vocalis ſequitur.

6. CONSTITUIT TUMULO. In colle: quia tropaea non figebantur niſi in eminentioribus locis. Salluſtius de Pompejo: *Devictis Hiſpanis, tropaea in Pyrenaeis jugis conſtituit*. Ex quo more in urbibus tropaea figebantur arcubus exaedificatis. Ideo autem nunc tropaeum ponit Aeneas, quia nondum plenam eſt victoriam conſecutus; ſed occiſo Mezentio fugavit exercitum: plenae enim victoriae, ut ſupra diximus, triumphus debetur. Et perſolvit vota, vel propter tanti ducis interitum: vel quia fas erat, etiam de primitiis belli ſacrificare. *Tumulo* autem, deeſt, *in*, id eſt, in tumulo. INDUIT ARMA. Ut: *Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis*: ſine nomine.

7. TIBI MAGNE TROPAEUM BELLIPOTENS. Videtur interrupta deſcriptio. Hoc per Parentheſin dictum eſt & Proſphoneſin: & poſt reddita. *Magne* autem *bellipotens*, Antonomaſia, per duo epitheta ſine nomine.

8. APTAT. Apte locat: & congrue ponit vel figit, ut: *Aptatque ſuperbis Poſtibus*.

9. TELAQUE TRUNCA VIRI. Id eſt, praefracta: ita enim in tropaeis poni conſueruot. Juvenalis: *Et fracta de caſſide buccula pendet*, *Et curtum temone jugum, victaeque triremis Apluſtre*. Vel *trunca tela*, quae de ſuo clypeo legeret: ideo enim *trunca*, quod in evellendo praefracta. ET BIS SEX THORACA PETITUM PERFOSSUMQUE LOCIS. Duodecim vulneribus appetitum: quia, ut ſupra diximus, totius Tuſciae populus in duodecim partes fuit diviſus, ut: *Gens illi triplex, populi ſub gente quaterni*: qui ſingulis Lucumonibus parebant. Moris autem fuit, ut interemptos duces omnis vulneraret exercitus. Sicut etiam de Hectore Homerus commemorat:

Οἳ καὶ θηήσαντο φυὴν, καὶ εἶδος ἀγητὸν
Ἕκτορος, οὐδ' ἄρα οἵ τις ἀνουτητί γε παρέστη.

Unde eſt: *Quae circum plurima muros Accepit patrios*, Non ergo ab Aenea, ſed ab his, qui *Uni odiiſque viro teliſque frequentibus inſtant*: quod oſtendit Mezentius, cum ſub Aeneae telis jaceret. *Scio acerba meorum circumſtare odia*: neque enim hoc in illo momento periculi meminiſſet, niſi eos cerneret imminere.

10. CLYPEUMQUE EX AERE. Figuratius, quam ſi *aereum* diceret, ut alibi: *Cui pharetra ex auro*.

PIERII.

HUMANDIS. Sunt, qui *et* particulam ſummoveant, &, *quanquam ſociis*, legendum velint. Verum ſententiae numerique concinnitas, & veterum omnium codicum conſenſus caſtiorem eſſe lectionem indicant, *Quanquam & ſociis*: & ita prius erat in Mediceo, nunc & inde abraſum.

Subligat, atque ensem collo suspendit eburnum.
Tum socios, namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum, sic incipiens hortatur ovantis:
Maxima res effecta, viri. Timor omnis abesto.
15 Quod superest: haec sunt spolia, & de rege superbo
Primitiae: manibusque meis Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis murosque Latinos.
Arma parate animis, & spe praesumite bellum:
Ne qua mora ignaros, qui primum vellere signa
20 Adnuerint Superi, pubemque educere castris,
Inpediat; segnesque metu sententia tardet.

In-

SERVII.

11. ENSEM COLLO SUSPENDIT EBURNUM. Vaginam eburneam. Sane *ebur, eboris* facit, non *eburis*, sicut *murmur, murmuris*: unde, quia in principalitatis declinatione varietas invenitur, etiam derivatio varia est: nam *eburneus* facit ab eo, quod est *ebur*: *eboreus*, ab eo, quod est *ebor eboris*. *Collo* autem, id est, de collo. Paulatim de trunco arboris humanam figuram fecit; ut & sinistram illi det, & collum: quod valde quaeritur, an bene.

14. MAXIMA RES EFFECTA VIRI. Occiso tanto duce: simul etiam tropaei ostenditur caussa. Et verecunde cum ipsius opus sit, impersonaliter ait: ABESTO. Absit: nam tertia persona est.

15. QUOD SUPEREST. De reliquo: & est absoluta elocutio, ut: *Quod superest, laeti bene gestis corpora rebus*. ET DE REGE SUPERBO PRIMITIAE. Aut hoc dicit: primitiae istae, quas fecimus, non de plebe sunt: sed de rege superbissimo; aut certe *regem superbum*, Turnum accipiamus: nam de ipso legimus: *At Rutulum abscessu juvenis cum jussa superba Miratur*: ut sit sensus: Haec spolia & hanc primam belli partem superbo Turno sustulimus: nam hoc epitheton proprium Turni est, quod ei Virgilius pro ingenti scelere dat: apud majores enim superbia ingens facinus fuit, adeo ut Tarquinius pro multis sceleribus *Superbi* nomen acceperit.

16. MEZENTIUS HIC EST. Pro, talis est, ut: *Hunc ego te Euryale aspicio?* id est, talem: & utrum, per contemptum, an per commendationem hoc pronuntiandum? MUROSQUE LATINOS. Bene quasi hoc solum restet: & hoc dicit: Jam campestri superavimus praelio; restat, ut etiam obsidione vincamus. Credit enim quod sibi jam aperte nullus occurrat: nec inaniter: nam & paulo post dicturus est Turnus: *Furta paro belli*. Et in duodecimo Latinus: *Vix urbe tuemur Spes Italas*.

18. ARMA PARATE ANIMIS. Aut Hypallage est, pro, *armis parate animos*: aut certe est mutanda distinctio, ut sit, *animis & spe praesumite bellum*. PRAESUMITE BELLUM. Mente praeoccupate. Ut supra Turnus: *Et pugnam sperate parati*. Bene autem ait *praesumite*, quasi rem jam sui juris, ut ei deberi videatur certa victoria.

19. NE QUA MORA. Ordo: ne qua mora impediat. VELLERE SIGNA ANNUERINT SUPERI. Ne in mora sitis, cum captatis auguriis ad bellum exire coeperimus. VELLERE autem proprie dixit: quia Romana signa figebantur in *castris*: &, cum ad bellum eundum fuisset, captatis auguriis, avellebantur e terra: nam alibi ea figi non licebat. Sed inter auguria etiam hoc habebatur, si avellentem facile sequerentur; adeo ut cum filio Orodis bello sit Crassus occisus, qui iturus ad praelium, avellere signa vix potuit. Quod etiam Flaminio contigit, qui cum imperasset signa tolli, eaque non possent moveri, effosso solo, in quo erant fixa, vi magna, extrahi praecepit, & infeliciter apud Thrasymenum pugnavit. Alii *vellere*, movere accipiunt. Ennius: *Rex deinde citatus Convellit sese*: & in sacris, *convelli mensa* dicitur, cum tollitur.

20. ADNUERINT SUPERI. Bene in adhortatione nihil se inauspicato, vel sine deorum voluntate facturum promittit: ideo non dixit, cum ego jussero, sed, cum divi jusserint.

PIERII.

20. ANNUERINT SUPERI. Romanus codex familiaris quodam errore librarii, *adnuerent*, legit, *i* litera in *e* mutata; sed *adnuerint*, vera lectio.

Interea ſocios inhumataque corpora terra
Mandemus: qui ſolus honos Acheronte ſub imo eſt.
Ite, ait, egregias animas, quae ſanguine nobis
25 Hanc patriam peperere ſuo, decorate ſupremis
Muneribus: maeſtamque Euandri primus ad urbem
Mittatur Pallas, quem non virtutis egentem
Abſtulit atra dies, & funere merſit acerbo.
Sic ait inlacrimans, recipitque ad limina greſſum:
30 Corpus ubi exanimi poſitum Pallantis Acoetes
Servabat ſenior: qui Parrhaſio Euandro
Armiger ante fuit; ſed non felicibus aeque
Tum comes auſpiciis caro datus ibat alumno.
Circum omnis famulumque manus, Trojanaque turba,

Et

SERVII.

22. INTEREA SOCIOS. Donec tempus obſidionis adveniat. Et *Interea ſocios, inhumataque corpora terrae*, ἓν διὰ δυοῖν, pro, corpora ſociorum.

23. QUI SOLUS HONOS ACHERONTE SUB IMO EST. Hoc ideo intulit: quia in ſexto de inſepultis dixit: *Centum errant annos, volitantque haec littora circum*. Palinurus Aeneae: *Portuſque require Velinos Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam*. Et bene, *Acheronte ſub imo*: quia haec res ad umbras tantum pertinet: nam apud prudentes homines nullius momenti ſunt iſta.

24. ITE, AIT. Vitioſe in media oratione, *ait*, poſitum Critici notant. EGREGIAS ANIMAS. Ingenti arte laudat potius, quam miſeratur extinctos; ut praeſentium animos in bella ſuccendat. Homerus: ἰφθίμους ψυχάς. QUAE SANGUINE NOBIS HANC PATRIAM. Eleganter & hoc oratorie ad exhortationem audientium ſumptum eſt: nam laus defunctorum viventium exhortatio eſt: & bene *patriam* ait, tanquam fiduciam gerit, quaſi vicerit. Sane cum hortatur ſocios, ut ſepeliantur occiſi, ipſe defunctis velut Epitaphion dixit.

27. QUEM NON VIRTUTIS EGENTEM. Ennii verſus eſt. *Egentem* ſane nos ablativo jungimus.

28. FUNERE MERSIT ACERBO. *Acerbo*, immaturo: translatio a pomis.

31. QUI PARRHASIO EUANDRO. Arcadio, a civitate Arcadiae, quam Donatus vult a *Parrha* avi dictum: quod procedit, ſi *Parrha* nomen eſt Graecum: ſi autem Latinum eſt, ſtulte ſenſit: nam Graecum nomen etymologiam Latinam non recipit. Alii Jovis filium *Parrhaſium* dicunt, qui habuit Arcadem filium, ex quo primo *Parrhaſii*, poſt Arcades, dicti ſunt. Sane Arcadum genera fuerunt quatuor, Parrhaſiorum, Maenaliorum, Azanorum, Cynaethorum. Alii non Azanos & Cynaethos, ſed Axanes & Cyneros dicunt.

32. FELICIBUS AEQUE. Hic non felicitas comparatur; ſed ut eſt illud: *Dii meliora piis*: non, quia haec bona ſunt, ſed bona optat.

33. IBAT. Pro, ierat. ALUMNO. *Alumnus* eſt, qui Graece τρόφιμος dicitur: quod nomen quia Latinum non eſt, ut ab eo, quod eſt *nutritor*, inveniamus eum, qui nutritus eſt, tranſiit ad nomen aliud, & *alumnum* dixit.

PIERII.

23. QUI SOLUS HONOS ACHERONTE SUB IMO EST. Pleraque vetera exemplaria, *ſub imo*, abſque verbo *eſt* legunt. Nempe, quia verbum id quibuſdam tantum punctis in Codicibus manu ſcriptis notari ſolitum, fefellerit. Melius enim, *ſub imo eſt*.

30. CORPUS UBI EXANIMI POSITUM PALLANTIS ACESTES. In veteribus quibuſdam codicibus legere eſt, *Corpus ubi exanimum*, uti etiam ſuperius. *Exanimumque auro corpus vendebat Achilles*. Sed longe melius eſt, *Exanimi Pallantis*: quia *poſitum corpus*, ſatis habet, abſque alterius adjectivi inculcatione.

34. CIRCUM OMNES FAMULUMQUE MANUS. In antiquis codicibus, *omnis*, legitur, ut ſit *omnis manus*, *turbaque omnis*.

35 Et maeſtum Iliades crinem de more ſolutae.
Ut vero Aeneas foribus ſeſe intulit altis,
Ingentem gemitum tunſis ad ſidera tollunt
Pectoribus, maeſtoque inmugit regia luctu.
Ipſe caput nivei fultum Pallantis & ora
40 Ut vidit, levique patens in pectore vulnus
Cuſpidis Auſoniae, lacrimis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miſerande puer, cum laeta veniret,
Invidit Fortuna mihi, ne regna videres
Noſtra, neque ad ſedes victor veherere paternas?
45 Non haec Euandro de te promiſſa parenti
Diſcedens dederam: cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acris eſſe viros, cum dura proelia gente.
Et nunc ille quidem ſpe multum captus inani
50 Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.

Nos

SERVII.

35. ILIADES CRINEM DE MORE SOLUTAE. Has Aeneae ancillulas intelligimus: nam omnes honeſtas matres, hoc eſt, mulieres nobiles, in Sicilia remanſiſſe dixit, excepta Euryali matre, de qua legimus: *Quae te ſola puer multis e matribus auſa Perſequitur?* Crinem autem ſolutae, ut: *Palmis percuſſa lacertos*.

36. UT VERO AENEAS FORIBUS SESE INTULIT ALTIS. Naturale enim eſt, ut intermiſſa lamenta repetantur, cum aliquis notus advenerit. Sic in Statio, ingreſſis ducibus denuo defletur Archemorus: *Mox ut morientia digni Vultubus Inachii penetrarunt limina reges, Ceu nova tunc clades, & primo ſaucius infans Vulnera, lethaliſve irrumperet atria ſerpens, Sic alium ex alio, quamquam laſſata fragore Pectora congeminant, integrataque reſultant Accenſo clamore fores*.

39. NIVEI FULTUM PALLANTIS. Late patet hoc epitheton: referri enim poteſt & ad candorem priſtinae pulchritudinis; & ad pallorem ex morte venientem; & ad frigus, quod proprium mortuorum eſt, ut: *Corpuſque lavant frigentis & ungunt*.

40. LEVI IN PECTORE. Pulchro, puerili: nondum ſetoſo.

42. TENE, INQUIT. Iteratio eſt: nam ſupra dixit: *Lachrymis ita fatur obortis*. Sicut in quinto poſuit: *Et fidam ſic fatur ad aurem*. Et paulo poſt intulit: *Et ſeſe oſtentet in armis, Dic ait*. Sane ſciendum, hanc adlocutionem talem eſſe, qualis illa eſt, ubi defletur Euryalus: nam locis omnibus commovet miſerationem, ab aetate, a tempore, a vulnere, a ſpe parentis. CUM LAETA VENIRET INVIDIT FORTUNA. Ac ſi diceret: Quantum noceret adverſa, cum laeta talem intulit caſum? Videtur autem dolere, quod queri non poteſt de fortunae crudelitate, quae ei uno eodemque tempore & tanta contulit beneficia, & tale intulit damnum. TENE autem INVIDIT FORTUNA MIHI, ut: *Liber Pampineas invidit collibus umbras*.

45. DISCEDENS DEDERAM. Κατὰ τὸ σιωπώμενον hoc intelligimus: nam abſcedens nuſquam eſt Euandrum adlocutus Aeneas.

48. CUM DURA PRAELIA GENTE. Subaudimus *fore*.

50. FORS ET VOTA FACIT. Forte (utrumque enim dicimus) & jam vota ſuſcepit. Poteſt & unum eſſe FORSET, id eſt, *forſitan*. CUMULATQUE ALTARIA DONIS. Id eſt, & ſacrificat, & ſuſcepit vota. Naturaliter autem queritur de errore mentis humanae.

PIERII.

35. ET MOESTAE ILIADES CRINEM DE MORE SOLUTAE. In vulgatis codic. *moeſtae*, nunc paſſim legitur; ſed in antiquis omnibus, quotquot habui, *moeſtum*, legi. Eſt enim & in habitu moeſticiae ſigni-

Nos juvenem exanimum, & nil jam caelestibus ullis
Debentem, vano maesti comitamur honore,
Infelix, nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi?
55 Haec mea magna fides? At non, Euandre, pudendis
Volneribus pulsum aspicies: nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. Hei mihi, quantum
Praesidium Ausonia, & quantum tu perdis, Iule!

SERVII.

51. NIL JAM CAELESTIBUS ULLIS DEBENTEM. Vivi enim, Superorum sunt; mortui ad Inferos pertinent; unde in duodecimo: *Vos, o mihi manes Este boni, quoniam superis aversa voluntas*. Superis autem debemus omnia donec vivimus, ideo, quia, ut dicunt Physici, cum nasci coeperimus, sortimur a Sole spiritum, a Luna corpus, a Marte sanguinem, a Mercurio ingenium, a Jove horum desiderium, a Venere cupiditates, a Saturno humorem: quae omnia singulis reddere videntur extincti. Et hoc secundum Physicam disciplinam: tradunt enim Physici, omnia nos mereri a Superis, quae rursus extincti reddimus ipsis potestatibus supernis: quod & Plato videtur astruere, qui dicit: Quod cum de effluxione fontium, non aliarum quarumlibet rerum, sed ipsarum stellarum, fuerint animae corporibus commodandae, quidquid de ipsis fontibus stellarum ebullit, hoc intelligi debere stellas. Ergo priusquam in corpora ingrediantur animae, per haec signa erratica transeuntes, singula supradicta singulae accipiunt. Item exeuntes singula singulis redhibere dicit: quae in corpus venientes perceperunt.

52. VANO MOESTI COMITAMUR HONORE. Inani, ut supra diximus, quantum ad vivos pertinet: nam talia de mortuis fiunt ad solatium superstitum; ut est apud Ciceronem in Catone majore: *Solonis quidem sapientis elogium est, quo se negat velle suam mortem dolore amicorum & lamentis vacare. Vult, credo, se esse charum suis*.

53. INFELIX NATI FUNUS. Hoc quidam ἀνέκδοτον, & vulgare accipiunt; sed decenter ad exprimendum patris adfectum nunc ad patrem redit.

54. HI NOSTRI REDITUS. Tales sunt; ut: *Manibusque meis Mezentius hic est*. EXPECTATIQUE TRIUMPHI. Modo de se loquitur.

55. HAEC MEA MAGNA FIDES. Κατὰ τὸ σιωπώμενον: quam de Pallantis reditu promiserat patri. AT NON EUANDRE. Aut mutavit declinationem: nam *Euander* facit, ut ipse lib. x. *Pallas Euander in ipsis*: aut Graecum vocativum fecit ὦ Εὔανδρε. PUDENDIS VULNERIBUS. A tergo illatis: & est consolatio. Quid autem *pudendis* sit, ipse exposuit, dicendo, *pulsum aspicies*. NEC SOSPITE. Antiptosis est, pro, *sospiti*: & hoc dicit: Si fuisset vulneratus a tergo, ipse ei optares interitum. Alii, non talem habes, inquit, filium, quo sospite tibi dirum funus optares: quod parentes sibi precari solent ob nequitiam liberorum. Alii, non optabis, inquit, sospiti filio mortem: quod magis heroicae personae convenit: & quare *sospite*, pro, *sospiti*?

PIERII.

significatum, ut non videatur incongruum dicere, *Solutae moestum crinem*.

50. FORS ET VOTA FACIT. Sunt aliquot codices, in quibus, *Forsit vota facit*, legatur, quam lectionem Servius non improbat, dum, *forsit*, unum esse posse dicit. Sane Horatius sermone primo ea usus est dictione: *Quia non ut forsit honorem Jure mihi non invideat quisquam*: sed enim Priscianus hic, *fors*, agnoscit, neque uno tantum loco carmen citat: atque nominativum esse, atque pro adverbio positum a Vergilio. Illud non subticebo, scriptum esse alicubi etiam, *fors &*: verum hoc inusitatum est.

51. ET JUVENEM EXANIMUM. Utrumque legitur, &, *exanimum*, &, *exanimem*: uti paulo ante dictum, Grammaticis adquiescentibus.

54. EXPECTATIQUE TRIUMPHI. In Romano codice, *exoptati*, legitur, quod non aeque placet, quamvis non defuturi sunt, qui locum ex Terentio tueantur, quod ille dixerit: *Teneo ne te, Antiphila, maxime animo exoptata meo*. Sed enim ibi quoque, *expectata*, legitur in antiquis codicibus, & maxime omnium emendatis.

56. NEC SOSPITE DIRUM OPTABIS NATO FUNUS PATER. In Mediceo, *durum* habetur.

57. HEI MIHI QUANTUM PRAESIDIUM AUSONIA. In Antiquis aliquot codicibus, *heu*, habetur. Grammatici malunt, *hei*.

Haec ubi deflevit, tolli miserabile corpus
60 Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem,
Intersintque patris lacrimis; solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
Haud segnes alii cratis, & molle feretrum
65 Arbuteis texunt virgis, & vimine querno,
Exstructosque toros obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem stramine ponunt:
Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violae, seu languentis hyacinthi:
70 Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit:
Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tunc geminas vestis, auroque ostroque rigentis

Ex-

SERVII.

59. HAEC UBI DEFLEVIT. Hoc est, postquam haec cum lachrymis dixit: *flere* enim, est cum voce lachrymare: unde habemus in sexto: *Continuo auditae voces, vagitus & ingens: Infantumque animae flentes in limine primo*.

60. TOTO LECTOS EX AGMINE. Trojanos, Thuscos, Arcades.

63. EXIGUA. Quamvis enim magna sint, orbitati patris prodesse non possunt; sed tamen exhibenda sunt patri, quia debentur: aut est sensus: non quidem responsura luctui, sed tamen solennia: ergo justitiae potius caussa quam solatii.

64. PHERETRUM. *Feretrum*, locus, ubi mortui feruntur, & est Graecum nomen: nam Graece *φέρετρον* dicitur: unde per diaeresin *pheretrum* fecit, dictum a *ferendo*: nam Latine *capulus* dicitur: unde & Plautus ait: *Capularis senex*, id est, vicinus capulo. Et dictus est *capulus*, eo quod corpus capiat.

65. VIMINE QUERNO. Sunt aliquae durae derivationes; tamen eis sic utimur cum adjunctione alterius nominis, ut *quernum vimen*; item *colurnum veru*, ut: *Pinguiaque in verubus torrebimus exta colurnis*. *Ficulnum lignum*, ut Horatius: *Olim truncus eram ficulnus, inutile lignum*. Item: *Aprugnum callum*, pro, *aprinum*. ut Plautus.

66. OBTENTU FRONDIS INUMBRANT. Veluti cameram quandam capulo ramorum extensione fecerunt.

67. AGRESTI SUBLIMEM IN STRAMINE. Hoc est, super frondes ponunt: nam hic reddit, quod omiserat supra, dicens: *Extructosque thoros*: nec addens unde.

63. DEMESSUM. Participium est, veniens ab eo, quod est *metor*. Sane ab eo, quod est *meto*, praeteritum perfectum *messui* facit. LANGUENTIS HIACYNTHI. *Languentis*, aut postquam decerptus sit: aut quia non est acuti coloris: aut quando demittit caput. Sane *Hiacynthus*, puer fuit Eurotae, vel, ut quidam volunt, Oebali filius: cetera de hoc in Bucolicis dicta sunt.

69. SEU MOLLIS VIOLAE. Subaudi, florem.

70. SUA FORMA RECESSIT. Id est, propria pulchritudo.

72. OSTROQUE AUROQUE RIGENTES. Unum QUE vacat: & est additum hiatus caussa.

PIERII.

60. ET TOTO LECTOS EX AGMINE MITTIT. Romanus codex, *ex ordine*, legit; sed plus est, *ex agmine*.

66. OBTENTU FRONDIS INUMBRANT. Oblongus codex pervetus, *obumbrant*, legit. In aliis *inumbrant*, vulgata lectio.

67. SUBLIMEM IN STRAMINE PONUNT. Antiqua omnia exemplaria, quotquot habuimus, *sublimem stramine*, legunt, absque praepositione, quae tamen pluribus placet interjecta, ut quae nescio quid numerosius efficiat.

72. AUROQUE OSTROQUE RIGENTES. Ita legitur omnino in veteribus aliquot exemplaribus; sed

Extulit Aeneas: quas illi laeta laborum
Ipſa ſuis quondam manibus Sidonia Dido
75 Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.
Harum unam juveni ſupremum maeſtus honorem,
Induit, arſuraſque comas obnubit amictu:
Multaque praeterea Laurentis praemia pugnae
Aggerat, & longo praedam jubet ordine duci.
80 Addit equos, & tela, quibus ſpoliaverat hoſtem
Vinxerat & poſt terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, caeſo ſparſuros ſanguine flammam:
Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis
Ipſos ferre duces, inimicaque nomina figi.

Du-

SERVII.

73. LAETA LABORUM. Figura eſt, *laetus illius rei:* nam modo dicimus, *laetus labore*.

74. SUIS MANIBUS SIDONIA DIDO. Ut: *Dives quae munera Dido*. *Suis* autem *manibus*, ut heroides ſolebant.

75. DISCREVERAT. Depinxerat: ſimul & amantis affectus oſtenditur.

76. HARUM UNAM. *Unam*, pro alteram, de duobus ſcilicet: & *horum alterum*; & *horum unum* poſſumus dicere: nam Artigraphi hoc tantum vetant dicere; ne de duobus *alium* dicamus: quod de multis proprie dicitur. Sane figurate dixit: *Veſtem induit*, ut: *Exuvias indutus Achillis:* cum in uſu ſit, *indui illa re*, ut: *Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis*. Id eſt, truncos indutos jubet offerri. Sane hoc videtur ſecundum caeremonias Flaminum ſubtiliter dixiſſe. Flamini enim niſi unum mortuum non licet tangere, ſed Aeneas plurimos poſtea occidit. Sed aliud eſt, in bello occidere; aliud, mortuum tangere: ſciendum eſt tamen, Aeneae omne genus ſacerdotii tribui.

77. ARSURASQUE COMAS OBNUBIT AMICTU. Harum unam de duabus veſtibus induit juveni; altera caput ejus velavit: nam ſupra duas veſtes dixit eſſe prolatas. OBNUBIT autem, velavit: tranſlatio a *nubibus*, quibus tegitur caelum: unde & *nuptiae* dicuntur, quod nubentium capita obnubantur, id eſt, velentur.

78. LAURENTIS PRAEMIA PUGNAE. Mittit praemia, quae de praeda Laurentis pugnae ſuſtulerat: nam *praeda* eſt, quae eripitur; *praemium*, quod offertur.

80. EQUOS ET TELA, QUIBUS SPOLIAVERAT HOSTEM. Vel Pallas, vel Aeneas: nam ambigue poſitum eſt. *Spolia* autem cum proprie ea tantum ſint, quibus hoſtis ſpoliari poteſt, ut lorica, vel veſtis, abuſive jam *ſpolium* dicitur, quidquid hoſtibus tollitur: unde eſt: *Poſtquam illum vita victor Spoliavit Achilles*. Alii, *equos, & tela, quibus ſpoliaverat hoſtem*, ad Pallantem volunt tantum pertinere: quia in Antiquis diſciplinis relatum eſt: *Quae quiſque virtute ornamenta conſecutus eſſet, ut ea mortuum eum condecorarent*. Salluſtius: *Exuant armis equiſque*.

81. UMBRIS INFERIAS. Proprie enim *inferiae* ſunt ſacra mortuorum.

82. CAESO SANGUINE. Pro, caeſorum, ut ſupra; *Captivoque rogi perfundat ſanguine flammas*.

84. IPSOS FERRE DUCES. Suos ſcilicet, qui illis mille praeerant. Melius tamen eſt, jubet truncos ferre ipſos duces, id eſt, ducum ſpolia; ut tropaea, duces ipſos dixerit. Sicut ſupra: *Manibuſque meis Mezentius hic eſt*, de tropaeo: duces autem, ut Haleſum, & ejuſmodi, quos occiderat Pallas, duces ipſi portarent: nam ducum fuerat tropaea portare, ut habeat pater ſolatium de victoria filii, & honor funeri accedat. INIMICAQUE NOMINA FIGI. Pro, inimicorum: dicit autem adfixos tropaeis titulos cum nominibus occiſorum.

PIERII.

ſed enim vulgata lectio magis placet, *oſtroque auroque*, ut Epitheton, *rigentes*, vicinius ſit dictioni, quae cauſſa ſit rigiditatis.

82. CAESO SPARSUROS SANGUINE FLAMMAS. Romanus codex, *flammam*, unitatis numero legit. Et aliquot alii codices, *ſparſurus*, ſingulari numero recto caſu legunt, ut ſuppoſitum ſit verbi, *mitteret*; ſed longe melius eſt, *ſparſuros*.

84. INI-

85 Ducitur infelix aevo confectus Acoetes,
Pectora nunc foedans pugnis, nunc unguibus ora:
Sternitur & toto projectus corpore terrae.
Ducunt & Rutulo perfusos sanguine currus.
Post bellator equus positis insignibus Aethon
90 It lacrimans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt: nam cetera Turnus
Victor habet. Tum maesta phalanx, Teucrique sequuntur
Tyrrheniqne duces, & versis Arcades armis.

Post-

SERVII.

85. DUCITUR INFELIX AEVO CONFECTUS ACESTES. Quasi qui consternatus nimio dolore ire non poterat. Et bene ex rerum permutatione expressit doloris magnitudinem, dicens, ita doluisse Acestem, ut pene carens humano sensu per se ire non posset; & equum ita sensisse interitum domini, ut in humanum migraret affectum: nam & lachrymabat, & sponte sequebatur cadaver. Et bene, cum hominis sit *ire*, equi *ducere*, hominem autem *duci* ait; de equo, *It lachrymans*.

86. FOEDANS. Vel cruentans, vel lacerans.

87. TERRAE. Id est, in terra. Et figurate, *sternitur terrae*, ut: *Truncumque reliquit arenae*.

88. PERFUSOS SANGUINE CURRUS. Aut captivorum, aut ipsius Pallantis.

89. POST BELLATOR EQUUS. Militaris enim disciplinae fuit, ut equus usque ad sepulchrum duceretur; armiger perversa arma gestaret: unde hanc consuetudinem videtur Poeta servasse. POSITIS INSIGNIBUS. Sine phaleris.

90. IT LACHRYMANS. Non mirum est, quod equum dicit lachrymare, cum Homerus etiam divinantem induxerit Xanthum equum Achillis mortem: Καὶ λίην σ᾽ ἔτι νῦν γε σαώσομεν, ὄβριμ᾽ Ἀχιλλεῦ· Ἀλλά τοι ἐγγύθεν ἦμαρ ὀλέθριον, οὐδέ τοι ἡμεῖς Αἴτιοι, ἀλλὰ θεός τε μέγας καὶ μοῖρα κραταιή. Et paullo post: Ἀλλὰ σοὶ αὐτῷ μόρσιμόν ἐστι θεῷ τε καὶ ἀνέρι ἶφι δαμῆναι. Equos autem Achillis inducit Patroclum lugentes: Ἵπποι δ᾽ Αἰακίδαο μάχης ἀπάνευθεν ἐόντες Κλαῖον, ἐπειδὴ πρῶτα πυθέσθην ἡνιόχοιο Ἐν κονίῃσι πεσόντος ὑφ᾽ Ἕκτορος ἀνδροφόνοιο. Plinius solum equum praeter hominem lachrymare, & doloris adfectum sentire, dicit. AETHON. Nomen equi, quo etiam Aurorae equus vocatur, vel a splendore: nam αἴθω, *ardeo* dicitur: vel a cursus celeritate: quasi ἀεὶ θέων, id est, *perpetuo currens*, *indefessus*. Quod autem *equus bellator* dicitur, & phalanx comitatur, juxta morem Romanum ait, ut dignitas in regii adolescentis servetur exequiis: quia apud Romanos, quod erat vivo concessum, mortuo non adimebatur; militaris autem disciplinae erat. GUTTIS GRANDIBUS. Bene *grandibus*, quia de equo.

91. NAM CAETERA TURNUS VICTOR HABET. Κατὰ τὸ σιωπώμενον & alia eum sustulisse intelligamus, non tantum balteum; ut legimus supra: nam sola hasta & galea ostenditur remansisse.

92. PHALANX. Lingua Macedonum, *legio*. Quod autem ait *moesta*, Arcadas intelligimus: unde infert: TEUCRIQUE SEQUUNTUR, TYRRHENIQUE DUCES. Et hoc est, quod ait supra: *Et toto lectos ex agmine mittit Mille viros*.

93. VERSIS ARCADES ARMIS. Lugentium more mucronem hastae, non cuspidem contra terram tenentes: quoniam antiqui nostri omnia contraria in funere faciebant: Scuta etiam invertentes propter numina illic depicta, ne eorum simulachra cadaveris polluerentur aspectu, sicut habuisse Arcades Bachilides in Dithyrambis dicit: & hoc, ut nonnullis frustra placet: nam lugentium mos, est prioris habitus immutatio. Alii *versis armis*, in obliquum versis scutis; ne splenderent insignia: *Arma* autem scuta dici ipse declarat, ut: *Lausum socii exanimem super arma ferebant*; sed potest hoc de armis versis non ad Arcadas solum, sed ad omnes pertinere: an *versis armis*, quod interempto Pallante victos jam se Arcades arbitrabantur: alii dicunt hunc morem fuisse; ut de suo duce nunquam voce quereretur exercitus; ne seditio paulatim insurgeret; verum armorum ordinem mutantes scuta supina portarent. Ergo vel Aeneas ab Arcadibus arguitur, quod Pallas non sit vindicatus; vel Euander, quod novi hospitis gratia adolescentem temere in bella projecerat.

PIERII.

84. INIMICAQUE NOMINA FIGI. In Rom. cod. *fingi*, legitur: quippe ut res aliquanto amplior effecta, majorem Euandro consolationem afferret: quum

Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
95 Substitit Aeneas, gemituque haec addidit alto:
Nos alias hinc ad lacrimas eadem horrida belli
Fata vocant. Salve aeternum mihi, maxume Palla,
Aeternumque vale. Nec plura effatus ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
100 Jamque oratores aderant ex urbe Latina,
Velati ramis oleae, veniamque rogantes:
Corpora, per campos ferro quae fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret succedere terrae:
Nullum cum victis certamen & aethere cassis:

SERVII.

94. COMITUM. Potest pro, comitantium accipi.

95. GEMITUQUE. Deest, *cum*.

96. ALIAS HINC AD LACHRYMAS. Ad aliam sepulturam, id est, ad ceteros sepeliendos, qui eodem praelio ceciderunt.

97. SALVE AETERNUM MIHI MAXIME PALLA. AETERNUMQUE VALE. Varro in libris Logistoricis dicit: *Ideo mortuis* salve & vale *dici; non quod aut* valere, *aut* salvi *esse possint; sed quod ab his recedimus, eos nunquam visuri*. Hinc ortum est, ut etiam maledicti significationem interdum *valeat* obtineat, ut Terentius: *Valeant, qui inter nos dissidium volunt*: hoc est, ita a nobis recedant, ut nunquam ad nostrum revertantur aspectum. Ergo cum mortuo dicitur VALE, non etymologia consideranda est; sed consuetudo, quod nullis *vale* dicimus, nisi a quibus recedimus.

100. ORATORES. Legati, a perorando pro republica nominati; quod *orabant*; id est, *agebant*: unde & *actores causarum*, *oratores* appellantur. URBE LATINA. Pro, Latini: id est, de Laurolavinio.

101. VELATI RAMIS OLEAE. Non coronati (nec enim lugentes decebat) ut qui pro mortuis precabantur; sed instructi, & ornati: id est, in manibus olivae ramos ferentes, sicut Homerus: Στέμματ' ἔχων ἐν χερσὶν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος. VELATI autem, ornati: & illo loco significat: *Victori velatum auro vittisque juvencum*: cum vittis non aut velentur aut coronentur victimae; sed ornentur, aut certe *velati*, ab omni injuria tecti, Jure gentium. VENIAMQUE ROGANTES. Beneficium juxta antiquum modum dictum, hoc est, sepulturam suis petentes.

102. FERRO QUAE FUSA. *Fusa* modo, interempta; alias fugata; sed discernuntur epithetis, ut si dicas, *ferro fusus*, vel *metu fusus*.

103. REDDERET. Ostendit jam campos in Trojanorum esse potestate.

104. NULLUM CUM VICTIS CERTAMEN. Deest, *esse oportet*. ET AETHERE CASSIS. Id est, luce vacuis: unde & *retia*, *casses* dicimus: hoc autem bene addidit, quoniam victi possunt innovare certamen.

PIERII.

quum in gestarum rerum narratione multa veris vulgo superaddi soleant, & ex commodo fingi. Sed alienum est mendacium a viro, fortissimoque & sapientissimo, qualem Virgilius Aeneam passim ostentat. Quare longe magis placet eorum sententia, qui affixos tropaeis titulos occisorum ajunt.

94. COMITUM PROCESSERAT ORDO. Romanus codex, & Oblongus, & omnes denique antiquiores, *praecesserat*, legunt, ut in antiquarum aliquot impressionum codicibus habebatur. Qui funus enim ducunt, praecedere solent, subsequi vero, qui lugent; sed procedere in similibus admodum usitatum est. Terentius: *Funus interim procedit, sequimur*.

97. SALVE AETERNUM, MIHI MAXIME, PALLA. Romanus codex vocativum hunc nominativo similem facit, *Pallas*, sed nomina in *as* desinentia, quae genitivo crescente per *nt* pronuntiantur, neque synaeresin patiuntur, vocativum facere solent, extrema genitivi abjecta, *Thoantis, o Thoan; Laodamantis, o Laodaman*. Poetae tamen hujusmodi vocativum absque *n* litera proferre libentius solent, ut *o Laodama, o Polydama*; sic *o Palla*.

101 VENIAMQUE ROGANTES. Romanus cod. *precantes* legit, ut etiam inferius est: *Quos bonus Aeneas non aspernanda precantes prosequitur venia*.

104. ET AETHERE CASSIS. Mediceus codex, &

105 Parceret hoſpitibus quondam ſoceriſque vocatis.
Quos bonus Aeneas, haud aſpernanda precantis,
Proſequitur venia, & verbis haec inſuper addit:
Quaenam vos tanto Fortuna indigna, Latini,
Inplicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
110 Pacem me exanimis, & Martis ſorte peremtis
Oratis? equidem & vivis concedere vellem.
Nec veni, niſi fata locum ſedemque dediſſent;
Nec bellum cum gente gero: rex noſtra reliquit
Hoſpitia, & Turni potius ſe credidit armis.
115 Aequius huic Turnum fuerat ſe opponere morti.
Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros
Adparat; his mecum decuit concurrere telis:

Vi-

SERVII.

106. Bonus Aeneas. Ideo, quia ab eo facile impetratur. Haud aspernanda. Juſta, non contemnenda. Sepulturae enim beneficium generaliter debetur univerſis.

107. Venia. Quam petebant; aut *venia*, humanitate. Insuper addit. Accumulat verbis beneficium, dicens pacem ſe etiam vivis velle praeſtare. *Pacem* autem ideo defunctis, quia ait ſupra: *Nullum cum victis certamen*: & mortuorum *pax*, ſepultura eſt: unde elegit verbum quod tam vivis, quam mortuis aptum eſſet.

108. Quaenam. Quanta & qualis. nam mirantis eſt: nec enim dubitat, cum ipſe dicat *indigna*. Ergo poteſt ἐπεξήγησις eſſe: quaenam vos fortuna implicuit, quae eſt indigna bello: & mira eſt oratio conciliantis ſe hoſtibus ſuis.

109. Implicuit. Id eſt, involvit invitos. *Bello* autem, incertum dativus an ablativus.

110. Martis sorte peremptis. Ad illud: *Nullum cum victis certamen*.

112. Nec veni. Pro, nec veniſſem: tempus eſt pro tempore: & vitavit ὁμοιοτέλευτον.

113. Nec bellum cum gente gero. Subaudiendum, *ſed cum Turno*: per quod populariter eorum captat favorem, aut ut ſeditionem eorum adverſum regem invocat.

114. Hospitia. Hoc verbum duo ſignificat: & quo ab alio recipimur; & quo aliquem recipimus.

115. Huic morti. Δεικτικῶς, quaſi jacentes oſtendit.

116. Si bellum finire manu. Hoc eſt, internecione: poteſt enim & pace finiri.

117. His mecum decuit concurrere telis. Aut qui ſe Teucros parat pellere, aut tela ſua oſtendit, ut armatus in concilio fuerit.

PIERII.

aliquot alii, *aere*, legunt: de inferiori enim & ſpirabili hac aura loquitur.

110. Pacem ne exanimis. Romanus codex, Mediceus, & antiquiores plerique alii *legunt*, *pacem me exanimis*, quod mirifice placet: habet enim emphaſin pronomen illud, plusque in receſſu praeſtat, quam fronte polliceatur.

111. Equidem et vivis concedere vellem. In antiquis aliquot codicibus, *mallem* legitur, quod magis explet Oratorum vota, magisque ſibi eos conciliat: *vellem* tamen receptum.

112. Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent. Fieri per modos ſoloeciſmum Comminianus ait, hoc loco citato: *Nec veni*, pro nec veniſſem, indicativus pro conjunctivo. Indignatur vero Fab. Quintilianus hujuſmodi elocutionum ſpecies, nunc Soloeciſmi, nunc Barbariſmi nuncupatione appellitari, ubi ait: *Exempla Barbariſmi quidam fere in jactationem eruditionis ſumere ex Poetis ſolent, & Auctores, quos praelegunt, criminantur*.

115. Aequius huic Turno fuerat se opponere morti. Antiqua omnia exemplaria, quotquot verſare contigit, *Turnum*, accuſativo caſu legunt, ut ordo ſit: *aequius fuerat, Turnum opponere ſe huic morti*: nam & Servius, *huic morti* legit, δεικτικῶς, quaſi jacentes oſtendit.

117. His decuit mecum concurrere. In

Ro-

Vixet, cui vitam Deus aut ſua dextra dediſſet.
Nunc ite, & miſeris ſubponite civibus ignem.
120 Dixerat Aeneas. Olli obſtupuere ſilentes;
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.
Tum ſenior ſemperque odiis & crimine Drances
Infenſus juveni Turno ſic ore viciſſim
Orſa refert: O fama ingens, ingentior armis,
125 Vir Trojane, quibus caelo te laudibus aequem?
Juſtitiaene prius mirer, belline laborum?
Nos viro haec patriam grati referemus ad urbem:

Et

SERVII.

118. VIXET. Pro, vixiſſet: & eſt Syncope. DEUS, AUT SUA DEXTRA DEDISSET. Victoria enim, vel vita, duplici ratione conſiſtunt, aut virtute, aut voluntate Fortunae.

119. MISERIS CIVIBUS. Quaſi aliena culpa pereuntibus: & bene commendatur dicentis bonitas; quaſi & ipſe eorum miſereatur.

120. OBSTUPUERE SILENTES. Id eſt, obſtupefacti ſunt, & ſilere coeperunt.

122. TUM SENIOR. Cui ab aetate praeſtatur auctoritas. ODIIS, ET CRIMINE DRANCES INFENSUS JUVENI TURNO. Aut qui eum odio ſemper & criminationibus perſequebatur: aut propter ſuum crimen, id eſt, inertiam, quam ſemper virtuti conſtat eſſe contrariam: aut *Turni crimine*, qui tot viris cauſa mortis extiterat.

124. ORSA REFERT. Coepta verba. O FAMA INGENS, INGENTIOR ARMIS. Fruſtra ait Donatus, hoc nomen de his eſſe, quae non recipiunt comparationem: nam, quia augmentum recipit, & comparatur. Alia illa ſunt nomina, in quibus eſt dubitatio, utrum comparentur, ut eſt *perfectus*, quod ſi velis comparare, ut dicas, *perfectior*, incipit *perfectus* non eſſe *perfectus*.

125. CAELO TE LAUDIBUS AEQUEM? Pro his, qui in caelo ſunt, id eſt, diis, ut: *Caeruleus Tybris caelo gratiſſimus amnis:* & eſt oratorium, non invenire paria verba virtutibus. *Caelo* autem, dativus; *laudibus*, ablativus.

126. JUSTITIAENE PRIUS MIRER, BELLINE LABORUM? Figura Graeca, *miror illius rei;* & *regno illius rei*, ut: θαυμάζω ἐκείνου· & ἄρχω ἐκείνου· Τυδείδη τί ἶφι ἀνάσσεις. Inde Horatius ait: *Et qua pauper aquae Daunus agreſtium regnavit populorum*, pro agreſtibus populis: ita & hic *juſtitiae*, *laborum*, genitivum pro ablativo poſuit; ſi autem *juſtitiae* legeris, ſubaudiendum, juſtitiae laudibus; ſi *juſtitia*, ſubaudiendum, praeditum.

PIERII.

Romano codice, & aliquot aliis, ad evitandam cacophoniam, quae in pede quarto fieret, *cum con*, ſcriptum eſt tranſpoſitis dictionibus, *Hic mecum decuit concurrere telis*.

120. OLLI OBSTUPUERE SILENTES. In veteribus codicibus pene omnibus ſcriptum obſervavi, *illi obſtipuere*.

126. JUSTITIAENE PRIUS MIRER, BELLINE LABOREM. Sane Servius; Miror Genitivo junctum, *Graeca*, ait, *figura*, θαυμάζω ἐκείνου, & ἄρχω ἐκείνου, ut apud Horatium *Agreſtium regnavit populorum*, legitur. In Romano codice, & aliquot aliis perveteribus, poſita haec ſunt in caſu ſeptimo, *juſtitiane prius mirer belline labore*, in quo illud etiam obſerves, *juſtitiam*, per r in pene ultima ſcribi, ut ex antiquis inſcriptionibus, & nomiſmatis approbavimus; ſed eſt, & ubi *belline laborem:* eſt, ubi *juſtitiam*, & *laborem*, accuſativo caſu legas. Neque mirum, lectionem hanc ita nunc variare, quum variae ſuper ea fuerint olim etiam Grammaticorum ſententiae: nam Priſcianus, ubi ait, conjunctionem dubitativam, vel interrogativam ſimiles caſus exigere, locum hunc Virgilii citat, in quo ſcriptum ſecus aſſerit, neque praeceptioni hujuſmodi Poetam paruiſſe, qui ſcripſerit ablativo caſu, *juſtitiane prius mirer:* mox genitivum adjecerit, *belline laborum:* quippe propter ancipitem dictionum conſtructionem, quod utrumque bene dicatur, *miror juſtitia*, & *juſtitiae;* inveniri tamen in codicibus etiam, *juſtitiae*, genitivo caſu: idque aptius eſſe, non inficiatur, quod & alibi confirmat Graecae conſtructionis exemplo poſito, θαυμάζω τοῦ τρόπου.

Et te, ſi qua viam dederit Fortuna, Latino
Jungemus regi. Quaerat ſibi foedera Turnus.
130 Quin & fatalis murorum attollere moles,
Saxaque ſubvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat haec, unoque omnes eadem ore fremebant.
Bis ſenos pepigere dies, & pace ſequeſtra
Per ſilvas Teucri, mixtique inpune Latini,
135 Erravere jugis. Ferro ſonat icta bipenni
Fraxinus: evertunt actas ad ſidera pinus:
Robora nec cuneis, & olentem ſcindere cedrum,
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos.
Et jam Fama volans, tanti praenuntia luctus,
140 Euandrum, Euandrique domos & moenia complet,
Quae modo victorem Latio Pallanta ferebat.

Ar-

SERVII.

128. SI QUA VIAM DEDERIT FORTUNA. *Viam*, id eſt, rationem. Et bene cum exceptione pollicetur, dicens, ſi voluntatem noſtram fortuna comitetur.

129. FOEDERA TURNUS. Vel conjugii, vel amicitiarum: & poteſt videri deeſſe, *alia*.

130. FATALES MOLES. Quia audierat: *Nec veni, niſi fata locum ſedemque dediſſent*.

131. SAXA TROJANA. Ambitioſe ait, quaſi Trojanis fataliter debita; vel *Trojana*, in uſum Trojanorum.

133. PEPIGERE DIES. Pacti ſunt: nam ab eo, quod eſt *paciſcor*, & *pepigi*, & *pactus ſum* facit: ſicut ab eo, quod eſt *parco*, & *parſi*, & *peperci* facit. PACE SEQUESTRA. Media: namque *ſequeſter*, eſt aut medius inter duos altercantes; aut ad quem aliquid ad tempus ſeponitur: dictum autem a *ſequendo*, quod ejus, qui electus ſit, utraque pars fidem ſequitur. *Pacem* ergo *ſequeſtram*, inducias dicit, id eſt, pacem temporalem, & mediam inter bellum praeteritum & futurum.

134. MIXTIQUE IMPUNE LATINI. Apud majores magna erat cura fidei, adeo ut induciis factis conloqui ſoliti eſſent duces populi Romani cum hoſtium ducibus; ſummaque ſeveritate vindicatum, ſi injuriam ſe paſſos quererentur: deinde obſeſſa Urbe a Tarquinio, inter Porſennam & Romanos factis induciis, cum ludi Circenſes in Urbe celebrarentur, ingreſſi hoſtium duces curuli certamine contenderent, & victores coronarentur. *Impune* autem, hoc loco ſine periculo.

135. FERRO BIPENNI. Ad epitheton tranſtulit nomen proprium: nam *bipennis*, per ſe plenum eſt, & ſecurim ſignificat, ut: *Crebriſque bipennibus inſtant*.

137. ROBORA. Modo genus ligni: nam eſt inter ſpecialia nominatum.

138. PLAUSTRIS GEMENTIBUS. Sub pondere ſonantibus.

141. QUAE MODO VICTOREM LATIO PALLANTA FEREBAT. *Latio*, pro, in Latio. Bene MODO: uno enim eodemque die & fortiter fecit & periit, ut: *Haec te prima dies bello dedit, haec eadem aufert*. Alii *modo*, paulo ante, accipiunt; ſed *modo*, haud cum adfectu, ut acerbior luctus de tanta mutatione naſceretur: alii *modo*, pene, accipiunt.

PIERII.

135. FERRO SONAT ALTA BIPENNI FRAXINUS. In aliquot antiquis codicibus, *acta*, legitur, quod minime placet: quia ſtatim ſequitur, *Evertunt actas ad ſidera pinus*. Siquid vero immutandum fuerit ex lectione vulgata, placeret, *icta*, quod in antiquiſſimo codice obſervavi.

140. EUANDRIQUE DOMOS ET MOENIA COMPLET. Impreſſores plerique librarii, *complet*, ut ſonorius eſſet, poſuere. Antiqua tamen omnia exemplaria, *replet*, legunt, uti etiam in vulgatis prius codicibus habebatur.

Arcades ad portas ruere, & de more vetusto
Funereas rapuere faces. Lucet via longo
Ordine flammarum, & late discriminat agros.
145 Contra turba Phrygum veniens plangentia jungunt
Agmina. Quae postquam matres succedere tectis
Viderunt, maestam incendunt clamoribus urbem.
At non Euandrum potis est vis ulla tenere:
Sed venit in medios. Feretro Pallanta reposto
150 Procumbit super, atque haeret lacrimansque gemensque,
Et via vix tandem voci laxata dolore est:
Non haec, o Palla, dederas promissa parenti,

Cau-

SERVII.

142. ARCADES AD PORTAS RUERE. Eos nunc Arcadas dicit, qui intra civitatem sunt. Multa tamen exemplaria, ARCADAS AT PORTIS RUERE, habuerunt, ut conjunctio sit, non praepositio, ut: *It nigrum campis agmen*, pro, per campos: &: *It portis jubare*, per portas. *Ruere* autem, id est, magna velocitate ferri, ut: *Excitum ruit, ad portas*: &: *Ruuntque effusi carcere currus*. Et *ruere* pro ruebant, infinitum pro pronuntiativo. DE MORE VETUSTO. Quia antea per noctem cadavera funerabantur cum facibus.

143. RAPUERE FACES. *Rapuere*, raptim & festinanter tulerunt. Sed apud Romanos moris fuit, ut noctu efferrentur ad funalia: unde etiam *funus* dictum est: quia in religiosa civitate cavebant, ne aut magistratibus occurrerent, aut sacerdotibus, quorum oculos nolebant alieno funere violari. Inde etiam qui funeri praeerant a *vespera* primum *vesperones*, deinde *vespillones* dicti videntur: & magis moris Romani, ut impuberes noctu efferrentur ad faces, ne funere immaturae sobolis domus funestaretur: quod praecipue accidebat in eorum, qui in magistratu erant, filiis. Ideo Virgilius Pallantis corpus facit excipi facibus, quia acerbum funus. *Funera* autem alii a *funalibus candelis*, sebo vel cera circumdatis dicta, quod his praelucentibus noctu efferrentur mortui. Alii a *fungendo*, quod eo supremo in eo, qui decessit, officio fungimur: vel quod hi, qui mortui sunt, *vita functi* dicuntur. Alii tradunt, de filiis, qui in potestate patris sint, non putari jus esse, funus vocari fierique: quia servi loco sint parenti: &, si id fiat, familia funestata sit. Ergo hic merito Pallantis funus facibus celebratur, ut filii. Alii, sicut Varro, & Verrius Flaccus, dicunt: Si filius familias extra Urbem decessit, liberti amicique obviam procedunt, & sub noctem in Urbem infertur cum cereis facibus praelucentibus, ad cujus exsequias nemo rogabatur. Sane haec corpora, sive projici jubebantur, & a cadendo; sive quod sepultura carebant, cadavera dicta.

144. DISCRIMINAT. Dividit: unde & *discrimen capitis muliebris* dicitur, ex eo, quod caput auro discernat.

146. SUCCEDERE. Ut: *Tumulo fineret succedere terrae*.

147. INCENDUNT. Implent, ut: *Clamore incendunt caelum Troesque, Latinique*.

148. VIS ULLA. Nec aetatis imbecillitas, nec severitas regia.

149. PHERETRO PALLANTE REPOSTO. Id est, posito Pallantis pheretro: nam Antiptosis est.

152. NON HAEC O PALLA DEDERAS PROMISSA PARENTI, CAUTIUS, &c. Duplex expositio est: aut enim hoc dicit: Non mihi talia promittebas, ut crederem cautius te dimicaturum; ut intelligamus proficiscentem Pallantem promisisse patri victoriam, caedem hostium, plurima spolia. Qui enim haec cogitat, cautelae obliviscitur, aviditate vincendi: aut certe NON, pro nonne, & nempe, accipiamus, ut in Terentio: *Non tu eum rus hinc modo produxe ajebas?* id est, nonne, *nempe*: ut nunc sit sensus; Nempe haec mihi dederas promissa discedens, quia cautius dimicaturus. Alii non PARENTI, sed PETENTI legunt; ut non jure adfectionis, quam filius patri debebat, sed humanitatis, eum convenire videatur. Petenti mihi, o Palla, fidem dederas, te cautius quam fortius dimicaturum: & adfirmant, si *parenti* legendum esset, potuisse dici: *Non haec, o fili, dederas promissa parenti*. Alii haec κατὰ τὸ σιωπώμενον dicta accipi volunt.

PIERII.

Cautius ut ſaevo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis,
155 Et praedulce decus primo certamine poſſet.
Primitiae juvenis miſerae, bellique propinqui
Dura rudimenta, & nulli exaudita Deorum
Vota preceſque meae! tuque, o ſanctiſſima conjunx,
Felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem!
160 Contra ego vivendo vici mea fata, ſuperſtes
Reſtarem ut genitor. Troum ſocia arma ſecutum
Obruerent Rutuli telis : animam ipſe dediſſem,
Atque haec pompa domum me, non Pallanta, referret.
Nec vos arguerim Teucri, nec foedera, nec, quas
Jun-

SERVII

154. IN ARMIS. Apud armatum, cujus conſilium cupido victoriae plerumque conturbat.

155. PRAEDULCE DECUS. Aut valde duce, aut quaſi immaturum.

156. PRIMITIAE. Rudimenta, quaſi Trojani. BELLIQUE PROPINQUI. Vel quod ante maturam aetatem Pallantis venerit: aut *propinqui*, nimium vicini, quo Pallas mitti poſſet. Sane hoc bellum *Antarium* vocari ſolitum, quod ſit ante urbem, quaſi ante Aras.

157. DURA. Miſera & infelicia.

158. VOTA PRECESQUE MEAE. Supra: *Fors & vota facit*. TUQUE O SANCTISSIMA CONJUNX. *Sanctum*, non ſemper ſacrum, neque religioſum eſt, ut hic, ubi *ſanctiſſima*, incorruptae caſtitatis ſignificat: unde & *ſanctae leges* appellantur, quae neque corruptae ſunt, neque corrumpi poſſunt.

159. FELIX MORTE TUA. Ea re felix, qua caeteri dolent. Et bene *tua*, ne ut ipſe filii morte fieret infelix.

160. VIVENDO VICI MEA FATA. Diu vivendo, ut in Bucolicis: *O Lycida, vivi pervenimus*. *Vici* autem *mea fata*, id eſt, naturalem ordinem vita longiore ſuperavi; an hoc tantum, ut ſuperſtes eſſem filio meo? namque hic ordo naturalis eſt, ut ſint parentibus ſuperſtites liberi. *Fata* ergo generalia dixit, referens ſe ad naturalem ordinem; non ad fatum proprium: nam *fata ſuperare* nemo hominum poteſt: unde multi ſic diſtinguunt: Contra ego vivendo vici vitam, ſcilicet filii, id eſt, ſupervixi: veteres enim *vivendo vincere* dicebant *ſupervivere*, ut: *Multa virum volvens vivendo ſecula vincit*: nam & in Togatis *victrices* appellantur, quae viros extulerunt. Plautus in Epidico: *Quia tibi licuit eum vivendo vincere*. Nam hoc eſt, SUPERSTES RESTAREM, UT GENITOR: ut, *mea fata*, per exclamationem dictum ſit. Sciendum tamen, etiam inrationabilia dolentibus dari.

161. RESTAREM. Eſſem.

162. OBRUERENT RUTULI TELIS. Id eſt, *me*: & bene etiam ſibi iraſcitur: ſic enim natura immoerentis exprimitur. DEDISSEM. R. ddidiſſem.

163. POMPA. Exſequialis ſcilicet. ME. Vehementius pronuntiandum: & bene *Pallanta*, ipſum nomen poſuit.

164. NEC VOS ARGUERIM. Exonerat eorum pudorem, ne videantur ei cauſa orbitatis fuiſſe, dicens ſibi hoc fataliter debitum. *Arguerim* autem, alias indicaverim, ut *Degeneres animos timor arguit*; alias accuſaverim, ut nunc Cicero: *Arguis fatentem*.

PIERII.

146. QUAE POSTQUAM MATRES SUCCEDERE TECTO VIDERUNT. In codicibus aliquot antiquis, *ſuccedere muris* legitur. In Mediceo, & pleriſque aliis, *tectis*, numero multitudinis.

150. PROCUBUIT SUPER ATQUE HAERET LACHRIMANSQUE, GEMENSQUE. *Procubuit*, praeterito tempore, non ſine quorundam codicum veterum teſtimonio ſcribi video. Romanus tamen, *procumbit*, praeſenti tempore legit, quod prius in vulgatis etiam habebatur; placet vero, *procumbit*, quia ſubſequitur, *atque haeret*, eodem tempore, remque ipſam actu eſſe, magis movet.

151. ET VIA VIX TANDEM VOCI LAXATA. In Rom. cod. *vocis*, quod non ita placet.

164. NEC VOS ARGUERIM TEUCRI. In codicibus

165 Junximus hoſpitio, dextras : ſors iſta ſenectae
Debita erat noſtrae. Quod ſi inmatura manebat
Mors natum, caeſis Volſcorum millibus ante,
Ducentem in Latium Teucros cecidiſſe juvabit.
Quin ego non alio digner te funere, Palla,
170 Quam pius Aeneas, & quam magni Phryges, & quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenum exercitus omnis.
Magna tropaea ferunt, quos dat tua dextera leto.
Tu quoque nunc ſtares inmanis truncus in armis,
Eſſet par aetas, & idem ſi robur ab annis,

Tur-

SERVII.

165. SENECTAE. Deeſt aetati : nam *ſenecta aetas* dicitur. Salluſtius: *Senecta jam aetate*. Per ſe autem plenum eſt, ſi *ſenectus* dicamus: nam, ſi *ſenecta*, aut addendum aetas, aut intelligendum.

166. QUOD SI IMMATURA MANEBAT. Magnifice ſervat decorum, quod ſe revocat ad heroicam conſolationem.

168. DUCENTEM IN LATIUM TEUCROS CECIDISSE JUVABIT. Lucrum quodammodo putat, impendiſſe pro amicorum felicitate filium, qui morti fuerat acerbo funere fataliter debitus.

169. NON ALIO DIGNER TE FUNERE PALLA. Latenter hic Aeneae oſtenditur pietas, qui in amici funus tanta contulit, ut pater amplius praeſtare non poſſit. Alii DIGNEM legunt, juxta veteres, ab eo, quod eſt *digno*. Calvus : *Hunc tanto munere digna*. Pacuvius in Hermione : *Cum neque me inſpicere aequales dignarent*. Hinc ipſe Virgilius III. Aen. *Conjugio Anchiſa Veneris dignate ſuperbo*.

170. QUAM PIUS AENEAS. Deeſt : *quo*, ut ſit, *quam quo*.

173. TU QUOQUE NUNC STARES IMMANIS TRUNCUS IN ARMIS. Id eſt, in trunco armatus. Sicut iſti duces, de quibus haec ſunt tropaea : nam ſupra ait : *Indutoſque jubet truncos hoſtilibus armis Ipſos ferre duces*.

174. ESSET PAR AETAS. Vel mea, vel filii : nam ad utrumque poteſt referri.

PIERII.

dicibus aliquot antiquis, *arguerem*, Graecanica figura legitur, nec tamen diſplicet, *arguerim*.

165. SORS ILLA SENECTAE DEBITA ERAT NOSTRAE. Antiqua omnia exemplaria, *iſta*, legunt, ut olim etiam imprimi ſolitum.

168. CECIDISSE JUVABIT. In Romano codice, *juvaret*, eadem figura, qua *arguerem*, ſuperius dictum notabamus : quippe pro, *juvare poterit*.

171. TYRRHENIQUE DUCES TYRRHENUMQUE EXERCITUS OMNIS. Quum ita legerent vulgati omnes codices, *que*, particula duplicata, putabam hunc quoque verſum ex iis eſſe, qui communes ſcanſionis regulas tranſgrediuntur, poetis interdum laſcivire volentibus. Poſtea vero quam veteres omnes codices, quos prae manibus habui, conſentire in unam eamdemque lectionem animadverti, jam nonnullorum ſuperſtitione repudiata, legendum aſſeruerim, *Tyrrhenique duces*, *Tyrrhenum exercitus omnis*, abſque ea particula : quamvis ea deſiderari videtur.

172. MAGNA TROPHEA FERUNT. In antiquis, *tropaea* : & in Romano, & aliquot aliis *ferant* : quod luculentius videtur.

174. ESSET PAR AETAS, ET IDEM SIT ROBUR AB ANNIS. Legendum : *& idem ſi robur*, ex antiquorum omnium codicum lectione. Quibus addam, *rober*, utraque ſyllaba per o ſcribi ſolitum in antiquis aliquot codicibus. Neque deſunt veterum Grammaticorum obſervationes, *robor*, in eorum ordinem redigentium, quae *or* finiunt, ut *marmor*, *aequor* : & ita ſemper apud Soſipatrum Cariſium obſervavi, in codice literis Longobardicis ſcripto. De hoc vero Quintilianus ait : *ebor*, & *robur*, *ita dicta*, *ac ſcripta*, *in ſummis Auctoribus in o literam ſecundae ſyllabae transferunt quidam*, *quia ſit roboris & eboris*. Addit & alios fuiſſe, in quibus Antonius Gnifo memoratur, qui non ſolum *rebur*, *ebur*, *marmur*, verum etiam ex his *robura*, *ebura*, *marmura*, & ſcriberent, & enuntiarent : quum tamen ipſe literarum citet aſſinitatem, ob quam ita *robur roboris* dicamus, veluti etiam *limes limitis*.

175 Turne. Sed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & haec memores regi mandata referte:
Quod vitam moror invisam, Pallante peremto,
Dextera caussa tua est; Turnum gnatoque patrique
Quam debere vides. Meritis vacat hic tibi solus
180 Fortunaeque locus. Non vitae gaudia quaero,
Nec fas: sed nato manis perferre sub imos.
Aurora interea miseris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores.
Jam pater Aeneas, jam curvo in litore Tarchon
185 Constituere pyras. Huc corpora quisque suorum
More tulere patrum: subjectisque ignibus atris
Con-

SERVII.

175. TEUCROS QUID DEMOROR ARMIS? *Ab armis*: & hoc videtur dicere: Dimittendi sunt Trojani, ut morte Turni satisfiat doloribus meis; quod etiam posteriora significant.

179. MERITIS VACAT HIC TIBI SOLUS, FORTUNAEQUE LOCUS. Nihil est aliud, quod possit vel virtus tua, vel fortuna, praestare; (nam his rebus victoria contingit) nisi ut, occiso Turno, & vindices filium, & patrem consoleris orbatum.

181. SED GNATO MANES PERFERRE SUB IMOS. Ac si diceret hanc solam esse causam, quae eum cogat ad vitae patientiam: ut filio Turoi nuntietur interitus.

183. EXTULERAT LUCEM. Asinius Pollio dicit, ubique Virgilium in diei descriptione sermonem aliquem ponere aptum praesentibus rebus, ut hoc loco: quia funerum & sepulturarum res agitur, dixit, *extulerat*: nam & *efferre*, est ad sepulturam ferre. Terentius: *Effertur, imus*. Item in quarto, quia est navigaturus Aeneas, & relicturus Didonem, dicit: *Tithoni croceum linquens aurora cubile*: quod licet superfluum sit, in multis tamen locis invenitur necessarium. MISERIS MORTALIBUS. Qui sunt subjecti tot casibus. Homerus, δειλοῖσι βροτοῖσι, id est, *miseris mortalibus*, non, *timidis*: cum δειλὸς, & *miserum*, & *timidum* significet.

184. OPERA, ATQUE LABORES. Hoc *opus*, & *haec opera*, tunc dicimus, quando negotium ipsum, quod geritur, significamus; si autem foeminino genere dixerimus *operas*, ipsas personas, quae aliquid faciunt, significamus; sicut *custodia* dicitur, quae custodit, ut: *Cernis custodia qualis Vestibulo sedeat*: nam ut hi, qui custodiuntur, *custodiae* dicantur, usurpatum est: unde male est in usu: *Custodiae audiuntur*.

185. CONSTITUERE PYRAS. *Pyra*, est lignorum congeries; *rogus*, cum jam ardere coeperit, dicitur. *Bustum* vero, jam exustum vocatur. Quem ordinem servat Poeta, dicens: *Constituere pyras*. Item: *Subjectisque ignibus atris Ter circum accensos Decurrere rogos*. Item postea: *Semustaque servant Busta*.

186. MORE TULERE PATRUM. Quia apud varias gentes diversa fuerunt genera sepulturae, inde est, quod alii obruuntur; alii exuruntur; alii proprias remittuntur ad patrias; alii per diem, ut nunc isti; alii per noctem, ut supra Pallas. Et perite has varietates Virgilius posuit: namque Heraclitus, qui omnia vult ex igne constare, dicit, debere corpora in ignem resolvi. Thales vero, qui confirmat omnia ex humore procreari, dicit, obruenda corpora, ut possint in humorem resolvi. IGNIBUS ATRIS. Atqui ignes atri non sunt; sed epithethon traxit de negotio, ut *atris* diceret, hoc est, funebribus, ut paulo post: *Ter moestum funeris ignem*, id est, funebrem. Nam moestus esse non potest ignis. ATRIS, cum concipiuntur.

PIERII.

178. TURNUM NATOQUE PATRIQUE, QUAM DEBERE VIDES. Alias ex Victorino *gnato* legendum ostendimus, G litera praeposita: quod vocabulum Fortunatianus tam poeticum existimat, ut minime oratori adcommodatum putet. Huic vero scriptioni Carisium subscripsisse, loco hoc praecipue teste, manifestum: ait enim ille, ubi de figuris: *Prothesis est, quum primae parti dictionis, aut litera adjicitur, aut syllaba: litera, ut*, Turnum gnatoque patrique: *syllaba, ut* tetulit, *toties apud Catullum*, cujus hoc loco ver-

Conditur in tenebras altum caligine caelum.
Ter circum accensos, cincti fulgentibus armis,
Decurrere rogos: ter maestum funeris ignem
190 Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur & tellus lacrimis, sparguntur & arma.
It caelo clamorque virum, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis derepta Latinis
Conjiciunt igni; galeas, ensisque decoros,
195 Frenaque, ferventisque rotas; pars munera nota,
Ipsorum clipeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora morti;
Saetigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
200 Ardentis spectant socios, semustaque servant

SERVII.

187. CONDITUR IN TENEBRAS ALTUM CALIGINE CAELUM. Id est, aer fumi obscuritate completur.

188. CINCTI FULGENTIBUS ARMIS. Id est, incincti & instructi. Frustra hoc epitheton notant Critici, quasi circumeuntes rogos alia arma habere debuerint. CINCTI. Id est, instructi.

189. DECURRERE ROGOS. Pro, circum rogos cucurrere. Bene autem ait *decurrere*, non *decucurrere*: nam verba, quae in praeterito perfecto primam syllabam geminant, ut *curro cucurri*, *tondeo*, *totondi*, cum composita fuerint, geminari non possunt. nam *decurri*, & *detondi* dicimus; non *decucurri*, neque *detotondi*; exceptis tantum duobus, *do*, & *sto*.

191. SPARGITUR ET TELLUS LACRHYMIS. Ὑστερολογία est: nam prius est, ut arma spargantur lachrymis, quae corpori adhaerent, quam terra.

192. IT CAELO. Pro, in caelum. CLANGORQUE TUBARUM. Ante enim mortui ad tubam deducebantur: unde Persius: *Hinc tuba candelae tandemque beatulus alto Compositus lecto.*

193. HIC ALII SPOLIA OCCISIS DIREPTA LATINIS. Secundum suae gentis ritum; alii hostilia arma, alii peremptorum, cremabant.

195. FERVENTESQUE ROTAS. Nimio scilicet cursu: alibi: *Volat vi fervidus axis*. Horatius: *Metaque fervidis evitata rotis*. Et *ferventes*, non modo; sed quae soleant fervere, ut, *spumantia frena*.

196. ET NON FELICIA TELA. Quibus se defendere nequiverunt.

197. MACTANTUR CORPORA MORTI. Aut in mortem: aut *Morti*, ipsi deae. Statius: *In scopulis Mors saeva sedet*. Lucanus: *Ipsamque vocatam Quam petat a nobis tibi Mortem coge fateri*. CIRCA autem ideo, quia, ut Homerus dicit, in morte Patrocli circa corpus extincti, tam homines, quam pecora immolabantur, & uno igne cremabantur: unde in sexto: *Ossaque lecta cado texit Corinaeus aheno*. Homerus ἐν τῷ Ψ, ad Patrocli pyram:

Ἐν δ' ἐτίθει μέλιτος καὶ ἀλείφατος ἀμφιφορῆας
Πρὸς λέχεα κλίνων, πίσυρας δ' ἐριαύχενας ἵππους
Ἐσσυμένως ἐνέβαλλε μεγάλα στεναχίζων.
Ἐννέα τῷ γε ἄνακτι τραπεζῆες κύνες ἦσαν.
Καὶ μὲν ἐνέβαλλε πυρῇ δύο δειροτομήσας.

198. RAPTAS. Raptim advectas: nam post inducias rapere non poterant: aut certe ante *ruptas*, belli scilicet tempore.

199. IN FLAMMAM. Id est, in rogum. BUSTA. *Bustum* dicitur id, quo mortuus conbustus est, ossaque ejus ibi juxta sunt sepulta. Alii dicunt, ubi homo combustus est, nisi ibidem humatus fuerit, non esse ibi *bustum*; sed *ustrinum*.

PIERII.

versum, *Concitum tetuli gradum*, Carisius ex Poemate de Vere, quod desideramus, citat: ut illis etiam sit responsum, qui *Ferre gradum* Latine dici negant.

Busta; neque avelli possunt; nox humida donec
Invertit caelum stellis fulgentibus aptum.
Nec minus & miseri diversa in parte Latini
Innumeras struxere pyras, & corpora partim
205 Multa virum terrae infodiunt, avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cetera, confusaeque ingentem caedis acervum,
Nec numero nec honore cremant; tunc undique vasti
Certatim crebris conlucent ignibus agri.
210 Tertia lux gelidam caelo dimoverat umbram:
Maerentes altum cinerem & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terrae.
Jam vero in lectis praedivitis urbe Latini
Praecipuus fragor, & longi pars maxima luctus.

Hic

SERVII.

202. INVERTIT CAELUM. Patet illud, quod in promptu est: *Invertit caelum*, ut ea pars, quae noctem haberet, sub terra esset. STELLIS APTUM. Conjunctum; ἀπὸ τῦ ἅπτεσθαι.

203. NEC MINUS. Etiam.

204. INNUMERAS STRUXERE PYRAS. Hoc loco multis rebus ostendit immensam caedem factam esse Rutulorum.

206. FINITIMOS TOLLUNT IN AGROS. Qui enim e longinquo venerant, referri non poterant. URBIQUE REMITTUNT. Deest, *unicuique*: & meminit antiquae consuetudinis: nam ante etiam homines in civitate sepeliebantur, quod postea Duillio consule Senatus prohibuit, & lege cavit; ne quis in Urbe sepeliretur: unde Imperatores, & Virgines Vestae, quia legibus non tenentur, in civitate habent sepulchra. Denique etiam nocentes Virgines Vestae, quia legibus non tenentur, licet vivae, tamen intra Urbem in campo scelerato obruebantur.

208. NEC HONORE. Ideo *nec honore*, quia *nec numero*; quod in numero & ordine honos spectatur: nam aliud verbum pendet ex altero. Alii *nec*, pro sine accipiunt. TUNC. Pro, tum, id est, postquam cremare coeperunt.

210. TERTIA LUX. Mos enim erat, tertia die ossa crematorum legi.

211. MOERENTES. Hoc & ad Latinos & ad Trojanos potest referri. Sane *moerere*, est cum silentio dolere; *flere*, ubertim lachrymas demittere; *plorare*, cum voce flere; *plangere*, cum aliquibus dictis miserabilibus pectus aut faciem tundere; *lugere*, etiam cum habitus mutatione. ALTUM CINEREM. Quia dixerit: *innumeras struxere pyras*. CONFUSA RUEBANT OSSA FOCIS. Aut quia dixit simul multos crematos: aut, si ad honoratorum cadavera roferas, ut supra diximus, *confusa*: propter simul animalia concremata. RUEBANT autem, de cineribus eruebant. Adnotandum sane, quod *foces* dixerit *pyras*; cum *focus*, ara sit deorum Penatium. An, quod *focum dicat*, ubicumque ignis est & fovetur: unde & Varro *focum* dici vult.

212. TEPIDOQUE ONERABANT AGGERE TERRAE. Hypallage, hoc est, ossa tepida.

213. PRAEDIVITIS. More Graeco epitheton incongruum loco posuit.

214. ET LONGE PARS MAXIMA LUCTUS, Valde: & hoc est melius, quam quod legatur, ET LONGI.

PIERII.

202. STELLIS ARDENTIBUS APTUM. Sunt codices aliquot antiqui, in quibus adspiratum est huic vocabulo *haptum*: nempe quia ἀπὸ τῦ ἅπτω, dictum crediderint, atque *haptum* ita incensum, aut inflammatum significaret: vel si ἀπὸ τῦ ἅπτομαι, quod conjungere, compaginare, & coaptare significat, nihilominus adspirationem admittere. Sed enim eam Latini non usquequaque recepere, ut omnibus iis adspirent, quibus Graeci solent.

207. INGENTEM CAEDIS ACERVUM. In Romano

mano

215 Hic matres, miseraeque nurus, hic cara sororum
Pectora maerentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, Turnique hymenaeos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro;
Qui regnum Italiae; & primos sibi poscat honores.
220 Ingravat haec saevus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno, & magnum reginae nomen obumbrat:
Multa virum meritis sustentat fama tropaeis.
225 Hos inter motus, medio in flagrante tumultu,
Ecce, super maesti magna Diomedis ab urbe

Le-

SERVII.

215. HIC MATRES. Quia scit ad aliquid haec nomina pertinere, non addidit, deflebant filios, aut fratres. CARA PECTORA, Id est, caros fratres desiderarunt, ut: *Cari stat cura parentis*: & est periphrasis.

218. IPSUM ARMIS. Bene repetitum, *ipsum*. JUBENT. Volunt, exposcunt.

220. INGRAVAT. Majorem invidiam concitat, id est, graviora facit, & onerat. VOCARI. Provocari.

221. TESTATUR. Testificatur etiam legatorum fidem, qui cum eo fuerant. SOLUM. Et hic beue repetitum, *solum*.

222. SIMUL CONTRA VARIIS. Scilicet, ut illi paci faverent; alii Turno.

223. OBUMBRAT. Subaudis, Turnum: tuetur, defendit: & translatio ab arboribus facta: quia nomen nobilium tanquam umbra est pro aliis. Hoc autem dicit: Amor reginae ad favorem popularem plurimum proderat Turno. MERITIS SUSTENTAT FAMA TROPAEIS. Vel quia multos occiderat, ut etiam ipse dicturus est; vel secundum illud: *Sunt oppida multa Capta manu*.

226. ECCE SUPER. Insuper, hoc est, ad cumulationem malorum. MOESTI. Hoc sermone eos nihil egisse significat. MAGNA DIOMEDIS AB URRE. Legitur & MAGNI. Et tanto asperius videtur, quod, cum *magnus* sit *Diomedes*, non audet adversus Aeneam pugnare.

PIERII.

mano codice legere est, *ingentem stragis acervum*. In aliis *caedis*.

214. ET LONGE PARS MAXIMA LUCTUS. In Romano codice *longi* habetur, quippe *luctus*: quam lectionem improbat Servius, quem bona inde librariorum pars secuta est.

220. INGRAVAT ET SAEVUS DRANCES. Ex codicibus antiquis *ingravat haec*, omnino legendum: & si placeat *saevos*, ex Romano.

221. SOLUM POSCI IN CERTAMINA TURNUM. Quamvis *posci in certamina*, vetera aliquot habeant exemplaria; minime tamen displicet, quod in antiquissimis aliquot legitur, *in certamine*. Aeneam quippe jam paratum in campo opperiri, ut Turnus in duellum icto foedere descendat. Nam quod alibi *solumque duci*, quippe Aeneae, vocati Turnum legitur, nequaquam placet.

225. HOS INTER MOTUS MEDIO FLAGRANTE TUMULTU. Vetera omnia, quae versamus exemplaria, *medio in flagrante*, legunt, uti prius imprimi coeptum fuerat.

226. ECCE SUPER MOESTI MAGNI DIOMEDIS AB URBE LEGATI RESPONSA FERUNT. Et *magni*, & *magna*, legi, Servius attestatur, idque impressores in diversum egit. *Magni* vero *Diomedis*, legitur in Oblongo codice; sed in Romano & aliquot aliis vetustate ipsa venerabilibus codicibus *magna* habetur, & meo quidem judicio magnificentius videtur Legatos venisse ab urbe magna: quod ipsius etiam Diomedis amplitudinem ostendit, & ejus opes. Magnus vero esse posset Diomedes rebus gestis, & praeclaro nomine, exiguis tamen opibus. Sed si dominus magnae urbis sit, dubioprocul etiam potentem esse confitendum.

Legati reſponſa ferunt: nihil omnibus actum
Tantorum inpenſis operum: nil dona, neque aurum,
Nec magnas valuiſſe preces: alia arma Latinis
230 Quaerenda, aut pacem Trojano ab rege petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipſe Latinus.
Fatalem Aenean manifeſto numine ferri,
Admonet ira Deum, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque ſuorum
235 Imperio accitos, alta intra limina cogit.

SERVII.

227. NIHIL OMNIBUS ACTUM. Breviter & laborem & ſtudium comprehendit.

228. NIL DONA NEC AURUM. Ordinem legationis exſequitur, dicens, inaniter perfecta eſſe omnia, quae poſſent efficaces legati perficere auro, precibus, & promiſſione.

230. PACEM TROJANO AB REGE PETENDUM. Sicut & jam ſupra diximus, cum per gerundi modum aliquid dicimus, per accuſativum elocutionem formemus neceſſe eſt, ut; *Petendum mihi eſt equum*. Lucretius: *Aeternas quoniam poenas in morte timendum*. Item Salluſtius: *Caſtra ſine vulnere introitum*: nam *caſtra* accuſativus pluralis eſt, qui multis errorem facit, ut videatur eſſe nominativus: quia neutra triptota ſunt & ſimilis eſt nominativus accuſativo.

231. REX IPSE LATINUS. Qui aut conſolari debuit, aut defendendae reipublicae aliud inire conſilium.

232. FATALEM AENEAM MANIFESTO NUMINE FERRI. Modo *fatalem*, pernicioſum omnibus Aeneam, vel exitio futurum omnibus. MANIFESTO NUMINE autem, id eſt, manifeſto deorum judicio ad Italiam veniſſe, numinum ira teſtatur: quam cognoſcimus tantorum caede ſociorum. Et eſt ordo: fatalem Aeneam ferri manifeſto numine admonet ira deum.

235. ALTA INTRA LIMINA COGIT. Quaeritur, cur ad privatam domum convocetur ſenatus, qui non niſi ad publica & augurato condita loca convenire conſuevit; ſed ſcimus, domum Latini augurato conditam, & eandem tam templum fuiſſe, quam curiam: namque in ſuperioribus legimus: *Tectum auguſtum*, id eſt, augurio conditum. Item paulo poſt: *Hinc ſceptra accipere, & primos attollere faſces Regibus omen erat; hoc illis curia templum*. Merito ergo ad domum regis, quaſi ad locum gentibus publicum, convocatur ſenatus: nam ut ait in ſeptimo, *Tali intus templo Divum, patriaque Latinus Sede ſedens*. Idcirco etiam Palatii atrio, quod augurato conditum eſt, apud majores conſulebatur Senatus: ubi etiam aries immolabatur, quod, ut in ſeptimo diximus, Virgilius ad Latini tranſtulit domum. Multi dicunt perite Virgilium, nec templi, nec curiae hoc loco feciſſe commemorationem; ſed tantum dixiſſe *intra tecta regia*; ut oſtenderet, conſilium, quod initur, non eſſe complendum: quia nec rite inchoatum: ea enim quae dicit Latinus, effectu carebunt.

PIERII.

230. AUT PACEM TROJANO AB REGE PETENDUM. Librarii, porro omnes chalcographi, Servii Grammatici authoritatem ſecuti, *petendum*, figura gerundii ſcribendum curavere, ut: *Poenas in morte timendum*, apud Lucretium: & *Caſtra introitum*, apud Salluſtium. Caeterum codex Romanus antiquiſſimus, & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca repoſitus, & plerique alii minime contemnendi, legunt, *pacem Trojano a rege petendam*, figura participii. Sed utrum ex his magis placeat, non laboro.

232. FATALEM AENEAM MANIFESTO NUMINE FERRI, ADMONET IRA DEUM. Servius *fatalem*, loco hoc, omnibus pernicioſum ſignificare dicit. Sed cur non obſecro potius exponamus, Fatis certo advectum? Argumentoque eſſe, nos, dum Aeneae reſiſtimus, gravem Deorum iram concitaſſe, tot mortalium ſtrages immiſſas: pugnarique a nobis infeliciter manifeſtum: quia contra Deorum imperia, arma ſumpſerimus. Mihi enim religio eſt, Aeneam tam inhoneſto epitheto notatum aſſeverare.

235. ALTA INTRA LIMINA COGIT. *Intra limina* paſſim legitur, idque & Servio, & aliis negotium faceſſit. Caeterum in antiquiſſimo codice Romano *intra moenia* legitur: ut adluſio ſit ad Veterum mores, qui vicatim habitabant. Non tamen diſplicet *limina*: neque ea quae ſuper hoc Servius comminiſcitur.

Olli convenere, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. Sedet in mediis & maxumus aevo,
Et primus sceptris, haud laeta fronte, Latinus.
Atque hic legatos Aetola ex urbe remissos,
240 Quae referant, fari jubet, & responsa reposcit
Ordine cuncta suo. Tum facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens ita farier infit:
Vidimus, o cives, Diomede Argivaque castra;
At

SERVII.

236. OLLI. Illi, secundum Ennium. Et intelligendum κατὰ τὸ σιωπώμενον, Turnum quoque venisse, qui superiori libro a Junone subtractus pugnae, Ardeam pervenerat. FLUUNT. Festinanter incedunt.

238. ET PRIMUS SCEPTRIS. Primus inter sceptriferos: namque apud majores, omnes duces cum sceptris ingrediebantur curiam; postea coeperunt tantum ex consulibus sceptra gestare: & signum erat, eos consulares esse: aut quia & alii ejusdem partis reges erant; ut Turnus, sicut Agamemnon, dux totius exercitus, diversae civitates proprios reges habuerint.

239. AETOLA EX URBE REMISSOS. Quam condiderunt hi, qui de *Aetolia* venerant, Graeciae provincia: unde Diomedes habuit socios de tribus ejus civitatibus, quas habet Aetolia, Pleurona, Olenona, Calidona. Sic ergo dixit *Aetola ex urbe*, ut: *Et tandem Euboicis Cumarum adlabitur oris*. Ideo autem Diomeden Aetolum dicit: quia pater ejus Tydeus Aetolus fuit, qui ad Argos fugit, quoniam fratrem patris sui occiderat.

241. ET RESPONSA REPOSCIT. Mire ait reposcit: ante enim rex solet a legatis universa cognoscere, & sic eos praesente populo iterum omnia jubere narrare: unde est: ORDINE CUNCTA SUO: nam nihil licet praetermittere: unde & superflua narrare consueverunt.

243. VIDIMUS O CIVES DIOMEDEM. Rhetorica protinus arte coepit: neque enim opus erat principio aliquo legationem referenti: & hic figura est ὕστερον πρότερον: natura enim hoc fuit prius dicendum: *Atque iter emensi casus superavimus omnes*, & tunc, *vidimus Diomedem Argivaque castra*; sed habet consuetudo, ut, qui tale aliquid nuntiant, protinus admoneant, ut puta, *vidi illum; erat illic; faciebat illud*: ideo adjecit: *Ille urbem Argyripam patriae cognomine gentis*. Illud etiam ordine congruo subjunxit ad proliciendum animum priusquam quidquam diceret, *Munera praeferimus*; unde ordine, *nomen patriamque docemus*. *Qui bellum intulerint*, hoc est, qui, unde, contra quos, qua causa. Deinde ponitur oratio Diomedis, cujus sunt partes duae, una, qua se excusat; alia, qua etiam illis suadet, ut bellum deponant: nam hoc in fine orationis Venulus addit: *Et responsa simul quae sint, rex optime regum, Audisti*. Excusatio Diomedis duplex est: Fortes sunt Trojani & felices; fortes breviter ostendit per intermissionem, *Mitto ea quae muris bellando exhausta sub altis*: frigidus enim locus erat, si virtutem eorum timere diceret, quos vicit. Secundus locus multa continet: tam felices esse, ut de omnibus vindicarentur, & singula de singulis mire augendo exsequitur: novissimo loco de se dixit, ne ei objiceretur: Quid te ista movent, si tu nihil passus es? & auxit quod omisit, & socios adjecit, cum exclamatione, *Haec adeo ex illo mihi jam speranda fuerunt Tempore*. Ideo se contra Veneris filium excusat pugnare: nam sequitur, *Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas*. Supererat, ut pacem suaderet, ait enim, *Munera, quae patriis ad me portastis ab oris*. Inde laudem Aeneae ita addidit, ut suam laudem servaret, ibi enim, ubi se excusat, non hoc ait, quia fortis est non adeo; sed illud, *Quicumque Iliacos ferro violavimus agros*, quasi hoc fatum fuit omnium. Hic, ubi suadet pacem, aperte dicit, pares mihi non estis, & ait, *Experto credite, quantus In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam*, id est, ego fatum timeo, vos virtutem timere debetis: nam quod adjecit, *Si duo praeterea tales Idaea tulisset*, non fuit contentus illum Hectori comparare, nisi adjunxisset, *Hic pietate prior: coeant in foedera dextrae*, id est, quia pius est, bonus amicus erit: statim conclusit, sicut ad singula invenies dictum. Quod autem ait, VIDIMUS, O CIVES, DIOMEDEM, quasi res magna ei contigerit, qui talem virum viderit. Sane hic aut DIOMEDEM legendum, ut sit Latinus accusativus: & admittitur Eclipsis, ut, *Multum ille & terris jactatus & alto*: aut si Graecum accusativum

Atque iter emensi casus superavimus omnis;
245 Contigimusque manum, qua concidit Ilia tellus.
Ille urbem Argyripam, patriae cognomine gentis,
Victor Gargani condebat Iapygis arvis.

SERVII.

vum facere voluerimus, DIOMEDE, legatur, ut possit fieri Synaloepha, sicut: *Euryale infelix, qua te regione reliqui?* Si autem DIOMEDEM dixerimus, nec Latinum est, nec Graecum, nec versus consistit: nunquam enim Eclipsis fit per *n* literam. Tamen melius est, ut DIOMEDE legatur, ut sit Graecus accusativus, nomina enim Graeca in ης exeuntia, quae genitivum in εος mittunt, per plenam elocutionem, cum eundem casum per Synaeresim in ους miserint, accusativum in η mittant necesse est: ideo, quia cum naturam suam servant, accusativum in vocalem mittunt, non in consonantem: & debet Synaeresis plenitudinis servare rationem: ut ecce ὁ Διομήδης, plena declinatio est: τοῦ Διομήδεος, τῷ Διομήδεϊ, τὸν Διομήδεα. Per Synaeresim autem facit τοῦ Διομήδους, τῷ Διομήδει, τὸν Διομήδη. Ergo hic accusativus ideo in E exit, non in EN: quia, cum integrum est hoc nomen, in ης exit: & crescit ejus genitivus: si enim ἰσοσύλλαβος sit nominativo, accusativum in ην mittit, nec habet ε in genitivo, ut Θουκυδίδης, τοῦ Θουκυδίδου, τὸν Θουκυδίδην: nam *Diomedes* ideo in genitivo ε habet, quia, & cum integrum est, & Διομήδεος facit, habet ε consonantem.

244. CASUS OMNES. Itineris scilicet. Et bene vilitatem singularum rerum generalitate vitavit, ne diceret *flumina*, *latrones*, *&c.* Mire autem multa congesta, ne possit de legatorum desidia queri.

245. CONTIGIMUSQUE MANUM. Bene quasi divinam, sic: *Vidimus, o cives, Diomedem*. QUA CONCIDIT ILIA TELLUS. Ἐμφατικῶς dixit, pro, *urbs Ilia*: nam terra non concidit, sed civitas, Ilium.

246. ARGYRIPAM. Diomedes fuit de civitate quae *Argos Hippion* dicitur; de qua Homerus Ἄργος Ἱππόβοτον. Horatius, *Aptum dicet equis Argos*. Hic in Apulia condidit civitatem, quam patriae suae nomine appellavit, & *Argos Hippion* dixit: quod nomen postea vetustate corruptum est, & factum est ut civitas, *Argyrippa* diceretur: quod rursus corruptum, *Arpos* fecit. Sane Diomedes multas condidisse per Apuliam dicitur civitates; ut Venusiam, quam in satisfactionem Veneris, quod ejus ira sedes patrias invenire non poterat, condidit, quae Aphrodisia dicta est. Item Canusium Cynegeticon, quod in eo loco venari solitus erat: nam & Garganum a Phrygiae monte Gargara vocavit: & Beneventum, & Venafrum, ab eo condita esse dicuntur.

247. GARGANI CONDEBAT IAPYGIS ARVIS. *Iapygia*, pars est Apuliae, in qua est mons *Garganus*, imminens Sipontinae civitati: qui per Calabriam usque in Adriaticum tenditur pelagus. Lucanus: *Adriacas exit Garganus in undas*. *Gargani* autem *Iapygis*: figura est, pro, *Gargani Iapygii*: & haec est *Iapygia* Apuliae, a qua & *Iapyx* ventus est nominatus, ad quam *Iapyx* delatus, unde sic nominatus est: nam *Iapydia*, Venetiae regio est, ab oppido dicta: unde est: *Tunc scias aerias Alpes & Norica si quis Castella in tumulis & Iapydis arva Timavi*. Sed in *Gargani* summitate duo sepulchra esse dicuntur fratrum duorum, quorum cum major virginem quandam despondisset, & eam minor frater conaretur auferre, armis inter se decertarunt, ibique ad memoriam, invicem se occidentes, sepulti: quae res admirationem habet illam, qua, si qui duo inter ipsam sylvam agentes iter, uno impetu vel eodem momento saxa adversum sepulchra jecerint, vi nescio qua, saxa ipsa separata ad sepulchra singula decidunt.

PIERII.

237. SEDET IN MEDIIS REX MAXIMUS AEVO, ET PRIMUS SCEPTRIS HAUD LAETA FRONTE LATINUS. In antiquis omnibus exemplaribus legere est, *& maximus aevo Et primus sceptris*: & ita recte in antiquioribus erat editionibus priorum impressorum.

243. VIDIMUS, O CIVES, DIOMEDEN ARGIVAQUE CASTRA. Qui videbant *Diomeden* ultimum producere, *Diomedem* Latino declinatu scribendum procurarunt: ut collisioni locus esset. Sed enim observavi ego in antiquis codicibus plerisque *Diomede* legi, Graeco declinatu Διομήδεα Διομήδη, Ἀττικῶς. Quam lectionem Servius etiam agnoscit.

247. GARGANI CONDEBAT IAPYGIS AGRIS. In antiquis aliquot codicibus, *arvis* legitur. Quod vero Servius *Iapygiam* ab *Iapydia* distinguit, quid alii tradant auctores, ostendimus eo versu, *Et Iapydis arva Timavi*. Huc ademus *Iapygiam*, ex Strabone, vocatam esse ab *Iapyge*, Daedali filio, quem de Cretensi muliere susceperat.

Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi;
Munera praeferimus, nomen patriamque docemus:
250 Qui bellum intulerint, quae cauſſa attraxerit Arpos.
Auditis ille haec placido ſic reddidit ore:
O fortunatae gentes, Saturnia regna,
Antiqui Auſonii, quae vos fortuna quietos
Sollicitat, ſuadetque ignota laceſſere bella?
255 Quicumque Iliacos ferro violavimus agros,
(Mitto ea, quae muris bellando exhauſta ſub altis,
Quos Simois premat ille viros) infanda per orbem
Supplicia, & ſcelerum poenas expendimus omnes,
Vel Priamo miſeranda manus: ſcit triſte Minervae

Si-

SERVII.

249. MUNERA PRAEFERIMUS. Ut illa ante orationem auxilium impetrent.

250. QUI BELLUM INTULERINT. Quaſi nominatis Trojanis, quos vicerat, pronior futurus eſſet ad ferendum auxilium.

251. PLACIDO SIC REDDIDIT ORE. Ut ſolet, habitum futurae orationis oſtendit.

252. O FORTUNATAE GENTES. Qui habitatis *regna ſaturnia*, id eſt, o viri, ſemper pace gaudentes! nam legimus, *Aurea quae perhibent, illo ſub rege fuerunt Saecula, ſic placida populos in pace regebat*. Et bene hoc laudat, quod eis perſuadere deſiderat.

253. ANTIQUI AUSONII. Quia, qui primi Italiam tenuerunt, *Auſones* dicti ſunt. QUIETOS. Quibus eſt amor pacis a majoribus traditus, propter regnum Saturni.

254. IGNOTA LACESSERE BELLA. Scilicet Trojanorum; non omnia generaliter bella: nam legimus: *Captivi pendent currus, curvaeque ſecures*: aut *ignota*, quae ignoraverint, quaſi non ſuſcepturi, ſi ſciſſent. SUADET autem, *vobis*, ſubaudis: nam *vos*, a ſuperioribus ſubaudiri non poteſt: quia non *te ſuadeo*, dicimus, ſed *tibi*.

255. VIOLAVIMUS. Quaſi ſacros: nam *violare*, de religioſis rebus dicimus. Et ingenti arte agit, ne aut victoriam ſuam ſileat: aut non procedendo contra eos, quos vicit, confiteatur ignaviam, dicens, non eſſe contra eos pugnandum, quos vincere pernicioſiſſimum eſt.

256. MITTO EA. Oratorie; ut etiam ſine illis, quae memoraturus eſt, quae omittit, graviora videantur.

257. QUOS SIMOIS PREMIT ILLE VIROS. Id eſt, toto orbe celebres: & *premit*, quaſi hoſtes. Alibi in primo: *Ubi tot Simois correpta ſub undis Scuta virum, galeaſque, & fortia corpora volvit*. Alii QUOS, pro, quantos accipiunt; ut ſit pronomen pro nomine. ILLE autem, mire exſecratur.

258. SCELERUM POENAS EXPENDIMUS OMNES. Id eſt, luimus omnes poenas, quae ſunt ſtatutae ſceleribus. Alii SCELERIS OMNIS legunt: nam *omnes* non poteſt ad Graecos referri: quia non omnes pertulere ſupplicia. Sed ſi *omnes*, mire; ne putes forte factum: & adjuvandum pronunciatione.

259. VEL PRIAMO MISERANDA MANUS. Etiam Priamo, ut: *Carmina vel caelo poſſunt deducere lunam*. Eſt autem Pacuvii, qui ait: *Si Priamus adeſſet, & ipſe ejus commiſereſceret*: id eſt, ut calamitas eorum, qui vicerunt, gravior crederetur miſerantibus victis. SCIT TRISTE MINERVAE SIDUS. Fabula hoc habet: Propter Caſſandrae ſtuprum Graecis iratam Minervam: vel quod ei victores per ſuperbiam ſacrificare noluerunt: unde eos redeuntes graviſſima tempeſtate fatigatos per diverſa diſperſit. Horatius: *Cum Pallas uſto vertit iram ab Ilio*. Re vera autem conſtat, Graecos tempeſtate laboraſſe aequinoctio vernali, quando manubiae Minervales, id eſt, fulmina, tempeſtates graviſſimas commovent: unde perite dicendo SIDUS, utrumque complexus eſt: nam *ſidus*, & tempeſtatem ſignificat: & re vera *ſidus*. Haec autem numina, quae inter ſidera non videmus, licet ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permixti: ut Ophiuchus ipſe, eſt Aeſculapii: Gemini, Apollinis & Herculis eſſe dicuntur. Sic Minervae, Aries eſſe dignoſcitur.

PIERII.

260 Sidus, & Euboicae cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illa diverſum ad litus adacti,
Atrides Protei Menelaus aduſque columnas
Exſulat, Aetnaeos vidit Cyclopas Ulixes.
Regna Neoptolemi referam, verſoſque penatis

Ido-

SERVII.

260. ULTORQUE CAPHAREUS. Τὸ αὐτὸ eſt, id eſt, cautes Euboicae: nam Euboea, inſula eſt, in qua mons *Caphareus*, circa quem Graeci periere naufragio. *Ultor* autem, ideo dixit: quod Nauplius, Palamedis pater, dolens filium ſuum factione interemptum, ut in ſecundo memoravimus, cum videret Graecos tempeſtate laborare, montem Caphareum aſcendit: & elata facula ſignum dedit vicini portus, qua re decepti Graeci inter aſperrimos ſcopulos naufragium pertulerunt.

262. ATRIDES PROTEI MENELAUS. Agamemnon & Menelaus uno quidem fataliter fuerant ſupplicio deſtinati: namque Atreus & Thyeſtes fratres fuerunt in ſe invicem ſaevi, adeo ut Thyeſtes, cum Aerope, fratris uxore, concumberet: quod dolens Atreus, liberos ei epulandos appoſuit. Sed cum Thyeſtes poſt cognitum facinus requireret ultionem a diis, ei Apollo reſpondit: poſſe alio ſcelere illius facinoris vindicem naſci, ſcilicet ſi cum Pelopeja, filia ſua, concumberet. Quo facto, natus eſt Aegyſthus, fatalis in Atrei geminam ſobolem. Sed Jupiter Menelai fata miſeratus eſt, propter Helenae jugale conſortium: & eum per diverſa errare maluit, quam Aegyſthi manibus interire. Is ergo Menelaus ſic errans ad Aegyptum uſque pervenit, ubi Proteus, deus marinus, regnaverat: cui aliquando rapta a Theſeo Helena dicitur commendata: unde quidam dicunt, quod ad eam petendam Menelaus ad Aegyptum profectus ſit, poſt bella Trojana. Qui nec volunt raptam eſſe a Paride Helenam: ſed aliam cauſſam belli ſuiſſe Trojani; illam ſcilicet, quod Herculem, quaerentem Hylam, ſuſcipere noluerunt. Qui autem volunt eam raptam a Paride, hoc dicunt: quod recepta a Proteo per Theſeum, ad Menelaum tranſitum fecerit, & ſic eam Paris rapuerit. Secundum quod, ut ſupra diximus, Menelaus ad Aegyptum Jovis voluntate pervenit: ſcilicet ne ab Aegyſtho poſſet interimi. Quod autem ait PROTEI COLUMNAS, ratione non vacat: nam *columnas Herculis* legimus & in Ponto & in Hiſpania. Hunc autem Proteum fortiſſimum & invictum conſtat fuiſſe. Novimus autem, quod omnes fortes, Hercules dicebantur: unde videtur hoc adfectaſſe Virgilius, ut, pro finibus, *Protei columnas* diceret, quas habuit Hercules; ut oſtenderet eum etiam Herculem dictum. ADUSQUE COLUMNAS PROTEI. Uſque ad fines Aegypti: hoc eſt, uſque ad Pharon, ante inſulam, nunc partem Alexandriae. Lucanus: *Nunc clauſtrum pelagi cepit Pharon: inſula quondam In medio ſtetit illa mari ſub tempore vatis Proteos; at nunc Pellaeis eſt proxima muris*. PROTEI autem, Latinus eſt genitivus, conſtrictus per Synaereſim. *Aduſque* autem, ſic eſt dictum, ut: *Siculo proſpexit abuſque Pachino:* nam cum praepoſitio praepoſitioni nunquam cohaereat, *abuſque* & *aduſque*, licenter admiſſum eſt.

263. EXULAT. Proprie: nam *exulare* dicuntur, qui extra ſolum eunt. Sane ſciendum, quia, quo tempore Menelaus ivit ad Aegyptum, perdidit Canobum gubernatorem, a quo vicina civitas nomen accepit, quae hodieque mutata litera, Canopus nominatur. VIDIT. Mire addidit, ut: *Quam ſemel informem vaſto vidiſſe ſub antro Scyllam*. CYCLOPAS. Graecae declinationis accuſativus eſt: unde Graecum habebit accentum: nam Latine *Cyclopes* diceret; ſed ſic verſus ſtare non poterat.

264. REGNA NEOPTOLEMI REFERAM; Subaudis, *everſa*, quod ex poſterioribus intelligitur. Pyrrho autem quid contigerit, manifeſtum eſt: nam, ut in tertio legimus, cum vellet ducere Hermionem, Menelai & Helenae filiam, Oreſti ante deſponſatam, ab eo inter aras Apollinis interemptus eſt: unde eſt, *Et ſcelerum furiis agitatus Oreſtes Excipit incautum, patriaſque obtruncat ad aras*. VERSOSQUE PENATES IDOMENEI? *Idomeneus*, rex Cretenſium fuit: qui, cum tempeſtate laboraret, vovit ſe ſacrificaturum Neptuno de re, quae ei primo occurriſſet, ſi reverſus fuiſſet; ſed caſu cum ei filius primus occurriſſet; quem cum, ut alii dicunt, immolaſſet, ut alii, immolare voluiſſet, ob crudelitatem regno a civibus pulſus eſt: unde eſt: *Fama volat pulſum regnis ceſſiſſe paternis Idomenea ducem*. Alii dicunt, quod abſcedens cuidam ſuum commendaverat regnum, qui per ejus abſentiam occupavit imperium, & reverſum pepulit. Ergo *verſos Penates*, aut everſos & funditus dirutos accipiendum: aut certe in aliena jura converſos.

PIERII.

248. POSTQUAM INTROGRESSI, ET CORAM DATA CO-

265 Idomenei? Libycone habitantes litore Locros?
Ipse Mycenaeus magnorum ductor Achivom
Conjugis infandae prima intra limina dextra
Oppetiit: devictam Asiam subsedit adulter.

SERVII.

265. LIBYCOVE HABITANTES LITTORE LOCROS? Ut etiam in tertio diximus, Locri, socii Ajacis Oilei, fuerunt Epizephyrii & Ozoli; sed hi tempestate divisi sunt ab eo; ut Epizephyrii tenerent Brutios, de quibus ait in tertio: *Hic & Naritii posuerunt moenia Locri*. Ozoli vero deferrentur Pentapolim, de quibus nunc queritur, dicens: *Libycove habitantes littore Locros?* Quamvis quidam dicant etiam in ipsis Brutiis *litus Libycum* dici. Alii hos circa Syrtes posuisse sedes: alii in Libya insulas quasdam inhaerentes occupasse, eosque initio Nisamones, postea corrupte Nasamones appellatos: alii, amissa in Syrtibus classe, per mediterrena arietis fortuito ductu iter facientes ad Ammonem pervenisse, & oppidum Aurela inter Nasamones condidisse: alii, Africae insulam tenuisse, quae nunc Cercina dicitur. Et pronuntiandum ut longinquitas doceatur exilii.

268. DEVICTA ASIA SUBSEDIT ADULTER. Quidam *sub*, pro *post* accipiunt; ut sit *post possedit*. Legitur & DEVICTAM ASIAM. Quod si est ita, intelligimus ut sit *subsedit*, dolo possedit. Lucanus: *Subsidere regnum Chalcidos Euboicae magna spe rapte parabas*: unde & *subsessores* dicuntur, qui in insidiis tauros interimunt: & hostium dolos, *subsessor* vocamus; ut sit sensus: Ab Agamemnone devictam Asiam adulter Aegisthus insidiis & factione possedit. Melius tamen est, ut, *devicta Asia*, legamus: secundum quod *subsedit*, erit remansit, ut: *Extremus galeaque ima subsedit Acestes*: ut sit sensus: Asia propter adulterium pertulit bella, quae, remanente adultero, finita esse nihil profuit; ut cum indignatione sit dictum: Dum primum vindicatur adulterium, aliud emersit rursus. Sane Clytaemnestram Orestes filius postea in vindictam patris necavit. Quidam dicunt, Clytaemnestram non manu filii, sed judicum sententia peremptam. Alii hunc Orestem filium Menelai & Helenae tradunt; quidam inventam Iphigeniam abortivam uxorem ei volunt fuisse.

269. PRIMA INTRA LIMINA. In ipso limine imperii, id est, in littore: quia secundum Homerum Clytaemnestra Agamemnoni occurrit ad littus, & illic eum susceptum submisso adultero inter epulas interemit.

Ἀλλά μοι Αἴγισθος τεύξας θάνατόν τε μόρον τε
Ἔκτα σὺν οὐλομένῃ ἀλόχῳ οἶκόνδε καλέσσας
Δειπνίσσας ὥς τίς τε κατέκτανε βοῦν ἐπὶ φάτνῃ.

Quod & Juvenalis tangit, dicens: *Quippe ille deis auctoribus ultor Patris erat caesi media inter pocula*. Alii autem dicunt, Clytaemnestram dolore pellicatus, quod comperisset Cassandram a marito electam, quod in ipso ingressu, id est primadie, qua domus suae limen ingressus est, blande suscepisset, cumque ille diis Penatibus se sacrificare velle dixisset, consilio Aegisthi ab uxore vestem accepit clausu capite & manicis, qua implicatus adulteri manibus interiit.

PIERII.

COPIA FANDI. In Romano codice legere est, *postquam congressi*; sed *introgressi*, quod agnoscitur a peritis, magis placet.

255. FERRO VIOLAVIMUS AGROS. In Romano codice *populavimus* legitur, sed cur *violavimus* sit legendum, non levem Servius rationem affert. *Populavimus* vero forte sumptum ex paraphrasi.

257. QUOS SIMOIS PREMIT ILLE VIROS. Romanus codex, atque etiam Oblongus, & Mediceus, & aliquot alii *premat* legunt, elocutionis modo non invenusto, & ita prius in vulgatis exemplaribus habebatur.

261. MILITIA EX ILLA DIVERSUM AD LITTUS ADACTI. Antiqua omnia, quae versamus exemplaria, *abacti* legunt, ut antiquiores etiam habent impressiones. Ordo enim est: Abacti ex illa militia ad diversum litus.

265. LIBYCOVE HABITANTES LITTORE LOCROS. Veteres omnia, quae legimus exemplaria, *Libycone* legunt, per interrogativam particulam, non per disjunctivam.

268. DEVICTA ASIA SUBSEDIT ADULTER. Ita prorsus est in impressis codicibus, & aliquot veteribus. Longe vero aliter in antiquissimo codice Vaticano, ubi est *devictam Asiam possedit adulter*: sed enim *possedit*, ex paraphrasi contextui est insertum. *Subsidere* enim, ex insidiis occupare significat, vel dolo possidere, ut: *Susidere regnum Chalcidos Euboicae*, apud Lucanum. Praeterea Arusianus Messus inter elocutionum exempla *subsedit* agnoscit; & accusativo casui recte jungi dicit, ut *subsedit illam rem*, locumque hunc Virgilianum citat, *Devictam Asiam subsedit adulter*. Quod vero alio significato, *Devicta Asia subsedit*, Servius magis approbare videtur, hoc est, reliquus fuit in insidiis, non negat idem Arusianus utrumque eleganter dici, & utraq; figura

In-

Invidiſſe Deos, patriis ut redditus oris,
270 Conjugium optatum & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili viſu portenta ſequuntur,
Et ſocii amiſſi petierunt aethera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia!) & ſcopulos lacrimoſis vocibus implent.
275 Haec adeo ex illo mihi jam ſperanda fuerunt
Tempore, cum ferro caeleſtia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.

Nec

SERVII.

269. INVIDISSE DEOS. Stheneli filius, Cometes, Aegialeam, Diomedis uxorem, cognovit adulterio: quo comperto, Diomedes reverti noluit; ſed in Apuliae partibus ſibi condidit ſedes: quod Veneris dolo dicitur eſſe perfectum, quam in bello Trojano vulneraverat: unde ait: *Invidiſſe deos*. Et Ovidius: *Patriis ſed rurſus ab Argis Pellor, & antiquo memores de vulnere poenas Exigit alma Venus*.

270. PULCHRAM CALYDONA VIDEREM. Unam de ſupradictis civitatibus, quibus imperabat.

271. NUNC ETIAM HORRIBILI VISU. Hoc loco nullus dubitat fabulae hujus ordinem a Virgilio eſſe converſum: nam Diomedis ſocios conſtat in aves eſſe converſos poſt ducis ſui interitum, quem extinctum impatienter dolebant. Hae aves hodieque Latina lingua *Diomedeae* vocantur; Graeci ἐρωδιοὺς dicunt. Cujus generis avem auſpicio dixit Homerus Diomedi & Ulyſſi ſpeculatoribus apparuiſſe: *Τοῖσι δὲ δεξιὸν ἧκεν ἐρωδιὸν ἐγγὺς ὁδοῖο Παλλὰς Ἀθηναίη*. Habitant autem in inſula Electride, ſive Febra, quae eſt haud longe a Calabria, in conſpectu Tarentinae civitatis. Quinetiam de his avibus dicitur, quod Graecis navibus laetae occurrant; Romanas, id eſt, Latinas, vehementer fugiant, memores & originis ſuae, & quod Diomedes ab Illyriis interemptus eſt. PORTENTA. Re vera enim *portentum eſt*, homines in aves eſſe converſos.

272. ET SOCII AMISSI. Legunt nonnulli & ADMISSIS PENNIS; ſed melius eſt, AMISSI.

274. LACHRYMOSIS VOCIBUS. Dolentes vel ſuam mutationem, vel regis interitum: namque hoc tangit latenter.

275. SPERANDA. Pro, timenda, ut: *Hunc ego ſi potui tantum ſperare dolorem*.

276. CAELESTIA CORPORA. Martis & Veneris, quae numina vulneravit in bello.

277. VENERIS VIOLAVIT VULNERE DEXTRAM. Artificioſe agit nunc, ſciens ea, quae dicuntur in fine, animis inhaerere, ſuos caſus ultimos memorat. Perite etiam Venerem tantum vulneratam a ſe dicit, Martis ſupprimens nomen: quod ei poterat eſſe glorioſius; ut videatur omnia, quae pertulit, odio Veneris pertuliſſe, contra cujus filium nunc vocatur ad pugnam; ut negans etiam nunc paria videatur formidare. *Dextram* autem, ſecundum Homerum dicit, qui ait, ἐπὶ καρπῷ.

278. TALES IMPELLITE PUGNAS. Quarum eſt periculoſa victoria.

PIERII.

uſum eſſe Virgilium, *Galeaque ima ſubſedit Aceſtes*, hoc eſt, relictus eſt. Ita poſteaquam Agamemnon bellum difficillimum confecerat, *ſubſedit adulter*, qui eum interficeret.

269. PATRIIS UT REDDITUS ORIS. In dictione *oris* antiqua variant exemplaria. In Oblongo enim *oris*: In Romano, in Mediceo, & aliquot aliis *aris*. Nonnulli codices ipſi quoque admodum veteres *Argis* habent: de ſe enim loquitur Diomedes.

272. ET SOCII AMISSI PETIERUNT AETHERA PENNIS. In aliquot antiquis codicibus *admiſſis pennis* legi. Utroque vero modo Servius non negat inveniri. Sed *amiſſi* omnino eſt in probatioribus. *Pinnis* vero in Romano, de more ſuo. In Mediceo *allis* eſt, quod alii viderint.

275. EX ILLO MIHI JAM SPERANDA FUERUNT. In nonnullis codicibus antiquis *ſuperanda* legitur: quod non ita placet. *Speranda* vero, caſtior omnino lectio eſt: & elocutio ipſa figuratior: ut illud, *Sperare dolorem*.

Nec mihi cum Teucris ullum poſt eruta bellum
280 Pergama, nec veterum memini, laetorve malorum.
Munera, quae patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Aenean: ſtetimus tela aſpera contra,
Contulimusque manus: experto credite, quantus
In clypeum adſurgat, quo turbine torqueat haſtam.
285 Si duo praeterea tales Idaea tuliſſet
Terra viros, ultro Inachias veniſſet ad urbes
Dardanus, & verſis lugeret Graecia fatis.
Quidquid apud durae ceſſatum eſt moenia Trojae,
Hectoris Aeneaeque manu victoria Grajum

Hae-

SERVII.

279. NEC MIHI CUM TEUCRIS ULLUM POST ERUTA BELLUM PERGAMA. Ne ei objiciatur illa conjuratio, quam apud Aulidem Graeci inierunt. dicit, in Trojae excidio ſacramentum conjurationis eſſe completum: nam in Trojam, non in Trojanos, conjuraverant Graeci: huc enim ſpectat, quod dicit: nullum ſe cum Trojanis habere bellum poſt dirutam Trojam.

280. NEC VETERUM MEMINI, LAETORVE MALORUM. Nec meminiſſe volo victoriarum mearum, quarum nullus oblivisci conſuevit: nec *laetor Trojanorum malorum*, pro Trojanis malis, quae nobis bellantibus pertulerunt: nihil poteſt de ſuis malis dicere, cum & mala ſua nullus obliviſcatur: & ea ipſe paulo ante memorarit. LAETOR autem MALORUM, figura Graeca eſt, ſicut Horatius: *Agreſtium regnavit populorum*, pro, agreſtibus populis.

281. MUNERA QUAE PATRIIS AD ME PORTASTIS AB ORIS. Hinc jam ſuaſio eſt & conſilium: nam finita eſt auxiliorum negatio; unde & paulo poſt Venulus ita dividit, dicens: *Et reſponſa ſimul quae ſint, rex optime, regis Audiſti, & quae ſit magno ſententia bello*, ſcilicet, audiſti, & quod negaverit auxilia, & quod nobis dederit de pace conſilium.

282. STETIMUS TELA ASPERA CONTRA, CONTULIMUSQUE MANUS. Id eſt, & cominus, & e longinquo, inter nos bella tractavimus.

284. QUANTUS AD CLYPEUM ASSURGAT. Aut *quantus*, eſt quotiens in hoſtem pergens erigit ſcutum: aut pugnandi exſecutus eſt genus: qui enim ſcripſerunt de Arte militari, dicunt, *ſummum genus eſſe dimicandi, quotiens calcato umbone adverſarii, ſe in hoſtilem clypeum erigit miles, & ita contra ſtantis vulnerat terga*. Vel, quantus adſurgat, vel quanto ſit major.

285. SI DUO PRAETEREA. Hoc eſt, alios duos.

287. DARDANIUS. Pro, Dardanius populus: & poſuit principale pro derivativo: ſic Homerus: Τῶν δ' ἐκτὸς Δάρδανος ἀνήρ. LUGERET. Morem lugendi quidam dicunt Aegyptios inveniſſe: eos enim primos Liberum, quem Oſyrim appellant, a fratre Typhone per inſidias interemptum, atra veſte luxiſſe: inde caeteris gentibus traditum, ut poſt interitum proximorum ſuorum veſte mutata lugerent; ita tamen, ut intra annum finiretur luctus.

288. CESSATUM EST. Tardatum eſt: & mire, quia non habet quos imputet Trojanis triumphos, vult eis excidii tarditatem pro victoria cedere.

PIERII.

279. POST ERUTA BELLUM PERGAMA. In Romano codice, & aliquot aliis *diruta*; ſed *eruta* non diſplicet.

281. MUNERA QUAE PATRIIS AD ME PORTASTIS AB ORIS. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis, quod delicatius ſonat, *portatis*, praeſenti tempore ſcriptum eſt.

285. SI DUO PRAETEREA TALES. C. Julius Romanus in libello de Analogia, rectam ponit declinationem, *hos duo*. Attius in Epinauſimache: *Martes armis duo congreſſos crederes*. Terentius in Adelphis: *Tu illos duo pro re tollebas tua*. Ubi Hellenius Acron, *pro, duos*, ait: amat enim Hellenius, *ambos, duos*, dici per *s*.

289. VICTORIA GRAJUM HAESIT, ET IN DECIMUM VESTIGIA RETTULIT ANNUM. In Oblongo codice *victoria tantum* legere eſt, pro *Grajum:* quam lectionem nuſquam alibi reperi. Praeterea vetuſti quidam codices *in decumum*. Cujuſmodi rationem ſcripturae non in Plautinis tantum codicibus inveni, verum etiam, ut alibi adnotavimus, in Ciceronianis,

290 Haesit, & in decumum vestigia rettulit annum.
Ambo animis, ambo insignes praestantibus armis:
Hic pietate prior. Coëant in foedera dextrae,
Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quae sint, rex optime, regis
295 Audisti, & quae sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit
Ausonidum turbata fremor: ceu saxa morantur
Cum rapidos amnis, fit clauso gurgite murmur,
Vicinaeque fremunt ripae crepitantibus undis.
300 Ut primum placati animi, & trepida ora quierunt;
Praefatus Divos solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,

SERVII.

290. HAESIT. Tardata est. VESTIGIA RETTULIT. Retro acta est, & repulsa, ut: *Retro sublapsa referri*.

291. HIC PIETATE PRIOR. Id in Aenea plus laudat, quod Latinis, sicut suadet, pacem petituris est utile; ut eum se credant posse facilius exorare. PRIOR autem, praestantior, melior.

293. QUA DATUR. Qua potest, quacumque ratione permittitur. Sic supra: *Si qua fata sinant*.

297. PER ORA TURBATA. Pro, ora turbatorum.

298. CLAUSO GURGITE. Saxorum objectione praecluso.

299. FREMUNT RIPAE. Antiqui aquae sonitus, *fremitus* dicebant. Ennius: *Ratibusque fremebat Imber Neptuni*.

301. PRAEFATUS DIVOS. More antiquo: nam majores nullam orationem nisi invocatis numinibus inchoabant: sicut sunt omnes orationes Catonis & Gracchi: nam generale caput in omnibus legimus: unde Cicero per irrisionem ait: *Si quis ex vetere aliqua oratione, Jovem ego optimum maximum*, Et Demosthenes in oratione contra Aeschinem: *Πρῶτον μὲν, ὦ ἄνδρες Ἀθηναῖοι, τοῖς θεοῖς εὔχομαι πᾶσι καὶ πάσαις*.

302. ANTE EQUIDEM SUMMA DE RE STATUISSE LATINI. Latenter arguit Turnum, quod sibi non obtemperaverit, ut foedus fieret, in septimo scilicet, ubi ait: *Te, Turne, nefas, te triste manebit Supplicium*: nam modo hoc tempus revolvit. VELLEM STATUISSE. Olim est, quod volui his malis terminum dare. *Vellem* autem *statuisse* sic dixit, ut *vellem fecisse*: & est compendiosa elocutio, cum querimur non esse factum, quod fieri debuit.

PIERII.

decumum, *maritumum*. In monumentis autem veterum plerumque, ut illud:

D . M
QVARTIONIS. DECVMI. AVG. LIB.
EVPHEMIANI. A. MANV. FIDELIS
CONLIBERTVS. FRATRI
B . M

294. ET RESPONSA SIMUL QUAE SINT REX OPTIME REGUM AUDISTI? In Romano codice, in Mediceo, & quibusdam aliis antiquis, non *regum*, sed *regis* legitur, unitatis numero, ut sit ordo: O Rex optime, audisti quae sint responsa Regis Diomedis, & quae sit ejus sententia? Adulatio enim illa, *optume regum*, quae inferius in Drance quadrat, nunc importuna videretur.

298. CLAUSO FIT GURGITE MURMUR. In codicibus aliquot antiquis legere est transposito verbo, *fit clauso*. In aliquot aliis, *it clauso gurgite murmur*. Ut etiam verbo respondeat comparatio, *currit tremor*: ita enim *it murmur*; sed & *fit murmur*, ut *fit gemitus*: non est praeter usum.

300. ET TREPIDA ORA QUIERUNT. Non placet, quod in codicibus aliquot antiquis *rabida* legitur, quod in sexto recte est.

Et

Et vellem; & fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros adſidet hoſtis.
305 Bellum inportunum, cives, cum gente Deorum,
Invictiſque viris, gerimus; quos nulla fatigant
Proelia, nec victi poſſunt abſiſtere ferro.
Spem, ſi quam adſcitis Aetolum habuiſtis in armis,
Ponite; ſpes ſibi quiſque. Sed haec,quam anguſta,videtis.
310 Cetera qua rerum jaceant perculſa ruina,
Ante oculos interque manus ſunt omnia veſtras.
Nec quemquam incuſo. Potuit quae plurima virtus

Eſ-

SERVII.

303. NON TEMPORE TALI. Adjuvandum pronuntiatione, id eſt, poſt tanta, quae pertulimus, mala: & opportune deliberandi quidem de hac re exiſtimat intervallum eſſe, hoſtili exercitu imminente: & per hoc magis ſuadet, dum tam infeſtos probat, ut ſibi nec pacem petere permittatur.

305. BELLUM IMPORTUNUM. Concepit gravem iracundiam, & ſic in haec verba prorupit. IMPORTUNUM autem eſt, ubi nullum refugium eſt, quod caret portu, id eſt, quiete, ubi nullus eſt portus: ſicut contra *opportunum*, cui commoditas & occaſio obvenit, ut portus. Nam hoc quodammodo dicit: in naufragium fertur iſta contentio: quia ſupra audierat, periculum eſſe etiam ſuperare Trojanos: & enarrat, cur *importunum*, dicens, *Cum gente deorum*, *Invictiſque viris gerimus*. CIVES. Ἐχφώνησις. CUM GENTE DEORUM. Qui a diis originem ducunt.

306. INVICTIS. Atqui ſupra legimus: *Bis capti Phryges*. Sed *invictis*, ideo dicit: quia ſequitur: *Nec victi poſſunt abſiſtere ferro*. Et, ſicut ſupradictum eſt, latenter occurrit illi: forſitan vincemus; ergo hic ſi vincamus proficiemus. POSSUNT autem ABSISTERE, mire ait, ac ſi diceret: Etiam ſi velint, eos a bellis diſcedere natura non patitur. Ennius: *Qui vincit non eſt victor, niſi victus fatetur*. Varro & caeteri *invictos* dicunt Trojanos, quia per inſidias oppreſſi ſunt: illos enim *vinci* adfirmant, qui ſe dedunt hoſtibus.

308. ACCITIS. Evocatis, adjunctis. Ergo & gradatim accedit ad deſperationem, quae cogit pacem eſſe poſcendam. AETOLUM IN ARMIS. A patria uſque Diomedis mentionem intulit.

309. PONITE. Deponite. SPES SIBI QUISQUE. Subaudis, ſit: ſcilicet unuſquiſque in ſe ipſo tantum ſpem habeat. Et late patet iſta ſententia; vel quod alienis egere auxiliis non oporteat; vel quod meminiſſe ſinguli ſpei ſuae debeant; ut ea ſperent tantum, quibus poſſunt potiri. SED HAEC QUAM ANGUSTA VIDETIS. Id eſt, ut unuſquiſque in ſe tantum ſpem habeat, quam ſit anguſtum, videtis. CAETERA. Abſolute dixit, id eſt, exercitum, vires, auxilia imperii: quae ſi videatis afflicta, quid reſtat, niſi ut pacem petamus?

311. ANTE OCULOS, INTERQUE MANUS SUNT OMNIA VESTRAS. Ac ſi diceret, non egent narratione. *Inter manus* autem, quod Graeci πρόχειρος.

312. NEC QUEMQUAM INCUSO. Excuſatio haec oſtendit obliquam eſſe in Turnum orationem Latini.

PIERII.

304. COGERE CONCILIUM CUM MUROS OBSIDET HOSTIS. In Romano codice *adſidet* legitur. In Mediceo *aſſidet*, ut proximius imminere periculum oſtendat: plerumque enim ſine periculo obſidemur. Et in veteri exemplari, quo Donati Commentaria continentur, *adſidet* habetur. Eſt etiam in aliquot codicibus *conſilium*. Sed Grammatici hic *concilium* malunt.

307. NEC VICTI POSSUNT ABSISTERE FERRO. In Oblongo cod. *decedere ferro* legitur: quam lectionem ſi admittas,dicendum erit,aut *victi ferro*, aut *decedere ferro:* quippe ſibi temperare, ne arma reſumerent, quibus ſe victos negarent. Sed enim *abſiſtere* haud quaquam diſplicet.

308. SPEM SIQUAM ACCITIS. In Romano codice *adſcitis:* quod parvi refert.

310. CAETERA QUA RERUM JACEANT PERCULSA RUINA. In quodam antiquo codice *quae jaceant* legitur. Sed magis placet *qua ruina:* ut digito velut intento ruinam indicans, magis moveat. Sunt etiam vetuſti codices, qui *percuſſa* legant; ſed *perculſa* omnino melius: quia ut nonnulli volunt, conſternationem etiam animorum continet.

Esse, fuit. Toto certatum est corpore regni.
Nunc adeo, quae sit dubiae sententia menti,
315 Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
Est antiquus ager, Tusco mihi proximus amni,
Longus in occasum, finis super usque Sicanos,
Aurunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent collis, atque horum asperrima pascunt.
320 Haec omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiae Teucrorum: & foederis aequas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, & moenia condant.
Sin alios finis, aliamque capessere gentem

Est

SERVII.

313. FUIT. Exhausta & consumpta est. TOTO CERTATUM EST CORPORE REGNI. Id est, imperii omnibus viribus bellavimus.

314. DUBIAE MENTI. Meae, scilicet cogitanti.

315. PAUCIS ANIMOS ADHIBETE DOCEBO. Aut, paucis docebo; aut, animos paucis adhibete.

316. EST ANTIQUUS AGER TUSCO MIHI PROXIMUS AMNI. Hoc loco Donatus erravit, dicens, agrum, quem Latinus donare se disponit, esse in Campania, juxta Ufentem fluvium (quod etiam Clanarius ait) cujus terras vicinas Tusci aliquando tenuerunt: ut inde dictum sit: *Tusco mihi proximus amni*. Agit etiam hoc argumento, quod illic est locus, qui hodieque Pinetum vocatur. Sed constat, loca illa omnia esse campestria: nec procedit, quod dicitur, *Celsi plaga pinea montis*: unde sequenda est potius Livii, Sisennae, & Catonis auctoritas: nempe omnes antiquae historiae scriptores in hoc consentiunt. Cato enim in Originibus dicit, Trojanos a Latino accepisse agrum, qui est inter Laureotum & castra Trojana. Hic etiam modum agri commemorat, & dicit, eum habuisse jugera DCC. Sane *antiquus*, potest & nobilis accipi vel secundum Trebatium, qui de Religionibus libro septimo ait: *Luci, qui sunt in agris, qui concilio capti sunt, hos lucos eadem ceremonia moreque conquiri haberique oportet, ut ceteros lucos, qui in antiquo agro sunt*. *Antiquum agrum* Romanum cogit intelligi. TUSCO MIHI PROXIMUS AMNI. Tyberino.

317. LONGUS IN OCCASUM. In ea parte, qua in occidentem longior tenditur; potuit ergo usque ad Laurentum & ad Hostiam tendi. FINES SUPER USQUE SICANOS. Usque ad *fines Sicanos*, quos Siculi aliquando tenuerunt, id est, usque ad ea loca, in quibus nunc Roma est: haec enim Siculi habitaverunt: unde est: *Et gentes venere Sicanae*. Illi autem a Liguribus pulsi sunt; Ligures a Sacranis; Sacrani ab Aboriginibus.

318. AURUNCI RUTULIQUE SERUNT. Subaudis a superioribus, *mihi*: nam & supra ait: *Est mihi antiquus ager*. Ergo suum agrum pollicetur: aut quem tanquam stipendiarium habebant Rutuli & Aurunci: aut ad quem colendum quasi regi operas dabant: unde superfluum est, quod ait Donatus, non potuisse fieri, ut praesente Turno ager Rutulorum a Latino donaretur Aeneae.

319. DUROS EXERCENT COLLES. Extenuat agri meritum, quo vile videatur esse quod dunat; vel ne grave videatur his, quibus auferendus est. Hinc etiam est: *Atque horum asperrima pascunt*. Et supra: *Aurunci Rutulique serunt*: id est, nec operis suis excolitur. ASPERRIMA autem PASCUNT, quidam pro, asperrimas partes, vel asperrima pascunt loca, accipi volunt.

321. CEDAT AMICITIAE. Id est, in pretium concedat amicitiarum. Et bono verbo usus est *amicitiae*, non pro hostibus, hoc est, ne quasi victas demus.

322. AEQUAS DICAMUS LEGES. Ut pari inter nos societate versemur, id est, ut sit neuter inferior, SOCIOSQUE IN REGNA VOCEMUS. Non stipendiarios, ut in quarto: *Cuique lassi leges dedimus*.

325 Est animus, possuntque solo decedere nostro:
Bis denas Italo texamus robore navis,
Seu pluris complere valent: jacet omnis ad undam
Materies: ipsi numerumque modumque carinis
Praecipiant: nos aera, manus, navalia demus.
330 Praeterea, qui dicta ferant, & foedera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, pacisque manu praetendere ramos;
Munera portantis aurique, eborisque talenta,
Et sellam, regni, trabeamque, insignia nostri.

Con-

SERVII.

325. POSSUNTQUE SOLO DISCEDERE NOSTRO. Scit eos fataliter ad Italiam venisse: nam audiit & a Fauno: *Externi venient generi:* & ab Ilioneo: *Sed nos fata Deum vestras exquirere terras, Imperiisque egere suis*. Tamen propter Turnum simulat ignorantiam, ut se etiam circa eum aequum praestare videatur. Multum est autem, quod ait, *possunt*.

326. BIS DENAS ITALO TEXAMUS ROBORE NAVES. Quaeritur, unde scierit Latinus, viginti naves habuisse Aeneam; sed ita absolvitur: potuit speculatione, potuit rumore cognoscere; postremo extenuatione dixit, quae amplius solet complecti: quia de viginti navibus unam periisse cum Oronte, IIII. in Sicilia concrematas. TEXAMUS. Quidam *texamus*, proprie dictum tradunt: quia loca, in quibus naves fiunt, Graece νεωσοίκια; Latine *textrina*, dicuntur. Ennius dicit: *Idem campus habet textrinum navibus longis: navalia* enim, non esse νεωσοίκια, sed νεώρια.

327. COMPLERE VALENT. Proprie verbum nauticum: nam Graece πλήρωμα dicitur. JACET OMNIS AD UNDAM MATERIES. Hic *omnis*, pro ea, quae sufficit. Iterum extenuat, ut sine magno negotio fieri videatur. Est autem *materies*, & *materia*, lignum: unde Cicero in Off. *Domus male materiatae*. ET MATERIES. Antique dictum: nam *materiam* dici debere multi adserunt.

328. NUMERUMQUE MODUMQUE. Eleganter quot & quantae magnitudinis sint.

329. MANUS. Artifices. NAVALIA DEMUS. Hoc loco ipsae res navales sunt, id est, pix, cera, funes, vela, & alia hujusmodi. *Navalia*, dicimus loca, ubi naves sunt; sed modo de Graeco transtulit. Et *navalia* posuit pro trabibus, de quibus naves fiunt: nam Homerus νήιον dicit *navale lignum*.

331. PRIMA DE GENTE. Et ex numero, & ex nobilitate legatorum, intelligitur negotii magnitudo

333. AURIQUE EBORISQUE TALENTA. Ad aurum refertur, an & ad ebur? quia & ebur ad pondus venditur.

334. ET SELLAM REGNI, TRABEAMQUE INSIGNIA NOSTRI. Bene *nostri*: Romanorum enim imperatorum insigne fuit *sella curulis*, & *trabea*: nam diadema, ut aliarum gentium reges, non habebant. Et sciendum, *sellam curulem* a curru dictam, quod hi tantum ea utebantur, qui triumphali curru invecti fuissent: sicut etiam palmata dicitur toga, quam merebantur hi, qui reportassent de hostibus palmam. Cumque a *curru* dicta sit, cujus prima syllaba producitur; tamen *curulis sedes*, primam corripit. Lucanus: *Vacuaeque loco sedere curules*.

PIERII.

330. CENTUM ORATORES PRIMA DE GENTE LATINOS IRE PLACET. In plerisque codicibus antiquis, *prima de gente Latini* legitur, sed, *oratores Latinos*, castior lectio.

333. MUNERA PORTANTES EBORISQUE AURIQUE TALENTA. In antiquis codicibus, legere est *aurique eborisque:* nempe ut respondeat eorum ordini, quae statim subjiciuntur *talenta*, & *sellam:* ut sit, *auri talenta*, & *eboris sellam*. Tametsi Servius *aurum*, *ebur*, & *sellam* distincta internoscit munera. Mihi vero Virgilius ad ea dona respicere videtur, quae Romani Regibus mittere consuerunt: Sellam eburneam, pateras aureas, tunicas, chlamydes, pallas pictas, & alia vestimenta purpurea: ut ad Syphacem, togam, & tunicam purpuream, sellam eburneam, & pateram ex quinque auri pondo factam, olim missa; Ptolemaeo Regi, togam, tunicam purpuream, cum sella eburnea; Cleopatrae Reginae pallam pictam cum amiculo purpureo portata, quae darentur. Quare lectionem ita punctis distitam esse placet, ut *Munera portantes aurique eborisque:* uno

le-

335 Consulite in medium, & rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitus non futilis auctor,
340 Seditione potens (genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras:
Rem nulli obscuram, nostrae nec vocis egentem,
Consulis, o bone rex. Cuncti se scire fatentur,

Quid

SERVII.

335. In medium. In commune; ut: *In medium quaerebant ipsaque tellus*.

336. Tum Drances idem. Videlicet qui supra apud Aeneam egerat.

337. Obliqua invidia. Hoc est, qui non ex aperto impugnabat Turnum; sed eum reipublicae simulata defensione lacerabat.

338. Largus opum. Abundans opibus, dives; non, qui multa donaret. Lingua melior. Ut *laetissimus umbra*. Sallustius: *Frugum pabulique laetus ager*,

339. Non futilis auctor. Non inanis: nam *futile*, vas quoddam est lato ore, fundo angusto, quo utebantur in sacris Vestae: quia aqua ad sacra Vestae hausta in terra non ponitur: quod si fiat, piaculum est: unde excogitatum vas est, quod stare non posset; sed positum statim effunderetur: unde & homo, commissa non retinens, *futilis* dicitur; contra, *non futilis*, bonus in consiliis, non inanis.

340. Seditione potens. Praepotens in movenda; non in comprimenda seditione. Superbum. Pro, nobile.

341. Incertum de parte ferebat. Non ignobilem; sed penitus ignoratum significat. Alii *incertum*, aut ipsum patrem, aut genus tradunt: & bene segni homini paternam non dedit nobilitatem.

342. Surgit. Hic reddidit sensum: *Tum Drances surgit*. Onerat dictis. Hoc sermone ostendit, Turnum etiam ex oratione gravatum Latini. Iras. Turni, an omnium, qui bellum detestabantur?

343. Rem nulli obscuram. Callide & oratorie agit: & in omnibus adulatorie respondet dictis Latini: supra enim ille dixerat, *Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras*. Sane quasi praedictum oratorem exprimit: quia supra de eo dixit, *Et lingua melior*. Et *Rem consulis*, pro, de re consulis. Plautus: *Consulere quiddam est, quod tecum volo*. Sed Drances, sicut dictum est, rhetorice suadet de pace: nam & pacem faciendam hortatur, & accusationem in Turnum dirigit; & quae a Latino indubitanter universa dicta sunt, quae pacem fieri suadeant, Drances ad eadem omnia respondens, addit etiam de filia danda Aeneae, quod Latinus ante reticuerat: *Quin natam egregio genero*: quasi non aliter firma erit pax, quam fieri vis: quia sciebat hoc Turnum graviter esse laturum, in invidiam personam ejus adducens, *Dicam equidem, licet arma mihi, mortemque minetur*, & ne mirum esset, qui sic libere responderet, ante ejus & mores & causam praedixit, *Lingua melior, seditione potens: idem infensus, quem gloria, &c.* Duae tamen hic faciendae pacis praecipue causae sunt, quod victi sunt, & Turnus singulari certamine congredi debeat. Vocis egentem. Genitivo junxit, ut: *cum classis egeret*.

344. O bone rex. Bene addidit *bone*, & auxit epitheto dignitatem. *Rex* enim medium est: nam & bonus esse & pessimus potest. Alii *bone rex*, exprobratione accipiunt, ut quidam volunt sevum bonum dici.

PIERII.

legantur membro: inde quid ex auro, quidque ex ebore constaret, subjiciatur, *talenta*, & *sellam*. Quamvis etiam nihil offendat, si legatur *eborisque aurique talenta*, & *sellam*. Cujusmodi χιασμοὺς & Hermogenes apud Demosthenem, & alii apud Homerum & Theocritum, inter elocutionis ornatus observarunt, id ita figurantes: Eboris Auri.
Talenta Sellam.

339. Non futilis auctor. Antiqui aliquot codices *actor*, quod non placet.

340. Incertum de patre ferebat. In Romano codice *ferebant*, numero multitudinis legitur, ut id ad famam referatur; sed Donatus *ferebat*, singulare agnoscit.

345 Quid Fortuna ferat populi; sed dicere mussant.
Det libertatem fandi, flatusque remittat,
Cujus ob auspicium infaustum moresque sinistros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
350 Consedisse urbem luctu: dum Troïa tentat
Castra, fugae fidens, & caelum territat armis.
Unum etiam donis istis, quae plurima mitti
Dardanidis dicique jubes, unum, optime regum,
Adjicias; nec te ullius violentia vincat,
355 Quin natam egregio genero dignisque hymenaeis

SERVII.

345. MUSSANT. Modo, verentur vel timent, significat; alias dubitant, ut: *Mussat rex ipse Latinus, Quos generos vocet*. Iuterdum susurraut, ut de apibus dicit. Et proprie *obmussare*, est obmurmurare & queribundum, velut muto esse vicinum: alias, tacent; alias, quiescunt.

346. FLATUSQUE REMITTAT. Aut ponat superbiam: aut, *nostros flatus remittat*, id est, nobis respirare concedat. *Remittat* autem, nunc pro laxet, ut *remissis artubus*, pro, laxatis.

347. CUJUS OB AUSPICIUM INFAUSTUM. Invidiose Turni auspiciis imputat, quod tantus perierit exercitus: ac si diceret: Si malis & infaustis tuis ominibus non egrederentur, possent forsitan superare virtute. Sane sciendum, hunc Drancem exprimere quidquid verecunde celaverat Latinus. MORESQUE SINISTROS. Contrarios: quia in principio, Latino obtemperare noluit.

348. LICET ARMA MIHI. *Licet*, est parenthesis.

349. LUMINA DUCUM. Id est, proceres, ut: *O lux Dardaniae*.

350. CONSEDISSE URBEM LUCTU. In luctum esse demersam. TENTAT. Mire *tentat*, non pugnat.

351. FUGAE FIDENS. Illud respicit, quod bella deseruit, Junone faciente: vel quia ejus exercitus fugit: *fugae* autem, figurate dixit, pro *fuga fidens*. CAELUM TERRITAT ARMIS. Dictum quidem Virgilii gravitati non convenit; sed perite Dranci haec data sunt verba, qui tumida uti oratione inducitur: unde ei paulo post Turnus dicit: *Quae tuto tibi magna volant*. Item: *Proinde tona eloquio*. Item: *Ventosa in lingua*. Deinde diximus, Drancem librare se ad orationem Latini: unde nunc dicit: *Et caelum territat armis*: aut quasi vanus, & cum ventis movetur: quia audierat: *Bellum importunum cives cum gente deorum*, id est, contra eos pugnat, qui favore deorum nituntur.

352. ETIAM. Hoc loco *etiam*, pro adhuc, ut Terentius: *Hunc ego nunquam videram etiam*: & mox: *Unum etiam vos oro, ut me in vestrum recipiatis gregem*. MITTI DARDANIDIS, DICIQUE. *Mitti*, scilicet aurum, ebur, sellam, & caetera; *dici* de navibus vel agro. Et bene *Dardanidis*, quasi cognatis, & ab origine generis propinquis.

354. ADJICIAS. Pro, adjice. Terentius: *Abeas si sapis*. Quia indecens erat, imperatione ad regem loqui. Et bene hic, quod honeste Latinus reticuerat, dicit, Laviniam quoque ei offerendam.

355. EGREGIO GENERO, DIGNISQUE HYMENAEIS. Ergo Turnus videtur indignus.

PIERII.

351. FUGAE FIDENS. Quamvis Servius *fugae* figurate pro *fuga* dictum asserat; in Romano tamen codice *fuga* est; at *fugae* in antiquissimis est Donati Commentariis. Fido enim Dativum casum minime respuit, teste Prisciano, hoc eodem citato versu: quod verbum tamen ablativo etiam jungi probat.

352. QUAE PLURIMA MITTI DARDANIDIS DUCIQUE JUBES. Romanus codex, Mediceus & alter pervetus in Vaticana Bibliotheca, & aliquot alii, *dici* legunt. Idque Servius admisisse mihi videtur, dum ait: *Mitti aurum, ebur, & sellam; dici, de navibus, vel agro, quod scilicet consilium sit initum, & quod optio ad Aeneam pertineat*. Idem est in veteri Donati Commentario.

Des

Des pater, & pacem hanc aeterno foedere jungas.
Quod ſi tantus habet mentis & pectora terror;
Ipſum obteſtemur, veniamque oremus ab ipſo:
Cedat, jus proprium regi, patriaeque remittat.
360 Quid miſeros toties in aperta pericula civis
Projicis, o Latio caput horum & cauſſa malorum?
Nulla ſalus bello: pacem te poſcimus omnes,
Turne; ſimul pacis ſolum inviolabile pignus.
Primus ego (inviſum quem tu tibi fingis, & eſſe
365 Nil moror) en ſupplex venio. Miſerere tuorum;
Pone animos, & pulſus abi. Sat funera fuſi
Vidimus, ingentis & deſolavimus agros.
At, ſi fama movet, ſi tantum pectore robur
Concipis, & ſi adeo dotalis regia cordi eſt;

Au-

SERVII.

356. AETERNO FOEDERE JUNGAS. Natae ſcilicet conjunctione: nam munera & contemni poterant; generis vero conjunctione in aeternum pacis foedera firmabantur. Hoc autem dicto latenter etiam Latini pudorem exonerat, qui Turno etiam ſuam promiſerat filiam, dicens cauſam reipublicae praeponderare debere, & propter pacem civium Turno Aeneam eſſe praeferendum.

357. TERROR. *Terror*, eſt proprie qui aliis infertur: ut ſi dicas: *ille mihi habet terrorem*, id eſt, timendus eſt; unde & *terribilis* dicitur. *Metus* autem eſt, quem habent timentes. Sed nunc uſurpative *terrorem* pro *metu* poſuit: nam hoc dicit: Quod ſi tantum Turnum timemus. Aliene loqui voluit: quod turpe eſſet audienti Latino dicere, ut Turnum timeat.

358. IPSUM. Invidioſe repetitum pronomen. VENIAMQUE OREMUS AB IPSO, CEDAT. Aſper hic diſtinguit: id eſt, hanc veniam oremus, ut cedat: aut ſi conjuncte legeris, *Cedat jus proprium regi*, nova erit elocutio, accuſativo junctum *cedat*: & *cedat jus proprium*, id eſt, quod proprium regum eſt, aut cedat Aeneae. Quod autem hic dixit *cedat*, mox ait, *Pone animos & pulſus abi*.

360. QUID MISEROS TOTIENS IN APERTA PERICULA CIVES PROJICIS. Quaſi viles & abiiciendos: & ingenti pondere univerſa verba ſunt poſita.

361. LATIO. Non uni civitati. CAPUT. Principium: & eſt antiquum: quia quivis auctor, & princeps rei geſtae, *caput* a veteribus dicebatur. Terentius: *Nam ſi hic mali eſt quidquam, illic huic rei eſt caput*. Plautus in Aſinaria: *Ego caput huic fui argento inveniendo*.

362. NULLA SALUS BELLO. Plus eſt, quam ſi *ſpes* diceret. *Bello* autem, per bellum. PACEM TE POSCIMUS OMNES. *Te poſcimus*, qui ſolus es cauſſa bellorum: nam Aeneas jam pacem promiſit. *Omnes*, invidioſe, ut & Latinus hoc poſcere videatur.

363. SOLUM INVIOLABILE PIGNUS. Id eſt, Laviniam. Et hoc eſt, quod ait ſupra: *Pacem hanc aeterno foedere firmes*.

364. INVISUM QUEM TU TIBI FINGIS. Id eſt, inimicum: & bene, *quem tu tibi fingis*, ne ei tanquam inimico minime credatur: & hoc dicit: Non ſum quidem inimicus; ſed, ſi velis eſſe, non recuſo: nam hoc eſt, *& eſſe nihil moror*.

367. FUSI. Fugati. DESOLAVIMUS AGROS. Vel dum occiduntur agricultores: vel dum coguntur ad militiam: nam legimus: *Et latos vaſtant cultoribus agros*.

369. DOTALIS REGIA CORDI EST. Hoc eſt, regnum Latini. Sic alibi: *Non haec dotalis regia Amatae*.

PIERII.

356. ET PACEM HANC AETERNO FOEDERE JUNGAS. Romanus codex, & aliquot alii legunt *firmes*. Juncta enim ſemel fuerat, ſed non firma fuit: huic igitur errori conſulit occurrendum, quanquam id etiam huic ſententiae ſatisfacit, quod dictum eſt, *Aeterno foedere*.

370 Aude, atque adversum fidens fer pectus in hostem.
Scilicet, ut Turno contingat regia conjunx,
Nos, animae viles, inhumata infletaque turba,
Sternamur campis. Et jam tu, si qua tibi vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
375 Qui vocat.
Talibus exarsit dictis violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque has imo pectore voces:
Larga quidem, Drance, semper tibi copia fandi;
Tum, cum bella manus poscunt, patribusque vocatis
380 Primus ades: sed non replenda est curia verbis,

Quae

SERVII.

371. SCILICET UT TURNO CONTINGAT REGIA CONJUX. Haec cum quadam inrisione dicuntur. Et ostendit hoc nec utile, nec honestum esse.

372. INHUMATA INFLETAQUE TURBA. Atqui sepulti sunt omnes, qui in bello perierant, ut legimus supra; sed hoc factum est Aeneae beneficio, qui sepulturae eorum reddidit socios. Ergo, quantum ad Turnum pertinet, insepulti sunt: nam campos sua potestate retinebat Aeneas.

373. ETIAM TU. Eja: nam est hortantis adverbium hoc loco, Terentius: *Etiam responde*; alias *adhuc* significat, & est temporis adverbium, ut: *Etiam currus, etiam arma tenentes*. Alibi pro conjunctione, ut: *Vos etiam gemini* &c. Ponitur pro nondum, Afranius: *Etiam quidquam egisti*. Apud majores *etiam* cousentientis fuerat; quod tamen in his recentibus idoneis auctoribus non invenitur. Nonnulli *etiam tu*, pro, quin tu, tradunt. VIS. Virtus.

374. SI PATRII QUID MARTIS HABES. Id est, si quid bellicae virtutis habes: neque enim a Marte oriundus est: nam *patrii*, & a patre, & a patria potest dici.

377. IMO PECTORE VOCES. Ut qui diu tacuerit, dum audit inimicum. Dicendo autem *imo pectore voces*, more suo habitum futurae orationis ostendit.

378. LARGA QUIDEM SEMPER DRANCE TIBI COPIA FANDI, TUM CUM BELLA MANUS POSCUNT. Multa sunt sua vi optima, quae, quoniam per se non possunt vituperari, ab accidentibus vituperantur, ut hoc loco: quoniam eloquentia per se est optima, eam culpat ex tempore, dicens: Tunc incumbis eloquentiae, cum manus bella deposcunt. Et ostendere vult, omnem illam orationem Drancis non consilio, sed timiditate prolatam. Sane rhetorice responsurus Turnus, bene coepit a Drance: ante enim se defendit, tunc de bello sententiam dicit. Et primum hoc dicit: quod eloquens & infirmus sententias de bello audeat ferre, dicendo: *Larga quidem semper Drance tibi copia fandi*, & *Dum distinet hostem*, &c. Inde pro se agit, per enumerationem ostendens, id falsum esse, quod dicatur victus, *Iliaco tumidum qui sanguine Tybrim*, &c. Sed objicitur: in futurum spes nulla est; exsecratur omen, *Capiti cane talia demens Dardanio:* & ex adversariorum persona rem adtenuat, dicendo: *Extollere vires Gentis bis victae*. Etiam ille ad rem respondit, quam dixerat Drances, vim se timere: *Vel cum se pavidum contra mea jurgia fingit*, & , *Nunquam animam talem*, &c. Dilata autem de singulari certamine quaestione, quasi aliam orationem inchoat: *Nunc ad te & tua magne pater consulta revertor*. Sed haec in sequentibus singulatim tractanda sunt.

379. PATRIBUSQUE VOCATIS, PRIMUS ADES. Bella penitus ignorans atque formidans, primus es inter senes ad danda consilia.

380. REPLENDA EST CURIA VERBIS. Emphasis loquacitatis.

PIERII.

373. STERNAMUR CAMPIS. Ti. Donatus futuro indicativi *sternemur* legit, adjecta paraphrasi, per omnes campos jacebimus fusi: locumque hunc eodem tempore repetit in duodecimo: & ita scriptum est in codice Mediceo.

378. LARGA QUIDEM SEMPER DRANCE TIBI In codicibus aliquot antiquis *larga quidem Drance semper tibi:* quod parvi refert.

Quae tuto tibi magna volant, dum distinet hostem
Agger moerorum, nec inundant sanguine fossae.
Proinde tona eloquio, solitum tibi: meque timoris
Argue tu, Drance; quando tot stragis acervos
385 Teucrorum tua dextra dedit, passimque tropaeis
Insignis agros. Possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quaerendi nobis: circumstant undique muros.
Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
390 Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
Pulsus ego? aut quisquam merito, foedissime, pulsum
Arguet, Iliaco tumidum qui crescere Thybrim
Sanguine, & Euandri totam cum stirpe videbit

Pro-

SERVII.

381. TOTO. Dativus, an adverbium? ut, *falso*. MAGNA VOLANT. Homerus: Ἔπεα πτερόεντα προσηύδα. Id est, pennata & volatilia verba. DISTINET. Arcet, repellit: nam *distinet*, est proprie extra tenet. Dis enim separantis est: unde & *diduco*, & *distrabo* dicimus.

383. PROINDE. *Pro* syllaba metri causa excluditur. TONA ELOQUIO. Non strepitu armorum. MEQUE TIMORIS ARGUE TU, DRANCE. Ut in Bucolicis: *Cantando tu illum? Arguo* autem genitivum regit, ut: *arguo te caedis, insidiarum*: & est de Graeco: nam ita dicunt: κατηγορῶ σε φόνου· ἐλέγχω σε φόνου, ἢ κλοπῆς.

384. QUANDO. Siquidem: & per inrisionem suas in illum confert laudes. STRAGIS TEUCRORUM. Duo genitivi.

386. INSIGNIS AGROS. Nobilitas, clarificas: nam verbum est *insignio*: & dicit, exauctorari ejus debere sententiam, quod de bello cogitat virtutis ignarus. QUID VIVIDA VIRTUS. Id est, tua; vel certe mea.

389. IMUS IN ADVERSOS. Contra illud: *Illum aspice contra, Qui vocat*.

390. ISTIS. Δεικτικῶς.

392. PULSUS EGO. Quia ille dixerat: *Pone animos, & pulsus abi*. Et agit conjectura: nam hoc vult intelligi, non posse dici, merito pulsum eum, qui insequendo hostem bellum deseruit: aperte autem hoc dicit: potest merito credi, quod pulsus sit is, cujus tot extant tropaea? & rerum commemoratione falsum probat.

394. CUM STIRPE. Occiso enim Pallante, interiit ejus cuncta posteritas.

PIERII.

381. DUM DISTINET HOSTEM AGGER MURORUM. Servius quidem *distinet* agnoscit; sed in veteribus codicibus aliquot *dum detinet hostis aggere murorum*. Ubi subaudiendum esset *se*, vel quid hujusmodi, ut, *Accingunt operi*, superius. Apud Priscianum quoque in antiquis codicibus variat ipsa lectio, alii *detinet*, aliis *distinet* legentibus. Sed reliquum eodem exemplo legitur *hostes agger murorum*, quod in vulgatis exemplaribus *hostem*, singulari habetur numero.

382. NEC INUNDANT SANGUINE FOSSAE. Apud Priscianum *fossas* accusativo casu legitur. *Inundo enim*, ait ille, *modo absolutam, modo activam habere significationem invenitur. Virgilius*, Dum detinet hostes agger murorum, Nec inundant sanguine fossas, Est enim: Hostes replent fossas, vel inundare faciunt fossas.

383. TONA ELOQUIO SOLITUM TIBI. In plerisque codicibus antiquis *solito* legitur; sed *solitum* receptum, elocutione admodum eleganti.

388. CIRCUMSTANT UNDIQUE MUROS. In codicibus aliquot *circumdant*; sed *circumstant* magis receptum.

395 Procubuiſſe domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus ingens,
Et quos mille die victor ſub Tartara miſi,
Incluſus muris, hoſtilique aggere ſeptus.
Nulla ſalus bello. Capiti cane talia demens
400 Dardanio, rebuſque tuis. Proinde omnia magno
Ne ceſſa turbare metu, atque extollere vires
Gentis bis victae; contra premere arma Latini. (cunt,
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremiſ-
Nunc & Tydides, & Lariſſaeus Achilles:
405 Amnis & Hadriacas retro fugit Aufidus undas.
Vel cum ſe pavidum contra mea jurgia fingit
Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.

SERVII.

395. EXUTUS ARCADAS ARMIS. Aut ſuis, aut ducis: unde per *Arcadas* etiam Pallantem intelligi quidam volunt.

396. BITIAS. Subaudis, *ingens*, a conſequentibus. MILLE. Finitus numerus pro infinito.

398. INCLUSUS MURIS. Quem pulſum ille jactabat. AGGERE SEPTUS. Sicut ſupra: *Veſtris, o cives, undique ſeptus Aggeribus*.

399. NULLA SALUS BELLO. CAPITI CANE TALIA DEMENS DARDANIO. Quotiens argumentum non poſſumus ſolvere; aut contraria objectione, aut riſu, aut maledicto, ut hoc loco, adverſario reſpondemus. CANE autem, pro divina: Et bene hic male ominantem *canere* dicit, ut vatem. Quibuſdam videtur vulgare con vitium, ut eſt, *Tibi, & capiti tuo;* ſed honeſtatem dicto additam per varietatem. DARDANIO REBUSQUE TUIS. Simul eum Aeneae jungendo, vult latenter oſtendere proditorem.

400. PROINDE. Itaque. Et eſt ordo: *Nulla ſalus bello; proinde omnia magno ne ceſſa turbare metu*. Caetera per Parentheſin dicta ſunt: hoc eſt, *capiti cane talia demens Dardanio, &c.*

401. ATQUE EXTOLLERE VIRES GENTIS BIS VICTAE: CONTRA PREMERE ARMA LATINI. Haec eſt virtus eloquentiae. *Bis* autem *victae*, ab Hercule, & ab Argivis. ARMA autem LATINI, invidioſe dixit, ut Drancem Latino reddat invitum: nam debuit *mea* dicere. Et hoc ad illud, quod ille dixerat: *Jus proprium regi patri aeque remittat*.

403. MYRMIDONUM PROCERES. Graecorum principes. Dicit autem Patroclum & Achillem: nam licet ipſi aliunde fuerint, tamen *Myrmidonibus* imperarunt. Haec autem ponit inter impoſſibilia, & utitur Graeco proverbio: Ἄνω ποταμῶν ἱενται πηγαί. Sic Horatius: *Et ante Padus Matina Laverit cacumina*. Et ſic eſt modo dictum, ut in quarto: *Nunc Lyciae ſortes, nunc & Jove miſſus ab ipſo*.

405. RETRO FUGIT AUFIDUS UNDAS. Quod eſt contrarium. *Aufidus* autem, Apuliae fluvius eſt, juxta Canuſium civitatem cadens in Adriaticum pelagus.

406. VEL CUM SE PAVIDUM CONTRA MEA JURGIA FINGIT. Contra illud, quod ait: *Det libertatem fandi, flatuſque remittat:* nam hoc dicit: Timorem ſuum naturalem invidioſe in meam cauſam retorquet, ut meae praeſentiae, non illius naturae, quod timet, eſſe videatur: hoc eſt enim, quod planius iterat, dicens: *Et formidine crimen acerbat*, id eſt, quam ſimulat.

407. ARTIFICIS SCELUS. Nam ſceleratorum eſt, ſimulare formidinem. ACERBAT. Nomen ſine verbi origine: non enim facit *acerbo*.

PIERII.

430. NUNC ET MYRMIDONUM PROCERES PHRYGIA ARMA TREMISCUNT. Ut alibi ſaepius obſervatum, in Romano codice, in Mediceo, & veteribus pene omnibus *tremeſcunt* legitur, media ſyllaba per E vocalem ſecundam notata. Eadem enim Analogia *tremor, pavor, calor, tremebam, pavebam, calebam, tremeſco, paveſco, caleſco*, *bam* in *ſco* mutata.

407. ET FORMIDINE CRIMEN ACERBAT. In Oblongo codice, in Mediceo, & quibuſdam aliis

 ad-

Numquam animam talem dextra hac (abſiſte moveri)
Amittes: habitet tecum, & ſit pectore in iſto.
410 Nunc ad te, & tua magna, pater, conſulta revertor.
Si nullam noſtris ultra ſpem ponis in armis;
Si tam deſerti ſumus, & ſemel agmine verſo
Funditus occidimus, neque habet Fortuna regreſſum;

Ore-

SERVII.

409. HABITET TECUM, ET SIT PECTORE IN ISTO. Peſſima & vilis anima habitet in membris congruis: nam, TALEM vilem & peſſimam accipimus, quam nefas eſt perire ea dextra, quae non inertes, ſed quae viros fortes tantum conſuevit occidere: & hoc ad illud: *Licet arma mihi*, &c.

410. CONSULTA REVERTOR. *Conſultor* eſt, qui conſulit; *conſultus*, qui conſulitur; *conſultum* vero, res ipſa, de qua quis conſulitur. Bene ergo *conſulta*, de quibus conſulis.

411. SI NULLAM NOSTRIS ULTRA SPEM PONIS IN ARMIS. *Inſinuatione* utitur, id eſt, callido & ſubtili aditu ad perſuadendum: vult enim dicere, melius eſſe interire, quam pacem rogare: quod quia aperte non audet dicere, latenter & paulatim ad hoc ſerpit. Namque inter *principium*, & *inſinuationem*, hoc intereſt, quod *principium*, eſt aperta rei enuntiatio; *inſinuatio* autem, ut diximus, eſt callida & ſubtilis oratio. IN ARMIS autem, aut meorum, aut Latinorum omnium generaliter. Et ULTRA. Modo tempus ſignificat; alias locum.

412. SI TAM DESERTI SUMUS. Si ita valde: & hoc propter Diomedem, qui ſolus negavit auxilia. Ergo *deſerti*, *ab auxiliis* accipiendum.

413. NEQUE HABET FORTUNA REGRESSUM. Omnia, quae ſibi poſſunt objici, ponit; ſed cum ſolutionibus ſuis; nam & fortuna non eſt immutabilis: &, qui ſemel pellitur, iterum in praelium poteſt reverti: & ab auxiliis non ſunt penitus deſtituti: & in ipſorum exercitu eſt adhuc plurimum ſpei. Eſt autem ſyllogiſmus.

PIERII.

admodum vetuſtis *acervat* legitur, per v digammon: forte ut Soriten argumenti ſpeciem, qua plurimum utuntur Oratores, innuat. Sed enim *acerbat* per a mutam cum Statio Virgilii metaphraſte convenit: *Facinuſque relatu Aſperat Iliacum*. Et apud Claudianum: *Crimenque feri rectoris acerbat*. Praeterea Ti. Donati paraphraſis *acerbat* legendum oſtendit: tam etſi aetatis vitio, v conſonante a literae ſono proferentis, *acervat* in ejus antiquo codice ſcriptum eſt. Ait vero: *Quale illud ſcelerati commentum, videlicet timorem fingere, accuſationes duras exercere. Durum enim cum acerbo congruere videtur: ut mollia etiam mitia nuncupamus.*

410. NUNC AD TE ET TUA MAGNE PATER CONSULTA REVERTOR. In Romano codice & aliquot aliis antiquis *magna* legitur, quippe *conſulta*: quia de ſumma belli & pacis agebatur. Sed omnino *magne pater* Ti. Donatus legit, Ut vero quantum amiſerimus deteſtabili ejus facinore, qui tam docta commentaria mutilavit, aſpicere unuſquiſque poſſit: quae ſuper hoc loco ille ſcripſerit, apponere non gravabo. NUNC AD TE ET TUA MAGNE PATER CONSULTA REVERTOR. *Ex oratione turbulenta, quam pro ratione perſonae protulit, ad mitem adque humilem repente converſus eſt, vel quia cum Rege conſtituerat loqui, vel cum eo, quem ſocerum eſſe cupiebat. Plus tamen oſtendit ſe ſocero deferre, quam Regi, dicendo*, magne pater; *alioqui diceret*, magne rex. *In ipſa tamen tranquillitate ſermonis eſt quaedam conſiliorum Latini, & diſpoſitionum occulta vituperatio. Nunc ad te, ait, magne pater redeo, & ad conſulta tua.* Pater *videtur dixiſſe, quaſi honorificentiae loco, utpote qui loquebatur ut gener, ut oſtenderet, quod diximus, plus ſocero deferre, quam Regi. Sed alia loquentis intentio eſt: ſumma enim diſpoſitionum diſplicebat Turno. Denique poſt appellationem patris ſecuta eſt propoſitio, qua oſtendit ſe de illius conſiliis tractaturum, ut oſtenderet improvidum patrem. Ergo appellatio Magni Patris irriſionem induxit obliquam, quaſi diceret: Qualis pater es, qui non recte conſulis filiae tuae. Qualis Pater, cui ſuaſum eſt facile, ut miſſa affinitate civis, nudo, peregrino, naufrago, filiam tuam dare feſtines.* Haec Ti. Donatus: neque pauciora deſunt in locis aliis toto opere, ubi per ingenioſiſſimi Poetae artificio fit latius declamandum. Quod vero haec habuerimus, benignitate Camilli Portii factum eſt, qui integra hujus Auctoris commentaria in duos ultimos Aeneidos libros mihi videnda officioſiſſime conceſſit: plura daturus, niſi per Bibliotaphos quoſdam ſuppreſſa eſſent reliqua.

413. NEC HABET FORTUNA REGRESSUM. Pluribus in antiquis exemplaribus *neque*.

Oremus pacem, & dextras tendamus inertis.
415 Quamquam, o, si solitae quidquam virtutis adesset,
Ille mihi ante alios fortunatusque laborum,
Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & humum semel ore momordit.
Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
420 Auxilioque urbes Italae, populique supersunt;
Sin & Trojanis cum multo gloria venit

San-

SERVII.

414. OREMUS PACEM. Argumentum ab hoesto. DEXTRAS TENOAMUS INERMES. Felicitatem rei verbis expressit.

415. QUANQUAM O, SI SOLITAE QUIOQUAM VIRTUTIS AOESSET. Non se inertiae arguit; sed queritur de virtute omissa per negligentiam. Et videtur voluisse dicere: si solitae quidquam virtutis adesset, nunquam ad hoc cogeremur; sed reliquit. O autem, dolentis est exclamatio, & intelligimus immoratam esse illic ejus orationem: nam exarsit dolore: quia aperte non potuit dicere, moriendum potius esse, quam hostes rogandos: quod tamen dixit, conferens se ad alias personas, & laudans eos, quibus contigit perire, ne illa conspicerent. Et servavit viri fortis personam, ut poenituerit eum dixisse: *Oremus pacem*.

416. ILLE MIHI ANTE ALIOS. Utrum, generaliter *ille*, pro, quicumque occubuit, accipiendum est, an Mezentius? Et ANTE ALIOS, melior, omoibus praeferendus. FORTUNATUSQUE LABORUM. Sicut: *Laetatus laborum*: & est Graecum: *εὐτυχὴς τῶν πόνων*.

417. EGREGIUS ANIMI. Figurate dixit. TALE VIOERET. Te laudare, vel hostes rogare: vel, quod latenter insinuat, tradi alteri sibi ante desponsatam. Ideo & media dicta, quoniam res ejus agebatur, oe quid tale videret posuit: quis enim eum ferret, dicentem moriendum potius, quam de nuptiis ejus mutandum.

418. SEMEL ORE MOMOROIT. *Semel*, cito, confestim, id est, qui tota mortis celeritate consumptus est, quasi nihil ultra passurus. Vulnerati autem solent vel terram, vel arma mordere, ne dolorem eorum indicet gemitus. Lucanus de Pompejo: *Timuit, ne quas effundere voces Vellet, & aeternam fletu corrumpere famam*. Et est Homeri hemistichium: Ὀδὰξ *δὲ λαζοίατο γαῖαν*.

419. AOHUC INTACTA JUVENTUS. Non, quae pugnavit; sed de qua adhuc delectus habendus est.

420. URBES ITALAE. Quia Diomedes peregrinus fuerat: nam hoc dicit: Habemus robur Italum, non Graecum militem, inertem & dissolutum. SUPERSUNT. Superabundant, adsuot ultra quam bella deposcunt.

421. SIN ET TROJANIS CUM MULTO GLORIA VENIT SANGUINE. Mire agit, post confirmatas partes suas, Troianorum integras vires imminuens. Quid enim proderat dixisse, quod superessent Latiois alia auxilia, si etiam & Trojanorum integrae vires esse probarentur? Ergo, *cum multo gloria venit sanguine*: ac si diceret: Non est judicanda victoria, quae per immensa detrimenta contingit: unde laudat Sallustius duces, qui victoriam incruento exercitu reportaverunt.

PIERII.

414. DEXTRAS TENDAMUS INERMES. In Romano codice, in Mediceo, & aliis veteribus, *inertis* legitur. Quamvis vero *inertis*, in Donati etiam commentario legatur: ejus tamen sententia *inermes* legendum ostendit, vel *inertis* idem significare, dum ait: *Orandum videlicet pacem, & inertes dexteras esse tradendas, ironicωs positum, quasi re vera oranda esset pax, & adjicienda ignavis virtus, & quae in hostis jugulum armatae esse debuerant, inertes ad eorum genua dexterae verterentur*.

418. ET HUMUM SEMEL ORE MOMOROIT. In Rom. cod. *simul* habetur, ac si dicat: simul atque procubuit, humum identidem momordit. Est apud Servium ioterpretatio, CITO, *confestim, id est, qui tota mortis celeritate consumptus est*. Videtur tamen *semel* quid eruditius prae se ferre, neque id diversum quicquam ab hac sententia significat. *Hic vero Poeta laudat fortunam viri fortis*: ait Donatus, *& non dicit nomen: omnes tamen Mezentium sentiunt, qui cum sua felicitate procubuit*. Non praeteribo in antiquis aliquot codicibus *memordit*, augmeoto syllabico per E, Graecorum more, posito: de qua geminatione plura Gellius.

Sanguine; ſunt illis ſua funera, parque per omnis
Tempeſtas; cur indecores in limine primo
Deficimus? cur ante tubam tremor occupat artus?
425 Multa dies variique labor mutabilis aevi
Rettulit in melius: multos alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus Fortuna locavit.
Non erit auxilio nobis Aetolus, & Arpi.
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius, & quos
430 Tot populi miſere duces. Nec tarda ſequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia de gente Camilla,
Ag-

SERVII.

422. SUNT ILLIS SUA FUNERA. Id eſt, Troanis. Legitur & ILLI: & aut *Aeneae* intelligimus: aut adverbium loci eſt, pro, *Illic:* ut in ſecundo: *Patet iſti janua letho*, pro, iſtic. PARQUE PER OMNES TEMPESTAS. Sic alibi: *Quanta per Idaeos ſaevis emiſſa Mycenis Tempeſtas ierit campos:* nam bello crebro comparat tempeſtatem.

423. INDECORES. *Decor*, *decoris* facit, ſicut *auctor*, *auctoris: decus*, *decoris*, ſicut *pecus*, *pecoris:* ſimiliter facit in compoſitione, *indecor*, *indecoris; indecus indecoris*. Ergo in neutro, co brevis eſt; in maſculino producitur: unde apparet, Syſtolen feciſſe Virgilium: nam *indecores*, nominativus eſt pluralis a maſculino, ab eo, quod eſt, *indecor:* nam non poteſt *hic indecus* facere: neutrum enim, us terminatum, maſculinum ex ſe facit. Aut certe dicamus, *indecores*, declinationem eſſe, cujus nominativus ſingularis non invenitur. IN LIMINE PRIMO. Quaſi in ipſo initio & aditu infelicitatis: & ad illud reſpexit, quod ſupra dixerat: *Et ſemel agmine verſo Funditus occidimus*.

425. MULTA DIES. Illi rei vehementer incumbit, quia dixerat: *Neque habet fortuna regreſſum:* dicens fortunam tam labores, quam felicitatem, pro temporum qualitate mutare. DIES autem, tempus. Quidam ſane non, *dies multa*, accipiunt: ſed *multa rettulit in melius:* & varia, non ut ipſum varium ſit, ſed ut fortuna ejus.

427. LUSIT. Decepit, ut: *Quid natum totiens crudelis tu quoque falſis Ludis imaginibus?* ET IN SOLIDO RURSUS FORTUNA LOCAVIT. Subaudis & eſt ſenſus: multos in ſolidum revocavit oppreſſos, & paulo ante derelictos; luſit vero, & decepit felices.

428. NON ERIT AUXILIO NOBIS AETOLUS, ET ARPI. Redit ad rem: quia occurrebat: Sed negantur auxilia. *Aetolum* autem dicendo, ejus vires ex Graecae gentis commemoratione debilitat, ut oſtendat, plus eſſe in Meſſapo ac Tolumnio, ſi Diomedes, & infelix, & alienus finibus, commemoraretur.

429. AT MESSAPUS ERIT, FELIXQUE TOLUMNIUS. Bene duo junxit, quae quaeruntur in bello, fortitudinem, & felicitatem: nam de Meſſapo jam legimus: *Quem neque fas igni cuiquam, nec ſternere ferro*. Utrumque autem contra Diomedem dixit, quem dicendo Graecum, inertem ſignificavit. Infelicitatem vero ejus ſupradicta legatorum verba teſtantur. Opportune ergo hic *felix*, quod Diomedi nec poſt victoriam contingit.

430. NEC TARDA SEQUETUR GLORIA. Liptotes figura: minus enim dixit quam voluit: nam hoc ſignificat: Latina pubes celerrime victoriam adipiſcetur, quam vix Graeci poſt decennium ſunt adepti.

432. EST ET VOLSCORUM EGREGIA DE GENTE CAMILLA. Ut in ſeptimo, ſegregat eam a virorum multitudine: & quoniam a ſexu non poteſt, laudat ex gente. Et vult oſtendere de viris amplius ſperandum, ſi & foemina dimicaret: aut ut Dranci exprobraret, puellam non metuere Trojanos, quos Diomedes timeret & Drances.

PIERII.

422. SUNT ILLIS SUA FUNERA. In Romano codice legere eſt *ſuntque illis*. Et id quidem longe venuſtius.

426. VARIUSQUE LABOR MUTABILIS AEVI. In Romano codice, & aliquot aliis *varii* legitur, ut ſit *varii aevi*. In aliquot, *bellique labor;* ſed omnino melius, *variuſque labor*.

Agmen agens equitum, & florentis aere catervas.
Quod si me solum Teucri in certamina poscunt,
435 Idque placet, tantumque bonis communibus obsto:
Non adeo has exosa manus Victoria fugit,
Ut tanta quidquam pro spe tentare recusem.
Ibo animis contra: vel magnum praestet Achillem,
Factaque Volcani manibus paria induat arma
440 Ille licet. Vobis animam hanc soceroque Latino
Turnus ego, haud ulli veterum virtute secundus,
Devovi. Solum Aeneas vocat. Et, vocet oro.
Nec Drances potius, sive est haec ira deorum,

Mor-

SERVII.

434. QUOD SI ME SOLUM TEUCRI IN CERTAMINA POSCUNT. Quia audivit: *Illum aspice contra, Qui vocat:* etiam utitur ductu: nam oblique promittit, se singulari certamine dimicare velle, cum nolit. Similiter etiam in duodecimo agit, dicens irrisorie: *Sedeant spectentque Latini*.

435. IDQUE PLACET. Hinc apparet, eum nolle pugnare, si placet, inquit, vobis hoc fieri, quod hostis postulat. TANTUMQUE BONIS COMMUNIBUS OBSTO. Et in tantum obsum commodis publicis, ut nisi solus dimicavero, concidat universa respublica: & imputat tanquam hoc faciat, quod pro omnibus facturus est.

436. NON ADEO. Non multum: nam verecunde dicit adsuetam manibus suis esse victoriam. Et bene MANUS, per quas fit ipsa victoria; & contra *manus dare* dicuntur, qui dedunt se victi.

437. TANTA PRO SPE. Ut solus dicat servasse rempublicam: vel spe matrimonii.

438. IBO ANIMIS CONTRA. Ac si diceret, *Si desunt corporis vires:* commendat autem gratiam certaminis; ne invitus videatur adduci. VEL MAGNUM PRAESTET ACHILLEM. Et *praesto illum*, id est, melior illo sum; & *praesto illi* dicimus. Cicero in Caesarianis: *Tanto ille superiores vicerat gloria, quanto tu omnibus praestitisti*.

439. VULCANI MANIBUS PARIA INDUAT ARMA. Bene addidit paria: nam etiam Aeneas habuit arma Vulcania. Et mire, quasi falsum sit, Aeneam habere arma Vulcani: licet possimus dicere quod hoc Turnus ignoret; quod tamen non valde idoneum comprobatur.

440. VOBIS ANIMAM HANC, SOCEROQUE LATINO. Bene sibi & favorem conciliat populi, & a soceri nominis praejudicio Latini implicat voluntatem.

441. TURNUS EGO. Quem Drances contemnit. ULLI VETERUM VIRTUTE SECUNDUS. Dicimus & *secundus illi*, & *secundus ab illo*.

442. SOLUM AENEAS VOCAT. Contra illud: *Illum aspice contra, Qui vocat*.

443. NEC DRANCES POTIUS, SIVE EST HAEC IRA DEORUM, MORTE LUAT: SIVE EST VIRTUS ET GLORIA, TOLLAT. Sensus obscure quidem dictus, sed facilis, & qui de usu nunquam recedat: nam ita irati de inimico dicere consuevimus: *Abeat, nec bonis meis nec malis rebus intersit: nolo sit aut meae particeps gloriae, aut in me invidiam ex infelicitatis communione commoveat*. Sicut nunc de Drance dicit: *Sive est haec ira deorum, morte luat:* id est, Si pereundum est iracundia Deorum, nolo invidiam sustinere, si Drances forte pariter moriatur. Si vero me gloria & virtus comitabuntur, nolo ignavus felicitatis alienae sit particeps: si, dum meis pugnat auspiciis, forte superaret. Alii sic accipiunt: *Sive est haec ira deorum*, uter, inquit, eventus ex hac pugna sequetur, vel ira deorum, si vincar, vel gloria, si vicero, mihi potius quam Dranci adscribatur. Alii sic: Nec Drances potius, si pereundum est, ira deorum pereat; aut, si vincendum est, gloriam consequatur.

PIERII.

434. QUOD SI ME SOLUM TEUCRI IN CERTAMINA POSCUNT. In antiquis aliquot exemplaribus *quod si me Teucri solum* habetur, structura aliquanto elegantiore.

441. TURNUS EGO HAUD ULLI VETERUM VIRTUTE SECUNDUS DEVOVEO. In antiquis codicibus *devovi* est, praeterito tempore, quod agnoscit Donatus.

Morte luat: five eſt virtus & gloria, tollat.
445 Illi haec inter ſe dubiis de rebus agebant
Certantes: caſtra Aeneas aciemque movebat.
Nuntius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magniſque urbem terroribus inplet:
Inſtructos acie Tiberino a flumine Teucros,
450 Tyrrhenamque manum totis deſcendere campis.
Extemplo turbati animi, concuſſaque volgi
Pectora, & arrectae ſtimulis haud mollibus irae.
Arma manu trepidi poſcunt: fremit arma juventus.
Flent maeſti muſſantque patres. Hic undique clamor
455 Diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras.
Haud ſecus, atque alto in luco cum forte catervae
Conſedere avium, piſcoſove amne Paduſae
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cycni.
Immo, ait, o cives, arrepto tempore, Turnus,

Co-

SERVII.

445. ILLI HAEC INTER SE. Aut communiter Latini, aut Drances & Turnus. CASTRA AENEAS, ACIEMQUE MOVEBAT. Id eſt, ducebat exercitum, ut: *Nos caſtra movemus*. Lucanus: *Brundiſium decimis jubet hanc attingere caſtris*, id eſt, decima deductione.

453. ARMA MANU. Nam praeter vocem, geſtum etiam flagitantis expreſſit, nec eſt ſuperfluum, *manu*, ut quidam volunt. FREMIT ARMA JUVENTUS. Expetit: & abſolute, id eſt, fremebat arma: & militaris vox eſt.

454. MUSSANT. Modo, quaeruntur.

455. DISSENSU VARIO. Alii enim Turni dicta; alii Drancis probabant.

457. PISCOSOVE AMNE PADUSAE. *Paduſa*, pars eſt *Padi*: nam *Padus* licet unus ſit fluvius, habet tamen fluenta plurima, e quibus eſt *Paduſa*, quae quibusdam locis facit paludem, quae plena eſt cygnorum. Alii *Padum* tribus fontibus naſci dicunt, ex quibus uni ſit vocabulum *Paduſa*, qui diffuſus in modum ſtagni in amnem digeritur: nam ideo, *per ſtagna loquacia*. Alii partem fluminis *Padi*, in quam deſcenditur foſſa. Valgius in Elegis: *Et placidam foſſae qua jungunt ora Paduſam. Navigat Alpini flumina magna Padi*. Ceterum illud incongruum eſt, *Paduſam* foeminino genere juxta veteres *Padum* dictum. Titinius in Setina: *Vidiſtin' Tiberim? vidi, qui illam derivet beaverit agrum Setinum*.

459. PER STAGNA LOQUACIA CYCNI. In quibus habitant cygni loquaces. RAUCI autem, τῶν μέσων eſt: nam modo canoros ſignificat; *alias* vocis peſſimae. Juvenalis: *Rauci Theſeide Codri*. Sicut *venenum*, & de bono & de malo dicitur; *odor*, & *bonus* & *malus* vocatur.

459. ARREPTO TEMPORE. Hic, inventa opportunitate, id eſt, occaſione.

PIERII.

449. INSTRUCTOS ACIE. In Oblongo *inſtructosque*; ſed omnino *que* vacat.

451. EXTEMPLO TURBATI ANIMI. In antiquiſſimo codice Romano legere eſt, *turbati animo*; ſed *turbati animi*, neſcio quid majus habet.

455. DISSENSU MAGNUS VARIO. In antiquis omnibus, ſtructura haec eſt: *Clamor diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras*.

459. DANT SONITUM RAUCI PER STAGNA LOQUACIA CYCNI. Legere quidem eſt in codicibus antiquis, *loquacia*: & non inelegantem figuram, bonisque poetis familiarem, ea lectione Servius agnoſcit. Antiqui tamen aliquot codices, *loquentia*: aliquot alii, *ſtagna ſonantia*, legunt; ſed id forte ſumptum ex aliqua paraphraſi.

460 Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes:
Illi armis in regna ruant. Nec plura locutus
Corripuit ſeſe, & tectis citus extulit altis.
Tu, Voluſe, armari Volſcorum edice maniplis:
Duc, ait, & Rutulos. Equitem Meſſapus in armis,
465 Et cum fratre Coras latis diffundite campis.
Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſant:
Cetera, qua juſſo, mecum manus inferat arma:
Ilicet in muros tota diſcurritur urbe.
Concilium ipſe pater & magna incepta Latinus
470 Deſerit, ac triſti turbatus tempore differt:
Multaque ſe incuſat, qui non acceperit ultro
Dardanium Aenean, generumque adſciverit urbi.

Prae-

SERVII.

460. COGITE CONCILIUM. Drancis vitium omnibus exprobrat, quod belli tempore in curiam conveniant, ut: *Larga quidem ſemper Drance tibi copia fandi, Tum cum bella manus poſcunt*. SEDENTES. Pigri, ut: *Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus*: vel *ſedentes*, invidioſe, ut: *Sedeant ſpectentque Latini*.

463. ARMARI EDICE. Figura eſt, dic ut armentur, verbum verbo junxit, ut: *Tu das epulis accumbere divum*. EDICE autem, plenus eſt imperativus: nam ab omnium conjugationum infinito detracta ultima ſyllaba fit imperativus: ut *amare, ama; docere, doce; legere, lege; audire, audi*. Cum autem *fac* vel *dic* dicimus, Apocopeo verba patiuntur, ex *face, dice*. Cum poſuit *edice*, expreſſa feſtinantis oratio, qua Turnum non praedixit locuturum. MANIPLIS. Ars quidem exigebat ut MA haberet accentum: NI enim longa quidem eſt: ſed ex muta & liquida: quod quotiens fit, tertia a fine ſortitur accentum, ut *latebrae, tenebrae*. Tamen in hoc ſermone, ut ſecunda a fine accentum habeat, uſus obtinuit. MANIPLIS. Signiferis: qui ſecundum antiquum morem in legione erant triginta: legio autem habebat decem cohortes, ſexaginta centurias: licet in his rebus acceſſu temporis ducum varietas ſemper mutaverit militiae diſciplinam.

464. EQUITEM MESSAPUS IN ARMIS, ET CUM FRATRE CORAS LATIS DIFFUNDERE CAMPIS. *Equitem in armis*, id eſt, armatum: nam figura eſt. *Meſſapus* autem ut diceret, vitavit ὁμοιοτέλευτον· nam vitioſum erat: *Voluſe, edice, Meſſape*. Ergo *Meſſapus*, aut antiquus vocaticus eſt, ut: *Heſperidum fluvius regnator aquarum*. Item: *Socer arma Latinus habeto*: aut certe nominativus eſt pro vocativo: quamquam poſſit etiam nominativus eſſe, ut ſit: Meſſapus & Coras equitem diffundite, pro diffundant: melior tamen eſt ſenſus ſuperior.

465. CUM FRATRE CORAS. Scilicet Catillo: nam legimus: *Catilluſque, acerque Coras, Argiva juventus*.

467. QUA JUSSO. Pro, *qua juſſero*: & eſt antiquum.

468. ILICET. Confeſtim, ilico, quod ne diceret, metri neceſſitas facit: nam *ilico* dicimus.

469. MAGNA INCEPTA. Quia de pace cogitabat, quae impleri non potuit.

470. MULTAQUE SE INCUSAT. Pro, *multum*. Et eſt Graeca figura.

472. GENERUMQUE ASCIVERIT URBI. Id eſt, propter urbem, quantum de praeſentibus rebus colligebatur. Lucanus de Catone: *Urbi pater eſt, Urbique maritus*. *Gener* autem ideo dicitur, quia ad augendum genus adhibetur.

PIERII.

461. ILLI ARMIS IN REGNA RUUNT. In antiquis aliquot exemplaribus *ruant* habetur; ſed Fatendi modo, ut rem praeſentem intento quaſi digito indicet, magis movet.

470. AC TRISTI TURBATUS PECTORE DIFFERT. Antiqua omnia exemplaria, quotquot legi, *Triſti turbatus tempore*, habent; ſed *pectore* magis probatur.

Praefodiunt alii portas, aut saxa sudesque
Subvectant: bello dat signum rauca cruentum
475 Buccina. Tum muros varia cinxere corona
Matronae puerique: vocat labor ultimus omnis.
Nec non ad templum summasque ad Palladis arces
Subvehitur magna matrum regina caterva,
Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
480 Caussa mali tanti, oculos dejecta decoros.

Suc-

SERVII.

473. PRAEFODIUNT ALII PORTAS. Id est, ante portas fossas faciunt: hoc enim est, quod supra dixit: *Pars aditus urbis firment:* quae res nimiam indicat desperationem.

474. BELLO DAT SIGNUM RAUCA CRUENTUM BUCCINA. *Buccinam* bene *bello* dat: nam buccina insonans sollicitudinem ac bella denuntiat. Sic in septimo *Qua buccina signum Dira dedit.* Praelium autem tubae indicant, ut: *At tuba terribilem sonitum procul aere canoro Increpuit.*

476. MATRONAE. Nunc foeminae. Quidam sane arbitrantur, inter *matronam* & *matremfamilias* hoc interesse, quod *matrona* dicatur prima pueri mater; *materfamilias*, quae plures peperit. Alii hoc putant rectius: *matronam* dici, quae in matrimonium cum viro convenerit, & in eo matrimonio manserit, etiam si liberi nondum fuerint: dictam matris nomine, spe atque omine; unde & matrimonium dictum; *Matrem* vero *familias*, eam esse, quae in mariti manu mancipioque, aut in ejus, in cujus maritus, manu mancipioque esset, quoniam in familiam quoque mariti & sui heredis locum venisset? Alii *matronas* Virgines nobiles dicunt; *matres familias* vero illas, quae in matrimonium per coemptionem convenerunt: nam per quandam Juris solemnitatem in familiam migrant mariti. Inter *matrem* vero, & *matrem familias* hoc interest: quod *mater* est, praeter illam significationem, quae est ad aliquid, quae tantum convenit in matrimonium, quod alii *matrifamilias*, sicut hoc loco dictum est, applicaverunt: *materfamilias* vero, quae convenit, ut jam diximus, per coemptionem. VOCAT LABOR ULTIMUS OMNES. Omnes ad laborem ultima necessitas convocat. Alii *ultimus*, Hypallagen volunt esse, pro, ultimos.

477. NEC NON AD TEMPLUM. Secundum Homerum, qui inducit in summa desperatione matres ad templa concurrere, ut victoria, quae non potest viribus, possit deorum favore conquiri. Sic enim monet Helenus: Ἕκτορ, ἀτὰρ σὺ πόλινδε μετέρχεο, εἰπὲ δ' ἔπειτα Μητέρι σῇ καὶ ἐμῇ· ἡ δὲ ξυνάγουσα γεραιὰς Νηὸν Ἀθηναίης γλαυκώπιδος ἐν πόλει ἄκρῃ Οἴξασα κληῗδι θύρας ἱεροῖο δόμοιο Πέπλον, ὅς οἱ δοκέει χαριέστατος ἠδὲ μέγιστος Εἶναι ἐνὶ μεγάρῳ, καί οἱ πολὺ φίλτατος αὐτῇ, Θεῖναι Ἀθηναίης ἐπὶ γούνασιν ἠϋκόμοιο.

478. SUBVEHITUR. Proprie: matronae enim pilentis vehebantur ad templa pergentes, ut: *Pilentis vehebantur matres in mollibus.* MAGNA MATRUM. Deest *cum*, non enim caterva subvehitur.

479. DONA FERENS. Peplum scilicet, sicut dixit in primo: ideo omisit hoc loco: nam Homeri locus est Hecuba peplum ferente, hoc modo scilicet: Καὶ δ' ἄρ' ἀόλλισσαν κατὰ ἄστυ γεραιάς. Αὐτὴ δ' ἐς θάλαμον κατεβήσατο κηώεντα. Ἔνθ' ἔσαν οἱ πέπλοι παμποίκιλοι, ἔργα γυναικῶν. Et paulo post: Τῶν ἕν' ἀειραμένη Ἑκάβη φέρε δῶρον Ἀθήνῃ, Ὃς κάλλιστος ἔην ποικίλμασιν, ἠδὲ μέγιστος.

480. MALI TANTI. Pro, malorum tantorum. OCULOS DEJECTA DECOROS. Deorsum habens, & sic ait, *dejecta oculos*, sicut; *oculos suffusa nitentes*.

PIERII.

475. TUNC MUROS VARIA CINXERE CORONA. Veteres codices *tum* legunt.

480. CAUSA MALI TANTI ATQUE OCULOS DEJECTA DECOROS. Hoc quoque loco *atque* illud, dictionum omnium importunissimum, Virgiliani carminis candorem deturpavit: quum non invenuste prius in antiquis codicibus legeretur, *Caussa mali tanti oculos dejecta decoros*, absque synaloepha, ut: *Hanc sine me spem ferre tui, audentior ibo.* Et illud: *Externo commissa duci Aeneia puppis:* ac hujusmodi pleraque. Invenio tamen scriptum in Rom. & aliis quibusdam codic. antiquis, *caussa malis tantis;* non quod hac emendatione versum sustentare arbitrarentur, sed quia apud Donatum ita legi videatur: *Quia multa acciderant mala. Cum ea, inquit, & Lavinia pergebat, quae fuerat malis omnibus caussa. Si enim nuptiarum ejus controversia non fuisset, tot nunquam extitissent adversa.* Sed quamvis ita Donat. interpretetur, non facit tamen hoc, ut lectio ea, *mali tanti*, stare non possit.

Succedunt matres, & templum ture vaporant;
Et maestas alto fundunt de limine voces:
Armipotens praeses belli, Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii praedonis, & ipsum
485 Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
Cingitur ipse furens certatim in proelia Turnus.
Jamque adeo Rutulum thoraca indutus aënis
Horrebat squamis, surasque incluserat auro,
Tempora nudus adhuc; laterique accinxerat ensem,
490 Fulgebatque alta decurrens aureus arce:
Exsultatque animis, & spe jam praecipit hostem.

SERVII.

481. SUCCEDUNT MATRES. Pro, intrant: & est ordo: *Succedunt matres, & templum ture vaporant.*

482. DE LIMINE. Ad preces festinantium mulierum ostenditur desiderium.

483. ARMIPOTENS BELLI PRAESES TRITONIA VIRGO. Antonomasiva sunt proprie. Haec autem omnis oratio verbum ad verbum de Homero translata est: *Πότνι' Ἀθηναίη ἐρυσίπτολι δῖα θεάων.* PRAESES autem BELLI, id est, quae praeest omnibus bellis; cujus nutu semper bella tractantur. Sane qui *praesens* legunt; quasi praestans in bellis intelligunt; qui *praeses*, sine N littera; quasi quae praesideat rei: Sic *praesides* dii urbis appellantur, cujus genitivus *praesidis* facit.

484. FRANGE MANU TELUM. Aut tua manu, aut in ejus manu tela confringe. Homerus: *ἆξον δὴ ἔγχος Διομήδεος.* ET IPSUM PRONUM STERNE SOLO. Homerus: *ἠδὲ καὶ αὐτὸν πρηνέα δὸς πεσέειν.* PORTISQUE EFFUNDE SUB ALTIS. Homerus: *Σκαιῶν προπάροιθε πυλάων.* Bene autem sub ipsis portis, quasi ad quas festinabat Aeneas: unde est & illud: *Praefodiunt alii portas.*

486. CINGITUR IPSE FURENS CERTATIM IN PRAELIA TURNUS. Oeconomia omnis haec est: nam Turnus ideo cum mora armatus, & intecto capite circa arcem incedens, admonet singulos, ut & a Lavinia possit videri, & ut sit major causa dimicandi, dum sponsae placere contendit. Alii *cingitur*, propere armatur accipiunt: nam ait: *Surasque incluserat auro:* & *Certatim*, pro festinanter. *Cingitur* ergo, accingitur: nam & Terentius de futura contentione ait, *accingere:* & *procinctus* appellatur. CINGITUR AUTEM IN PRAELIA. Id est, ut praeliari possit: ut si dicas: *ergo in advocationem:* id est, ut advocatus esse possim. FURENS. Amore Laviniae, quam videbit. Quod etiam sequens indicat comparatio: nam dicturus est, *Aut ille in pastus armentaque tendit equarum.*

487. JAMQUE ADEO. Aut vacat *adeo:* aut certe *sic* significat, ut sit sensus: Adeo sic praeparatur in praelia, ut jam universa praeter galeam arma portaret. THORACA INDUTUS. Omnia, quae in ax exeunt, Graeca masculina, in obliquis casibus A producunt, ut *thorax, thoracis; pinax, pinacis:* nam foeminina corripiunt, ut *climax, climacis;* sed ad Latinum non transeunt. *Phalanx* vero & aliter exit, & peregrinum est, etiam apud Graecos.

489. TEMPORA NUDUS ADHUC. Quod sine galea. Prooeconomia est: quia mox Camillam adloquitur, & ut orans, & incendens ceteros facilius nosceretur.

490. ALTA DECURRENS AUREUS ARCE. Illic enim & Amata fuerat, & Lavinia: Homerus: *Κνημῖδας μὲν πρῶτα περὶ κνήμῃσιν ἔθηκε Καλὰς ἀργυρέοισιν ἐπισφυρίοις ἀραρυίας. Δεύτερον αὖ θώρηκα περὶ στήθεσσιν ἔδυνεν· Ἀμφὶ δ' ἄρ' ὤμοισιν βάλετο ξίφος ἀργυρόηλον, Χάλκεον· αὐτὰρ ἔπειτα σάκος μέγα τε στιβαρόν τε Εἵλετο, τοῦ δ' ἀπάνευθε σέλας γίνετ' ἠΰτε μήνης.*

491. SPE JAM PRAECIPIT HOSTEM. Mente praeoccupat hostis adventum, ut: *Omnia praecepi.*

PIERII.

482. ET MAESTAS ALTO FUNDUNT DE LIMINE VOCES. Antiqua aliquot exemplaria *de pectore* legunt. Sed cur *de limine* legendum sit, non ineptam affert Servius rationem.

483. ARMIPOTENS BELLI PRAESES. Dictionum ordo in antiquis est codicibus: *Armipotens, praeses belli Tritonia virgo.*

487. RUTULUM THORACA INDUTUS. Codices antiqui sunt, in quibus *inductus* habetur. *Induere* autem & Plinio, & Suetonio Tranquillo, *induere* est.

Qualis, ubi abruptis fugit praeſepia vinclis,
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in paſtus armentaque tendit equarum,
495 Aut adſuetus aquae perfundi flumine noto
Emicat, arrectiſque fremit cervicibus alte
Luxurians: luduntque jubae per colla, per armos.
Obvia cui, Volſcorum acie comitante, Camilla
Occurrit, portiſque ab equo regina ſub ipſis
500 Deſiluit. Quam tota cohors imitata relictis
Ad terram defluxit equis. Tum talia fatur:
Turne, ſui merito ſi qua eſt fiducia forti,
Audeo, & Aeneadum promitto occurrere turmae,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
505 Me ſine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros ſubſiſte, & moenia ſerva.

Tur-

SERVII.

492. QUALIS UBI ABRUPTIS FUGIT PRAESEPIA VINCLIS. Etiam haec comparatio Homeri eſt verbum ad verbum tranſlata:

Ὡς δ' ὅτε τὶς στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ.
Δεσμὸν ἀπορρήξας θείῃ πεδίοιο κροαίνων,
Εἰωθὼς λούεσθαι ἐϋῤῥεῖος ποταμοῖο,
Κυδιόων· ὑψοῦ δὲ κάρη ἔχει, ἀμφὶ δὲ χαῖται
Ὤμοις ἀΐσσονται, ὁ δ' ἀγλαΐηφι πεποιθὼς
Ῥίμφα ἑ γοῦνα φέρει μετά τ' ἤθεα καὶ νομὸν ἵππων.

493. POTITUS. Venit ab eo, quod eſt *potior*, *potiris*: nam *Subnixus rapta potitur*, venit ab eo, quod eſt *potior*, *poteris*: nam, ut etiam ſupra diximus, verbum hoc, modo tertiae, modo quartae conjugationis eſſe invenitur.

495. AUT ADSUETUS AQUAE. Figurate, *aquae adſuetus*, aquae flumine perfundi adſuetus.

496. ARRECTISQUE FREMIT CERVICIBUS ALTE. Alte arrectis cervicibus fremit; non *alte fremit*, aut *alte luxurians*. Quidam ſane *cervicibus*, plurali numero, ſecundum veteres dictum volunt, & Hortenſium primum ſingulari numero *cervicem*: unde Ciceronem, *cerviculam illum jactaturum*, tradunt dixiſſe.

500. DESILUIT. Hoc ad Turni honorem refertur: quatuor namque erant apud Romanos, quae ad honorificentiam pertinebant: *equo deſilire*; *caput aperire*; *via decedere*; *adſurgere*: hoc etiam praecones praeeuntes magiſtratus clamare dicebantur. COHORS. Pro turma: nam *equitum turmae*, *peditum cohortes*, appellantur.

501. AD TERRAM DEFLUXIT. Dicendo *defluxit*, uno verbo abſolvit deſilientem equis multitudinem: & vel celeritatem, vel artem, & quandam moderationem ac facilitatem deſcendendi ſignificavit, quae eſt etiam in aſcendendo apud hujus rei peritos.

502. SUI MERITO SI QUA EST FIDUCIA FORTI. Si unuſquiſque fortis habet aliquam confidentiam ex conſcientia fortitudinis ſuae, & ego audere non dubito. FORTI autem bene dixit: nam *fortis*, communis eſt generis. Haec autem hoc vult dicere, non ſexum, ſed robur conſiderandum eſſe: & eſt ordo: o TURNE, AUDEO OCCURRERE TURMAE. Equitatui: nam partem pro toto poſuit. Varro *turmam* triginta ſex equites poſuit.

506. TU PEDES AD MUROS SUBSISTE. Bene ex muliere gloria augetur, ut, cum eam faciat adverſum hoſtes cuncta promittere quae faciunt viri fortes, etiam Turno murorum cuſtodiam inducat mandantem. OCULOS HORRENDA IN VIRGINE FIXUS. Figurate, vel oculos figens, vel fixos habens: *horrenda* autem, pro admirabilis; alioqui hoſtibus horrenda.

PIERII.

493. CAMPOQUE POTITUS APERTO. In antiquis aliquot *potitur* eſt, verbi voce; quam lectionem

ſu

Turnus ad haec, oculos horrenda in virgine fixus:
O decus Italiae, virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc, est omnia quando
510 Iste animus supra, mecum partire laborem.
Aeneas, ut fama fidem missique reportant
Exploratores, equitum levia inprobus arma
Praemisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo superans adventat ad urbem.
515 Furta paro belli convexo in tramite silvae,
Ut bivias armato obsidam milite fauces.
Tu Tyrrhenum equitem conlatis excipe signis:
Tecum acer Messapus erit, turmaeque Latinae,
Tiburnique manus: ducis & tu concipe curam.

Sic

SERVII.

508. QUAS DICERE GRATES. Pro, quantas, pro pronomine: & secundum rhetoricam disciplinam dicit, se verba invenire non posse, quibus ejus exprimat laudes: cum dixerit: *O decus Italiae, virgo*. Sic alibi: *Quibus caelo te laudibus aequem?* Cum praemiserit: *O fama ingens, ingentior armis, Vir Trojane*.

509. SED NUNC. Ordo est: *Sed nunc mecum partire laborem*: nam per Parenthesin dictum est. QUANDO ISTE ANIMUS EST SUPRA OMNIA. Id est, siquidem es magnanima, ut supra omnes grates, & supra omne praemium. PARTIRE autem ideo, quia ille dixerat: *Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra*.

511. AENEAS UT FAMA FIDEM. Oeconomia: educuntur hinc duces, ut servata eorum honestate fortitudo virginis possit induci; alioqui indecens fuerat praesentibus Turno & Aenea.

513. QUATERENT CAMPOS. Ad camporum perturbationem.

515. FURTA PARO BELLI. Insidias. Sallustius: *Gens ad furta belli peridonea*.

516. BIVIAS FAUCES. *Fauces*, dicuntur itinera inter duos montes; loca angusta & pervia: dicta a *faucium* similitudine.

517. CONLATIS EXCIPE SIGNIS. Conjunctis ducibus, quos commemoraturus est. Sic autem dicebatur a Romanis, quotiens acie dimicatum esset.

518. TECUM ACER MESSAPUS ERIT. Ingenti honore *tecum* dixit, hoc est, non tu illi adjuncta eris; sed ille tibi.

519. TYBURTIQUE MANUS. Catillus & Coras. DUCIS ET TU CONCIPE CURAM. Sicut ego: nam non dicit, sicut Messapus aut alii; ne ei facere videatur injuriam. CONCIPE autem, vel simul cum illis sume; vel mecum cape: quia ille dixerat: *mecum partire laborem*. CON enim continua particula est: unde & *convocari*, de pluribus dicimus.

PIERII.

si diligenter advertas, Servius etiam agnoscit, dum docet: *unde* potitur *penultima brevi*, & *unde hoc ea producta, descendant*.

503. OCCURRERE TURMAE. Romanus codex *turmis* habet, numero multitudinis. Servius *turmae*, singulari numero videtur agnovisse. Apud Donatum vero *turmis* est plurale.

507. OCULOS HORRENDA IN VIRGINE FIXIT. Legendum omnino *fixus*, ex antiquis exemplaribus.

507. PER DESERTA JUGO SUPERANS ADVENTAT AD URBEM. Romanus codex, & antiqui aliquot alii *jugo properans* legunt. Quamquam & *superans* in Mediceo, & in aliquot aliis antiquis habetur. Est & *adventat in urbem*, hoc est, adversus urbem, vel in urbem immisso exercitu. Sed *ad urbem* magis placet: idque agnoscit Donatus: perinde ac etiam *superans*: ait enim ipse: *Per montis deserta ardua superans, hoc est, ad ipsum cacumen ascendens, transcenso montis jugo ad urbem venire disponit*.

519. TYBURTIQUE MANUS DUCIS, ET TU

CON

520 Sic ait, & paribus Meſſapum in proelia dictis
Hortatur, ſociosque duces; & pergit in hoſtem.
Eſt curvo amfractu valles, adcommoda fraudi
Armorumque dolis. Quam denſis frondibus atrum
Urguet utrimque latus; tenuis quo ſemita ducit,
525 Anguſtaeque ferunt fauces aditusque maligni.
Hanc ſuper in ſpeculis ſummoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique receptus:
Seu dextra laevaque velis occurrere pugnae:
Sive inſtare jugis, & grandia volvere ſaxa.
530 Huc juvenis nota fertur regione viarum;
Arripuitque locum, & ſilvis inſedit iniquis.

Velo-

SERVII.

522. VALLES. Metri neceſſitate compellimur ut *vallis* dicamus: Statius: *Vallis in amplexu nemorum ſedet:* nam plenum eſt *valles*, ſicut nunc Virgilius poſuit, quod ita eſſe diminutio indicat: nam *vallecula* dicitur: ut *vulpes*, *vulpecula*, facit. Horatius: *Moveat vulpecula riſum*. Ergo in ES vel IS quando uſurpative, quando naturaliter exeant nomina, ſola diminutio indicat; ea autem, quae in ES exeunt, longa ſunt omnia, ſi in genitivo non creſcant, ut *labes*, *valles*, *vulpes:* nam ſi creſcunt, brevia ſunt, ut *miles*, *militis*.

523. DENSIS FRONDIBUS ATRUM. Utrum, denſis frondibus urget; an, denſis frondibus atrum?

524. QUO SEMITA DUCIT. Legitur & *qua*.

525. ADITUSQUE MALIGNI, Proprie *obſcuri*, ut: *Sub luce maligna*.

527. IGNOTA. Vel infrequentata, vel ignota; ſcilicet Aeneae: nam de Turno dicturus eſt: *Huc juvenis nota fertur regione viarum*. TUTIQUE RECEPTUS. Male quidam RECESSUS legunt: nam *receptus* dicitur, quo ſe tuto exercitus recepit: unde & *ſigna receptui canere* dicuntur.

528. SEU DEXTRA, LAEVAQUE VELIS OCCURRERE PUGNAE. Sive per valles, ſive per montis radices: incertum eſt enim, qua ſit venturus Aeneas. *Velis* autem, pro, ſi quis velit.

529. INSTARE JUGIS. Ut: *Turriti puppibus inſtant*.

531. ARRIPUITQUE LOCUM. Raptim tenuit. INSEDIT. Proprie: nam *inſidere*, eſt doloſe aliquem exſpectare: unde & *inſidiae* nominatae ſunt. INIQUIS. Intelligendum, hoſti, vel inaequalibus.

PIERII.

CONCIPE CURAM. In antiquis aliquot codicibus *Tyburni* ſcriptum obſervavi (quod alio loco ſuperius adnotatum eſt) & dictionem *ducis* varie punctis diſſitam: quum nonnulli legant: *Tyburnique manus ducis;* aliqui, *Ducis & tu concipe curam*. Ac *Tyburni* quidem apud Donatum etiam habetur. Quantum vero pertinet ad diſtinctionem, ante vel poſt dictionem *ducis* adlinendam, ait ille: *Ducis ſic in medio eſt, ut ſine pronuntiationis culpa, vel ſuperioribus, vel inferioribus poſſit aptari. Quippe ſi dicatur*, Tyburnique manus ducis; *recte dicitur; ſi*, Ducis & tu concipe curam, *non erratur: laudavit omnes, ne* inertes ardenti *junxiſſe videretur*.

522. VALLIS ACCOMMODA FRAUDI. In aliquot antiquis exemplaribus, *valles adcommoda* legitur: & *valles* nominativum a *valle* agnoſcere videtur Probus: quamvis in vulgatis ejus codicibus neſcio quid deſiderarim: quum ibi de iis loquatur, quae terminant in *pes* longam, ut *puppes*, *rupes*, *vulpes:* quare videris, an ita ſit legendum, *pes producta*, *Latina*, *vel Graeca tertiae ſunt declinationis*, *pis faciunt genitivo*, PUPPES PUPPIS, ut VALLES VALLIS, ita RUPES RUPIS, VULPES VULPIS, ASPES ASPIS. Vel alia prorſus dictio ſubſtituenda.

524. TENUIS QUA SEMITA DUCIT. In antiquo codice Romano, & aliquot aliis, *quo ſemita ducit*, legitur, quam lectionem agnoſcit Servius.

527. TUTIQUE RECEPTUS. In veteribus pleriſque codicibus *receſſus* habetur; ſed *receptus* huic loco magis convenit; ut ſcilicet oſtendat, non tantum ad erumpendum, & invadendum hoſtem locum eſſe commodum, *ſeu dextra laevaque velis occurrere pugnae;* ſi forte eveniat, ut majore hoſtium urgente vi repellantur, aut loco dejici tententur.

Velocem interea ſuperis in ſedibus Opim,
Unam ex virginibus ſociis ſacraque caterva
Compellabat, & has triſti Latonia voces
535 Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & noſtris nequidquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. Neque enim novus iſte Dianae
Venit amor, ſubitaque animum dulcedine movit.
Pulſus ob invidiam regno vireſque ſuperbas
540 Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem, fugiens media inter proelia belli,
Suſtulit exſilio comitem, matriſque vocavit

SERVII.

532. VELOCEM INTEREA. Licet *interea* particula negotia ſemper praeteritis futura conjungat; tamen abruptus eſt & vituperabilis tranſitus: habet autem tales tranſitus & in ſuperioribus libris, & in ſequenti praecipue, ubi Juppiter appellat Junonem. OPIM. *Opim* quando dicimus, Nympham ſignificamus; ſi autem dicamus *opem*, auxilium intelligimus: Terentius: *Juno Lucina fer opem: ſerva me, obſecro: Opes* vero, numero plurali, cenſus accipimus: nam OPS, Terra eſt, uxor Saturni, quam Graeci Rheam vocant. Sane hoc nomen ipſius Dianae fuiſſe ab Epheſiis dedicato templo ei impoſitum, Alexander Aetolus, poeta, in libro, qui inſcribitur Muſae, refert: quod hoc loco peritiſſimus antiquitatis Poeta ſociae ejus impoſuit. Quidam dicunt *Opim & Hecaergon* primos ex Hyperboreis ſacra in inſulam Deli occultata in faſcibus mergitum pertuliſſe. Alii putant *Opim & Hecaergon* nutritores Apollinis & Dianae fuiſſe: hinc itaque *Opim* ipſam *Dianam* cognominatam, quod ſupra dictum eſt; *Apollinem* vero *Hecaergon*; vel quod Luna, quae Diana, proxima terris, facile conſpiciat omnia: ita vocatur Hecaergos Sol, ἀπὸ τοῦ ἑκὰς εἴργειν, τουτέστι μακρόθεν, hoc eſt, e longinquo. Alii dicunt a Latona conceptos, non educatos: & ideo Poetam Triviae cuſtodem *Opim* induxiſſe.

534. TRISTES VOCES. Habitum futurae orationis oſtendit.

535. ORE DABAT. Pleonaſmos. BELLUM AD CRUDELE CAMILLA. Uno verbo exitum rei docuit.

536. O VIRGO. Quidam ad Camillam referunt: quia ineptum putant praeſenti Opi dicere. *O virgo* autem, interjectio eſt. NOSTRIS NEQUIDQUAM CINGITUR ARMIS. *Noſtris*, quibus utraque gaudemus: vel etiam ut ipſa habeat cauſam doloris & majoris iracundiae. *Et cingitur*, nolunt quidam eſſe paſſivum: neque enim ab alio cingitur; ſed ita, quemadmodum dictum eſt: *Fulvique inſternor pelle leonis*.

537. CHARA MIHI ANTE ALIAS. Ante omnes cara, omnium cariſſima, ut: *O felix una ante alias*. NEQUE ENIM NOVUS DIANAE VENIT AMOR. Firmiores enim ſunt antiquiores amicitiae. Terentius: *Per amicitiam, quae coepta a parvulis cum aetate adcrevit ſimul*. Juvenalis: *Ille excludatur amicus jam ſenior, cujus barbam tua janua vidit*.

539. PULSUS OB INVIDIAM. Scilicet crudelitatis; nam ſequitur: *Neque enim ipſe manus feritate dediſſet*. VIRESQUE SUPERBAS. Quibus ſuperbe viribus utebatur.

540. ANTIQUA. Nobili urbe: nam *hoc Privernum* dicitur. METABUS. Nomen ſumptum de hiſtoria: Metabus enim fuit dux Graeci agminis, qui juxta Adriaticum mare urbem Metapontum condidit.

PIERII.

533. UNAM EX VIRGINIBUS SOCIIS SACRAQUE CATERVA. Romanus codex praeter quam impreſſa omnia exemplaria, & aliquot alia manu ſcripta, legit, *Unam ex virginibus ſacris ſociaque caterva*; ſed altera lectio magis placet eruditioribus ingeniis.

534. TRISTIS LATONIA VOCES ORE DABAT. Romanus codex *triſti ore* legit, cui aliquot etiam alii manu ſcripti non ſunt diſſimiles. Servius tamen *triſtis voces* mavult. *Triſtis* & Donatus, qui dubitari ait, utrum *triſtis Latonia*, an *voces triſtis* dicendum ſit; ait vero morem Poetae retinendum, quem ubique ſervaverit, biſque intelligendum *triſtis*, ut, qualis anima fuit, talia habuiſſe videatur & verba: dicendum itaque, *Triſtis Latonia voces triſtis emittebat*.

Nomine Caſmillae, mutata parte, Camillam.
Ipſe, ſinu prae ſe portans, juga longa petebat
545 Solorum nemorum: tela undique ſaeva premebant
Et circumfuſo volitabant milite Volſci.
Ecce, fugae medio ſummis Amaſenus abundans
Spumabat ripis; tantus ſe nubibus imber
Ruperat. Ille, innare parans, infantis amore
550 Tardatur, caroque oneri timet. Omnia ſecum
Verſanti ſubito vix haec ſententia ſedit.
Telum inmane, manu valida quod forte gerebat
Bellator, ſolidum nodis & robore cocto;
Huic natam, libro & ſilveſtri ſubere clauſam,
555 Inplicat, atque habilem mediae circumligat haſtae:

Quam

SERVII.

543. NOMINE CASMILLAE. Statius Tullianus de Vocabulis rerum libro primo, ait dixiſſe Callimachum apud Tuſcos *Camillum* appellari *Mercurium*, quo vocabulo ſignificant deorum miniſtrum; unde Virgilius bene ait, Metabum *Camillam* appellaſſe filiam, ſcilicet Dianae *miniſtram*: nam & Pacuvius in Medea, cum de Medea loqueretur: *Caelitum Camilla exſpectata advenis, ſalve hoſpita*. Romani quoque *pueros* & *puellas nobiles* & inveſtes *Camillos* & *Camillas* appellabant, Flaminicarum & Flaminum *praeminiſtros*.

544. JUGA LONGA. Id eſt, longe poſita, remotiora. Salluſtius: *Et Metello procul agente, longa ſpes auxiliorum*, id eſt, longe poſita.

545. SOLORUM NEMORUM. Deſertorum. Terentius: *Venit meditatus alicunde ex ſolo loco*. Item ipſe: *Nonne hunc publicitus ſcelus hinc deportarier in ſolas terras?*

547. FUGAE MEDIO. Dum fugit, inter fugam: nam figuratum eſt, ut: *Laurus erat tecti medio*.

549. IMBER RUPERAT. Impetum pluviae oſtendit.

550. CHAROQUE ONERI TIMET. Anacreon: φορτίον ἔρωτος, id eſt, *onus amoris*. Et: *Pariter comitique onerique timentem*.

551. VIX HAEC SENTENTIA SEDIT. Ideo *vix*, quia naturale eſt, ut, quotiens ſimul multa cogitamus, vix aliquid comprobemus; unde vera diſtinctio eſt: Omnia ſecum verſanti ſubito haec ſententia ſedit.

552. ET ROBORE COCTO. Aut antiquam haſtam fuiſſe ſignificat: nam multi temporis aliquid *recoctum* vocatur. Horatius: *Plerumque recoctus Scriba ex quinqueviro corvum deludet hiantem*. Item Perſius: *Ut ramale vetus praegrandi ſubere coctum*. Aut re vera *cocto robore*: haſtae enim igni plerumque durari conſueverunt, ut facilius corticem demittant. HUIC. *Huic*, ſcilicet, telo.

554. NATAM IMPLICAT. Probus de hoc loco arpitamplaſma * LIBRO. *Liber*, dicitur interior corticis pars, quae ligno cohaeret. Alibi: *Alta liber aret in ulmo*: unde & *liber* dicitur, in quo ſcribimus: quia ante uſum chartae vel membranae de libris arborum volumina fiebant, & compaginabantur.

PIERII.

543. NOMINE SCAMILLAE MUTILATA PARTE CAMILLAM. Unde *Scamillae* nomen, quod nonnulli commenti ſunt, deſumptum ſit, iu nullo adhuc veterum codicum deprehendi. In aliquot autem omnino antiquis *quas millae* ſcriptum inveni; in aliquot aliis abſurdiora quaedam. Sed enim antiquiora illa exemplaria, quae praecipue ſequimur, *Caſmillae* legunt. Quodque nonnulli codices *mutilata* habent, vetuſtiores pene omnes, *mutata* ſcriptum oſtendunt. Non tamen diſplicet *mutilata*: quia Donatus ait: *Matris huic addidit nomen; aliqua tamen ſubtracta particula, ut Camilla potius, quam Caſmilla diceretur. Habiturus in exilio comitem item filiam, & in appellatione infantis, dulciſſimae nomen uxoris*.

547. AMASENUS ABUNDANS. In antiquis codicibus *habundans*, cum aſpiratione ſcribitur, Veteribus eam nonnullis verbis applicare ſuetis, quo ea incitatius enuntiarentur.

Quam dextra ingenti librans ita ad aethera fatur:
Alma, tibi hanc, nemorum cultrix, Latonia virgo,
Ipſe pater famulam voveo: tua prima per auras
Tela tenens ſupplex hoſtem fugit. Accipe, teſtor,
560 Diva tuam, quae nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum haſtile lacerto
Inmittit: ſonuere undae. Rapidum ſuper amnem
Infelix fugit in jaculo ſtridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urguente caterva,
565 Dat ſeſe fluvio, atque haſtam cum virgine victor
Gramineo donum Triviae de ceſpite vellit.
Non illum tectis ullae, non moenibus urbes
Accepere, neque ipſe manus feritate dediſſet:
Paſtorum & ſolis exegit montibus aevum.

SERVII.

557. ALMA TIBI HANC NEMORUM. Antonomaſia: nam tria epitheta ſine nomine poſita ſunt.

558. IPSE PATER FAMULAM VOVEO. Bene *ipſe pater*: quia auctoramenti poteſtatem niſi patres non habent. VOVEO autem, conſecro in tuum miniſterium; unde & *Camilla* dicta eſt, licet ſuper eam a matre dixerit eſſe nominatam; ſed illud poeticae dictum eſt: nam *Camilla*, quaſi miniſtra dicta eſt: miniſtros enim & miniſtras impubes *Camillos* & *Camillas* in ſacris vocabant: unde & Mercurius Etruſca lingua *Camillus* dicitur, quaſi miniſter Deorum. In Sacris tamen legitur, poſſe etiam opera conſecrari ex ſervis, uſque dum ſolvatur caput hominis, id eſt, liberetur ſacrationis nexu: aut enim numen famulae, quam ſervi ſignificatio conditioni *.

559. TELA TENENS. Ordo eſt: Tua ſupplex tela tenens, quibus inligata eſt: & ingenioſe *tenens*, cum illigata ſit.

562. SONUERE UNDAE. Hic diſtinguendum.

563. INFELIX CAMILLA. Mira effingit, *Infelix* autem *Camilla*; non eo tempore, quo evaſit, ſed nunc *infelix*: plerumque enim epitheta praeſentis temporis ſcilicet ſunt; licet & peractis negotiis, ut in ſecundo: *Infelix qua ſe, dum regna manebant, Saepius Andromache ferre incomitata ſolebat*.

565. VICTOR. Propoſiti ſui & intentionis effectu, ut: *Mihi victor honore Perſolves*.

566. DONUM TRIVIAE. Mire *Triviae*, cum ipſa loquatur: at bene *donum*, quoniam pater Dianae ſervaverit. CESPITE. *Ceſpite*, pro campo; ſcilicet quod ceſpes gleba ſit.

567. NON ILLUM TECTIS, NON ULLAE MOENIBUS URBES ACCEPERE. Non mirum, a nulla hunc civitate ſuſceptum: nam licet Privernas eſſet; tamen, quia in Tuſcorum jure pene omnis Italia fuerat, generaliter in Metabum omnium odia ferebantur: nam pulſus fuerat a gente Volſcorum, quae etiam ipſa Etruſcorum poteſtate regebatur: quod Cato pleniſſime executus eſt, unde & infra: *Multae illam fruſtra Tyrrhena per oppida matres Optavere nurum*: quod non procederet, niſi inter eos eſſent jura connubii. NON MOENIBUS URBES ACCEPERE. *Non tectis, non moenibus*: hoc eſt, nec in civitatem, nec in privatam admiſſus eſt domum. Et ſic iſta etiam in primo libro ſeparavit: *Urbe, domo ſocias*. Sciendum autem, *moenia* abuſive dici omnia publica aedificia, ut: *Dividimus muros, & moenia pandimus urbis*: nam proprie *moenia*, ſunt tantum muri, dicta quaſi *munia*, a munitione civitatis.

568. MANUS DEDISSET. Conſenſiſſet: & hoc dicit: Etiam ſi qui eum voluiſſent ſuſcipere; ille tamen eorum conſortia morum feritate fugiſſet. *Feritate* autem, figurate, pro, *feritati*: an ob feritatem?

569. PASTORUM ET SOLIS EXEGIT MONTIBUS AEVUM. Et paſtorum aevum exegit in montibus ſolis, id eſt, paſtorali uſus eſt vita.

570 Hic natam, in dumis interque horrentia luſtra,
Armentalis equae mammis & lacte ferino
Nutribat, teneris inmulgens ubera labris.
Utque pedum primis infans veſtigia plantis
Inſtiterat, jaculo palmas oneravit acuto:
575 Spiculaque ex humero parvae ſuſpendit, & arcum.
Pro crinali auro, pro longae tegmine pallae,
Tigridis exuviae per dorſum a vertice pendent.
Tela manu jam tum tenera puerilia torſit,
Et fundam tereti circum caput egit habena:
580 Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.
Multae illam fruſtra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum. Sola contenta Diana
Aeternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit. Vellem haud correpta fuiſſet
585 Militia tali, conata laceſſere Teucros:

Ca-

SERVII.

571. ARMENTALIS EQUAE. Indomitae, ſcilicet, quae in armenta foeturae cauſa paſcatur; unde ſequitur, *& lacte ferino*. Veteres enim omnes prope quadrupedes feras vocabant: *In latus, inque feri curvam compagibus alvum*. EQUAE autem MAMMIS ET LACTE FERINO, ἐν διὰ δυοῖν.

572. NUTRIBAT. Quidam nove dictum accipiunt.

573. VESTIGIA PLANTIS INSTITERAT. Signa pedum primis plantis expreſſerat: nam *veſtigia*, ſunt imagines pedum, ut: *Semeſam praedam, & veſtigia foeda relinquunt*.

574. PALMAS ONERAVIT. Onus enim eſt quidquid teneris imponitur manibus.

576. CRINALI AURO. Quo crines inligantur. PRO LONGAE TEGMINE PALLAE. *Palla*, proprie eſt muliebris veſtis, deducta uſque ad veſtigia; unde ait *longae*, ſicut ſupra: *Pallam ſignis auroque rigentem*.

577. A VERTICE PENDENT. Tempora variavit: nam de praeterito dicit.

580. STRYMONIAMQUE GRUEM. Thraciam, a fluvio Strymone. Sane ſciendum, poſſe dici, *& hic*, *& haec grus*, *& hi & hae grues*. OLOREM. Latine ita dicimus: nam Graece κύκνοι, *cycni* dicuntur.

581. MULTAE ILLAM FRUSTRA. Antequam rem diceret, ejus oſtendit eventum; ſic Salluſtius: *Falſo queritur de natura ſua genus humanum*: nam antequam diceret *queritur*, dixit *falſo*. MATRES. Inter *matrem*, & *matremfamilias*, hoc intereſt, quod *mater* eſt propter illam ſignificationem, quae eſt ad aliquid, quae tantum convenit in matrimonium; *materfamilias* vero illa dicitur, quae in matrimonium convenit per coemtionem: nam per quandam Juris ſolemnitatem in familiam migrat. Et hic oſtendit dicendo: *Tyrrhena per oppida*, quod etiam Volſci in Tuſcorum fuerint poteſtate.

583. AETERNUM. Id eſt, aeterno: nam nomen eſt pro adverbio.

584. INTEMERATA COLIT. Inviolata, incorrupta: *temeratae* enim, quibus vis allata eſt.

585. CONATA. Dum conaretur, ut: *Obſeſſumque acta teſtudine limen*: & : *Caci ſpem cuſtodita fefellit*. Hac autem ratione oſtendit, quare non ſuſcenſa a Trojanis.*

PIERII.

574. JACULO PALMAS ONERAVIT ACUTO. Romanus codex, Oblongus, Mediceus, pluresque alii pervetuſti, *palmas armavit*, legunt, quod non ſine proprietate dictum eſt, & in Donati codice reperitur. Sed enim Servius *oneravit* agnoſcere videtur, dum ait: *Onus eſt, quicquid teneris manibus imponitur*.

Cara mihi, comitumque foret nunc una mearum:
Verum age, quandoquidem fatis urguetur acerbis,
Labere, Nympha, polo, finisque invise Latinos,
Tristis ubi infausto committitur omine pugna.
590 Haec cape, & ultricem pharetra deprome sagittam:
Hac quicumque sacrum violarit volnere corpus,
Tros Italusve, mihi pariter det sanguine poenas.
Post ego nube cava miserandae corpus & arma
Inspoliata feram tumulo, patriaeque reponam.

Di-

SERVII.

587. FATIS URGETUR ACERBIS. Ostendit, etiam desideria ex fati necessitate descendere.

589. COMMITTITUR OMINE PUGNA. Pro, committetur.

590. HAEC CAPE. Generaliter dixit arcum, pharetram, ut sequentia indicant: nam dicit: *Et ultricem pharetra deprome sagittam:* & neotericum putatur *ipsam sagittam ultricem.* ULTRICEM. Nomina omnia in x terminata, ablativum singularem in E mittunt; genitivum vero pluralem in UM: exceptis his, quae omnis sunt generis, ut *felix:* nam & *ab hoc felici*, & *horum felicium*, facit. Lucanus: *Felici non fausta loco tentoria ponens:* quod receptum est ideo, quia genitivus pluralis a nominativo plurali minor esse non debet; sed aut par, aut major una syllaba: & quia in neutro facit *felicia*, *felicum* dicere non debemus; ne propter alia genera huic praejudicemus: namq; ab eo, quod est *felices*, ut *felicium* dicamus, ratio patitur: una enim crescit syllaba: ab eo, quod est *felicia*, ut *felicum* dicamus, non procedit; ne minor sit genitivus a nominativo plurali. Similiter & *ultricium*, & *ultricia*, & *victricium*, dicimus: licet in his neutrum genus in numero singulari non inveniatur.

591. VIOLARIT VULNERE CORPUS. Bene *violarit:* quia dixerat *sacrum*. Et superius dictum est, operam solemni more consecrari, usque dum solvatur caput hominis, id est, liberetur sacrationis nexu: quod facilius accidet, si mors intercedat. Hic ergo totius rei, & praecipue sacrationis, aliud agens Poeta, mentionem inseruit, dicens: *Hac quicumque sacrum violarit vulnere corpus; Tros, Italusve, mihi pariter det sanguine poenas*. Bene ergo, sicut dictum est, *violarit:* quia dixerat *sacrum*.

592. TROS, ITALUSVE MIHI. Si simpliciter accipiamus, sic intelligamus: Sive eam Trojanus interemerit, sive aliquis de Aeneae auxiliis: namque alii volunt, Aruntem de Turni esse partibus, & indignatum, foemineum sexum plus potuisse in bello, quam viros: quam rem hic dicunt perstrinxisse Virgilium: & re vera sic ubique loquitur, ut incertum sit, Aruns de cujus partibus fuerit: unde est & illud: *Da, pater, hoc nostris aboleri dedecus armis*. PARITER. Similiter, uno modo. Et est antiquum: Plautus in Aulul. *Filium pariter moratum*.

593. MISERANDAE CORPUS. Haec in oeconomia, praejudicia nominantur; quotiens negotii futuri exitus tollitur: vult enim, nos de Camillae cadavere nihil ulterius expectare, sicut fecit in primo: *Tu faciem illius noctem non amplius unam Falle dolo*. Quod praemissum sustulit commemorationem, quando vel Cupido recesserat, vel Ascanius sit reversus.

594. ARMA INSPOLIATA. Aut inde tracta, aut ipsius inspoliatae Camillae. PATRIAEQUE REPONAM. Hoc est, in patriam.

PIERII.

587. QUANDOQUIDEM FATIS URGEMUR ACERBIS. In antiquis aliquot codicibus legere est, *fatis urgemur iniquis;* sed utcumque placuerit, *acerbis*, aut *iniquis*, non laboro. Sane *urgemur*, persona prima mihi videtur etiam Servius agnovisse, cum scripsit: *Ostendit etiam desideria ex Fati necessitate descendere*. Caeterum quod Servius ad desiderium refert, cur non potius ad amorem, & sympathiam quandam referamus, ut scilicet *urgemur fatis acerbis* dixerit, uti quae pari, cum ea, calamitate affici sibi videretur, quaeque Camillae aut acerba, aut iniqua imminebant, ea Diana impendere sibi existimabat.

592. TROS, ITALUSVE. In Romano codice legere est, *Tros Italusque*. Et eodem modo etiam superius; sed *ve* disjunctiva melius. Illud quoque animadvertendum, quod vulgata quaedam exemplaria *Hanc quicunque* legunt. Antiqua *hac* habent, scilicet *sagitta*. In aliquot aliis *ac* particula conjunctiva, ut sit mandati summa; Haec arma cape, sagittam deprome: *Ac quicumque sacrum violarit volnere corpus, det sanguine poenas*.

595 Dixit: at illa levis caeli delapſa per auras
Inſonuit, nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruſcique duces, equitumque exercitus omnis;
Compoſiti numero in turmas. Fremit aequore toto
600 Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obverſus & huc: tum late ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.
Nec non Meſſapus contra, celereſque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis ala Camillae,
605 Adverſi campo apparent: haſtaſque reductis

Pro-

SERVII.

596. NIGRO CIRCUMDATA TURBINE CORPUS. Hoc ideo, quoniam ad moerorem luctumque deſcendit. Contra in octavo, ubi ad laetitiam deſcendit Venus, claro eam nimbo circumdatam dicit, ut: *At Venus aetherios inter dea candida nimbos*.

597. AT MANUS INTEREA. In tota hac deſcriptione hiſtoricum characterem poetico miſcet.

598. HETRUSCIQUE DUCES. *Hetruria* dicta eſt, quod ejus fines tenebantur uſque ad primam ripam Tyberis: & per Syncopen Ἑτρυρία, quaſi Ἑτερουρία· nam ἕτερος eſt alter, & ὅρος finis vocatur. Roma enim antea unam tantum Tyberis ripam tenebat. Juvenalis: *Et quae imperii fines Tyberinum virgo natavit*. Quidam ſane *Etrurique* legunt, ab *Etrurus*: trans Tyberim enim *Etruriam* dicebant; homines *Etruros*, quos nunc *Etruſcos*.

599. COMPOSITI NUMERO. Id eſt, aequati numero rationabiliter: unde & *ſaepenumero* dicimus, id eſt, frequenter & rationabiliter: hinc eſt: *Tum vero in numerum*, id eſt, in rationem & rhythmum: unde & *metra*, *numeros* dicimus, ut: *Numeros memini, ſi verba tenerem*. Sane modo generalis eſt deſcriptio equeſtris certaminis; paulo poſt deſcendit ad ſpecialem, ſicut fecit in quinto & de curſoribus, & de navali certamine.

600. PRESSIS. Cum habenis premeretur: PUGNAT autem, pro, repugnat.

601. FERREUS HASTIS. Quaeritur, quid ſit *ferreus*? utrum, ferreus aget horret haſtis; an, ferreis haſtis ager horret. HORRET autem, terribilis eſt: eſt autem verſus Ennianus, vituperatus a Lucilio, dicente per inriſionem debuiſſe eum dicere, *horret & alget*: unde Horatius de Lucilio: *Non ridet verſus Ennii gravitate minoris*.

602. CAMPIQUE ARMIS SUBLIMIBUS ARDENT. Id eſt, reſplendent. Et Euripides in Phoeniſſis: Κατὰ χαλκὸν ἅπαν πεδίον ἀστράπτει.

603. CELERESQUE LATINI. Adludit ad militiam Romanam: namque & equites habuit Romulus, ut illo diximus loco: *Tercentum ſcutati omnes Volſcente magiſtro*: quos *Celeres* appellavit, vel a *celeritate*, vel a duce *Celere*, qui dicitur Remum occidiſſe: in cujus gratiae vicem a Romulo Tribunus equitum fieri meruit, & *Tribunus Celerum* appellatus eſt. Alii hos *Celeres* ideo appellatos dicunt, quod explorationes obirent, &, quae uſus exigeret, velocius facerent: alii a Graeco *dictum* putant, quod eſt κέλης.

604. ALA CAMILLAE. Equitatus. *Alae* autem, dicuntur equites, quod alarum vice pedeſtrem exercitum tegunt.

605. HASTASQUE REDUCTIS. Ante oculos poſita deſcriptio.

PIERII.

605. HASTASQUE REDUCTIS PROTENDUNT LONGE DEXTRIS. Antiqua pleraque exemplaria, *praetendunt* legunt: qui quidem geſtus eſt inſertandi haſtam in cataphracto milite, cuſpide ad feriendum praetenſa; ſed enim quia de jaculatione loquitur, melius eſt *protendunt*: quia in jaculatione manus reducitur, protenſa haſtae longe majori parte: ne ſi capias a medio cuſpidem verſus, manus diſfracto aere ictum faciat elangueſcere, impulſumque moretur. Eadem elocutione dictum ab Ovidio: *Protentaque forti Tela tenent dextra lato vibrantia ferro*. Donatus vero hic duo agnoſcit; & quod haſtas geſtarent, dexteris retrorſum adductis, & quod ſpicula vibrarent. *Pergebant*, inquit, *paratis haſtis & dextris, ut hoſtes petere viderentur: Ibant vibrantes ſpicula, ita crebro motu, ut ea jam crederentur eſſe miſſuri*.

Protendunt longe dextris, & ſpicula vibrant:
Adventuſque virum fremituſque ardeſcit equorum.
Jamque intra jactum teli progreſſus uterque
Subſtiterat: ſubito erumpunt clamore, frementiſque
610 Exhortantur equos: fundunt ſimul undique tela
Crebra nivis ritu, caelumque obtexitur umbra.
Continuo adverſis Tyrrhenus & acer Aconteus
Conixi incurrunt haſtis, primique ruinam
Dant ſonitu ingenti, perfractaque quadrupedantum
615 Pectora pectoribus rumpunt. Excuſſus Aconteus,
Fulminis in morem, aut tormento ponderis acti,
Praecipitat longe, & vitam diſpergit in auras.
Extemplo turbatae acies, verſique Latini
Rejiciunt parmas, & equos ad moenia vertunt.
620 Troës agunt*: princeps turmas inducit Aſylas.
Jamque propinquabant portis, rurſuſque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt:
Hi fugiunt, penituſque datis referuntur habenis.

SERVII.

608. INTRA JACTUM TELI. Homericum eſt: ἐσω βέλω; unde poſſit haſta emiſſa in hoſtem venire. Hinc traxit Statius, ut diceret: *Quale quater jaculo ſpacium ter arundine vincas*. Et Enniana eſt iſta omnis ambitioſa deſcriptio.

609. SUBITO. Adverbium eſt: an, *ſubito clamore*: & eſt verſus hypermetrus.

612. CONTINUO ADVERSIS. Hic ſpecialis pugna eſt.

615. PRAEFRACTAQUE PECTORA PECTORIBUS RUMPUNT. Rumpunt, praefractaque faciunt.

617. PRAECIPITAT. Pro, praecipitatur.

619. REJICIUNT PARMAS, ET EQUOS AD MOENIA VERTUNT. *Rejiciunt*, retro agunt, vel retrorſum ferunt, ut cedentium terga munita ſint, ut ipſe 11. Aen. *Bis Rejecti armis reſpectant terga tegentes*. Sane nunc fugiunt, non timore, ſed lege praeliandi. Salluſtius: *More equeſtris praelii ſumptis tergis ac redditis*. PARMA autem, eſt equeſtre ſcutum.

622. MOLLIA. Domita, ſcilicet domitorum equorum, qui facile flectuntur.

PIERII.

612. CONTINUO ADVERSIS TYRRHENUS ET ACER ACONTEUS, CONNIXI INCURRUNT HASTIS. In Romano codice, & aliquot aliis antiquis *adverſi* legitur: neque obſtat quod *connixi haſtis* ſubſequatur, quod iſti abſurdum putaverunt. Hoc vero videtur agnoviſſe Donatus, dum ait: *Continuo adverſi cum ſingulis ex diverſis partibus eruperant haſtis*: quamvis idem dicat, ſi *adverſis haſtis* legamus.

614. PRAEFRACTAQUE QUADRUPEDANTUM PECTORA PECTORIBUS RUMPUNT. In Romano codice, in Mediceo, & quibuſdam aliis pervetuſtis *perfracta* legitur. Ex quo impetus equorum vehementiſſimus oſtenditur. Quod vero ita *pectora pectoribus ruperint*, adverſos eos incurriſſe demonſtrat. Eſt & *quadripedantum*, ſecunda ſyllaba per i tertiam vocalem, de qua plura alibi.

620. PRINCEPS TURMAS INVASIT ASYLAS. Antiqua omnia quae verſamus exemplaria, *inducit* legunt, quod a verbo *invaſit*, forma diverſiſſimum eſt. Donatus quoque *inducit* agnoſcit. Ait enim: *Primus Aſylas induxit turmas in medios: quis enim metueret fugientes?* Eſt & *inducere in hoſtem* ſaepius apud Hiſtoricos.

Qua-

Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
625 Nunc ruit ad terras, ſcopuloſque ſuperjacit undam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam:
Nunc rapidus retro, atque aeſtu revoluta reſorbens
Saxa fugit, lituſque vado labente relinquit.
Bis Tuſci Rutulos egere ad moenia verſos:
630 Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes.
Tertia ſed poſtquam congreſſi in proelia, totaſque
Inplicuere inter ſe acies, legitque virum vir;
Tum vero & gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armaque, corporaque, & permixti caede virorum
635 Semanimes volvuntur equi: pugna aſpera ſurgit.
Orſilochus Remuli, quando ipſum horrebat adire,
Haſtam intorſit equo, ferrumque ſub aure reliquit.
Quo ſonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Volneris inpatiens arrecto pectore crura.
640 Volvitur ille excuſſus humi. Catillus Iolan,

In-

SERVII.

625. SUPERJACIT UNDAM. Super ſcopulos undam jacit: nam more ſuo dedit verbo detractam nomini praepoſitionem.

626. SINU. Curvatione & flexu undarum. EXTREMAMQUE. Quantum ad mare pertinet: nam terrae prima eſt. *Extremam* autem, ad illud pertinet, quod ait ſupra: *Penituſque datis referuntur habenis*.

627. AESTU REVOLUTA RESORBENS SAXA, FUGIT. *Aeſtus*, proprie eſt maris incerta commotio creſcentis & decreſcentis: unde *aeſtuaria* dicta. Plautus in Aulularia: *Quo magis te in altum capeſſis, aeſtus te in portum referet*.

628. VADO LABENTE. Hypallāge, pro, labens ipſe per vadum littus reliquit.

633. GEMITUS MORIENTUM. Aliqui *morientum*, genitivum corruptum pro integro accipiunt: facit enim *morientium*. ET SANGUINE IN ALTO. Ἐμφατικῶς caedis oſtenditur magnitudo.

634. ARMAQUE, CORPORAQUE. Verſus πολυσύνδετος & bene belli faciem demonſtravit, multa enumerando, quae in alto ſanguine velut natarent.

636. QUANDO IPSUM HORREBAT ADIRE. Parentheſis: & quaeritur, quid ſit *horrebat*?

637. HASTAM INTORSIT EQUO. Figurate: nam *intorqueo in equum* dicimus: ut: *In latus, inque feri curvam compagibus alvum Contorſit*. *Equo* ergo, pro, in equum. SUB AURE RELIQUIT. Ex vulneris genere fugientem eum intelligimus eſſe percuſſum.

640. VOLVITUR ILLE EXCUSSUS HUMI. Humi volvitur: nam *excuſſus*, per ſe plenum eſt.

PIERII.

625. NUNC RUIT AD TERRAS. In codicibus aliquot antiquis, *ruit ad terram*, ſingulari numero legitur.

632. LEGITQUE VIRUM VIR. Non. Marcellus, *legit* hoc loco pro *acceſſit* poſitum ait: ut in II. Georgicon: *Primi lege litoris oram*. Donatus pro *delegit* mavult: ait enim: *Unuſquiſque vir virum ſibi, cum quo certaret, facta prius exploratione, deligebat. Quales petamus electos, niſi eos, qui poſſunt facile ſuperari? Nullus enim deligit a quo poſſit occidi*.

638. QUO SONIPES ICTU FURIT ARDUUS. In antiquis aliquot codicibus *ferit* legitur; ſed imperfecta eſſet oratio, quare *furit* longe melius. Eſt & illud advertendum, quod ubi vulgata exemplaria legunt, *altaque jactas crura*, vetera quaedam *acta* habent.

Ingentemque animis, ingentem corpore & armis
Dejicit Herminium: nudo cui vertice fulva
Caesaries, nudique humeri. Nec volnera terrent:
Tantus in arma patet. Latos hic hasta per armos
645 Acta tremit, duplicatque virum transfixa dolore.
Funditur ater ubique cruor: dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per volnera mortem.
At medias inter caedes exsultat, Amazon,
Unum exserta latus pugnae, pharetrata Camilla:
650 Et nunc lenta manu spargens hastilia denset:
Nunc validam dextra rapit indefessa bipennem.
Aureus ex humero sonat arcus, & arma Dianae.

Illa

SERVII.

642. DEJICIT HERMINIUM. Nomen hoc de historia Romana est: nam cum Coclite contra Tuscos Lartius & Herminius steterunt, & pugnaverunt, eo tempore, quo pons sublicius rumpebatur; unde & eum plurimum laudat, ac si diceret: Talis hic est, qualis ille fuit.

644. TANTUS IN ARMA PATET. Id est, Tantum patebat in vulnere, id est, in hostilia tela totus patebat. Alii *in arma*, pro, armis vel scutis tradunt. PER ARMOS. Abusive: nam proprie *armi* quadrupedum sunt.

648. EXULTAT AMAZON. Suspendendum, *exultat*; ut *Amazon* intelligas, quasi Amazon: nam Camilla Volsca fuerat: sic in primo: *Dederatque comam diffundere ventis*, *Venatrix*, id est, quasi venatrix.

649. PHARETRATA. Participium a foeminino genere derivatum. UNUM autem EXSERTA LATUS, pro, exsertum latus habens,

650. DENSET. Id est, dense, sparse jacit. Sane densentur plures res in unum, ut: *Vos unanimes densete catervas*: & declinatur, *denseo*, *denses*, *denset*.

651. INDEFESSA. Infatigabilis. Et omnia ei Amazonum arma tradit, quas Titianus *Unimammas* vocat: nam hoc est *Amazon*, quasi *ἀμαζῶν*, sine mamma. *Bipennis* autem dicitur, quod ex utraque parte habeat aciem, quasi duas pinnas, quas veteres dicebant.

PIERII.

645. DUPLICATQUE VIRI TRANSFIXA DOLOREM. Romanus codex, Mediceus, & aliquot alii perveteres legunt *duplicatque virum transfixa dolore*, hoc est, duplici virum dolore cumulat. Qua forma dixit Ovidius: *Duplicataque vulnere caeco est*. Sunt, qui non inepte reposuere, *duplicatque virum transfixa dolorem*, ut sit, transfixa virum duplicat dolorem, pulchro & figurato elocutionis modo. Quam tamen secundo loco retulimus lectionem, in pluribus invenies exemplaribus.

646. DANT FUNERA FERRO. In Mediceo, *vulnera*, cum decora, quae sequitur, repetitione, *Pulchramque petunt per vulnera mortem*. Quod si *funera* legas dari, repetitio erit sententiae, quae non ita decora videatur. Est vero illud etiam: quod in aliis, *at medias inter caedes*: in eodem Mediceo, *at medias inter acies* legitur; sed omnino plus est dicere, *inter caedes*.

650. HASTILIA DENSAT. In aliquot antiquis codicibus, *denset*, secundae conjugationis habetur. Sed utrumque agnoscunt Grammatici.

651. NUNC VALIDAM DEXTRA RAPIT INDEFESSA BIPENNEM. In antiquo codice manu scripto legere est, *Nunc validam rapit in dextram non fissa bipennem*; sed quum INDEFESSA agnoscat Servius, vulgata illi lectio potior.

652. AUREUS EX HUMERD SONAT ARCUS. In Romano codice legere est, *ex humeris sonat*. Ut duobus *ss* continenter pronuntiatis, quodam veluti sibilo major sonitus excitetur, qualem Homerus ficto ex voce verbo mira expressit felicitate: *ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων χωομένοιο*. Sed advertendum apud Donatum scriptum esse, *Aureus ex humeris erat arcus & arma Dianae*. Omnino enim paulo infra, *Aureus ex humeris sonat arcus & aurea vati Cassida*: ubi de ornatu Clorei Sacerdotis loquitur, habebimus.

Illa etiam, si quando in tergum pulsa recessit,
Spicula conversa fugientia dirigit arcu.
655 At circum lectae comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & aeratam quatiens Tarpeja securem,
Italides; quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threïcia cum flumina Thermodontis

Pul-

SERVII.

654. SPICULA FUGIENTIA. Pro, ipsa fugiens.

655. AT CIRCUM LECTAE COMITES. Subaudis, *dimicant*: quod etiam sequens Amazonum indicat comparatio, quae inducuntur circa reginam bella tractantes; ne culpetur Poeta, quod nullam earum pugnantem induxerit. LARINAQUE VIRGO. Nomina haec nobilissimarum sunt Italiae foeminarum: & AERATAM, pro ferream, ut: *Micat aereus ensis*.

657. ITALIDES. Ut *Sicelides*, *Atlantides*: atque sociarum ducem, *Amazonam* dicit, velut *Amazonidas*, ut: *Ducit Amazonidum*: & est pulchra derivatio, non tamen vera: nam verum est *Italae*: *Italis* autem, unde est *Italides*, magis patronymicum est, quam derivativum; sicut *Belis*, unde *Belides*: & est Graecum. QUAS IPSA DECUS. Et ad delectas: & ad ipsam potest referri. *Decus* autem, si ad Camillam, nobilitas, pulchritudo; si ad delectas, ornamentum, id est, quas sibi elegit ornamentum, id est, ad ornamentum. DIA CAMILLA. Generosa: ἀγενής. nam Graecum est, cujus nominis etymologiam plerique volunt venire ἀπὸ τοῦ Διός quod si sic est, dicemus, dissentire derivationem a principalitate: nam *dia*, *di* producit, cum Διὸς corripiat: sicut e contra, cum lux, *lu* producat, *lucerna*, *lu* corripit.

658. PACISQUE BONAE, BELLIQUE MINISTRAS. Congruum paci epitheton dedit, ut eam *bonam* diceret, cum bellum e contra sit pessimum: nam sine dubio *& belli saevi*, diceret, si ratio versus admitteret. Quidam *bonum* interdum pro *grandi* accipiunt. BELLIQUE MINISTRAS. Nonnulli *ministras*, modo ad bellum tantum referri volunt, ideoque conjunctionem incongrue positam, & ordinem esse: *decus pacis*, *& ministras belli*. Poterit & ita: *quas sibi decus delegit ministras bonae pacis & belli*.

659. QUALES THREICIAE. *Tanais*, fluvius est, qui separat Asiam ab Europa, circa quem antea Amazones habitaverunt; unde se postea ad *Thermodonta*, fluvium Thraciae, transtulerunt: quod etiam Sallustius testatur, dicens: *Dein campi Themiscyrii, quos habuere Amazones, ab Tanai flumine, incertum quam ob caussam, digressae*. Has quidam dicunt stato die solitas Sinthiis coire. FLUMINA. Pro, flumine, aut fluenta. THERMODOONTIS. Plenum est *Thermodoon*, sed per Synaeresim *Thermodon* facit: unde *don* circumflexum habebit accentum. Graeca enim nomina necesse est ut circumflectantur, quotiens fit Synaeresis, exigente metri ratione vel necessitate. Ergo si sit *Thermodoon*, *do* acutum habebit accentum: quod si *Thermodon* fecerit, & in finalem transfertur, & mutatur accentus: nam fit circumflexus.

PIERII.

657. QUAS IPSA DECUS SIBI DIA CAMILLA. In Rom. codice *dura* legitur, ut illud, *Durum a stirpe genus*; sed enim Servius admittit epitheton *dia*: quod in Mediceo, & aliquot aliis antiquis codicibus *diva* scriptum invenias. Quo super loco Donatus ait: *Tantum Camilla ad Dianae animum pertinebat, ut apud socias suas pro Dea haberetur*.

658. PACISQUE BONAS BELLIQUE MINISTRAS. *Bonas* quidem in codicibus aliquot antiquis habetur, sed enim cum Mediceo plures atque iidem probatiores *bonae* legunt, idque Servius agnoscit. Donatiana tamen Paraphrasis ad eam lectionem, quae *bonas* habet, accusativo casu, respicere videtur. Sic enim est: *Denique cum iret ad bellum, has sibi esse comites voluit, quod essent ornamento in pace, & ministrae in certaminibus belli. Potest & sic intelligi, ut Bello & Paci ornamento esse viderentur: & sic in utroque obsequerentur, ut utrumque ornarent: & hoc esse arbitror melius. Ipsa enim est pura societas & vera religio, ut nullum tempus dissimiles faciat, quos foedera suscepta conjunxerint. Pulchrum est enim servare societatem, & ejus commodum custodire. Nullam istarum dicit belli gessisse certamen: sed asseruit ministerio fuisse bellanti. Nec exponeretur Camilla de sociis, si impares essent in caussa certaminum: aut ipsa quae laudabatur esset inferior, si exercitationes illae praestarent: tamen ipsarum praesentia non vacua fuit, quum, ut dictum est, ministerio juvabant, operaque bellantem*.

658. QUALES THREICIAE QUUM FLUMINA THERMODOONTIS. Rom. quidem codex, & plerique alii veteres uno exemplo legunt, *Thermodoontis*,

660 Pulſant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum Hippolyten, ſeu cum ſe Martia curru
Penthefilea refert, magnoque ululante tumultu
Feminea exſultant lunatis agmina peltis.
Quem telo primum, quem poſtremum aſpera virgo
665 Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis?
Eunaeum Clytio primum patre: cujus apertum
Adverſi longa tranſverberat abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivos cadit, atque cruentam
Man-

SERVII.

660. PULSANT. Ennius, ad Muſas: *Quae pedibus magnum pulſatis Olympum*. BELLANTUR. Pro bellant: nam ſolent verba pro verbis poni; unde nunc paſſivam declinationem ſub activa poſuit ſignificatione: ſicut in Georgicis: *Et placidam paci nutritor olivam*: futurum tempus a paſſivo poſuit, pro praeſenti ab activo: nam *nutritor*, pro, nutri, poſuit. Sic apud Ciceronem in Officiis: *Neque ad eum, qui punitur aliquem, aut verbis caſtigat; ſed ad reip. utilitatem referri*. *Punitur*, pro punit: unde eſt e contra: *Nox humida caelo Praecipitat*: pro praecipitatur, activum pro paſſivo.

661. HIPPOLYTEN. Haec Amazonum fuit regina, cui victae Hercules baltheum ſuſtulit: hujus filia Autiopa, quam Theſeus rapuit, unde *Hippolytus*. MARTIA. Aut bellicoſa, aut Martis filia, quae ab Achille occiſa ac mortua adamata eſt: ut nonnulli vero adſerunt, cum Achille concubuit, & ex eo Caiſtrum filium edidit, ex quo flumen Lydiae ita appellatur. REFERT autem, aut addita eſt praepoſitio *re*, id eſt, fert, aut mutata, pro, infert.

662. ULULANTE TUMULTU. *Ululare* veteres etiam vocem, quae redditur initio praelii, dicebant, quam Graeci ὀλολυγὴν vocabant.

664. QUEM TELO PRIMUM DEJICIS? Homericum eſt, interrogationem ad ipſum referre, qui deſcribitur: Ἔνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξας Πατρόκλεις, ὅτε δή σε θεοὶ θάνατόνδε κάλεσσαν. Cum ſemper ſic Muſae interrogari conſueverint, ut: *Vos, o Calliope, precor aſpirate canenti*. ASPERA VIRGO. Epitheton ad officium belli reſpiciens; alias incongrue *virginem aſperam* dicimus.

666. EUMENEUM. Quia Latina eſt declinatio, ideo *ne* accipit accentum: nam Statius, quia Graece declinavit, Graecum accentum poſuit dicens: *Nunc Eumeneen audis Ante Thoas*.

667. LONGA ABIETE. Haſta abietali: nam arborem pro haſta poſuit.

PIERII.

doontis, verſu Adonio: nam quae ſuper hoc nomine Grammatici de accentu loquuntur, in cauſſa fuere, ut *Thermodoontis* pentaſyllabum, abſque ſynaereſi legi poſſe arbitrarentur. Sed enim ſecunda ſyllaba (quod forte minus animadverterunt) ωμέγα eſt, Θερμωδόων quae corripi non poteſt, niſi more Dorum id in ο μικρὸν verterimus: communius vero eſt *Thermodontis*, κατὰ κρᾶσιν dimetro ſpondaico proferre: quod quidem apud Ovidium aperte factum invenias: *Et tu foemineae Thermodon cognite turbae*. Pontanus tamen *Thermodoontis* videtur accepiſſe, non uno loco, pari ſyllabarum numero, cum *Hipocoontis*, ut in libro de Poeticis numeris. In libro vero de adſpiratione: *Latinos* ait *ultimum o reſolvere, quia vox ea bene aliter locari non poſſet in verſu Heroico*. Putavit ille quidem ſecundam nominis hujus ſyllabam eſſe brevem.

661. SEU CUM SE MARTIA CURRU PENTHESILEA REFERT. Sunt qui nomen *Panthesilea*, per *a*, prima ſyllaba ſcribant: quum tamen codices tam Virgiliani, quam etiam aliorum auctorum, una cum Graecis, eam *e* vocalem ſecundam ſtatuant, quare illud librariis adſcribendum. Quod vero Virgilius, *Penthesileam Martiam* appellatit, non ea tantum cauſſa eſt, ut bellatricem ſignificet, quod alibi fecit, ſed quod, ut ex Trogo Juſtinus tradit de Amazonibus: *Ne ſucceſſibus deeſſet auctoritas, genitas ſe a Marte praedicabant*.

666. EUMENIUM CLYTIO PRIMUM PATRE. Proprium hoc nomen *Eumenium*, alio atque alio modo, in aliis atque aliis codicibus ſcribitur; ſed ut, quae abſurda videntur, miſſa faciam, Romanus codex, Oblongusque, Mediceus, & aliqui alii manu ſcripti, eodem exemplo *Eunaeum* legunt, & in Donati codice eodem eſt modo.

Mandit humum, morienſque ſuo ſe in volnere verſat.
670 Tum Lirim, Pagaſumque ſuper: quorum alter habenas
Suffoſſo revolutus equo dum colligit, alter
Dum ſubit, ac dextram labenti tendit inermem,
Praecipites pariterque ruunt. His addit Amaſtrum
Hippotaden: ſequiturque incumbens eminus haſta
675 Tereaq;Harpalycumq;&Demophoonta,Chromimque:
Quotque emiſſa manu contorſit ſpicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. Procul Ornytus armis
Ignotis, & equo venator Iapyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepta juvenco
680 Pugnatori operit: caput ingens oris hiatus,
Et malae texere lupi cum dentibus albis,
Agreſtiſque manus armat ſparus. Ipſe catervis
Ver-

SERVII.

671. SUFFUSO. Caſuro: nam *ſuffuſi equi* dicuntur, quos vulgo *ceſpitatores* vocant. Alii SUFFOSSO legunt, id eſt, praecipiti & jam cadenti.

672. DUM SUBIT. Scilicet, dum ſe ad ſuſtentationem ruentis inclinat: & vult, utrumque tanta celeritate eſſe percuſſum, ut unum interemptum putares: inde eſt enim: *Praecipites pariterque ruunt*. INERTEM. Nudam, an, nihil proficientem?

673. HIS ADDITA. Adjungit.

674. SEQUITUR. Pro, perſequitur.

678. ARMIS IGNOTIS. Novis, inconſuetis. Vel *ignotis*, id eſt, non conſpicuis. IAPYGE. Appulo equo.

679. PELLIS EREPTA JUVENCO. Id eſt, lorica: nam proprie *lorica*, eſt tegimen de corio, tanquam de loro factum: quo majores in bello uti conſueverant.

680. CAPUT INGENS ORIS HIATUS. Amphibolon, id eſt, hiatus ingens.

682. AGRESTISQUE MANUS ARMAT SPARUS. Bene *agreſtis*: nam *ſparus*, eſt ruſticum telum, in modum pedi recurvum. Salluſtius: *Sparos, aut lanceas; alii praeacutas ſudes portare*. Varro ait, *ſparum, telum miſſile, a piſcibus ducta ſimilitudine, qui ſpari vocantur*: alii, *ſparus*, a *ſpargendo* dici putant.

PIERII.

669. MORIENSQUE SUO SE IN VULNERE VERSAT. Codices plerique veteres *ſuo ſe volnere* legunt. Abſque *in* praepoſitiva particula, quae quidem hoc loco non ſine injuria ſententiae detrudi poteſt. Operae pretium autem eſſe judicavi, quae ſuper hanc ſententiam Ti. Donatus commentatus eſt, adponere. ATQUE CRUENTAM MORDET HUMUM, MORIENSQUE SUO SE VOLNERE VERSAT. *Cadentes enim repentino ictu mordent, quod fortaſſis occurrerit. Iſte igitur mordens terram, & crebris hoc morſibus faciens, torquebat ſe, & in ſuo ſe cruore volvebat. Hoc dicendo oſtendit eum tam graviter percuſſum, ut illic caderet, ubi confoſſus eſt. Qui vero aſſidue volvebatur in volnus, & terram mandebat, quam rigaverat cruor, apparebat eum aliquem adhuc ſenſum doloris habuiſſe.*

670. TUM LYRIN PHEGASUM. In antiquis *Lyrin*, Latinis literis ſcriptum eſt. In Romano, in Oblongo, & aliquot aliis, *Pagaſum*, per *a* prima ſyllaba, quod ab eruditis receptum video. Invenies & alio modo ſcriptum, ſed in re parvi momenti ſatis eſt receptiora indicaſſe.

675. DEMOPHOONTA CHROMINQUE. Romanus & Oblongus codex *Chromum* legunt, & aliquot ex accuratioribus.

677. PROCUL ORPHITUS ARMIS IGNOTIS. In Romano codice *Ornytus* per *y* in pene ultima παρὰ τὸ ὀρνύμι, quod *impetum facere* ſignificat: nam ſi ab *ave* ſit, *t* litera adſpiraretur. In Donati quoque commentariis *Ornutus* habetur, *y* litera in *u* more veterum mutata.

682. IPSE CATERVIS VERTITUR IN MEDIIS, ET TOTO VERTICE SUPRA EST. In codic. aliquot antiquis, *ipſe catervas vertitur in medias* legitur; ſed quum

Vertitur in mediis, & toto vertice ſupra eſt.
Hunc illa exceptum (neque enim labor agmine verſo)
685 Trajicit, & ſuper haec inimico pectore fatur:
Silvis te, Tyrrhene, feras agitare putaſti?
Advenit qui veſtra dies muliebribus armis
Verba redargueret. Nomen tamen haud leve patrum
Manibus hoc referes, telo cecidiſſe Camillae.
690 Protenus Orſilochum, & Buten, duo maxima Teucrum
Corpora: ſed Buten averſum cuſpide fixit
Loricam galeamque inter, qua colla ſedentis
Lucent, & laevo dependet parma lacerto:
Orſilochum fugiens, magnumque agitata per orbem
695 Eludit gyro interior, ſequiturque ſequentem.
Tum validam perque arma viro perque oſſa ſecurim,

Al-

SERVII.

683. VERTITUR IN MEDIIS. Id eſt, agitur: nam Graece dixit ἀναστρέφεται. TOTO VERTICE SUPRA EST. Sic Statius de Capaneo: *Et tranſcendit corpore bellum*.

684. HUNC ILLA EXCEPTUM. Fraude circumventum, ut: *Aemulus exceptum Triton*. AGMINE VERSO. Aut converſo impetu ſuo: aut adverſariorum conlato agmine.

685. TRAJICIT. Vis jactus oſtenditur.

686. SYLVIS. Pro, in ſylvis: & eſt Archaiſmos, caſus pro caſu.

687. MULIEBRIBUS ARMIS. Uſus obtinuit, ut innuptas, *virgines*; nuptas, *mulieres* vocemus: nam apud majores indiſcrete *virgo* dicebatur & *mulier*: utrumque enim ſexum tantum ſignificabat, ut ecce hoc loco dicit; *armis muliebribus*; cum Camillam innuptam fuiſſe manifeſtum ſit. Item in Bucolicis legimus: *Ah virgo infelix*; cum Paſiphaen conſtat ex Minoe, ante amorem tauri, filios ſuſcepiſſe. Terentius in Hecyra, etiam mulierem, poſt partum, *virginem* vocat: *Nam vitium eſt oblatum virgini olim, ab neſcio quo improbo*.

688. NOMEN TAMEN HAUD LEVE PATRUM MANIBUS HOC REFERES TELO CECIDISSE CAMILLAE. Irriſio eſt amaritudinis plena: nam, ſi voluerimus ſimpliciter accipere, ut ita ſit dictum, quemadmodum ſupra, *Aeneae magni dextra cadis*, incipit contrarium eſſe ſuperioribus: unde melius eſt, ut perſeveremus in ſenſu, & ita ſit dictum: Magnam re vera gloriam laturus es ad manes parentum, quem foeminea tela ſuperarunt.

692. SEDENTIS. Equitis. Sane eum ex vicino intelligimus eſſe percuſſum.

695. INTERIOR. Siniſterior, breviore ſcilicet circulo.

PIERII.

quum ſententia de eo ſit, qui contineatur in loco, non autem in quempiam feratur, magis placet ablativo caſu, quod in pluribus habetur exemplaribus.

689. MANIBUS HOC REFERES, TELO CECIDISSE CAMILLAE. In Mediceo codice laſciva admodum adnominatione legitur: *Manibus hoc referes, manibus cecidiſſe Camillae*. Sed *telo* reliqui omnes agnoſcunt.

691. SED BUTEM ADVERSUM CUSPIDE FIGIT. Ut praeteream *fixit*, praeterito tempore, quod in pleriſque codicibus habetur, eo me convertam, quod majoris alicujus momenti eſſe videatur. Antiquus admodum codex *adverſa* legit, ſed de cuſpide dictum, hoc parum mihi ſatisfacit. Romanus codex, & Oblongus, Pomponianae deliciae, una cum Mediceo *averſum* legunt. Quod ideo mihi adridet, quia jocari videtur Poeta in diverſa feriendi ratione deſcribenda: unum enim Camilla jam *averſum*, & fugam arripientem in collo ſauciaverat. Orſilochum vero contra eluſit, ſimulata fuga. Quem quidem de fuga locum Virgilius ex Horatiorum pugna deſumpſit.

696. TUM VALIDAM PERQUE ARMA VIRO PERQUE OSSA SECURIM ALTIOR INSURGENS. Rom. codex, & aliquot alii, *exſurgens*, habent, quod

Altior exſurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, ſubitoque aſpectu territus haeſit
700 Apenninicolae bellator filius Auni,
Haud Ligurum extremus, dum fallere fata ſinebant.
Iſque ubi ſe nullo jam curſu evadere pugnae
Poſſe, neque inſtantem reginam avertere cernit;
Conſilio verſare dolos ingreſſus & aſtu,
705 Incipit haec: Quid tam egregium, ſi femina forti
Fidis equo? dimitte fugam, & te comminus aequo
Mecum crede ſolo, pugnaeque accinge pedeſtri:
Jam noſces, ventoſa ferat cui gloria laudem.

SERVII.

Di-

698. CONGEMINAT. Hic diſtinguendum eſt: nam nemo dicit, *ſecurim vulnus congeminat*, ſed *ſecuris*.

699. INCIDIT HUIC. Figurate, pro, in hanc incidit. Terentius: *Ego in eum incidi infelix locum, ut neque amittendi, neque retinendi ſit copia*.

700. APENNINICOLAE BELLATOR FILIUS AUNI. Quia Liguria majore parte ſui in Apennino eſt conſtituta. *Ligures* autem *omnes fallaces ſunt*, ſicut ait Cato in ſecundo Originum libro. FILIUS AUNI. *Aunus* ſcilicet: nam, ut ſupra diximus, cum, dictis parentibus, filiorum nomina ſupprimuntur, eos patri cognomines intelligimus; ut: *Tiburti Remule ditiſſimus olim*.

703. REGINAM AVERTERE. Proprio verbo uſus eſt, ut eſt mos equeſtris, id eſt, non ſperat fore, ut illam averteret.

704. VERSARE DOLOS INGRESSUS. Tractare, ut: *Seu verſare dolos, ſeu certae occumbere morti*. ASTU. Malitia: nam proprie *aſtutos*, malitioſos vocamus: unde in Terentio, poſtquam de domino dixit ſervus *aſtute*: ille iratus ait: *Carnifex quae loquitur?* Cicero: *Ita ſit, ut tua iſta ratio exiſtimetur aſtuta, meum hoc conſilium neceſſarium*.

706. DIMITTE FUGAM. Id eſt, equi celeritatem, cui fidis, relinque: *Fuga*, id eſt, celeritas, ut Juvenalis etiam indicat verſus: *Cujus clara fuga ante alios, & primus in aequore pulvis*.

708. VENTOSA FERAT GLORIA FRAUDEM. Haec eſt vera & antiqua lectio, ut FRAUDEM non LAUDEM legas; ut, ſi FRAUDEM legeris, ſit ſenſus: Pedes congredere; jam cognoſces cui inanis jactantia adferat poenam: nam *fraudem*, veteres poenam vocabant; ab eo, quod praecedit, id quod ſequitur, ut: *Et ſcelus expendiſſe merentem Laocoonta ferunt*. Cicero in Cornelianis: *Ne fraudi ſit ei, qui populum ad contentionem vocarit*. Ut etiam in antiquo cognoſcitur Jure. Salluſtius in Catilinar: *Diem ſtatuit, ante quam ſine fraude liceret ab armis diſcedere*. Eſt autem Hypallage, pro, cui fraus ferat gloriam. Si autem LAUDEM legerimus, erit ſenſus: Agnoſces, cui inanis gloria afferat laudem. *Ventoſa* autem *gloria* eſt, quam Graeci *κενοδοξίαν* vocant.

PIERII.

agnoſcitur a Donato; ſed *inſurgens* in pluribus eſt exemplaribus. In Mediceo illud etiam diverſum, quod *valida ſecuri*, caſu ſeptimo legitur: *Tum valida perque arma viro perque oſſa ſecuri*: utpote inſtrumento, quo ipſa *Altior inſurgens, oranti & multa precanti congeminat vulnus*.

702. EVADERE PUGNA. Vulgata quidem exemplaria, *pugna*, caſu ſeptimo legunt; ſed Oblongus codex *pugnam* habet, accuſativo caſu. Utrumque elocutionis modum admittunt Grammatici. Sed Romanus, Mediceus, & aliquot alii perveteres, *pugnae*, ſcriptum oſtendunt, Graecanica elocutione *ἀποφεύγειν τ πολέμου*. Sed quia nuſquam ego alibi figuram hujuſmodi apud Auctores reperi, quod meminiſſe poſſim, in medio hoc relinquam.

707. PUGNAEQUE ACCINGE PEDESTRI. In antiquis pleriſque codicibus ablativo caſu poſitum eſt, *pugnaque adcinge pedeſtri*. Alibi tamen, *adcingunt omnes operi*, dictum acquiſitivo caſu.

708. VENTOSA FERAT CUI GLORIA LAUDEM. Rom. codex *fraudem* habet; quum tamen plerique alii

Dixit: at illa furens, acrique accenſa dolore,
710 Tradit equum comiti, paribuſque reſiſtit in armis,
Enſe pedes nudo, puraque interrita parma.
At juvenis, viciſſe dolo ratus, avolat ipſe,
(Haud mora) converſiſque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
715 Vane Ligus, fruſtraque animis elate ſuperbis,
Nequidquam patrias tentaſti lubricus artis:

Nec

SERVII.

710. PARIBUSQUE ASSISTIT IN ARMIS PEDES. Sicut etiam illum congreſſum putabat.

711. PURA PARMA. Tunc enim primum in bella deſcenderat; cum tyrones pictas minime geſtarent parmas.

713. FUGAX. Fugiens: nam nomen eſt pro participio: non enim *fugacem* poſſumus accipere: quem ſupra legimus *bellatorem*.

714. FERRATA CALCE. *Calcem*, genere foeminino uſurpat.

715. VANE LIGUS. Aut fallax, aut inaniter jactans: nam *vanos*, ſtultos, poſteriores dicere coeperunt: & vanum eſt etiam in neotericis. Juvenalis: *Sic libitum vano, qui nos diſtinxit, Othoni*. Quid autem hoc loco *vane* ſignificet, ſequentia demonſtrant, *Fruſtraque animis elate ſuperbis*. Poſſumus tamen hic & mendacem verius accipere: quia ait: *Dum fallere ſinebant*. Et: *Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno*. Nigidius de Sphaera: *Nam & Ligures, qui Apenninum tenuerunt, latrones inſidioſi, fallaces, mendaces*. Cato Originum II. cum de Liguribus loqueretur: *Sed ipſi, unde oriundi ſunt, exacta memoria inlitterati, mendaceſque ſunt, & vera minus meminere*. Sane ſubito, ut ſolet, ad characterem dramaticum tranſit: neque enim oſtendit Camillam loqui coepiſſe.

716. LUBRICUS. Fallax, mobilis.

PIERII.

alii veteres *laudem* legant. Servius a Romano codice ſtat, qui *fraudem*, veram eſſe lectionem putat: curque ita ſit legendum, quaſdam affert rationes. Contra Ti. Donatus *laudem* agnoſcit, hac paraphraſi: *Experiundo cognoſces quis debeat jure, meritoque laudari*. Utra potior ſit ſententia, quum non veteres tantum codices, verum & opinatiſſimi Grammatici diverſa tradant, aliorum arbitrio judicandum reliqui. Eſt etiam in Mediceo *feret*, finitivo modo, ut quid certius afferat; ſed *ferat*, in pluribus habetur.

709. ACRIQUE INCENSA DOLORE. In Rom. cod. in Oblongo, in Mediceo, & pleriſque aliis antiquis, *accenſa* & *adcenſa* legitur.

710. PARIBUSQUE ASSISTIT IN ARMIS. Oblongus quidem codex *aſſiſtis* habet; ſed cum Mediceo Porcius, Vitalianus, atque Delphius, & pleraque exemplaria manu ſcripta, *Paribuſque reſiſtis in armis*, legunt.

712. ADVOLAT IPSE. Hic *abvolat* omnino, vel *avolat*, ut in Mediceo, legendum. Tametſi *advolat* in antiquis aliquot codicibus reperiatur.

714. QUADRUPEDEMQUE. In antiquis aliquot codicibus *quadripedemque*, ut obſervatum ſaepius per i ſecunda ſyllaba. FERRATO CALCE FATIGAT. *Ferrato*, virili genere, in impreſſis codicibus aliquot inveni, parcius in manu ſcriptis, qui plurimum habent *ferrata calce*, genere foeminino, uti eſt in Mediceo, & ita ſcripſiſſe Virgilium Nonius Marcellus atteſtatur. Quamvis Plautus, & Varro *Calcem* maſculino genere dicere maluerint. Praeterea quaeri dicit Probus, qua de cauſſa Virgilius nomen hoc foeminino genere pronuntiaverit: factumque ideo ait: *quoniam quaecumque nomina Romana duntaxat inanimalia, nominativo caſu, numeri ſingularis, x litera terminantur, & monoſyllaba eſſe reperiuntur, nec foeminini generis eſſe pronuntiantur*. Ad haec FL. Soſipater, *Calx*, ait, *ſive qua calcamus, ſive qua aedificamus, foeminini generis eſt, ut & Virgilius ait:* Ferrata calce fatigat.

715. VANE LIGUS. Antiquiſſimus codex majoris notae Mediceus, & pleraque vetera exemplaria, *Ligus* legunt, per s & per us. *Ligus Liguris, ut lepus leporis*, & *vetus veteris*, declinari ait Fl. Soſipater. FRUSTRAQUE ANIMIS ELATE SUPERBIS. In codicibus aliquot antiquis, *armis elate ſuperbis*, legitur: quod quidem hic nihil aliud ſignificaret, quam alto equi dorſo, cui Ligus ipſe plurimum fidebat; ſed omnino melius *animis*, ut ad procaciora ea verba reſpondeat, quibus Camillam in certamen provocaverat.

Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Haec fatur virgo, & pernicibus ignea plantis
Tranſit equum curſu, freniſque adverſa prehenſis
720 Congreditur, poenaſque inimico ex ſanguine ſumit.
Quam facile accipiter ſaxo ſacer ales ab alto
Conſequitur pennis ſublimem in nube columbam,
Comprenſamque tenet, pedibuſque eviſcerat uncis:
Tum cruor, & volſae labuntur ab aethere plumae.
725 At non haec nullis hominum ſator atque Deorum
Obſervans oculis ſummo ſedet altus Olympo.
Tyrrhenum genitor Tarchonem in proelia ſaeva
Suſ-

SERVII.

718. PERNICIBUS IGNEA PLANTIS. Modo velocibus; alias perſeverantibus: nam *pernix*, interdum perſeverans ſignificat, ut ipſe in Georgicis: *Et inter Dura jacet pernix inſtrato ſaxa cubili*.

719. TRANSIT EQUUM CURSU. Nunc hoc incredibile videretur eſſe, niſi praemiſiſſet in ſeptimo: *Illa vel intactae ſegetis per ſumma volaret Gramina, nec teneras curſu laeſiſſet ariſtas*. ADVERSA. Oppoſita. QUAM. Similitudiois adverbium eſt; & pronomen tam ſubjuoctivum, quam praepoſitivum; eſt & conjunctio, ut cum dicimus: *tam hoc, quam illud*. ACCIPITER SAXO SACER ALES AB ALTO. *Sacer* ideo, quia Marti eſt conſecratus *accipiter*: aut *ſacer*, avibus execrabilis, ut: *Auri ſacra fames*: aut, quod verius eſt, Graecum oomen expreſſit: nam ἱέραξ dicitur, hoc eſt, *ſacer*: ἱερεὺς enim Graece, Latioe *ſacerdos* vocatur: cur autem Graece ita dictus ſit, ratione non caret, quae nota eſt ſacrorum peritis.

722. CONSEQUITUR PENNIS. Nova laus Camillae: ſiquidem accipiter columbam ſequitur, ipſa hoſtem praecedit: ipſa etiam avium comparatio ſumpta eſt e contrario: nam aequius vir accipitri; Camilla compararetur columbae.

723. EVISCERAT. Ne vulgari verbo & Graeco uteretur, dicens *exenterat*, ait, *pedibuſque eviſcerat*.

724. TUM CRUOR, ET VULSAE LABUNTUR AB AETHERE PLUMAE. Ecbaſis poetica, id eſt, excurſus.

725. NON NULLIS. Id eſt, non negligentibus: nam Litotes figura eſt: vult enim dicere: non leviter Juppiter intuebatur iſta certamina. Ideo & adjecit, *obſervans oculis*, id eſt, inteote aſpiciens. Plautus: *Obſervato, quam blande ſuppalpetur mulieri*.

PIERII.

720. INIMICO A SANGUINE SUMIT. Romanus codex, Mediceus, & alii plerique veteres legunt *inimico ex ſanguine*: quae praepoſitio magis huic loco videtur convenire.

721. QUAM FACILE ACCIPITER SAXO SACER ALES. Ea conſuetudine, quae fuit ex *accipio*, verbo, praepoſitionem integram notare, prius quam Lucillius cc gemioare ioſtituiſſet: aliquot inde aetatibus repetita, *adcipiter*, per D, & *atcipiter*, per T alterius aetatis abuſu ſcriptum alicubi reperitur. Alitem eoim eam ita nuncupatam ajunt, quod ad aliarum avium capturam genita ſit. Manifeſte vero *Virgilium accipitrem* virili genere protuliſſe locus hic oſtendit: quum tamen Lucretius foeminino dicere maluerit: *Accipitres ſomno in leni ſic praelia pugnaſque Edere ſunt perſectantes viſae, atque volantes*. Quem locum, ne quis, ut pleraque alia corrupta ſunt, *viſi*, reponendo, vitiare auſit, ſciaot *accipitrem* foeminioo genere ſcriptum a Lucretio, Nonii Marcelli teſtimonio.

724. TUNC CRUOR ET VULSAE LABUNTUR AB AETHERE PLUMAE. In Rom. cod. abſque copulativa particula, ſed adaucta, per adplicitam praepoſitionem, verbi ſignificatione, *evolſae* legitur, ſententia non ſine injuria mutilata: quare magis placet quod in aliis, & *volſae*, legitur: Quod vero in vulgatis, *tunc* eſt; *tum* in veteribus pleriſque reperitur.

727. TYRRHENUM GENITOR TARCONTEM. Romanus codex, Mediceus, & plerique alii veteres, *Tarconem* legunt abſque T: & *Tarco*; abſque N finali litera rectum poount: quamvis apud Graecos Τάρχων Τάρχοντος dicitur, idque per χ denſam literam.

Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus injicit iras.
Ergo inter caedes, cedentiaque agmina Tarchon
730 Fertur equo, variiſque inſtigat vocibus alas,
Nomine quemque vocans: reficitque in proelia pulſos.
Quis metus, o numquam dolituri, o ſemper inertes
Tyrrheni, quae tanta animis ignavia venit?
Femina palantis agit, atque haec agmina vertit?
735 Quo ferrum, quidve haec gerimus tela inrita dextris?
At non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella;
Aut, ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Exſpectare dapes, & plenae pocula menſae.
Hic amor, hoc ſtudium; dum ſacra ſecundus haruſpex
Nun-

SERVII.

730. INSTIGAT VOCIBUS ALAS. Alas incitat, & irritat ad reditum: primum enim eſt, ut fugere deſinant; poſt, ut in hoſtes impetum faciant.

731. NOMINE QUEMQUE VOCANS. Per hoc extrema neceſſitas indicatur. REFICITQUE. Id eſt, reſtituit.

732. QUIS METUS. Dolentis, interrogantis, id eſt, qualis, quantus; qui viros etiam foeminam timere compellit? unde paulo poſt: *Quae tanta animis ignavia venit? Foemina palantes agit*. O NUNQUAM DOLITURI. Id eſt, ſtulti. Stultus enim eſt, quisquis injuria non movetur. Et bene *nunquam*: ſiquidem ante ſaevitiam Mezentii pertulerunt, nec ſe ulti ſunt: nunc praebent terga mulieri; & ne hinc quidem commoventur dolore. Nonnulli tamen *dolorem*, ſtudii alicujus ardorem & promptam gloriae cupiditatem, veterum more, dictum tradunt, ut Graeci πόνον,

734. ATQUE HAEC AGMINA VERTIT? Δακτικοῖς, id eſt, multitudinem tantam, hoc eſt, magnam.

735. INRITA. Id eſt, inertia, quae nos ulciſci minime valent.

736. AT NON IN VENEREM SEGNES. Latenter hoc dicit: Mulierem fugitis, quia armata eſt; alias primi ad hunc curritis ſexum. NOCTURNAQUE BELLA. Coitum. Alibi: *Et ſi quando ad praelia ventum eſt*.

737. CURVA TIBIA. Symphoniacorum. BACCHI autem ideo, quia apud veteres ludi theatrales non erant, niſi in honorem Liberi patris. Hanc *tibiam* Graeci πλαγίαυλον vocant; Latini *vaſcam tibiam*: & eſt *Dionyſia*: cum maxime ea Satyri utuntur.

738. EXPESCTATE. Pro, exſpectatis, modum pro modo poſuit.

739. HIC AMOR, HOC STUDIUM. Per parentheſim dictum eſt; nam ordo eſt: *Pocula menſae dum ſacra ſecundus aruſpex nuntiet*. SECUNDUS ARUSPEX. Pro, ſecunda ſacra, id eſt, proſpera: ſicut e contrario Homerus μάντι κακῶν, id eſt, *malorum divine*.

740. IN ALTOS LUCOS. Illic enim epulabantur ſacris diebus. Mire autem VOCET HOSTIA, pro, ut ad hoſtiam conveniatis.

PIERII.

728. ET STIMULIS HAUD MOLLIBUS INCITAT IRAS. In Romano codice, & in Oblongo, *inicit* habetur, quod non diſplicet, tametſi *incitat*, non improbarim, quod ex luſu poetico duo verba ejuſdem originationis eodem verſu poſita, nonnihil habeant venuſtatis: *Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus incitat iras*.

735. QUIDVE HAEC GERITIS TELA IRRITA DEXTRIS. In Romano codice, in Oblongo, & pleriſque aliis antiquis legere eſt, *quidve haec gerimus tela*: quod majorem quandam vim ad eos excitandos habet, facitque objurgationem aequioribus auribus exaudiri, quum ſe quoque admiſceat convicio, nemineinque eſſe objurgationi & opprobrio non obnoxium indicet.

738. EXPECTARE DAPES. Impreſſorum plurimi, *expectare*, modo perpetuo ſcribendum curavere, ut ſit, non *ſegnes expectare*: eaque lectio in aliquot omnino codicibus antiquis invenitur. In omnibus vero Vaticanae Bibliothecae, in Mediceo, in Porcio, in Vitaliano, & pleriſque aliis *expectate* legitur, imperandi modo: quod Servius agnoſcere videtur, dum exponit: *pro expectetis*: niſi quis infinitivum more Graecorum pro imperativo poſitum dicere velit. Non elidi vero *s* literam ex eo verbo, dictum alibi.

740 Nuntiet, ac lucos vocet hostia pinguis in altos.
Haec effatus, equum in medios, moriturus & ipse,
Concitat, & Venulo adversum se turbidus infert,
Dereptumque ab equo dextra complectitur hostem,
Et gremium ante suum multa vi concitus aufert.
745 Tollitur in caelum clamor: cunctique Latini
Convertere oculos. Volat igneus aequore Tarchon,
Arma virumque ferens: tum summa ipsius ab hasta
Defringit ferrum; & partis rimatur apertas,
Qua vulnus letale ferat: contra ille repugnans
750 Sustinet a jugulo dextram, & vim viribus exit.
Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, inplicuitque pedes, atque unguibus haesit:
Saucius at serpens sinuosa volumina versat,
Arrectisque horret squamis, & sibilat ore,
755 Arduus insurgens: illa haud minus urguet obunco
Lu-

SERVII.

741. MORITURUS ET IPSE. Moriturus animo: nam moriturus non est. Quod autem ait *& ipse*, aut ad Camillam, aut ad Venulum respicit.

742. TURBIDUS. Id est, terribilis.

743. DIREPTUMQUE AB EQUO DEXTRA COMPLECTITUR HOSTEM. Hoc de historia tractum est: namque Caius Julius Caesar, cum dimicaret in Gallia, & ab hoste raptus, equo ejus portaretur armatus, occurrit quidam ex hostibus, qui eum nosset, & insultans ait, *Caesar, Caesar*: quod Gallorum lingua *dimitte* significat: & ita factum est ut dimitteretur. Hoc autem ipse Caesar in Ephemeride sua dicit, ubi propriam commemorat felicitatem. Est & alia hujus rei historia: Varro enim, cum de suo cognomine disputaret, ait: *eum, qui primus Varro sit appellatus, in Ilyrico hostem, Varronem nomine, quod rapuerat, & ad suos portaverat, ex insigni facto meruisse nomen.*

745. TOLLITUR IN CAELUM CLAMOR. Rei scilicet admiratione.

748. RIMATUR. Inquirit, ut: *Rimanti telum ira facit.*

750. EXIT. Evitat, ut: *Atque oculis vigilantibus exit.*

751. UTQUE VOLANS ALTE RAPTUM. Homerica comparatio: Ὄρνις γάρ σφιν ἐπῆλθε περησέμεναι μεμαῶσιν Αἰετὸς ὑψιπέτης ἐπ' ἀριστερὰ λαὸν ἐέργων, Φοινήεντα δράκοντα φέρων ὀνύχεσσι πέλωρον Ζωὸν ἔτ' ἀσπαίροντα, καὶ οὔπω λήθετο χάρμης. Κόψε γὰρ αὐτὸν ἔχοντα κατὰ στῆθος παρὰ δειρὴν, Ἰδνωθεὶς ὀπίσω, ὁ δ' ἀπὸ ἕθεν ἧκε χαμᾶζε Ἀλγήσας ὀδύνῃσι, μέσῳ δ' ἐνὶ κάββαλ' ὁμίλῳ. Αὐτὸς δὲ κλάγξας πέτετο πνοιῇς ἀνέμοιο. Et utrum, *alte volans*; an, *alte raptum*, an, *alte fert?*

PIERII.

742. ET VENULO ADVERSUM SE TURBIDUS INFERT. In Romano codice, & in Mediceo, *offert*, atque in aliquot aliis: quod omnino Donatus agnoscit, dum ait: *Obtulit se Venulo adversum: debuit enim aliquid prior audere, qui omnium hortator extiterat.*

755. ARDUUS INSURGENS ILLA HAUD MINUS URGET ADUNCO LUCTANTEM ROSTRO. In codicibus aliquot antiquis, *arduos* legitur: quam terminationem Carisius, in his praesertim nominibus, quae in us purum exeunt, nequaquam admittere voluit, de quo plura alibi. Quod vero *adunco*, in Romano codice legitur, in Oblongo *obunco* est, uti etiam superius, in Mediceo, & aliquot aliis *abunco* per b, utrumque in plerisque abrasa litera nihil certi proponit.

Luctantem rostro; simul aethera verberat alis.
Haud aliter praedam Tiburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis exemplum eventumque secuti
Maeonidae incurrunt. Tum fatis debitus Arruns
760 Velocem jaculo, & multa prior arte Camillam
Circuit, &, quae sit fortuna facillima, tentat.
Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo.
Hac Arruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
765 Hac juvenis furtim celeris detorquet habenas.
Hos aditus, jamque hos aditus, omnemque pererrat
Undique circuitum; & certam quatit inprobus hastam.
Forte sacer Cybelae Chloreus, olimque sacerdos,

In-

SERVII.

756. Luctantem rostro. Magna brevitate rem descripsit.

758. Ducis exemplum eventumque. Et virtutem, & felicitatem: *exemplum*, quod coepit; *eventum*, quod prospere.

759. Maeonidae. Lydii, ut: *Maeonidae delecta juventus*.

760. Arte. Fraude, dolo, ut: *Arte Pelasga.*

762. Qua se cumque furens medio tulit agmine virgo, Hac Aruns subit. Ut etiam supra diximus, ita Poeta loquitur, ut aliquibus locis det suspicionem, quod Aruns de Turni partibus fuerit: namque & in Camillam impetum facit, & cum ea rursus recedit; quod nisi de socio non procedit. Donatus etiam dicit, esse manifestum signum, socium ei fuisse; quod Apollinem Soractis invocat montis: de quo Turno venisse constat auxilia: licet possit fieri, ut alterius loci homo alterius loci invocet numen. Item ad argumentum vocat: *Patrias remeabo inglorius urbes*: quod etiam de hoste procedit. Inglorius autem ideo, quia superare foeminam, nullam constat esse virtutem: aut quia nec gloriari poterat, si Camillam earundem partium occidisset, ut, quod supra dictum est, videatur eam invidia peremisse; quod viris praeripiat gloriam, & sola nobiliter pugnet Camilla.

763. Tacitus. Hoc est, latens.

767. Circuitum. Proprie: nam *circumire*, insidiantium est: unde est: *Nec gregibus nocturnus obambulat*. Certam hastam. Ioevitabilem: unde est e contrario. *Et incertam excussit cervice securim*. Id est, infirmam, evitabilem.

768. Sacer Cybelae. Nunc montem pro numine, quod in eo colitur, posuit. Et bona occasio ad mortem Camillae, ut sacerdotem majoris numinis conetur occidere: per quod quasi exauctoratur Dianae favor, interveniente majoris numinis iracundia. Olimque sacerdos. Aut quia vetus sacerdos: aut cujus etiam majores sacerdotes fuissent, quibus apud veteres in sacra quoque succedebatur.

PIERII.

758. Ducis eventum exemplumque secuti. Io antiquis codicibus, *exemplum eventumque*: par enim est, rem prius aggredi, quam quid inde eveniat spectare possis.

762. Qua se cumque furens medid tulit agmine virgo. In antiquis aliquot codicibus, *Qua se cumque ferens*, legitur, quod nonnullis & honestius, & decorum magis videtur; sed enim *furens*, Ti. Donatus agnoscit, dum sic ait: *Dixit autem caussam, qua perfectum est, ut illa explorantis Arruntis non sentiret insidias: ferebatur, inquit, studio belli & furore certaminum*.

766. Hos aditus jamque hos aditus omnemque pererrat Undique circuitum. In antiquo codice, *hos aditus jamque hos abitus* legitur: quod ejus diligentiam ostendit, ut non prius adire velit, quam praeviderit, qua sit etiam abeundum. *Abitus* porro Donatus agnoscit; sed de Camilla dictum intelligit: *Quacumque abibat, vel quacumque habuit transitum, & quoscumque illa circuitus obibat*, observabat iste opperiens caussam, quo posset circumveoire fortiorem.

768. Forte sacer Cibele Cloreus olimque

sa-

Insignis longe Phrygiis fulgebat in armis,
770 Spumantemque agitabat equum: quem pellis aënis
In plumam squamis auro conserta tegebat.
Ipse, peregrina ferrugine clarus & ostro,
Spicula torquebat Lycio Gortynia cornu.
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
775 Cassida: tum croceam chlamidemque sinusque crepantis
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis praefigeret arma
Troïa, captivò sive ut se ferret in auro,
780 Venatrix, unum ex omni certamine pugnae
Caeca sequebatur; totumque incauta per agmen
Femineo praedae & spoliorum ardebat amore:
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto

Con-

SERVII.

769. LONGE FULGEBAT. Vel longe fulgebat; vel longe insignis.

770. QUEM PELLIS AHENIS IN PLUMAM SQUAMIS, AURO CONSERTA TEGEBAT. Cataphractum eum fuisse significat. Cataphracti autem equites dicuntur, qui ipsi ferro muniti sunt, & equos similiter munitos habent: de quibus Sallustius: *Equis paria operimenta erant, quae lintea ferreis laminis in modum plumae adnexuerant*. PLUMA, est in armatura, ubi lamina in laminam se indit. Nunc autem pro linteo, *pellem* posuit: & *aeneas squamas*, aereas laminas intelligimus. IN PLUMAM vero, in similitudinem plumae, ut: *Excisum Euboicae latus ingens rupis in antrum*: id est, in antri similitudinem. Sane sciendum, quod ipsos equites cataphractos dicimus. Sallustius: *Et sequebantur equites cataphracti*.

772. PEREGRINA FERRUGINE. Ut *Hibera*, id est, Hispana: nam ipse hoc alibi exposuit: *Et ferrugine clarus Hibera*. Quidam purpuram accipiunt, quod ejus prima tinctura ferrugineo colore sit.

773. SPICULA TORQUEBAT LYCIO CORTYNIA CORNU. Cretenses sagittas Lycio arcu dirigebat: quod, ut etiam supra diximus, ad ornatum poni consuevit.

774. VATI. Hic vatem, supra sacerdotem, ut de Heleno utrumque.

775. CASSIDA. Pro, cassis: nam accusativum posuit pro nominativo.

777. PICTUS ACU TUNICAS, ET BARBARA TEGMINA CRURUM. *Pictus tunicas*, pictus crurum barbara tegmina, id est, habebat vestem Phrygionis arte perfectam. Sane armorum longa descriptio illuc spectat, ut in eorum cupiditatem merito Camilla videatur esse succensa.

782. FOEMINEO. Inpatienti, inrationabili, ut: *Foemineae ardentem curaeque iraeque coquebant*.

PIERII.

SACERDOS. In codicibus aliquot antiquis *satus Cybele* legitur, ne *sacer* & *sacerdos*, quam ajunt, nugarionem facerent. Sed quamvis *sacer*, pluribus scriptum sit in exemplaribus: quum tamen Donatus legat *Cybelo*, ut in Mediceo habetur codice: hoc est, in quo Cybele colebatur: de quo superius dictum eo versu: *Hinc mater cultrix Cybele*: mihi minime displiceret *satus Cybelo*.

771. AUROQUE INSERTA TEGEBAT. Exemplaria fere omnia vetustiora legunt, *auro conserta*: nam particula *que*, importune omnino videbatur adposita.

773. LYCIO CORTYNIA CORNU. Et *Cortynia* per *c*, & *Gortynia* per *g*, indifferenter scribi posse ostendimus alibi.

774. AUREA VATI CASSIDA. Servius accusativum ait pro nominativo positum. Valerius Probus contra, *Virgilius* inquit, *haec cassida acclinavit*. Exemplaque referuntur a Carisio cum hoc ipso, *aurea vati cassida*, ex Propertio: *Aurea cui postquam nudavit Cassida frontem*.

Concitat, & ſuperos Arruns ſic voce precatur:
785 Summe Deum, ſancti cuſtos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui pineus ardor acervo
Paſcitur; & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus veſtigia pruna;
Da, Pater, hoc noſtris aboleri dedecus armis,
790 Omnipotens. Non exuvias, pulſaeve tropaeum
Virginis, aut ſpolia ulla peto. Mihi cetera laudem
Facta ferent. Haec dira meo dum volnere peſtis
Pulſa cadat, patrias remeabo inglorius urbis.
Audiit, & voti Phoebus ſuccedere partem
795 Mente dedit: partem volucris diſperſit in auras.
Sterneret ut ſubita turbatam morte Camillam,

SERVII.

785. SUMME DEUM. Ex affectu colentis dicitur: nam Juppiter ſummus eſt. SANCTI CUSTOS SORACTIS APOLLO. *Soractis*, mons eſt Hirpinorum in Flaminia collocatus. In hoc autem monte cum aliquando Diti Patri ſacrum perſolveretur (nam Diis manibus conſecratus eſt) ſubito venientes lupi exta de igni rapuerunt, quos cum diu paſtores ſequerentur, delati ſunt ad quandam ſpeluncam, halitum ex ſe peſtiferum emittentem, adeo ut juxta ſtantes necaret: & exinde eſt orta peſtilentia, quia fuerant lupos ſecuti: de qua reſponſum eſt, poſſe eam ſedari, ſi lupos imitarentur, id eſt, rapto viverent. Quod poſtquam factum eſt, dicti ſunt populi Hirpini Sorani: nam lupi Sabinorum lingua Hirpi vocantur: Sorani vero, a Dite: nam Dis Pater Soranus vocatur: quaſi lupi Ditis Patris: unde memor rei Virgilius Arruntem paulo poſt comparat lupo: quaſi Hirpinum Soranum.

786. PINEUS ARDOR. Ignis *περίφρασις*. ACERVO. Pyra, coacervatione lignorum.

787. FRETI PIETATE. Iſte quidem hoc dixit; ſed Varro, ubique expugnator religionis, ait, cum quoddam medicamentum deſcriberet: *Eo uti ſolent Hirpini, qui ambulaturi per ignem, medicamento plantas tingunt.*

788. MULTA PRUNA. Inter prunas. *Pruna* autem, quamdiu ardet, dicitur. Horatius: *Praetextam & latum lavum, prunaeque batillum:* cum autem extincta fuerit, *carbo* nominatur. Terentius: *Tam excoctam atque atram reddam, quam carbo eſt:* nam *pruna* a perurendo dicta eſt.

790. EXUVIAS, PULSAEVE TROPAEUM. *Exuvias*, occiſae; pulſae, *tropaeum*. Et proprie: nam, ut ſupra diximus, de occiſis hoſtibus triumphabant, de pulſis figebant tropaea.

795. PARTEM MENTE DEDIT, PARTEM VOLUCRES DISPERSIT IN AURAS. Bona moderatio Apollinis inter ſacerdotis preces, & voluntatem ſororis. Eſt autem Homeri, orante Patroclo Achille: *Ὣς ἔφατ' εὐχόμενος, τοῦ δ' ἔκλυε Ζεύς. Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατήρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. Νηῶν μέν οἱ ἀπώσασθαι πόλεμόν τε μάχην τε Δῶκε, σόον δ' ἀνένευσε, μάχης δ' ἐξαπονέεσθαι.*

PIERII.

783. TELUM EX INSIDIIS CUM TANDEM TEMPORE CAPTO CONJICIT. Veteres quidem aliquot codices *conicit* legunt, idque uti mos unico i, ſed longe plures, *concitat:* & ita etiam in eo legitur, cui ſubjecta ſunt Donati quae vidimus commentaria: nam & oraturus eſt prius, & opem Apollinis multis precibus imploraturus; deinde miſſurus haſtam; quare multo poſt ait: *Ergo ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras.*

791. MIHI CAETERA LAUDEM FACTA FERENT. In antiquis pleriſque codicibus non ſine judicio ſcriptum obſervavi *ferant*, per loquendi modum indefinitum.

793. PATRIAM REMEABO INGLORIUS URBEM. In codicibus omnibus antiquis, quotquot legi, *patrias remeabo inglorius urbis*, numero multitudinis ſcriptum inveni; quod tamen in medio relinquimus.

Adnuit oranti: reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque notos vocem vertere procellae.
Ergo, ut miſſa manu ſonitum dedit haſta per auras,
800 Convertere animos acris, oculoſque tulere
Cuncti ad reginam Volſci. Nihil ipſa neque aurae,
Nec ſonitus memor, aut venientis ab aethere teli;
Haſta ſub exſertam donec perlata papillam
Haeſit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
805 Concurrunt trepidae comites, dominamque ruentem
Suſcipiunt. Fugit ante omnis exterritus Arruns,
Laetitia mixtoque metu: nec jam amplius haſtae
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
Ac velut ille, prius quam tela inimica ſequantur,
810 Continuo in montis ſeſe avius abdidit altos,
Occiſo paſtore, lupus, magnove juvenco,
Conſcius audacis facti; caudamque remulcens
Subjecit pavitantem utero, ſilvaſque petivit;

Haud

SERVII.

801. NIHIL IPSA, NEC AURAS, NEC SONITUS MEMOR. Haec eſt antiqua lectio; namque apud majores trahebatur interdum a Graeco genitivus ſingularis. Hinc eſt & *paterfamilias*, & *materfamilias*: quae duo tantum nomina remanſerunt: nam nec *hujus auras* dicimus, nec *hujus custodias*, ſecundum Salluſtium, qui ait: *Caſtella cuſtodias theſaurorum*: pro, *cuſtodiae*: ita enim etiam Aſper intelligit: licet alii *cuſtodias*, accuſativum velint. Sane *paterfamilias*, & *materfamilias* quando dicimus, *familias* indeclinabile eſt. Si autem *paterfamiliae* dicere voluerimus, jam non erit nomen; ſed locutio, & *familiae*, erit dativus: nam *pater mihi eſt* dicimus. Terentius: *Natura tu illi pater es, conſiliis ego*. Multi tamen volunt in numero plurali nomen utrumque declinari, ut dicamus, *hi patresfamiliae*, *horum patrumfamiliarum*.

803. PAPILLAM EXERTAM. Nudam. Sane *mamilla* eſt omnis eminentia uberis: *papilla* vero, breve illud, unde lac trahitur.

805. DOMINAM. Reginam, ut; *Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti*.

808. VIRGINIS AUDET. Sic fuerat conſternatus, ut etiam vulneratam timeret.

811. OCCISO PASTORE LUPUS. Bene paſtori comparat reginam: nam reges ipſi, *paſtores* vocantur. Homerus: ποιμένα λαῶν.

812. CAUDAM PAVITANTEM. Quae timorem indicat: pro, ipſe pavitans.

PIERII.

801. NIHIL IPSA NEC AURAE, NEC SONITUS MEMOR. *Auras*, antiquam eſſe lectionem Servius aſſeverat, genitivum a Graeco ſermone mutuo ſumptum, ut *pater familias* dicitur: & apud Salluſtium: *Caſtella cuſtodias theſaurorum*, pro, cuſtodiae. Vetera tamen haec exemplaria quae prae manibus habemus, *aurae* legunt Latina ſpecie; ſed unum etiam non praeteribo, eſſe codices aliquot, in quibus, *nihil illa neque aurae*, ſcriptum ſit.

807. LAETITIA MIXTOQUE METU. In Romano codice *moeſtoque metu* legitur, ut laeticiae ſit antitheton; ſed enim *mixto* longe caſtior eſt lectio.

811. MAGNOQUE JUVENCO. In antiquis exemplaribus *magnove*, quod ſi diligentius animadvertas, longe melius eſt.

Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Arruns,
815 Contentusque fuga mediis se inmiscuit armis.
Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat volnere mucro.
Labitur exsanguis: labuntur frigida leto
Lumina. Purpureus quondam color ora reliquit.
820 Tum sic exspirans Accam, ex aequalibus unam,
Adloquitur; fida ante alias quae sola Camillae,
Quicum partiri curas; atque haec ita fatur:
Hactenus, Acca soror, potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.
825 Effuge, & haec Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnae, Trojanosque arceat urbe.
Jamque vale. Simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens. Tum frigida toto
Paullatim exsolvit se corpore, lentaque colla,
830 Et captum leto posuit caput, arma relinquens:
Vita-

SERVII.

814. TURBIDUS. Timidus modo, supra terribilis, ut: *Venulo adversum se turbidus infert*.

817. MUCRO. Hinc apparet, *mucronem*, esse cujuslibet teli acumen.

818. FRIGIDA LETHO. Alii TELO legunt: & intelligunt *vulnere*. Et quidam, LABUNTUR LETHO, non *letho frigido*; sed *letho labuntur*. Alii *frigida letho* accipiunt: quia sequitur post: *Captum letho posuit caput*: Nonnulli *frigida lumina* tradunt, scilicet ignis calore extincto, ut e contrario: *Ad caelum tendens ardentia lumina*.

822. PARTIRI CURAS. Subaudis, consueverat. HAEC ITA FATUR. Unum abundat: nam supra ait: *Adloquitur*.

823. POTUI. Absolute: vel pugnare vel vivere: necessaria enim Eclipsis in defectione, quae ex arte non semel posita est.

825. SUCCEDAT PUGNAE. Animus bellatricis ostenditur, quae non se dolet lucem, sed bella deserere: in tantum, ut nihil aliud moriens, quam de republica tuenda, & bellum mandaret: & solum putaret idoneum Turnum in ejus vicem succedere.

828. NON SPONTE FLUENS. *Non sponte*, ut supra: *Portisque ab equo regina sub ipsis Desiluit: quam tota cohors imitata relictis Ad terram defluxit equis*.

829. PAULLATIM EXSOLVIT SE CORPORE. Sic in quarto: *Teque isto corpore solvo*.

830. ET CAPTUM LETHO POSUIT CAPUT. Cum dicit *caput*, ostendit operam consecrari, usque dum solvatur caput hominis, id est liberetur; quod facilius potest morte contingere, sicut supra dictum est. ARMA RELINQUUNT, legunt. Probus Hypallagen vult, vel contrarium, ut *ipsa relinquit*. Alii *arma relinquunt*, laudant dictum: id est, illa decidebant e manibus Camillae exanimis.

PIERII.

814. SE TURBIDUS ABSTULIT ARRUNS. In antiquis plerisque codicibus, & hic & alibi, *Arrons*, per o scriptum est, passimque RR geminato; sed Probus notat *Aruns*, *Aruntis* per U.

818. LABITUR EXANGUIS. Plerique codices antiqui *exsanguis*, scribunt dictione nihil quicquam corrupta: uti etiam *exsolvit* & *exspirans*, & similia. Donatus legere videtur: *Labitur & sanguis*, *labuntur frigida letho*, addita paraphrasi, *recedente per lapsum sanguine*, *oculi quoque morientis labuntur in mortem*.

822. QUICUM PARTIRI CURAS. Tametsi

Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.
Tum vero inmenſus ſurgens ferit aurea clamor
Sidera: dejecta crudeſcit pugna Camilla:
Incurrunt denſi ſimul omnis copia Teucrum,
835 Tyrrhenumque duces, Euandrique Arcades alae.
At Triviae cuſtos jam dudum in montibus Opis
Alta ſedet ſummis, ſpectatque interrita pugnas:
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Proſpexit triſti multatam morte Camillam;
840 Ingemuitque, deditque has imo pectore voces:
Heu nimium, virgo, nimium crudele luiſti
Supplicium, Teucros conata laceſſere bello!
Nec tibi deſertae in dumis coluiſſe Dianam

Pro-

SERVII.

831. VITAQUE CUM GEMITU FUGIT INDIGNATA SUB UMBRAS. Servat hoc ubique, ut juvenum animas a corporibus dicat cum dolore diſcedere, quod adhuc eſſe ſuperſtites poterant: quod etiam de Turno dicturus eſt. Et eſt Homeri. Idem Cicero in Catone Majore: *Jam omnis conglutinatio recens, aegre: inveterata, facillime divellitur.*

832. IMMENSUS CLAMOR. Trojanorum ſcilicet, qui exultabant, & quorum animi aucti ſunt Camilla moriente.

833. CRUDESCIT. Crudelior fit caede multorum: nam *crudus* & *crudelis*, a *cruore* dicitur.

834. OMNIS COPIA. Pro, totus exercitus, ut: *Et quae ſit me circum copia, luſtro.*

836. AT TRIVIAE CUSTOS. Vel miniſtra, vel obſervatrix: Poteſt & pro comite accipi: vel *cuſtos* mandatorum Triviae; ne inulta Camilla moriatur.

839. MULTATAM. Affectam, debilitatam, damnatam: *Multari* enim proprie *verberibus* dicimus.

842. TEUCROS CONATA LACESSERE. Propter illud: *Bellum importunum gerimus cum gente Deorum.* HEU autem, doloris exclamatio eſt. CRUDELE LUISTI SUPPLICIUM. Juris verbo uſus eſt. *Luere* enim debere dicitur, qui pecuniam ſolvit; quod hic uſurpatum eſt in capitis poenam. Quidam hujus loci longam expoſitionem tradunt: Volſcos a Volſcatibus Hylinis originem ducere, Exclytas autem, inter quos Amazones ſunt, regionem Illyricam incolere *. *Luiſſe* ergo *ſupplicium* Camillam dicunt, quae adverſum Trojanos arma tulerit: quibus majores ejus auxilium conſtat tuliſſe, id eſt, Pentheſileam.

843. DESERTAE IN DUMIS. In ſylvis coluiſſe, aut *dumis deſerti*, id eſt, ſoli, & ſine nobis. COLUISSE DIANAM PROFUIT. Non Deam incuſat; ſed fatorum neceſſitatem: contra quam nec numinis opitulatur auxilium.

PIERII.

metſi placet *quicum*; dicendum tamen, vetera pleraque exemplaria *quacum* legere.

826. TROJANOSQUE ARCEAT URBE. In antiquis pleriſque codicibus *urbi*, per I legitur; ſed melius per ablativum: *Finibus arceret.* Eſt etiam in Mediceo abſque copulativa, *Trojanos arceat urbe.*

830. ARMA RELINQUENS. In Romano codice & aliquot aliis, *reliquit*, verbi indicativi, non participii voce, ut tria ſint membra: *Poſuit caput, arma reliquit, vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras:* quae ita Donatus etiam diſtinguit.

834. INCURRUNT DENSI. Romanus codex & aliquot alii pervetuſti, *concurrunt*, legunt; ſed Donatus *incurrunt* agnoſcit: ait enim, in unum locum currunt, atque ex congeſta multitudine facti ſunt denſi: Teucri ſcilicet, Tyrrheni, & Arcades.

835. EVANDRIQUE ARCADIS ALAE. Romanus codex, Mediceus, & alii plerique legunt *Arcades alae*, nominativo caſu utrumque.

839. TRISTI MULTATAM MORTE CAMILLAM. In codicibus aliquot veteribus omnino *mulctatam* per CT ſcriptum eſt: in pluribus abſque c, *multatam:* & in vetuſto T. Livii codice paſſim, *Multam*, *multare*, & *multatitium*, & ſimilia abſque c litera ſcripta ſunt.

Profuit, aut noſtras humero geſſiſſe pharetras:
845 Non tamen indecorem tua te regina reliquit
Extrema jam in morte: neque hoc ſine nomine letum
Per gentis erit; aut famam patieris inultae.
Nam quicumque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. Fuit ingens monte ſub alto
850 Regis Dercenni terreno ex aggere buſtum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum:
Hic Dea ſe primum rapido pulcherrima niſu
Siſtit, & Arruntem tumulo ſpeculatur ab alto:
Ut vidit fulgentem armis, ac vana tumentem;
855 Cur, inquit, diverſus abis? huc dirige greſſum,
Huc periture veni: capias ut digna Camillae
Praemia. Tune etiam telis moriere Dianae?
Dixit, & aurata volucrem Threïſſa ſagittam
Depromſit pharetra, cornuque infenſa tetendit,

Et

SERVII.

846. SINE NOMINE. Sine gloria, ſine fama, quod fortiter fecit: vel quia Dea vindicat.

847. FAMAM PATIERIS INULTAE. Id eſt, nec invindicatae ignominiam ſuſtinebis: quod etiam Dido dolet, dicens: *Et moriemur inultae; Sed moriamur ait.*

849. MONTE SUB ALTO. Ut: *Monte ſub aerio.* Apud maiores, nobiles aut ſub montibus altis, aut in ipſis montibus ſepeliebantur; unde natum eſt, ut ſuper cadavera aut pyramides fierent, aut ingentes collocarentur columnae. Lucanus: *Et regum cineres exſtructo monte quieſcant; Cum Ptolemaeorum matres, ſeriemque pudendam Pyramides claudant.*

850. REGIS DERCENNI. Quidam de Sterce, rege Aboriginum, hoc nomen fictum putant. BUSTUM. Hoc loco, ſepulchrum.

854. VANA TUMENTEM. Plenum falſae gloriae, quam Graeci κενοδοξίαν dicunt. *Vana* autem *tumentem*, ut, *Infanda furentem*.

855. CUR INQUIT DIVERSUS ABIS? Non quaſi audienti dicat, ut: *Macte nova virtute puer*. *Diverſu* autem, a pugna diverſus: vel *diverſus*, quod fugit, quam occidit.

856. DIGNA CAMILLAE PRAEMIA. Sic in ſecundo: *Perſolvant grates dignas, & praemia reddant Debita*. Item in x. *Et haec sibi porro Dona prius*.

857. TUNE ETIAM TELIS MORIERE DIANAE? Cum ingenti amaritudine dictum eſt: nam ei etiam genus invidet mortis. Quod autem ait, TUNE ETIAM, ad Niobes numeroſam pertinet ſobolem.

858. VOLUCREM SAGITTAM. Proprie: quia ſagittis pennae adglutinantur. THREISSA. Propter Amazonas: & hanc Virgilius non ita finxit, ut Tarpejam & caeteras; ſed proprio nomine videtur induxiſſe: Graeci enim tradunt, Opin & Hecaergon, ἀνεψιούς, ex Hyperboreis, qui & ipſi ſunt Threci, in inſulam Delum veniſſe: hunc Hecaergon Apollinem & Dianam educaſſe, ut etiam ex cognominibus deorum, cum illa Opis, & hic Hecaergos appellatur, agnoſcitur; quod ſupra plenius dictum eſt.

859. CORNUQUE INFENSA TETENDIT. *Cornu*, accuſativus ſingularis eſt, ac ſi diceret: *Arcumque infenſa tetendit:* nam horum dubiorum nominum caſus ſimilibus, vel ſynonymis comprobantur.

PIERII.

844. NOSTRAS HUMERO GESSISSE SAGITTAS. In codicibus aliquot *geſtaſſe*, legitur, quod frequentiam & habitum oſtendit. Sed in pluribus *geſſiſſe pharetras:* eae enim ab humero ſuſpendi ſolent.

845. TUA TE, REGINA, RELINQUET. In Romano codice *reliquit*, praeterito tempore: quia jam Diana praecaverat, quid agendum eſſet. In aliquot aliis *relinquit* eſt, praeſenti tempore, ut oſtendat eam adeſſe. Quidam futurum malunt, ob ſynchroniam, *erit*, *patieris*.

 846. Ne-

860 Et duxit longe, donec curvata coïrent
Inter ſe capita, & manibus jam tangeret aequis,
Laeva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli ſtridorem aurasque ſonantis
Audiit una Arruns, haeſitque in corpore ferrum.
865 Illum exſpirantem ſocii atque extrema gementem
Obliti ignoto camporum in pulvere linquunt:
Opis ad aetherium pennis aufertur Olympum.
Prima fugit, domina amiſſa, levis ala Camillae:
Turbati fugiunt Rutuli: fugit acer Atinas:
870 Disjectique duces, deſolatique manipli,
Tuta petunt, & equis averſi ad moenia tendunt.
Nec quisquam inſtantis Teucros, letumque ferentis
Suſtentare valet telis, aut ſiſtere contra:
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus:
875 Quadrupedumque putrem curſu quatit ungula campum.

Vol-

SERVII.

860. COIRENT INTER SE CAPITA. Homerica eſt iſta deſcriptio, Pandaro foedera juſſu Palladis confundente: Ἕλκε δ' ὁμοῦ γλυφίδας τε λαβὼν καὶ νεῦρα βόεια. Νευρὴν μὲν μαζῷ πέλασεν, τόξῳ δὲ σίδηρον. MANIBUS AEQUIS. Pro aequaliter, vel aequantibus: & licitum Poetae, nomen pro adverbiis aut participiis ponere.

863. TELI STRIDOREM. Homerus: Ἔκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοὶ ἐπ' ὤμων. Et: Λίγξε βιός, νευρὴ δὲ μέγ' ἴαχεν.

864. AUDIIT UNA ARUNS, HAESITQUE IN CORPORE FERRUM. Celeritas jaculantis exprimitur. Sic Statius, cum jam percuſſum dixiſſet, *Extinctum* ait: *necdum certi tacet arcus Amyntae*. Multi nolunt in medio diſtingui, propter exprimendam celeritatem.

866. OBLITI. Nonnulli Virgilium ſecundum vetuſtatem hoc verbo uſum tradunt, ut *obliti*, *ἀμελήσαντες*, hoc eſt, negligentes, & contemnentes putent: viderant enim peremptum, ſed neglexerunt: Ergo ſcientes liquerunt, ut: *Oblitus decorisque sui*: &: *oblitus fatorum*. Alii *obliti*, ubi reliquerant neſcientes: & eſt ſenſus, *obliti illum*. IGNOTO CAMPORUM IN PULVERE LINQUUNT. Bene Aruns, qui quaſi ſacrilegus peremptus eſt, faciente numinis iracundia, eſt relictus, ut nec ſepulturam poſſet mereri.

868. LEVIS ALA. Levis armatura ſcilicet.

869. TURBATI FUGIUNT RUTULI. Hoc ad Camillae pertinet laudem: qua amiſſa turbati fuerunt Rutuli, & mutantur fata bellorum. ACER ATINAS. Armis ſcilicet: fugit tamen.

870. DESOLATIQUE MANIPLI. Deſerti ſigniferi: quod eſt nimii diſcriminis; namque hoc ubique dux praecipit, ut frequentes circa ſigna ſint milites: ſicut in Salluſtio legimus. *Manipli* autem dicti ſunt ſigniferi: quia ſub Romulo pauper adhuc Romanus exercitus, haſtis foeni manipulos inligabant; & hos pro ſignis portabant; unde hoc nomen remanſit. Ovidius in Faſtis: *Illa quidem e foeno (ſed erat reverentia foeno, Quantam nunc aquilas cernis habere tuas) Pertica ſuſpenſos portabat longa maniplos: Unde maniplaris nomina miles habet*.

872. LETHUMQUE FERENTES. Pro, inferentes.

874. LAXOS ARCUS. Non intentos; ſed jam ſolutos.

PIERII.

846. NEQUE HOC SINE NOMINE. In antiquis aliquot *nec* ſcribitur; ſed multo dulcius eſt *neque hoc*, proferre. Eſt & *numine*, in Mediceo.

856. DIGNA CAMILLAE PRAEMIA. In Rom. cod. *Camilla* legitur, ablativo caſu; ſed genit. melius.

871. ET EQUIS AVERSI AD MOENIA TENDUNT. In Oblongo codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere eſt, *adverſa ad moenia tendunt*; ſed vulgata lectio longe caſtior, quippe *equis averſi*.

875. QUADRUPEDUMQUE PUTREM CURSU QUATIT UNGULA CAMPUM. In Rom. cod. legere eſt

Qua-

Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis, & e ſpeculis percuſſae pectora matres
Femineum clamorem ad caeli ſidera tollunt.
Qui curſu portas primi inrupere patentis,
880 Hos inimica ſuper mixto premit agmine turba:
Nec miſeram effugiunt mortem, ſed limine in ipſo,
Moenibus in patriis, atque inter tuta domorum,
Confixi exſpirant animas. Pars claudere portas;
Nec ſociis aperire viam, nec moenibus audent
885 Accipere orantis: oriturque miſerrima caedes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Excluſi ante oculos lacrimantumque ora parentum
Pars in praecipitis foſſas, urguente ruina,

Vol-

SERVII.

877. PULVIS. Hic corripuit; alibi produxit: *Verſa pulvis inſcribitur haſta*.

878. FOEMINEUM CLAMOREM. Impatientem: nam jam dixerat, *matres*, per quod muliebrem clamorem poteramus accipere.

879. QUI CURSU PORTAE. Portanda elocutio, quia conſequatur *hos;* ſed intelligendum, *eos*, *qui*.

880. INIMICA. Pro, hoſtilis.

881. MISERAM MORTEM. Quia ſequitur: *Limine in ipſo*.

882. MOENIBUS IN PATRIIS. Scilicet, ubi ſeſe jam tutos eſſe credebant.

883. PARS CLAUDERE PORTAS. Pars eorum, qui curſu irrupere portas.

884. APERIRE VIAM. Id eſt, dare aditum: & bono locutus eſt ambitu; nam cum portis via & aperitur & clauditur.

885. ORITURQUE MISERRIMA CAEDES. Quoniam defenſores moenium, dum hoſtes petunt, ſuos feriebant. Sic in ſecundo, ubi intulit: *Armorum facie & Grajarum errore jubarum*.

836. DEFENDENTUM. Ideo *defendentum* & *ruentum:* quia ad maſculinum retulit, & *hi defendentes* facit, quod & de foeminino dicimus: ſi autem de neutro loquamur, *defendentium*, dicamus neceſſe eſt: quia *haec defendentia* facit, &, ut ſupra diximus, genitivus pluralis a nominativo plurali minor eſſe non debet. Quod ſi forte minorem eum aliquando invenerimus, metri neceſſitate fit, & incipit jam pathos eſſe, non declinatio. Nonnulli ergo in his nominibus genitivum corruptum pro integro accipiunt.

887. LACHRYMANTUM. Quidam *lachrymantum*, genitivum corruptum pro integro accipiunt: quia facit *lachrymantium*.

8 8. PRAECIPITES FOSSAS. Declives, in quas quid poteſt praecipitari.

PIERII.

Quadripedoque putrem curſu quatit ungula campum. Quam lectionem Donatus agnoſcit; ait enim: *Urgente majore inſequentium vi, ipſi eques urgebant, ut quadrupedo curſu, id eſt, ſatis properato, in patriam tenderent*.

877. ET E SPECULIS PERCUSSAE PECTORA MATRES. In antiquis aliquot codicibus *e muris* legitur, ut ſit adnominatio quaedam: Pulverem ad muros volvi & e muris matres tollere clamorem ad ſidera. Sed enim quia generalius eſt, *e ſpeculis* dicere, ea lectio magis huic loco quadrat. Crediderim vero lectionem alteram, *e muris* de paraphraſi aliqua deſumptam.

881. NEC MISERAM EFFUGIUNT MORTEM. In Oblongo codice *noctem* habes; ſed omnino magis placet *mortem* legere, quod plus habet violentiae, & agnoſcitur a Donato.

882. ATQUE INTER TUTA DOMORUM CONFIXI EXSPIRANT ANIMAS. In Romano codice legere eſt, *intra*, in reliquis fere paſſim, *inter*. Quodque ſaepius apud Livium, *intra muros*, vulgata legunt exemplaria, in veteri codice ſcriptum, *inter muros*, obſervavi. Contra vero apud Martialem libro primo ad Coſmum, ubi vulgati codices legunt nunc: *Quae ſaepe vides inter penetralia noſtrae Palladis, & templi limina Coſme noti:* veteres nonnulli codices manu ſcripti legunt, *intra penetralia*. Sed utcumque de hoc Grammatici decernant, illud potius animadverſione dignum putarim, quod in pleriſque codd.

 an-

Volvitur: inmiſſis pars caeca & concita frenis
890 Arietat in portas, & duros objice poſtes.
Ipſae de muris ſummo certamine matres,
(Monſtrat amor verus patriae) ut videre Camillam,
Tela manu trepidae jaciunt; ac robore duro
Stipitibus ferrum ſudibusque imitantur obuſtis
895 Praecipites, primaeque mori pro moenibus ardent.
Interea Turnum in ſilvis ſaeviſſimus inplet
Nuntius, & juveni ingentem fert Acca tumultum:
Deletas Volſcorum acies, cecidiſſe Camillam:
Ingruere infenſos hoſtis, & Marte ſecundo
900 Omnia corripuiſſe: metum jam ad moenia ferri.
Ille furens (& ſaeva Jovis ſic numina poſcunt)

De-

SERVII.

889. COECA. Irrationabilis, quae in clauſas portas more arietis ruebat: id eſt, bellici machinamenti.

891. SUMMO CERTAMINE. In extremo diſcrimine, ut ſupra: *Vocat labor ultimus omnes.*

892. MONSTRAT AMOR VERUS. Qui apparet in adverſis. VIDERE CAMILLAM. Scilicet, quae pro aliena patria cecidiſſe videtur. Sane, *ut videre*, non relatam ex pugna; ſed ut exemplum virtutis ejus viderunt: & quidam, *ut videre*, quemadmodum videre; *ut*, conjunctio modo, non adverbium temporis eſt: aut, *ut videre*, quemadmodum illam dimicare viderant, quando interiit.

893. TREPIDAE. Licet trepidae, tamen oblitae ſexus tela jaculabantur.

895. PRAECIPITES. Aut feſtinae, aut in mortem ruentes. PRIMAEQUE MORI PRO MOENIBUS AUD. Nimii doloris, ut: *Me primam abſumite ferro.*

896. SAEVISSIMUS IMPLET NUNTIUS. Ut etiam ſupra diximus, *nuntius* eſt, qui nuntiat; *nuntium*, quod nuntiatur; ſecundum quod, nunc nec de foemina, nec de re, quae nuntiatur, procedit *nuntius*: unde multi volunt, alium nuntium intelligi; Accam vero poſtea veniſſe; ſed melius eſt, ut *nuntius*, de Acca dictum intelligamus. Novimus enim, poni aliqua in ſubauditione, quae ex aperto dicere non debemus, ut: *Nec dextrae erranti Deus abfuit*: cum neceſſe ſit, ut aut Junonem, aut Alecto intelligamus. Item Salluſtius: *Prima qui fronte venientes exciperet*, cum de inſidiis loqueretur, quas numeri tantum pluralis eſſe plusquam manifeſtum eſt.

897. TUMULTUM. Perite *tumultum*; ita enim dicitur bellum, quod differri non poteſt.

898. DELETAS VOLSCORUM ACIES. Falſum eſt; tantum enim fugerant; ſed vim exprimit nuntii, cujus mos eſt plus, quam habet veritas, nuntiare.

899. INGRUERE. Impetum facere, ut XII. Aen. *Ingruit Aeneas Italis.*

901. ILLE FURENS (NAM SAEVA JOVIS SIC NUMINA POSCUNT.) Duplici ratione inſidias eum reliquiſſe commemorat: dolore nimio, & numinum voluntate: quod utrumque ideo egit, ne capi poſſet Aeneas. *Saeva* autem *Jovis numina*, per parentheſim dictum eſt. SAEVA JOVIS SIC NUMINA POSCUNT. Homerus: Διὸς δ' ἐτελείετο βουλή.

PIERII.

ant. non *tuta*, ſed *tecta domorum* legi. Ea tamen lectio, quae eſt *tuta domorum*, longe figuratior.

892. MONSTRAT AMOR VERUS PATRIAE UT VIDERE CAMILLAM. In Romano codice, *amor verſus* legitur, ut intelligamus, eas non prius tale aliquid aggreſſas, niſi ut videre Camillam. Tunc enim ait amorem verſum ad patriam defendendam, quum bellum adverſus etiam mulieres geri viderent, quod pro mulieribus ſuſceptum prius arbitrabantur. Si vero cuipiam magis placeat, *verus amor*, ea quoque ſententia & pulchra eſt, & de humanae vitae moribus ſumpta.

895. PRIMAEQUE MORI PRO MOENIBUS AUDENT. In Romano codice *ardent* legitur, ut ſit inter eas contentio laudis, amorisque, perinde ac ſi praemium illi propoſitum eſſet, quae prima moreretur. Servius ad dolorem ex Camillae obitu conceptum refert, ut illud: *Me primam abſumite ferro.* Neque vero diſplicet *primae audent*, ea ſententia, ut tunc primum

au-

Deſerit obſeſſos collis, nemora aſpera linquit.
Vix e conſpectu exierat, campumque tenebat,
Cum pater Aeneas, ſaltus ingreſſus apertos,
905 Exſuperatque jugum, ſilvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine; nec longis inter ſe paſſibus abſunt:
Ac ſimul Aeneas fumantis pulvere campos
Proſpexit longe, Laurentiaque agmina vidit;
910 Et ſaevum Aenean adgnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum flatuſque audivit equorum:
Continuoque ineant pugnas, & proelia tentent?
Ni roſeus feſſos jam gurgite Phoebus Hibero
Tinguat equos, noctemque die labente reducat.
915 Conſidunt caſtris ante urbem, & moenia vallant.

SERVII.

902. OBSESSOS COLLES. Quos ipſe obſederat, ne ad urbem tranſitum haberet Aeneas.

904. APERTOS. Paulo ante a Turno relictos, id eſt, vacantes inſidiis.

906. AMBO AD MUROS. Ut tueretur & repugnaret Turnus; ut obſideret Aeneas.

908. FUMANTES PULVERE CAMPOS. Veluti fumantes caligine pulveris. Ita enim nebulam excitat pulvis, ut fumus.

910. SAEVUM. Fortem, ut: *Saevus ubi Aeacidae telo jacet Hector*. Item: *Nec minus interea maternis ſaevus in armis*. An iratum? ut: *Et ſaevum ambobus Achillem*.

912. INEANT PUGNAS. Pro, iniſſent, & tentaſſent.

913. HIBERO. Oceano occiduo, id eſt, Hiſpano. Hiſpaniam autem, *Hiberiam*, ab *Hibero* flumine, conſtat eſſe nominatam.

914. TINGAT EQUOS. Quidam *tingat*, humiliter dictum accipiunt.

915. CONSIDUNT CASTRIS. Hoc eſt, in ſua quiſque caſtra digreſſi. Ergo, aut caſtra poſuerunt: aut ad morem caſtrorum fecerunt. MOENIA VALLANT. Hinc probatur, quia, & qui tuentur, & qui obſident, *vallare* dicuntur.

PIERII.


audere viſae ſint, quum ſexum quaeque ſuum in bello fortiter occubuiſſe conſpicerent.

899. INGRUERE INFESTOS HOSTES. Antiqua omnia exemplaria, quae prae manibus habui, *infenſos* legunt, quod Turni dolorem mirum in modum exaggerat, quum intelligat eos hoſtes, quos odio maxime proſequatur, ita victoria exultantes ferri.

901. ILLE FURENS (JAM SAEVA JOVIS SIC NUMINA POSCUNT. Interpoſitio haec variis modis io variis habetur exemplaribus. Hinc nonoulli *jam ſaeva* legere maluerunt. In Romano, in Mediceo, & quibuſdam aliis codicibus pervetuſtis, *& ſaeva* legitur, quod etiam Servio receptum eſt, dum ait, Turnum duplici ratione inſidias reliquiſſe, dolore quippe nimio: id enim ſibi vult furens, & numinum voluntate. Quod ſi *nam* legas, aut *jam*, alterum eſſet redditio cauſae, alterum acciperetur expoſitive. Sed enim hoc utcumque legatur, parvi refert. Illud minime parvi faciendum eſt, quod in Romano codice: *ſic numina pellunt:* non autem *poſcunt*, legere eſt; ſed omnino vulgata lectio receptior eſt.

905. SILVAQUE EVADIT OPACA. In aliquot antiquis codicibus *invadit* legitur.

908. AT SIMUL AENEAS. In Oblongo codice *ac ſimul:* io Romano, *tum pater Aeneas:* inemendate quidem, & ſententia mutilata. TINGAT EQUOS. In antiquis ex inſtituto Attii *tinguat*, u poſt G notata, ſcriptum eſt.



Ant Visentini f

P. VIRGILII MARONIS AENEIDOS

LIBER DUODECIMUS.

TURNUS ut infractos adverso Marte Latinos
Defecisse videt, sua nunc promissa reposci,
Se signari oculis; ultro inplacabilis ardet:
Attollitque animos. Poenorum qualis in arvis,

Sau-

SERVII.

Vs. 1. TURNUS UT INFRACTOS. Postquam Turnus bello defecisse videt Latinos, antea semper infractos: namque ita maior est sensus, quam, si *infractos*, valde fractos, acceperis.

2. SUA NUNC PROMISSA REPOSCI. Quia dixerat: *Ibo animis contra; vel magnum praestet Achillem*. NUNC autem, pro *nunc*.

3. SE SIGNARI OCULIS. Propter illud, quod post dicturus est: *In te ora Latini, In te oculos referunt*. Modo autem significat, id est, ut, quod esset silentio ambiguum, oculis confirmaretur, sine dubio eorum, a quibus coactus promiserat. ULTRO. Aut insuper, aut, antequam aliquis exposcat, sponte sua in certamen offert. Et bene ducis dignitatem servavit, ut non ideo faceret, quia quidam reposcebant; sed sua sponte accenderetur in praelium.

5 Saucius ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo, gaudetque comantis
Excutiens cervice toros, fixumque latronis
Inpavidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
10 Tum sic adfatur regem, atque ita turbidus infit:
Nulla mora in Turno: nihil est quod dicta retractent
Ignavi Aeneadae; nec, quae pepigere, recusent.

SERVII.

5. SAUCIUS ILLE. Κατ' ἐξοχὴν. ILLE LEO. Id est, princeps ferarum: vel certe veteri more ad magnitudinem pertinet, ut: *Ac velut ille canum morsu*: interdum nobilitatem significat, ut: *Multum ille & terris jactatus*: aut similem rem designat. Lucilius: *Velut olim Auceps ille facit cum improviso insidiisque*. Quam is quidam *ille*, per se superfluum hoc loco pronomen tradunt. *Saucius* autem *pectus*, id est, saucium pectus habens, ut: *Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit*. Et bene alia verba interposuit: quia *saucius pectus*, & sonabat asperrime, & imperitis poterat soloecismus videri. Et *saucius pectus* congrue, in quo Turni dolor est. GRAVI VULNERE. *Gravi*, id est, forti, ut: *Ferit ense gravem Tymbreus Osirim*. *Venantum* autem *vulnere*, quod venantes fecerunt.

6. TUM DEMUM. Novissime: id est, postquam fuerit vulnere lacessitus. Haec enim leonum natura est, ut nisi lacessiti irasci nequeant. MOVET autem ARMA. Vires suas experitur: nam *arma*, sunt uniuscujusque rei possibilitas: unde est: *Et quaerere conscius arma*: id est, dolos. Est autem *movet arma*, etiam translatio ab hominibus, qui, cum hostem petunt, arma movere dicuntur. Sic alibi de tauro: *Signa movet, praecepsque oblitum fertur in hostem*. GAUDETQUE. Spe ultionis: & dicendo *gaudet*, alacritatem voluit leonis exprimere, gaudii verbo. Caeterum nulli ferarum, vel pecudum, iste sensus adponitur.

7. EXCUTIENS CERVICE TOROS. Cervice excutiens: an, quos in cervice habet? LATRONIS. Insidiatoris, a latendo; sed modo venatoris: & est Graecum: nam λατρεύειν dicunt *obsequi*, & *servire mercede*: unde *latrones* vocantur conducti milites. Moris autem erat, ut hos imperator & circa se haberet, & eos primos mitteret ad omne discrimen: unde nunc dicit latronis telo fixum leonem: quia etiam venatores operas suas locare consueverant. Sic etiam dicti, qui circa *vias* sunt, quod ut milites stent cum ferro: aut quod lateant ad insidias faciendas. Ergo ex eadem similitudine *latronem*, hic venatorem accipiendum: quia & obsidet saltus, & cum ferro est. Sane *latronem*, venatorem, quis ante hunc? Varro tamen dicit, hoc nomen posse habere etiam Latinam etymologiam; ut *latrones* dicti sint, quasi *laterones*; quod circa latera regum sint, quos nunc satellites vocant. Una tamen significatio: licet in diversa etymologia. Plautus in Pyrgopolinice aperte ostendit, quid sint *latrones*, dicens: nam *Rex Seleucus me opere oravit maximo, ut ei adconducerem latrones, & conscriberem*. Idem in Bacchidibus exsecutus est, militem, *latronem* dicens: *Suam qui auro vitam venditat*.

8. IMPAVIDUS FRANGIT TELUM. Lucanus: *Per ferrum tanti securus vulneris exit*. FREMIT ORE CRUENTO. *Fremit*, licet os habeat proprio cruore perfusum. Sane ipsa comparatio exitum ostendit futurum: nam etiam Turnus ruet in mortem, ferocitate compulsus: sic in quarto indicat futurum exitum reginae, dicens: *Qualis conjecta cervo sagitta*.

9. GLISCIT. Crescit, & latenter: unde & *glires* dicti sunt, quos pingues efficit somnus. Veteres *gliscit*, incremento ignis ponebant. Bene ergo hoc verbo utitur, de quo ait: *Ultro implacabilis ardet*.

10. TURBIDUS. Plenus terroris & perturbationis. Sane notandum, AFFATUR, atque INFIT: nam iteratio est, qua frequenter est usus: licet nonnulli dicant, temperare hoc interpositam conjunctionem: & hic habitum futurae orationis ostendit.

11. NULLA MORA IN TORNO. Plus est, *Turno*, quam si in me dixisset, ut: *Quisquam numen Junonis adoret Praeterea*: Et bonum principium ejus, qui in suspicionem timiditatis inciderat. RETRACTENT. Repetant & revolvant.

12. IGNAVI AENEADAE. Aut *Aeneadae*, pro, Aeneas, aliud per aliud significavit: aut *Aeneadae*, non Aeneas; quasi contra omnes pugnaturus.

Con-

Congredior. Fer ſacra, pater, & concipe foedus:
Aut hac Dardanium dextra ſub Tartara mittam,
15 Deſertorem Aſiae, (ſedeant ſpectentque Latini)
Et ſolus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos; cedat Lavinia conjux.
Olli ſedato reſpondit corde Latinus:
O praeſtans animi juvenis, quantum ipſe feroci

Vir-

SERVII.

13. CONGREDIOR. Hypocriſis eſt; ut exprimatur id, quod flagitatis. Sic Statius, ubi Polinicen oblique inducit loquentem: *Non me ullius domus anxia culpet, Expectentve truces obliquo lumine matres*. Unde etiam ſupra ait Poeta: *Se ſignari oculis*. Quidam ſane a, NULLA MORA IN TURNO, uſque ad PEPIGERE RECUSENT, jungunt; ne, ſi diſtinctio interceſſerit, langueſcat ſententiae color. CONCIPE FOEDUS. Id eſt, conceptis verbis. *Concepta* autem *verba* dicuntur jurandi formula, quam nobis tranſgredi non licet: nam & ſarcinatores *concipere* dicuntur *veſtimenta*, cum e diverſo conjungunt & adſuunt.

15. DESERTOREM ASIAE. Exulem, ut: *Exulibuſne datur ducenda Lavinia Teucris?* unde eſt praemiſſa illa excuſatio & in tota ſecundi oeconomia: & in quarto, ubi dicit: *Me ſi fata meis paterentur ducere vitam Auſpiciis, & ſponte meas componere curas, Urbem Trojanam primum, dulceſque meorum Relliquias colerem*. Sane, *Aut hac Dardanium dextra ſub Tartara mittam*, ponenda eſt mora, ut poſtea inſeratur: *Deſertorem Aſiae;* poteſt enim videri non ita inſtituiſſe Turnus orationem, praedicto, *Dardanium*, ut inferret *deſertorem*, ſed *regem;* verum, ubi propius acceſſit, intellexiſſe hunc honorem nominis ejus non dandum; itaque commutaſſe, & contumelioſe *deſertorem* dixiſſe. SEDEANT, SPECTENTQUE LATINI. Invidioſe dictum eſt, ut diximus ſupra: pollicetur enim, ſe ſingulari certamine dimicare velle, cum nolit: nam, *ſedeant, ſpectentque Latini*, latenter eos ignaviae arguit, quod ſolus, omnibus quieſcentibus, dimicet: quam rem plenius ſequens indicat verſus: *Et ſolus ferro crimen commune refellam*, id eſt, commune fugae ac timoris dedecus ſolus meis virtutibus comprimam. Alii *crimen commune*, id eſt, omnium Latinorum: & *crimen* ait, quod Trojani in Italia conſederunt.

17. AUT HABEAT VICTOS. Vitavit propter omen peſſimum verbum de ſe, quod de Aenea dixerat: *Ille me in tartara mittat:* ſed ait *victos*. CEDAT LAVINIA CONJUX. Ut: *Cedat amicitiae Teucrorum*, id eſt, in praemium victoriae concedat.

18. SEDATO CORDE. Quia de Turno ait: *Atque ita turbidus infit:* Pro decore aetatis inducitur ſermo: hoc eſt, quod praecipit Horatius in Arte Poetica: *Intererit multum Davuſne loquatur, an heros: Maturuſne ſenex; an adhuc florente juventa fervidus*.

19. O PRAESTANS ANIMI. *Et praeſtans viribus*, & *praeſtans virium* dicimus. Sane magnae moderationis eſt haec oratio: nam & laudat Turnum, quaſi virum fortem; & tamen eum a ſingulari certamine dehortatur: dicens enim *praeſtans animi*, latenter oſtendit, eum inferiorem eſſe virtute.

PIERII.

Vs. 17. CEDAT LAVINIA CONJUX. Quam diverſitatem codicum in ſeptimo habuimus eo verſu, *Exulibuſne datur ducenda Lavinia Teucris*, quum nonnulli veriti primam in *Lavinia* ſyllabam eſſe longam, verſum hoc dictionum ordine ſcripſiſſent: *Exulibus ducenda datur Lavinia Teucris:* eadem nunc itidem offertur. Nam qui ſuperius legerant, *ducenda Lavinia*, eodem hic modo legendum arbitrati, *cedatque Lavinia*, ſcribere inſtituerunt. Bona tamen eruditorum pars abſque particula copulativa libentius legit: ſyllabam vero eam communem a poetis poni, exemplis alibi oſtendimus.

19. QUANTUM IPSE FEROCI VIRTUTE EXUPERAS, TANTO ME IMPENSIUS AEQUUM EST CONSULERE. *Quantum* & *tanto*, vulgata eſt lectio, & aliquot veterum etiam codicum teſtimonio comprobata, ſententiaeque optime quadrat, neque non elocutioni. In aliquot tamen exemplaribus legere eſt, *quoniam ipſe feroci virtute exuperas:* ut Latinus abſque alia dictorum diviſione, probabilis cauſae ſuae ſtatim anſam arripiat per conceſſionem eorum, quae validiſſimi Turnus ſibi propoſuerat: quippe qui totius accuſationis & cauſſae cardinem ibi verti verebatur, ut certaminis detrectator ab omnibus haberetur. Itaque nullam dixerat in ſe moram eſſe, paratum ſe jam congredi. Nolle, quod Drances objectaverat, Latinos caedibus exponi, ſolum ſe jam pro ſalute omnium quaſi devotum, totam certaminis molem impetumque omnem ſuſtentaturum. Ait itaque

La-

20 Virtute exſuperas, tanto me inpenſius aequum eſt
Conſulere, atque omnis metuentem expendere caſus.
Sunt tibi regna patris Dauni, ſunt oppida capta
Multa manu; nec non aurumque, animuſque Latino eſt.
Sunt aliae innuptae Latio, & Laurentibus agris;
25 Nec genus indecores. Sine me haec haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis: ſimul hoc animo hauri.
Me natam nulli veterum ſociare procorum
Fas erat, idque omnes divique homineſque canebant.
Victus amore tui, cognato ſanguine victus,

Con-

SERVII.

21. EXPENDERE CASUS. Ne ex abrupto de ejus virtute deſperare videatur, caſuum varietatem ſe timere commemorat.

22. SUNT TIBI REGNA PATRIS DAUNI, SUNT OPPIDA. Argute negat illi ſua regna, dicens ei eſſe alia; ut haec malit Turnus, quae ſua virtute quaeſivit. Senſus ergo eſt: Si propter regnum dimicare diſponis, habes paternum; ſi propter gloriam, multos virtute ſuperaſti. Quod autem dicit: NEC NON AURUMQUE ANIMUSQUE LATINO EST, varie exponitur: namque alii dicunt: habes regnum paternum, habes oppida: etiam a me habes aurum, & promptum animum, ad danda omnia, praeter filiam: ut de ſe Latinus dixiſſe videatur de auro, propter illud, *Praedivitis urbe Latini*. Alii vero ſic intelligunt: Si propter opes & uxorem dimicaturus es, haec non ſolus habeo: cuicumque enim Latino eſt & aurum, & animus promptus in generum; ut *Latino*, non de ſe dicat, ſed cuicumque de Latio.

24. LATIO, ET LAURENTIBUS AGRIS. Et in civitate, & in omni regno Latinorum.

25. NEC GENUS INDECORES. Quia iſte regis filiam petebat. Eſt autem elocutio figurata de Graeco, *ἀσχήμονες τὸ γένος*. SINE ME HAEC. Hoc loco intelligimus, Turnum dolore in aliqua voluiſſe verba prorumpere. HAUD MOLLIA FATU. Id eſt, vera: nam aſpera ſunt verba, quae cum veritate dicuntur: falſa enim, plena ſolent eſſe blanditiis: haec enim libenter audiuntur; illa vero graviter. Hinc Terentius: *Obſequium amicos; veritas odium parit*.

26. ANIMO HAURI. Omni intentione percipe.

27. NULLI VETERUM SOCIARE PROCORUM. Generaliter dicit, prohibitum eſſe dari Laviniam cuilibet Latino, ut Turnus ſolatium aliquod habere poſſit doloris, quando Latinum neminem praeferri ſibi videat.

28. DIVIQUE HOMINESQUE CANEBANT. Propter Faunum & vates.

29. VICTUS AMORE TUI. Hoc eſt, propter te, & propter tuum amorem. Sane inter *tui cauſſa feci*, & *tua cauſſa feci*, haec diſcretio eſt; ut *tui cauſſa* tunc dicamus, ſi aliquid ipſi, ad quem loquimur, praeſtiterimus: ut puta, *tui cauſſa te defendi*; *tua* vero *cauſſa*, tunc, cum alteri aliquid alterius contemplatione praeſtamus; ut puta, *tua cauſſa hominem tuum defendi*. COGNATO SANGUINE. Quia Venilia, mater Turni, ſoror eſt Amatae.

PIERII.

Latinus. Quoniam ignari non ſumus, te ferocitate & virtute praeſtare adeo, ut ex confeſſo alios exſuperes, tanto me tamen impenſius aequum eſt conſulere. Sed uti praefatus ſum, prior lectio concinnior videtur. Operaeprecium vero eſt, orationis artificium perpendere, quae ſententiam ſuam his praecipue locis corroboret. Ab utili & recto, quum caſus impendere Turno demonſtrat, quos parendo poſſit evitare, poſſeque eum alias ſibi uxores quaerere. A prudentia, quum bonorum, malorumque ratione propoſita, quid ſequendum ſit, aperit. Ab juſtitia & religione, quum promiſſa Aeneae de filia ſervari opporteat, & eam contra Turno ſociare, fatis prohibeatur, idque homines, Diique canant. Addit & argumentum a laudabili, quum Rutulorum & Italiae vereatur obloquia: concluditque per commiſerationem, quum di ſjunctio a neceſſariis & familiariſſimis deploratur.

23. NECNON ANIMUS AURUMQUE LATINO. In antiquis porro codicibus, *Latino eſt*, legitur. Nonnulli hoc numero legunt, *nec non aurumque animuſque Latino eſt*, quod in veteribus pleriſque codicibus habetur.

30 Conjugis & moestae lacrimis, vincla omnia rupi:
Promissam eripui genero: arma inpia sumsi.
Ex illo qui me casus, quae, Turne, sequantur
Bella, vides; quantos primus patiare labores.
Bis magna victi pugna vix urbe tuemur
35 Spes Italas: recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties? quae mentem insania mutat?
Si Turno exstincto socios sum adscire paratus;
Cur non incolumi potius certamina tollo?

Quid

SERVII.

30. VINCLA OMNIA RUPI. Et religionis & foederis.

31. PROMISSAM ERIPUI GENERO. Verum est: nam Aeneae per legatos promiserat filiam, cui postea intulit bellum; licet multi dicant, ante eam Turno fuisse promissam: quod falsum, nam Latinus nunquam eam Turno ante promisit: nam nec F unum consuleret, si eam Turno ante promisisset; sed tantum eum esse generum Amata cupiebat: quod etiam legimus: *Quem regia conjux Adjungi generum miro properabat amore*.

32. QUI ME CASUS. Excusat Turnum, ut non ipsius videatur esse, quod victus est; sed suum, qui ausus est contra generum bella suscipere.

33. PRIMUS. Praecipuus, ante omnes.

34. BIS MAGNA VICTI PUGNA. Semel, cum est occisus Mezentius; iterum, cum interiit Camilla.

35. RECALENT. Pro, *calent*: RE enim superflua compositio est verbi: aut *recalent*, iterum calent dixerit, magna quod bis victi pugna: RE enim iterationis obtinet vicem: & bene necessarium cum actu refert.

36. ALBENT. Usurpavit verbum *albeo*, *albes*.

37. INSANIA MUTAT. *Insania enim est*, illuc reverti, unde vix evaseris.

38. SOCIOS SUM ADSCIRE PARATUS. Bene non adjecit quos, ut levaret invidiam.

39. TOLLO. Finio, removeo, ut: *Tollite cuncta*, *inquit*.

PIERII.

31. PROMISSAM ERIPUI GENERO, ATQUE ARMA IMPIA SUMPSI. Imperite simul ac importune fecerunt, qui huic versui post dictionem *genero*, vel *que*, vel *atque* intrusere: nam modo hoc, modo illud passim habetur in codicibus vulgatis, & in aliquot etiam antiquis. Quum tamen in Romano codice vetustissimo, & in Mediceo, & in Portio, & in aliquot aliis absque ulla conjunctiva particula sic non invenuste legatur: *Promissam eripui genero, arma impia sumpsi*. Atque ita etiam legebatur in Oblongo codice, sed imperitus, nescio quis, infirmitati carminis timens, *que* illud intrusit; inde alii *atque* reposuere. Sed quanto venustius & elegantius tria illa membra disjunctim enuntiantur, *Vincla omnia rupi: Promissam eripui genero: Arma impia sumpsi*, quo in loco syllabae timere fatuitatis est, & imperitiae.

33. QUANTOS PRIMUS PATIARE LABORES. Romanus codex, & plerique alii veteres, uno exemplo legunt, *patiere*, ut futuri mali metu magis absterreat. Magis tamen placet *patiare*, ut in Oblongo & in Portio legitur: quia quae praesentia sunt, negari non possunt. Hinc Donatus ait: *quae passus sum, nosti: quaeve ipse adhuc patiaris, intelligis*.

37. QUO REFEROR TOTIES. In Romano codice legere est, *Quo refero toties*: hoc est, quanam obsecro de caussa haec eadem toties in consultationem pono, ut illud: *Monstra Deum refero*. Sed enim quia sequitur, *Quae mentem insania mutat*: de instabilitate sententiae sermo est, quae ab Rege adeo aliena esse debet, ut proverbio receptum sit, in iis, quae verissima esse contendimus, fidem regiam attestari. Ait itaque: *Quo referor toties*: quasi versum exprimat Horatianum: *Mea cur pugnat sententia secum? Quae petii sperno, repeto quod nuper omisi*. Est & illud adnotatione dignum, quod *motat*, non *mutat*, in codicibus aliquot manu scriptis legitur, quod majorem argueret instabilitatem; sed *mutat*, magis facit ad decorum, & in pluribus habetur, ex antiquis exemplaribus.

38. SI TURNO EXTINCTO SOCIOS SUM ACCIRE PARATUS. Non negarim in antiquis aliquot codicibus *adcire* scriptum esse; sed longe plures sunt,

qui

40 Quid consanguinei Rutuli, quid cetera dicet
Italia; ad mortem si te (Fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & connubia nostra petentem?
Respice res bello varias: miserere parentis
Longaevi, quem nunc moestum patria Ardea longe
45 Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur: exsuperat magis, aegrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic institit ore:
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas, letumque sinas pro laude pacisci.
50 Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
Longe illi Dea mater erit, quae nube fugacem
Feminea tegat, & vanis sese occulat umbris.
At regina, nova pugnae conterrita sorte,
55 Flebat; & ardentem generum moritura tenebat:

Tur-

SERVII.

41. FORS DICTA REFUTET. Parenthesis, quasi dissimulatio: vel remotio, plena abominationis.

42. NATAM, ET CONNUBIA NOSTRA PETENTEM? Iniquissimum enim est, eum morti tradere, qui tuam affinitatem exoptet.

43. RESPICE RES BELLO VARIAS. Ne eum ignaviae videatur arguere, admonet eum casuum, ut supra: *Atque omnes metuentem expendere casus*.

44. MOESTUM PATRIA ARDEA LONGE DIVIDIT. *Longe moestum*, id est, valde moestum: nam *longe dividit*, non procedit: non enim Ardea a Laurento longo valde dissipet spatio.

45. HAUDQUAQUAM. Nequaquam: quia supra dixerat: *ultro inplacabilis*.

46. AEGRESCITQUE MEDENDO. Inde magis ejus aegritudo crescebat: unde se ei Latinus remedium sperabat afferre. MEDENDO autem, dum ei medetur, & medicina affertur: nam gerundi modus est a passiva significatione.

47. UT PRIMUM FARI POTUIT. Nimius enim dolor vel iracundia intercluserat ei vocem: sic de Euandro: *Et via vix tandem laxata dolori est*.

48. QUAM PRO ME CURAM GERIS, HANC PRECOR OPTIME PRO ME DEPONAS. Bis quidem ait pro me, sed diversa affectione: namque haec dicit: Quam pro salute mea sollicitudinem geris, hanc pro mea fama & gloria quaeso derelinquas: vis fortis enim gloriosam mortem praeponit saluti. Lucanus: *Cur non majora mereri, quam vitam veniamque libet?* Et Cicero: *Antiquiorem mortem turpitudine haberi*.

50. DEBILE FERRUM. Sic in secundo: *Telumque imbelle sine ictu Conjecit*.

51. NOSTRO DE VULNERE. Quod nos inferimus: & dubie est locutus.

52. LONGE ILLI DEA MATER ERIT. Contra illud: *Sed matris auxilio utitur*: unde est: *Maternis saevus in armis*.

54. NOVA SORTE. Id est, magna: nam novum non est, quod fuerat ante promissum. *Magnam* autem *sortem* vocavit singulare certamen.

PIERII.

qui cum Ro. cod. *adscire* legunt, ab *adscisco*. Horatius: *Adsciscet nova*. Et apud M. Tullium saepe, *Civis adscitus*: apud Livium: *In civitate adsciti*.

47. UT PRIMUM FARI POTUIT, SIC INCIPIT ORE. Antiqua omnia exemplaria, quotquot evolvi, tam in Vaticana Bibliotheca, quam etiam aliunde conquisita, uno exemplo legunt, *sic institit ore*, ab *insisto*, quod Turni violentiae, quae flecti non poterat, optime quadrat. Erat & in antiquo Mediceae Bibliothecae codice, *institit*; sed ultimae duae syllabae ab imperito aliquo abrasae fuerunt; vestigio tamen mediae adhuc in integro permanente.

Turne, per has ego te lacrimas, per ſi quis Amatae
Tangit honos animum: (ſpes tu nunc una, ſenectae
Tu requies miſerae; decus imperiumque Latini
Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit)
60 Unum oro: deſiſte manum committere Teucris.
Qui te cumque manent iſto certamine caſus,
Et me, Turne, manent. Simul haec inviſa relinquam
Lumina, nec generum Aenean captiva videbo.
Accepit vocem lacrimis Lavinia matris,
65 Flagrantis perfuſa genas: cui plurimus ignem
Subjecit rubor, & calefacta per ora cucurrit.
Indum ſanguineo veluti violaverit oſtro
Si quis ebur, aut mixta rubent ubi lilia multa
Alba roſa: talis virgo dabat ore colores.
70 Illum turbat amor, figitque in virgine vultus:

Ar-

SERVII.

57. PER SI QUIS AMATAE TANGIT HONOS ANIMUM. Si, quod te regina rogat, tuam commovet mentem; &, ſi quem honorem habes Amatae. Sic in ſeptimo: *Si qua piis animis manet infelicis Amatae Gratia*.

59. IN TE OMNIS DOMUS INCLINATA RECUMBIT. Totum digeſſit ante per ſpecies, & ſic ſe contulit ad generalitatem: & eſt a ruina translatio.

60. MANUM COMMITTERE TEUCRIS. Ab omni eum bello, non tantum a ſingulari certamine, dehortatur.

62. ET ME TURNE MANENT. Mire agit: nam quia ſcit ſuam mortem virum fortem facile poſſe contemnere, deterret eum, dicens, ſe ſimul eſſe morituram; ut, qui periculum non timet, formidet invidiam.

63. NEC GENERUM AENEAM CAPTIVA VIDEBO. Mire & fidem ſuam & ſtudium circa Turnum expreſſit.

64. ACCEPIT VOCEM. Ordo eſt: Accepit vocem matris Lavinia.

65. FLAGRANTES PERFUSA GENAS. Id eſt, lachrymis perfuſas genas habens. Statius: *Et gemitu mœſtos imitata parentes*.

66. IGNEM SUBJECIT RUBOR. Hypallage eſt, pro, cui ignis animi ſubjecit ruborem: movebatur autem, intelligens ſe eſſe tantorum cauſſam malorum. Sicut ſupra ipſe: *Cauſſa mali tanti, atque oculos dejecta decoros*: nam quo ea formoſior inducitur; eo magis Turnus ardet; ut ſequentia indicant.

67. VIOLAVERIT OSTRO SI QUIS EBUR. Homeri comparatio: unde & *violaverit*, tranſtulit: ille enim ait: Ὡς δ' ὅτε τίς τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ.

68. MIXTA RUBENT UBI LILIA MULTA ALBA ROSA. Aut ubi multa alba lilia permixta rubent roſa, id eſt, roſae conjunctione: naturaliter enim omnis candor vicinum in ſe trahit ruborem.

70. ILLUM TURBAT AMOR. Invenit occaſionem, qua Turnus magis moveretur in bellum.

PIERII.

61. QUI TE CUMQUE MANENT ISTO CERTAMINE CASUS. In Romano codice pleraque nomina quartae declinationis, quibus in caſibus, *u* ultimam ſyllabam producunt, *uu* geminato ſcribi ſolent, ut hoc loco, *caſuus*: & alibi *curruus*: ex Attii quidem, ut alias diximus, inſtituto, id quod adhuc in aliquot antiquis inſcriptionibus obſervavimus, ut: EX ORTUUS VORSUM. Sed enim hoc, ut ſciretur, non ut ad imitandum proponeretur, a me dictum eſt.

68. SI QUIS EBUR VEL MISTA RUBENT UBI LILIA. In antiquis fere omnibus exemplaribus legere eſt *Si quis ebur aut mixta*. Qui *vel* repoſuere, praejectae ſyllabae timuerunt, quum ignorarent eum quoque locum eſſe communem.

Ardet in arma magis, paucisque adfatur Amatam:
Ne, quaeso, ne me lacrimis, neve omine tanto
Prosequere in duri certamina Martis euntem,
O mater: neque enim Turno mora libera mortis.
75 Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. Cum primum crastina caelo
Puniceis invecta rotis Aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrum arma quiescant,
Et Rutulum. Nostro dirimamus sanguine bellum.
80 Illo quaeratur conjux Lavinia campo.
Haec ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos, gaudetque tuens ante ora frementis:
Pilumno quos ipsa decus dedit Orithuia:
Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
85 Circumstant properi aurigae, manibusque lacessunt

Pe

SERVII.

74. NEQUE ENIM TURNO MORA LIBERA MORTIS. Duplex hoc loco est expositio: aut enim ordo est: Ne quaeso, mater, ne me lachrymis, id est, tanto mortis omine, prosequaris, ad duri Martis certamina proficiscentem: neque enim Turno mora libera est non eundi, post jam promissum singulare certamen. Aut certe hoc dicit: Noli me, mater, ad bellum euntem ominosis lachrymis prosequi: *neque enim Turno mora libera mortis*, id est, neque enim in potestate mea est, moram inferre venientibus fatis, ac si diceret: Si imminent fata, periturus sum: etiam si minime ad bella proficiscar. Sciendum tamen est, locum hunc unum esse de insolubilibus XII. quae habent obscuritatem; licet a multis pro captu resolvantur ingenii.

76. CUM PRIMUM CRASTINA CAELO PUNICEIS INVECTA ROTIS. Hoc loco aviditas pugnaturi exprimitur. Sane nunc non dicit oriri diem; sed designat tempus, quo vult ut ad singulare certamen uterque procedat.

79. NOSTRO DIRIMAMUS SANGUINE BELLUM. Bene se omnibus commendat hoc dicto: siquidem suum sanguinem pro omni bello dicit posse sufficere.

82. POSCIT EQUOS, GAUDETQUE TUENS ANTE ORA FREMENTES. Solent enim ex equorum vel moestitia, vel alacritate eventum futurum dimicaturi colligere.

83. PILUMNO QUOS IPSA DECUS DEDIT ORITHYIA. Ait Horatius in Arte poetica: *Nec quodcumque velit, poscat sibi fabula credi*. Unde Critici culpant hoc loco Virgilium, dicentes incongruum esse figmentum. Namque Orithyia cum Atheniensis fuerit, filia Terrigenae, & a Borea in Thraciam rapta sit, quemadmodum potuit Pilumno, qui erat in Italia, equos dare? DECUS DEDIT. Ad ornamentum, ut: *Quas ipsa decus sibi dia Camilla Delegit*. Sane hic versus [illegible]ζων est: nam ϑυ, diphthongus Graeca est.

84. QUI CANDORE NIVES ANTEIRENT CURSIBUS AURAS. Homeri versus, verbum ad verbum: λευκότεροι χιόνος, θείειν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι.

85. PROPERI AURIGAE. Festini, veloces: & erit nominativus *hic properus*. *Aurigas* autem, pro agasonibus posuit: nam *aurigae*, proprie sunt currus regentes.

PIERII.

78. TEUCRUM ARMA QUIESCANT, ET RUTULUM, NOSTRO DIRIMATUR SANGUINE BELLUM. In Rom. cod. in Oblongo, Vaticano, in plerisque aliis antiquis, legere est: *Teucrum arma quiescant, & Rutuli;* oratione non invenuste variata. In Mediceo ultima syllaba est aliena manu corrupta, cuum omnino *Rutuli* prius fuisse appareat. Quod vero in exemplaribus vulgatis *dirimatur*, tertia persona passivi legitur, in omnibus his antiquis *dirimamur*, prima plurali, activa voce, scriptum observavi.

85. CIRCUMSTANT PROPERI AURIGAE. Vete-

Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro squalentem alboque orichalco
Circumdat loricam humeris: simul aptat habendo
Ensemque, clipeumque, & rubrae cornua cristae:
90 Ensem, quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quae mediis ingenti adnixa columnae
Aedibus adstabat, validam vi corripit hastam,
Actoris Aurunci spolium, quassatque trementem,
95 Vociferans: Nunc, o numquam frustrata vocatus

Ha-

SERVII.

87. ALBOQUE ORICHALCO. Apud majores *orichalcum* pretiosius metallis omnibus fuit: namque sicut Lucretius dicit: Cum primum homines sylvas incendissent, nullarum adhuc rerum periti, terra casu fertilis omnium, ex incendii calore desudavit metalla, inter quae *orichalcum* pretiosius visum est; quod & splendorem auri & aeris duritiem possideret. Namque de auro primum securis facta displicuit caussa mollitiei: simili ratione & argenti contemptus est usus; mox aeris; inde *orichalcum* placuit, donec veniretur ad ferrum: unde etiam secula ita dicuntur fuisse divisa. *Orichalcum* autem fuisse pretiosum etiam Plautus docet, qui ait in Milite glorioso: *Ego istos meres orichalco contra comparem*. ALBOQUE ORICHALCO. Auri scilicet comparatione: nam per se album non est.

88. CIRCUMDAT LORICAM HUMERIS. Non armatur hoc loco, sed explorat, utrum arma apte & congrue ejus membris inhaereant. APTAT HABENDO. Ad habendum, ut congrue possint inhaerere.

89. CORNUA CRISTAE. Id est, comas, quas Graeci κέρατα nominant: unde & κείρειν dicunt *tondere*. *Cornua* autem, proprie sunt *cincinni*.

90. DEUS IPSE PARENTI FECERAT. Ac si diceret, non per ministros. Statius: *Sed plurimus ipsi Sudor ibat*. Et notandum, quam affectate variaverit, ut Aeneae uno loco arma describeret; Turni vero hic hastam, & gladium & loricam; in octavo autem scutum & galeam.

91. STYGIA UNDA. Quasi immortalem fecerat.

92. EXIN. Deinde: nam ordinis est adverbium. INGENTI ADNIXA COLUMNAE. Hastae per columnam exprimitur magnitudo, sicut in septimo equorum, ut: *Stabant tercentum nitidi in praesepibus altis*.

93. VI. Virtute.

94. ACTORIS AURUNCI SPOLIUM. Vel quod Actori detraxerat Turnus: vel quod Actor cuidam alteri: nam ambigue posuit. QUASSATQUE TREMENTEM. Quassat, & tremere facit.

95. VOCIFERANS. Haec scilicet, quae dicturus est: plerumque enim ita clamor ostenditur, ut statim ipsius clamoris verba subdantur: sic supra: *Torvumque repente Clamat: io matres*. Sane nunc ita ad hastam, quasi ad aliquam personam loquitur, & ei intellectum & auditum dat, sicut Cicero in Catil. verba reipublicae; sed ille ait: *Si patriam loqui posset fieri*; Turnus vero, quasi ad virum sentientem loquitur: nec immerito, nam eum inducit furentem, ut: *His agitur furiis, totoque ardentis ab ore Scintillae absistunt, oculis micat acribus ignis*. VOCATUS HASTA MEOS. Invocationes & preces: nam appellatio est a verbo, quae semper aut in io exit, aut in us; si in io exeant, tertiae sunt formae; si in us quartae: ut ab eo, quod est *lego*, aut *lectio*, aut *lectus* facit. Sed hoc nos dicimus, quod εὐφωνότερον fuerit: sicut nunc ab eo, quod est *voco*, *vocatus* fecit, non *vocationes*. TE MAXIMUS ACTOR. Subaudimus, antea gerere consueverat.

PIERII.

res aliquot codices *propere* legunt; sed inemendate. Aliquot alii, *pueri aurigae*, ut in Oblongo, Vaticano. Servius cum plerisque veteribus exemplaribus *properi* mavult. Interpretatur enim, *festine*, *velocesque*. MANIBUSQUE LACESSUNT PECTORA PULSA CAVIS. Non negarim *pulsa* in veteribus aliquot exemplaribus inveniri; sed enim longe magis placet, quod in iis probatioribus, quae sequimur, *plausa* legitur: a doctis omnibus lectio plausibiliter recepta, ut in Georg. *Et plausae sonitum cervicis amare*.

94. ACTORIS ARUNCI. In Rom. cod. in Portio, & aliquot aliis antiquis, *Aurunci* legitur, ut alibi: *Auruncos ita ferre senes*; tametsi pleraque

ve-

Haſta meos, nunc tempus adeſt: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit. Da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolſam
Semiviri Phrygis, & foedare in pulvere crinis
100 Vibratos calido ferro, myrrhaque madentis.
His agitur Furiis. Totoque ardentis ab ore
Scintillae abſiſtunt: oculis micat acribus ignis.
Mugitus veluti cum prima in proelia taurus
Terrificos ciet, atque iraſci in cornua tentat,
105 Arboris obnixus trunco; ventoſque laceſſit
Ictibus, & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Nec minus interea maternis ſaevus in armis

Ae-

SERVII.

97. NUNC TURNI DEXTRA GERIT. Ejus ſcilicet, qui quaſi ſupra maximum eſt Actorem. DA STERNERE. Figura Graeca, ut: *Donat habere viro*. Item: *Dat ferre talentum*.

98. LACERARE REVULSAM. Ut laceratam revellam. Laceratam autem, propter illud: *Et bis ſex thoraca petitum Perfoſſumque locis*.

100. VIBRATOS CALIDO FERRO. Criſpatos calamiſtro: nam calamiſtrum, eſt acus major, quae calefacta adhibita intorquet capillos: unde etiam Cicero *calamiſtratam comam* appellat frequenter, quae etiam vituperationi eſt: unde & contra ad laudem eſt poſitum ab Horatio: *Hic & incomptis Curium capillis*: & Ovidio: *Intonſi regia magna Numae*. MYRRHA autem MADENTES, Unguentatos.

102. OCULIS MICAT ACRIBUS IGNIS. Ut ſupra dictum eſt, furoris immanitate. Homeri eſt: *Ὄσσε δέ οἱ πυρὶ λαμπετόωντι ἐΐκτην*.

104. TERRIFICOS CIET. Nomine: & hinc apparet, *mugitus* non tantum dolentum eſſe, ſed etiam iraſcentum. CIET autem, modo dat, ſicut in VI. *Lenibat dictis animum lachrymaſque ciebat*: nam proprie *ciere*, eſt alteri aut dolorem, aut lachrymas commovere.

106. AD PUGNAM PROLUDIT. Praemeditatur. Cicero: *Sin mecum in hac proluſione nihil fueris, id eſt, praemeditatione certaminis, quem te in ipſa pugna cum acerrimo adverſario fore putemus?*

107. SAEVUS. Fortis: more ſuo; vel magnus. Et ingentem moderationem dat Aeneae: quippe quem inducit laborantem, ut poſſit in iram moveri; cum Turnum ita dicat furere, ut nec Latini conſiliis, nec Amatae precibus poſſit obedire.

PIERII.

vetera exemplaria *Arrunci*, R geminato ſcribunt, ſed male: nam & Liviani codices antiqui, una cum his Virgilianis notae melioris, *Auruncos* ſcribunt.

99. SEMIVIRI PHRYGIS. In codicibus aliquot antiquis *Phrygii* legitur; ſed omnino *Phrygis* gentile nomen melius, quam poſſeſſivum.

100. MYRRAQUE MADENTES. In Rom. cod. & aliquot aliis, *murra* per U, ut etiam in antiquis Donati codicibus, idque abſque aſpiratione, cujus rarus apud veteres uſus fuit. De litera vero Y, dictum ſaepius.

102. SCINTILLAE ABSISTUNT OCULIS, MICAT ACRIBUS IGNIS. In Romano codice *exiſtunt* legitur, quod ex Paraphraſi deſumptum crediderim, quum exemplaria reliqua *abſiſtunt* legant. Eſt & antiquus admodum codex, in quo numerus ita mutatus: *Abſiſtunt ſcintillae oculis, micat acribus ignis*. Sane vero Donatus *abſiſtunt* agnoſcit, & *exire non ceſſant*, interpretatur.

103. MUGITUS VELUTI CUM PRIMA IN PRAELIA TAURUS TERRIFICOS CIET. Romanus codex atque aliquot alii pervetuſti, *cum primum in praelia*, legunt eodem omnino ſignificato: nam & *prima in praelia*, initio pugnae ſignificat.

104. ATQUE IRASCI IN CORNUA TENTAT. In Rom. cod. & antiquioribus aliis, *aut iraſci* legitur. Sed in Georgicis quoque *atque* habetur eo loco: *Atque iraſci in cornua diſcit*.

105. VENTOSQUE LACESSIT ICTIBUS, ET SPARSA AD PUGNAM PROLUDIT HARENA. Antiqui omnes codices *aut ſparſa* legunt. Hinc fit ut non gravate alterum *aut* ſuperius admittam: nam in Georgicis tota natura tauri deſcribitur. Huic vero comparationi vel hic,

vel

Aeneas acuit Martem, & ſe ſuſcitat ira,
Oblato gaudens componi foedere bellum.
110 Tum ſocios, moeſtique metum ſolatur Iuli,
Fata docens: regique jubet reſponſa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Poſtera vix ſummos ſpargebat lumine montis
Orta dies; cum primum alto ſe gurgite tollunt
115 Solis equi, lucemque elatis naribus efflant;
Campum ad certamen magnae ſub moenibus urbis
Dimenſi Rutulique viri Teucrique parabant;
In medioque focos, & DIs communibus aras

Gra-

SERVII.

108. ACUIT MARTEM. Irritat ſe ad futura certamina.

109. COMPONI FOEDERE BELLUM. Finiri: Ut: *Ante diem clauſo componet veſper Olympo:* aut *componi bellum*, ad pactionem ſingularis certaminis bellum deduci. *Foedus* autem, ſicut ſupra dictum eſt, ab hoſtia, quae foede interimi ſolet, appellatum eſt. *Oblato* autem *gaudens*, intelligendum nuntium Aeneae veniſſe de bello.

110. TUM SOCIOS MOESTIQUE METUM SOLATUR IULI. Intelligimus, hos ſpe ſingularis certaminis pro ducis ſalute eſſe turbatos. Bene autem ſeparavit Aſcanium a ſociis: de illis enim *ſocios* dixit, non addidit metum: quia proprium erat & filii, & pueri, timere pro patre.

111. FATA DOCENS. Monens quibus condenda urbs ſit, quid futurum, ut vincat. LATINO CERTA REFERRE VIROS. Κατὰ τὸ σιωπώμενον etiam Latinum ad Aeneam legatos miſiſſe intelligimus: nam ſupra Turnus tantum dixerat: *Nuntius haec Idmon Phrygio mea dicta Tyranno.* CERTA autem, pro, firma & vera; aut certe hos legatos Idmoni adjunctos poteſt intelligi.

112. PACIS DICERE LEGES. Id eſt, quas paulo poſt in ipſo foedere eſt dicturus Aeneas.

113. POSTERA VIX SUMMOS. Deſcriptio temporis, quod Turnus praefinierat.

114. CUM PRIMUM ALTO. Quia res perturbatae ſecuturae ſunt, diem quoque cum fervore oriri fecit.

115. LUCEMQUE ELATIS NARIBUS EFFLANT. Ennianus verſus eſt, ordine commutato: ille enim ait: *Funduntque elatis naribus lucem.* Et ſciendum, nunquam diem ſic potenter deſcripſiſſe Virgilium: ſicut in quarto noctem, ubi Dido pervigilans deliberat.

116. CAMPUM AD CERTAMEN. Totus hic de foederibus locus de Homero tranſlatus eſt, ubi Alexander Paris cum Menelao ſingulari certamine dimicaturus eſt.

117. DIMENSI RUTULIQUE VIRI. Inter ſe per certa ſpatia dividentes, quae quiſque loca purgaret. Et hoc loco, Fauni lucum evertere Trojani: unde paulo poſt: *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.*

118. FOCOS. Quidquid ignem fovet, *focus* vocatur, ſive ara ſit, ſive quid aliud, in quo ignis fovetur. Sicut in tertio dictum eſt; tamen & hic in publico ſacrificio oſtendit, cum *aris* etiam *focos* ſacratos: nam ait: *In medioque focos, & Diis communibus aras:* & poſt ſubtexuit: *Craterasque, focoſque ferunt: crateras*, ſcilicet quibus libaverat; *focos* vero, ad quos legitimum ſacrificium perfecerat. ET DIIS COMMUNIBUS ARAS. *Dii communes* ſunt, ut alii dicunt, Mars, Bellona, Victoria: quia hi in bello utrique parti favere poſſunt. Ut autem altioris ſcientiae hominibus placet, *Dii communes* ſunt, qui ἄζωνοι dicuntur, id eſt, qui caeli certas non habent partes; ſed generaliter a cunctis coluntur: ubique enim eos eſſe manifeſtum eſt: ut Mater Deum, cujus poteſtas in omnibus zonis eſt: nam ideo & Mater Deum dicitur, quod cum omnibus eſt ejus communis poteſtas. Alii *communes Deos* volunt, Solem, Lunam, Plutonem, Martem: hi enim apud omnes homines inveniuntur, & ſunt in omnibus terris. Prior tamen ſenſus & ſimplex eſt, & magis aptus negotio.

PIERII.

vel ille geſtus, ſatis ſuperque eſt. Adverte vero, *praeludere*, Donato eſſe, imaginem quandam veritatis oſtentare, ludendo.

112. ET PACIS DICERE LEGES. In Oblongo cod. Vaticano *diſcere* legitur; ſed Servius agnoſcit, *dicere:* quas leges paulo poſt Aeneas in foedere

di-

Gramineas. Alii fontemque ignemque ferebant,
120 Velati lino, & verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, pilataque plenis
Agmina se fundunt portis. Hinc Troïus omnis,
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis;

Haud

SERVII.

119. ARAS GRAMINEAS. Romani enim moris fuerat, cespitem arae superimponere, & ita sacrificare. *Gramineas* autem ideo, quia & de bello res agitur, & Marti sacrificatur, cui *gramen* est consecratum: quod secundum Plinium in Naturali historia ex humano cruore procreatur. *Gramen* autem, herbae species est; licet omnis herba *gramen* vocetur: sicut *robur*, omne lignum; cum sit & species. FONTEMQUE IGNEMQUE FEREBANT. *Fontem*, pro aqua posuit, a toto partem. Sane ad facienda foedera semper aqua & ignis adhibentur; unde & contra, quos arcere volumus a nostro consortio, eis aqua & igni intercedimus, id est rebus, quibus consortia copulantur: ad haec autem aqua de certis fontibus peti solet.

120. VELATI LINO. Atqui Feciales, & Paterpatratus, per quos bella vel foedera confirmabantur, nunquam utebantur *vestibus lineis*. Adeo autem a Romano ritu alienum est, ut, cum Flaminica esset inventa tunicam *laneam lino* habuisse consutam, constitisset ob eam causam piaculum esse commissum: unde dicimus errore factum, ut *linea vestis* contra morem adhiberetur ad foedera, quae firma futura non erant. Scimus enim hoc ubique servare Virgilium, ut rebus, quibus denegatur exitus, det etiam infirma principia. Sic in Thracia civitatem condens Aeneas, quam mox fuerat relicturus, contra morem Jovi de tauro sacrificavit. Sic senatum ad privata Latinus convocat tecta; quando ejus non erant firma consilia. Sic paulo post in augurio liberatus cygnus, in fluvium concidit, quia Turnum Rutuli, licet rupto foedere, liberare non potuerunt. Caper tamen & Hyginus hoc loco dicunt, lectionem esse corruptam: nam Virgilium ita reliquisse confirmant: VELATI LIMO. *Limus* autem, est vestis, qua ab umbilico usque ad pedes teguntur pudenda poparum: haec autem vestis habet in extremo sui purpuram limam, id est, flexuosam, unde & nomen accepit: nam *limum*, obliquum dicimus; unde & Terentius *limis oculis* dicit, id est, obliquis. ET VERBENA TEMPORA VINCTI. *Verbena*, proprie est herba sacra, ros marinus, ut multi volunt, id est, λιβανωτίς, sumpta de loco sacro Capitolii, qua coronabantur Feciales & Paterpatratus, foedera facturi, vel bella indicturi. Abusive tamen *verbenas* jam vocamus omnes frondes sacratas, ut est *laurus*, *oliva*, & *myrtus*. Terentius: *Ex ara hinc sume verbenas*: nam myrtum fuisse Menander testatur, de quo Terentius transtulit. Quidam sane veris proximi herbas, *verbenas* dicunt. Alii certa ligamenta, *verbenas* volunt vocari.

121. LEGIO AUSONIDUM. Pro, AUSONIDARUM, quod venit ab eo, quod est *hic Ausonida*, sicut *hic auriga*: nam *Ausonis*, generis foeminini est; unde *Ausonidum* facit, quod ut diceret, metri est necessitate compulsus. PILATAQUE PLENIS. Hoc est, *pilis armata*. Quidam hoc loco *pilata agmina*, non a genere hastarum positum asserunt: nam paulo post dictum inferunt, *Defigunt tellure hastas*; sed *pilata*, densa, spissa, ut implere portas potuerint, & postea se in loca apertiora diffundere. Alii *pilatum agmen* dicunt, quod in longitudine directum est, quale solet esse cum portis procedit: vel certe *pilata*, fixa, & stabilia; vel a *pilo*, quod figit, vel a *pila structili*, quae fixa est & manet: nam & Graeci res densas & artas πιλωτὰ dicunt. Ennius Satyrarum II. *Contemplor inde loci liquidas pilataque aetheris oras*, cum firmas & stabiles significaret, & quasi pilis fultas. Hostius belli Histrici primo: *Percutit atque hastam pilans prae pondere frangit*. *Pilans*, id est, figens. Idem. *Sententia praesto pectore pilata*, id est, fixa. Asellio historiarum VIII. *Triariorum quartum signum accedebat, sive pilatim, sive passim iter facere volebat*. Scaurus de Vita sua: *In agrum hostium veni, pilatim exercitum duxi*, id est, strictim & dense; nam ubi proprie de genere hastae loquitur, ait: *Pila manu, saevosque gerunt in bella dolones*. Varro Rerum humanarum, *duo genera agminum* dicit: *Quadratum, quod immixtis etiam jumentis incedit, ut ubivis possit considere: pilatum alterum, quod sine jumentis incedit; sed inter se densum est, quo facilius per iniquiora loca tramittatur*.

123. RUIT. Cum impetu venit: quod apud Graecos est ἐφώρμησεν. VARIIS. Quia alius Troicus, alius Tyrrhenus: aut ipse *Tyrrhenus varius*: quia de variis gentibus Tuscorum.

PIERII.

dicturus est. *Dicere*, Donatus etiam agnoscit; sed in eo diversus abit a Servio, quod ait: *Jubet ad regem*

Haud ſecus inſtructi ferro, quam ſi aſpera Martis
125 Pugna vocet. Nec non mediis in millibus ipſi
Ductores auro volitant oſtroque decori,
Et genus Aſſaraci Mneſtheus, & fortis Aſylas,
Et Meſſapus equom domitor, Neptunia proles.
Utque dato ſigno ſpatia in ſua quiſque receſſit,
130 Defigunt tellure haſtas, & ſcuta reclinant.
Tum ſtudio effuſae matres, & volgus inermum,
Invalidique ſenes, turris, & tecta domorum
Obſedere: alii portis ſublimibus adſtant.
At Juno e ſummo, qui nunc Albanus habetur,
135 (Tum neque nomen erat; nec honos, aut gloria monti)
Proſpiciens tumulo campum aſpectabat, & ambas
Laurentum Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplo Turni ſic eſt adfata ſororem,

Diva

SERVII.

124. INSTRUCTI FERRO. Bona prooeconomia, & rei futurae praeparatio: ruptis enim foederibus ad bella deſcendent; quia neceſſe non erat, armari omnes, ſolis ducibus pugnantibus.

127. ASYLAS. Etruſcum nomen.

131. VULGUS INERMUM. Senum ſcilicet ac matrum, ſicut ipſe commemoravit: & quidam volunt, ideo hic *matrum* factam mentionem, ut etiam Amata inter ceteras ſpectatum veniſſe videatur, quo ſe poſſit, ducta errore, perimere.

134. NUNC ALBANUS HABETUR. Catonem ſequitur, qui *Albanum* montem, ab *Alba longa* putat dictum.

135. TUNC NEQUE NOMEN ERAT. Hoc ideo ait, quia in Albano res divina a jure triumphantibus fieri ſolebat; ſcilicet quod Alba patria populi Romani habetur; unde omnis origo Romana; propter quod *Albanique patres:* & *Juppiter Latiaris* antiquiſſimus eſt. Ergo montis hujuſce gloria, quod patria populi Romani eſſe dicatur; honos vero rei divinae, quae ibi a Romanis fieri conſueverat: nomen quis ignorat a longa Alba tractum?

136. ASPECTABAT. Amat uſurpare antiquitatem: nam potuit *ſpectabat* dicere.

PIERII.

Latinum tota maturitate perferri, ut ipſe, qui ſummam teneret poteſtatem, pacis leges diceret.

130. DEFIGUNT TELLURE HASTAS. Oblongus codex Vaticanae Bibliothecae atque Mediceae vetuſtus alter, *tellure* quidem, caſu ſeptimo legunt; ſed Romanus, & antiqui plerique alii, *telluri*, acquirendi caſu. Aruſianus tamen in exemplum, quod *defigo illa re*, ablativo caſu dicatur eleganter, locum hinc citat: quippe dictum a Virgilio: *Defigunt tellure haſtas*.

132. TURRES ET TECTA DOMORUM. In antiquis aliquot exemplaribus *ac tecta* habetur, in aliquot, *&*: parum quidem hoc, ſed eruditis ingeniis non ingratum.

133. ALII PORTIS SUBLIMIBUS ASTANT. In Romano codice & aliquot aliis *inſtant* habetur; ſed longe plures, *adſtant*, vel *aſtant*, habent.

135. TUM NEQUE NOMEN ERAT NEC HONOS AUT GLORIA MONTI. In Oblongo Vaticanae Bibliothecae: *nec honos nec gloria*. In Romano, *neque gloria*. In vulgatis: *Neque honos neque gloria*. In antiquo Mediceo & quibusdam aliis: *nec honos aut gloria*. Quae lectio modo recipi coepta eſt. Plurimum vero *tunc*, per *c* finalem ſcriptum invenias.

136. PROSPICIENS TUMULO CAMPUM SPECTABAT. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *adſpectabat*. In aliquot aliis ejuſdem figurae, *aſpectabat*: quod praecipue notatum eſt in Donati commentariis, hoc pacto: ASPECTABAT, *ad omnia pertinet, ut ſit, aſpectabat campum, aſpectabat acies utriuſque partis, aſpectabat & Latini urbem*.

Diva deam, stagnis quae fluminibusque sonoris
140 Praesidet: hunc illi rex aetheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit:
Nympha, decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis, ut te cunctis unam, quaecumque Latinae
Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile,
145 Praetulerim, caelique lubens in parte locarim:
Disce tuum, ne me incuses, Juturna, dolorem.

Qua

SERVII.

139. DIVA DEAM. Aut Hypallage est, pro *Dea divam:* nam *deos*, aeternos dicimus; *divos* vero, qui ex hominibus fiunt. Aut bene dixit de Junone *Divam*, respiciens etymologiam: nam in Horatio legimus: *Sub Divo moreris victima nihil Miserantis Orci*. Id est, sub aere, quem constat esse Junonem. *Deus* autem, vel *dea*, generale nomen est omnibus: nam Graece δέος Latine *timor* vocatur: inde *Deus* dictus est, quod omnis religio sit timori. Varro ad Ciceronem tertio: *Ita respondeat, cur dicant Deos, cum omnes antiqui dixerint Divos*. STAGNIS QUAE, FLUMINIBUSQUE SONORIS PRAESIDET. Juturna, fons est in Italia saluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen a *juvando* est inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia sit aegrotorum corporibus, hic omnibus saluberrimus fons est. De hoc autem fonte Romam ad omnia sacrificia aqua adferri consueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit sororem, quae laborantes juvare consuevit. Huic fonti propter aquarum inopiam sacrificari solet: cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit: nam & *Juturnae ferias* celebrant, qui artificium aqua exercent: quem diem festum JUTURNALIA dicunt. Varro Rerum divinarum quartodecimo, ait: *Juturna inter proprios deos Nymphasque ponitur:* Et quia *stagna* dixerat, ideo *sonora flumina* addidit: est enim stagnorum ἐπίθετον.

142. NYMPHA, DECUS FLUVIORUM. Sic supra: *Nymphae, Laurentes Nymphae, genus amnibus unde est*. ANIMO GRATISSIMA NOSTRO. Homerus: Ἐμῷ κεχαρισμένε θυμῷ.

143. CUNCTIS PRAETULERIM. Liptotes figura per contrarium: plus enim dicit, & minus significat: namque alias omnes est persecuta; huic vero libenter indulsit: & dicit, se hanc omnibus praetulisse; quasi etiam alias in honore habuerit. Ergo ideo hoc dicit, ut tollat caussam, quam potuit Juturna habere suspectam. Sane talis haec figura est, ut illud Sallustianum: *Mare Ponticum dulcius, quam caetera:* cum nullum dulce sit. Sane sciendum, non immerito finxisse Virgilium, Nymphae, id est, parti suae, indulsisse Junonem. QUAECUMQUE LATINAE. Quae sint Latinae, cum quibus Juppiter concubuerit, incertum est.

144. INGRATUM CUBILE. Aut *ingratum*, de quo pellici nulla gratia: hoc enim convenit personae dicenti: aut quod gratiam castae non repraesentat uxori Jupiter. Ergo sibi dicit *ingratum;* non illis, quae ascenderunt, nam Juturna dea facta est: neque propter Jovem dictum est, qui immortalitatis praemium persolvit. Ergo bene sibi *ingratum:* Nam, cum Jupiter multas vitiasse diceretur, nihil tamen a Junone de Juturna detractum est; sed potius auctum est. Animadvertendum autem, versum hunc sine caesura esse: nam Heptimemeris, quam habere creditur, in Synaloepham cadit, ut: *Magnanimi Jovis ingratum ascendere cubile*. Terentianus de hoc: *Rarum concedam; fieri non posse, negabo*.

145. CAELI IN PARTE. In parte divinitatis: nam locum numinum pro honore posuit.

PIERII.

142. NYMPHA DECUS FLUVIORUM ANIMO GRATISSIMA NOSTRO. In Romano codice & aliquot aliis manuscriptis, *carissima*, habetur. Pleraque tamen vetera exemplaria *gratissima* legunt: idque mavult Servius, & ita ex Homero legendum autumat, & in Donati commentariis, *gratissima* legitur.

146. DISCE TUUM NE ME INCUSES. In aliquot antiquis exemplaribus *nec me incuset* legitur, ut occurrat objectioni, quae esse poterat: Cur non praecavisti, quae Jovis es & soror & conjux? Noli, ait, me incusare, quae nihil praetermisi, quod pro Turni & Latinorum tutela fieri potuerit, enumerando quae fecerit. Donatus tamen *ne me* agnoscit: quod in bona veterum codicum parte etiam legas.

Qua visa est fortuna pati, Parcaeque sinebant
Cedere res Latio, Turnum, & tua moenia texi:
Nunc juvenem inparibus video concurrere fatis:
150 Parcarumque dies, & vis inimica propinquat.
Non pugnam aspicere hanc oculis, non foedera possum.
Tu, pro germano si quid praesentius audes,
Perge: decet. Forsan miseros meliora sequentur.
Vix ea: cum lacrimas oculis Juturna profudit,
155 Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrimis hoc tempus, ait Saturnia Juno:
Adcelera, & fratrem (si quis modus) eripe morti:
Aut

SERVII.

147. QUA VISA EST FORTUNA PATI. Quatenus: in quantum permisit: & sic ait, *qua visa est*, ut supra *Coeant in foedera dextrae*, *Qua datur*. Sane latenter ostenditur, favorem numinum sine concessione fatorum non posse procedere: & quidam putant Virgilium, *quoad visa est fortuna*, reliquisse, ut sit: *Quoad visa est*, usque quo.

148. CEDERE RES LATIO. Feliciter cuncta procedere.

149. VIDEO CONCURRERE. Pro, concursurum esse: licet, quasi Dea, bene praesenti usa sit tempore, quae etiam futura cernebat.

151. NON PUGNAM ASPICERE HANC OCULIS. Quia numina, quotiens morituros viderint eos, quibus favent, ab iis secedunt. Sic Statius Apollinem inducit, Amphiaraum deserentem, ubi eum vicinum morti esse cognovit: *Desilit moerens, lachrymasque avertit Apollo*. Et Homerus, cum lanx Hectoris, expendente Jove, inclinaretur, ait: Λεῖπε δὲ ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

152. PRAESENTIUS AUDES. Efficacius, vehementius: nam licet germanam illicita etiam pro fratris salute tentare.

153. FORSAN MISEROS MELIORA SEQUENTUR. Id est, forte possit fatorum ordo mutari.

154. CUM LACHRYMIS OCULIS JUTURNA PROFUDIT &c. Totum jungendum: CUM LACHRYMAS OCULIS JUTURNA PROFUDIT, TERQUE QUATERQUE MANU PECTUS PERCUSSIT. Ne videatur diverso tempore & lachrymare, & pectus percutere; cum utrumque simul fiat: & hoc ideo, quia solam doloris audiverat caussam; nihil, quemadmodum fratri posset mederi: nam paulo post audiet: *Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus*. HONESTUM. Aut divinum, aut quod Jovi placere placuerit.

156. NON LACRYMIS HOC TEMPUS, AIT, SATURNIA. Non flendi, sed subveniendi tempus est. Statius in matrum consolatione: *Accenso flebitis igne. Non lachrymis* autem, aut deest, agendum, vel quid tale: figuratum est, pro, lachrymarum.

157. ET FRATREM, SI QUIS MODUS. Non dicit: aut eripe, aut bella cie; sed eripe fratrem, aut bello concitato, aut rupto foedere.

PIERII.

147. QUA VISA EST FORTUNA PATI. Arusianus Messus in libro de Virgilianis elocutionibus hoc loco agnoscit *quoad*, exponitque *quoad*, pro, *donec*. Sane Servio, *qua* placere videtur, si modo codex incorruptus est. Arusiani vero lectio per synaeresim erit, figuram in Virgiliano carmine frequentissimam. Probus Valerius tamen *quod* hic monosyllabum mavult, nempe κατὰ κρᾶσιν ex *quoad*. Cadit vero sub idem examen Terentianus locus: *Munus nostrum ornato verbis, quoad poteris*: nam eo quoque loco, *Quod poteris*, a Terentio scriptum volunt, ut alibi in Adelphis: *Istam, quod potes, consolere*. Sed in antiquis codicibus loco hoc: *Quam potes*, scriptum inveni; tamen Helenius Acron *quod* agnoscit, auctore Carisio, pro, in quantum poteris.

154. VIX EA: CUM LACHRYMAS OCULIS JUTURNA PROFUDIT. In codicibus aliquot antiquis *tum lacrimas* legitur: quod procedere videtur ad Ti. Donati sententiam, qui distinguendum ait, *vix ea*, hoc est, statim quod ea dicta sunt; & sic sequantur caetera de lacrymis.

Aut tu bella cie, conceptumque excute foedus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
In-

SERVII.

158. CONCEPTUMQUE EXCUTE FOEDUS. Placitum, animo praedestinatum, ut fiat.

159. AUCTOR EGO AUDENDI. Nomina in TOR exeuntia, foeminina ex se faciunt, quae in TRIX terminantur; si tamen a verbo veniant; ut ab eo, quod est *lego*, & *lector*, & *lectrix* facit; *doceo*, *doctor*, & *doctrix*. Si autem a verbo non venerint, communia sunt: nam similiter & masculina & foeminina in TOR exeunt, ut *hic & haec senator; hic & haec balneator:* licet Petronius usurpaverit, *balneatricem* dicens. Tale est ut *hic & haec auctor;* sed tunc, cum ab auctoritate descendit, ut hoc loco: cum autem venit ab eo, quod est *augeo*, & *auctor*, & *auctrix* facit; ut si dicas, *auctor divitiarum*, vel *auctrix patrimonii*.

PIERII.

158. AUT TU BELLA CIE. In antiquis aliquot legere est, *At tu bella cie:* te enim decet hoc pro salute fratris facere, minusque obnoxium erit reprehensioni.

159. AUCTOR EGO AUDENDI. Invaluit aetate nostra mos, ut *author*, per *th* scribatur, quod nonnullis persuasum fuit, nomen id παρὰ τὸ αὐθεντέω deduci: quorum opinioni veterum Grammaticorum sententia refragari videtur: nam apud Valerium Probum ita legas: *Auctor a verbo augeo, foeminino significato auctrix facit, Si non venit a verbo eo, sed significat principem, etiam foeminino genere* Auctor *facit, sicut Virgilius ex persona Junonis:* Auctor ego audendi. *Princeps, non quae augeat.* Atque alibi in Arte de hoc ipso ita disputat: *Quaeritur, quare Virgilius de Junone*, Auctor ego audendi *& non* auctrix *pronuntiaverit: hac de caussa, quoniam quaecumque nomina a verbis anomalis venire intelliguntur, haec aut deficiunt, aut certe anomale pronuntiantur. Hinc, quum & hoc nomen a verbo anomalo oriri reperiatur, id est, ab audeo: facit enim specie perfecta ausus sum: & ideo hoc nomen foeminini generis anomalum facere pronuntiatur.* Utrumque vero per *ct* scribit, non taciturus, si quam in scriptione differentiam agnovisset. Carisius quoque, qui ineptissimum putat Latino nomini Graecum etymum dare, nulla de mediis consonantibus mentione facta, Victor, *inquit*, institor, & tutor, *ac similia, pro communibus accipienda. Auctor siquidem propterea dicitur, quod augere generavit: Auctricem dicemus, quod pariter augere possit; cum vero ad auctoritatem referatur, pro communi accipiendum.* Neque desunt, qui, quum utriusque nominis etymon Latinum agnoscant, ita tamen distinguant, ut *auctor* ab *augeo*, per *ct* notetur: ab *audeo* vero, *autor*, absque c; quasi d litera in t sibi cognatam tantum transeat. Vetera vero omnia exemplaria, quae vidimus, *auctor*, utroque significato per *ct* notatum ostendunt. Nihil vero hic moror notas quasdam antiquarum inscriptionum Valerio Probo adscriptas, tam eorum, qui transcripserunt, quam impressorum negligentia corruptas, atque etiam eorum, qui manum in alienam messem injicere ausi sunt, multaque arbitratu suo interpretari, impudentia vitiatas; quum anteacta saecula *auctor*, & *auctoritas*, per *ct* scripsisse tot veterum, quae passim extant, monumenta declarent. Cujusmodi aliqua retulisse non videatur importunum. Ea vero in primis occurrunt, quae omnibus maxime sunt in promptu. Tabula aenea in Basilica Lateranensi, in qua verba haec ita notata leguntur: UTIQUE CUM EX VOLUNTATE AUCTORITATEVE, JUSSU, MANDATUVE EJUS, & quae sequuntur. Alibi vero in eo monumento, quod proximis diebus abvectum est ex Ponte Aurelio:

EX AVCTORITATE IMP. CAES. DIVI NERVAE
FILII NERVAE TRAIANI AVG. GERMANICI.

Quum vero & haec, & hujusmodi pleraque pervestigarem, vir bene literatus, Mariangelus Accursius Aquilanus, opportune mihi in hortis Columnensium ad DD. Apostolos hanc inscriptionem in vetusto lapide notatam ostendit:

EX AVCTORITATE TVRCI APRONIANI
V. C. PRAEFECTI
VRBIS.
RATIO DOCVIT, VTILITATE SVADENTE.
CONSUETUDINE MICANDI SUMMOTA.

Et quae sequuntur, nunc minime ad commemorandum necessaria. Ubi vero Julius II. Pont. Max. Praetorii, quod ad Divi Blasii instituerat, fundamenta magnifico apparatu jecit, Ant. Laelius, civis meus, antiquam indicavit inscriptionem, in ipsa Tyberis ripa pulchris characteribus ita notatam:

EX AVCTORITATE IMP. CAES. VESPASIANI
AVG. P. M. TRIB. POT. IIII. IMP. X. P. P. COS.
IIII. V. CENSOR. CAIVS CALPETANUS RANTIVS QVIRINALIS VALERIVS CESTUS CVRATORR. RIPAR. AI VEI TYBERIS TERMINAVER.

Et quae inde notae punctis intercertae sunt. Quo vero majorem Laelio gratiam debeo, non gravatus est vir ingenii & eruditionis elegantissimae, podagra etiam eum miserabiliter affligente, ad recenter erutum lapidem visendum me deducere. In quo quidem illud me maxime follicitum habuit, quod verba, quae di-

160 Incertam, & trifti turbatam volnere mentis.
Interea reges (ingenti mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
Aurati bis fex radii fulgentia cingunt,
Solis avi fpecimen: bigis it Turnus in albis,
165 Bina manu lato crifpans haftilia ferro.
Hinc pater Aeneas, Romanae ftirpis origo,
Sidereo flagrans clipeo, & caeleftibus armis,

Et

SERVII.

160. RELIQUIT INCERTAM. Quia, licet dederit ei confilium, dicendo tamen *forfan*, eam reliquit incertam.

161. INTEREA REGES. Longum Hyperbaton: nam ordo eft: *Interea reges procedunt caftris*: caetera enim per parenthefim dicta funt: nec eft Eclipfis, id eft, conceptio, cum fermo in omnibus congruat. INGENTI MOLE. Pompa, ambitu: nam modo hoc fignificat.

162. CIRCUM. Abfolute, ex omni parte, ut fit dicas *tempora radiis cingitur*.

164. SOLIS AVI SPECIMEN. Ut etiam in feptimo diximus, Latinus, fecundum Hefiodum in Θεογονίᾳ Ulyffis & Circes filius fuit, quam multi etiam Maricam dicunt: fecundum quem nunc dicit: *Solis avi fpecimen*. Nam Circe, Solis eft filia. Sane fciendum, Virgilium in varietate hiftoriae, fua etiam dicta variare. Sed de Ulyxe, ut etiam fupra diximus, temporum nos ratio credere non finit. BIGIS IT TURNUS. Quotiens utimur nominibus tantum pluralis numeri, & unum volumus fignificare, ita dicimus, *unas bigas*, *unas quadrigas*, *unas fcalas*. Salluftius: *Hic poftquam in una moenia convenere*.

165. BINA. Pro duobus.

166. ROMANAE STIRPIS ORIGO. Hoc ad laudem Augufti refpicit.

167. SYDEREO FLAGRANS CLYPEO. Latino tantum imaginem Solis dedit; Aeneam autem cum fidereo clypeo ipfe quodammodo comparat Soli.

PIERII.

ctionem TERMINAVER. fequebantur, ita detrita, manca, curtaque erant, ut quidnam fibi vellent, nihil quidquam certo elicere poffem. Notarum tamen ductibus obfervatis, ita fcriptum fuiffe exiftimavi, licet alii aliter excerpferint:

R. R. PROX. CIPP. PED. XXIIII.

Cujufmodi infcriptionem alteram alibi egomet ab artificum injuria vindicavi. Monumentum quippe in foffa, quam Julius II. circum molem Hadriani ducere inceptaverat, quum ego molem ipfam inhabitarem, effofum eft in haec verba modumque:

IMP. CAESAR DIVI F. AUGUSTUS PONTIFEX MAXIMUS TRIBUNIC. POTEST. XVII. EX S. C. TERMINAVIT. R. R. PROX. CIPP. PED. XIII S

Quia vero multos fore puto, qui vel anxie quaefituri fint, quid in hujufmodi monumentis fibi velint primae notae illae punctis diffitae, R. R. PROX. CIPP. PED. non ab re me facturum exiftimo, fi hac quoque in parte ftudioforum, qua fieri poteft, curiofitatem juvero. Sunt, qui *Romanae ripae proximum cippum pedes*, interpretentur. Sed in iis, quae fub nomine Valerii Probi publicatae funt, notarum interpretationibus, expofitum vidi, *ruderibus recolligendis*. T. Phaedrus, quum Horatii Poeticen interpretaretur eo loco, *Seu curfum mutavit iniquum frugibus amnis, Doctus iter melius*: ubi ad id adlufit Horatius, quod Auguftus Tyberim (ut apud Suetonium eft) completum olim ruderibus, & aedificiorum prolapfionibus coarctatum laxaverit, ac repurgaverit. In cipporum infcriptionibus, ultra quos cautum effet, nequid inde aggeraretur: is, *ruderibus rejectis*, duo illa RR interpretabatur, & nunc demum ita Valerius emendari coeptus. Sed ut ad nomen, quo de quaeftio erat, revertamur, ex iis, quas recitavimus, Grammaticorum veterum ac diligentiffimorum fententiis, ac eruditi faeculi, & tot aetatum ufu, *auctor*, Latinam locutionem Valerio Probo, Flavio Sofipatro Carifio, & aliis agnitam, per *ct* fcribendam, docti uniufcuiufque judicio adftipulante, cenfuerim.

164. BIGIS IT TURNUS IN ALBIS. Vulgata quaedam exemplaria *bijugis* legunt; fed *bigis* omnino legendum ex antiquis codicibus & Servii interpretatione. Eandem lectionem Donatus agnofcit: curque bigis veheretur Turnus, rationem adjicit. *Qui ad certamen exibat, expeditior proceffit, duos habens equos, & duo haftilia*. Quod vero exemplaria quaedam vetera *in altis* legunt, minime placet, quia longe plura funt quae *albis* legunt: id quod dictum eft ad factionis colorem fubindicandum.

Et juxta Aſcanius, magnae ſpes altera Romae)
Procedunt caſtris, puraque in veſte ſacerdos
170 Setigeri foetum ſuis, intonſamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, paterìſque altaria libant.
175 Tum pius Aeneas ſtricto ſic enſe precatur :

Eſto

SERVII.

168. MAGNAE SPES ALTERA ROMAE. Ideo, quia Aeneas una. Male autem quidam *magna* legunt. Sane Aſcanii habitum vel ornatum omiſit : quia puer eſt.

169. PURAQUE IN VESTE SACERDOS. Impolluta & pura dicitur veſtis, qua feſtis diebus uti conſueverant ſacra celebraturi. Ut neque funeſta ſit, neque fulgurata, neque maculam habeat ab homine mortuo. Eſt autem linea, & purpurea. Purpura maris vicem ad piandum praebet; linum vero fluminis: *quia, cum vere primum in Oriente flumen inundaſſet, ſponte ſua linum natum eſſe*, Plinius Secundus dicit. Ideo Magiſtratus, & ſacrificaturi togam praetextam habent, & manus ablutas detergere lineis mantilibus curant. Quod ipſe de Ariſteo ait, IV. Georgicorum: *Oceano libemus*. Et : *Manibus liquidos dant ordine fontes Germanae : tonſiſque ferunt mantilia villis*. Ecce mentiooem de lino: rurſum purpura : *Purpureo velare comas adopertus amictu*. Item : *Velati lino*. Ergo *pura*, lintea, vel purpurea, bene poteſt intelligi.

170. SETIGERAE FOETUM SUIS. More Romano, ut : *Caeſa jungebant foedera porca*. Nonnulli autem *porcum*, non *porcam*, in foederibus adſerunt ſolere mactari ; ſed Poetam periphraſi uſum propter nominis humilitatem. *Intonſam* vero *bidentem* dixiſſe, quam Pontifices *altilaneam* vocant : nam Homerus aliud genus ſacrificii commemoravit, dicens: Κήρυκες δ' ἀνὰ ἄστυ θεῶν φέρον ὅρκια πιστὰ Ἄρνε δύω, καὶ οἶνον, εὔφρονα, καρπὸν ἀρούρης, Ἀσκῷ ἐν αἰγείῳ, φέρε δὲ κρατῆρα φαεινὸν Κῆρυξ Ἰδαῖος ἠδὲ χρύσεια κύπελλα. Sane non praeter rationem eſt, quod ait : *Foetum ſuis* : item *Intonſamque bidentem* : id eſt, brevem adhuc : nam in rebus, quas volebant finiri celerius, ſenilibus, & jam decreſcentibus animalibus ſacrificabant; in rebus vero, quas augeri & confirmari volebant, de minoribus, & adhuc creſcentibus ſacrificabant. Sane ovem Graeco more foederi adhibuit.

171. ADTULIT ADMOVITQUE PECUS. Primo adtulit, inde admovit pecus, id eſt, hoſtiam.

172. ILLI AD SURGENTEM. Non utique nunc Solem ſurgentem dixit : jamdudum enim dies erat ; ſed diſciplinam cerimoniarum ſecutus eſt ; ut Orientem ſpectare diceret eum, qui eſſet precaturus.

173. DANT FRUGES MANIBUS SALSAS. Far & ſal : quibus rebus & cultri aſpergebantur & victimae. Erant autem illae probationes, utrum aptum eſſet animal ſacrificio. Obliquum etiam cultrum a fronte uſque ad caudam ante immolationem ducere conſueverant : nam hoc eſt, quod dicit : *Et tempora ferro Summa notant pecudum*.

174. PATERISQUE ALTARIA LIBANT. Probus *altaria*, id eſt, in altaria, dicit : & *pateris*, pro ex pateris ; ut *vinum*, *altaria* intelligamus: ea enim, quae in altaria funduntur, *altaria* dici voluit ; alii *altaria* ſpecies ararum tradunt.

175. TUM PIUS AENEAS STRICTO SIC ENSE PRECATUR. Hic prior precatur: quia hic mavult fieri foedus : *ſtricto* autem *enſe*, juxta quendam jurisjurandi morem ait.

PIERII.

170. SETIGERAE FOETUM SUIS. Vulgata quidem exemplaria pleraque *ſetigerae*, foeminini generis legunt. In antiquis, quotquot legi, *ſetigeri*, virili genere ſcriptum eſt. Sunt vero ex eruditis qui *ſaetigerae* magis probent. Sed enim Ti. Donatus aperte maſculinum agnoſcit genus, ait enim : *Foetum porci dixit, non foetum porcae, patrem volens magis nominare quam matrem*.

172. ILLI AD SURGENTIS CONVERSI LUMINA SOLIS. Exemplaria pleraque vulgata *ſurgentis ſolis* omnino legunt, caſu poſſeſſivo. Antiqua vero omnia, quaecumque habere potui, ita habent, *Illi ad ſurgentem converſi lumina ſolem*: in quo ſtructura concinnior, & elocutio figuratior.

Esto nunc Sol testis, & haec mihi terra vocanti,
Quam propter tantos potui perferre labores,
Et Pater omnipotens, & tu Saturnia Juno;
Jam melior, jam, Diva, precor: tuque inclute Mavors.
180 Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:
Fontisque, fluviosque voco, quaeque aetheris alti
Relligio, & quae caeruleo sunt numina ponto:
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno;

SERVII.

176. ESTO NUNC SOL TESTIS. Bene cum primum invocat Deum, quem orientem intuens vidit: uam ait: *Illi ad surgentem conversi lumina Solem*. ESTO autem, multi volunt tertiam esse persouam, id est, sit mihi Sol testis: quia sequitur: *Et haec terra*: ut elocutionem per nominativum factam intelligamus; sed hoc non procedit: quia sequentia vocativum habent, ut: *Et tu Saturnia Juno* item: *Tuque inclyte Mavors*: unde per vocativum eum omnia dixisse accipiamus: in hoc vero tantum ad nominativum fecisse transitum: ET HAEC MIHI TERRA PRECANTI. Licet etiam hic possit esse vocativus: nam *δεικτικῶς* est dictum: *Haec terra esto mihi testis*: ac si diceret: o Italica terra, testis mihi esto. Sane juxta Homericum foedus, hic inducit fieri: nam ut ibi Priamus, ita hic Latinus; ut hic Aeneas, ibi Agamemnon: & priores precantur, qui servaturi sunt foedus; quod ruperunt, qui posteriores juraturi erant: ibi per Pandarum Trojani; hic per Tolumnium Latini: & hoc per speciem augurii, quae *precatio maxima* appellatur, dicit. *Precatio* autem *maxima* est, cum plures deos, quam in ceteris partibus auguriorum, precatur, eventusque rei bonae poscitur, ut in melius juvent, quod his versibus ostenditur: *Esto nunc Sol testis, & haec mihi Terra precanti*. Homeri simile juramentum: *Ζεῦ πάτερ, ἴδηθεν μεδέων, κύδιστε, μέγιστε, Ἠέλιός δ' ὃς πάντ' ἐφορᾷς, καὶ πάντ' ἐπακούεις· Καὶ Ποταμοὶ· καὶ Γαῖα· καὶ οἳ ὑπένερθε καμόντας Ἀνθρώπους τίνυσθον, ὅ, τις κ' ἐπίορκον ὀμόσσῃ· Ὑμεῖς μάρτυροι ἐστέ, φυλάσσετε δ' ὅρκια πιστά.*

177. QUAM PROPTER. *Propter*, penultima habet accentum, quia est postposita praepositio, id est, propter quam tantos: ut Graece *περὶ βασιλείας*· cum contra dicatur *βασιλείας πέρι*, quia est postposita praepositio.

178. ET PATER OMNIPOTENS &c. ET QUAE CAERULEO SUNT NUMINA PONTO. Ceterum, quod in precatione dici solet, ut melius juvent, melius fortunent, subjecit his versibus: *Si nostrum adnuerit nobis victoria Martem*.

179. JAM MELIOR, JAM DIVA PRECOR. Ac si diceret, Non Saturnia, id est, jam minime nocens, sed Trojanis propitia: aut *melior*, non optantis, sed adfirmantis accipiamus: potuit enim intelligere minus se impugnari a Junone, qui vicerat bis.

180. TORQUES. Hoc loco, regis freno: sic alibi: *Ipse pedes tegmen torquens immane leonis*: alibi, sustines, ut: *Axem humero torquet*. INCLYTE MAVORS. Bene induxit Martem Poeta, quem scit Romanae stirpis auctorem.

181. FONTESQUE FLUVIOSQUE VOCO. Congruenter, cum a Tyberino flumine sit admonitus, quae agere deberet. QUAEQUE AETHERIS ALTI RELLIGIO. Post specialitatem intulit generalitatem. Sane *religio* dicta, quod ea homines religantur ad cultum divinum.

182. PONTO. Id est, in ponto: & quidam hoc loco, a filio Veneris jure urando, velut matris, volunt inditam mentionem.

183. CESSERIT AUSONIO SI FORS. Si forte: & bene dubitat de hoc: contra cum ad suum pervenerit nomen, dicet: *Ut potius reor, & potius Dii numine firment*. Sane ratione non caret, quod primo de victoria Turni loquitur, post descendit ad suam: scit enim, in auguriis prima posterioribus cedere.

PIERII.

176. ET HAEC MIHI TERRA PRECANTI. In Romano codice, in Mediceo & plerisque aliis manu scriptis, *vocanti* scriptum. Nempe quod satis erat proximiore versu dixisse precatur. Sed enim Donatus omnino *precanti* legit, ut vulgata habent exemplaria.

178. ET TU SATURNIA CONJUNX. Romanus quidem codex, & quidam alter Vaticanae Bibliothecae manu scriptus *conjux*, cum antiquiorum impressionum exemplaribus legunt. In Oblongo, Pomponii Laeti deliciis, in Mediceo, & plerisque aliis, *Saturnia Juno* legitur, quod plausibiliter magis acceptum est ab eruditis: quamvis posito Jove, *Conjux* non indecore additum videretur. Sed Donatus quoque *Juno* lectionem agnoscit.

Con-

Convenit Euandri victos discedere ad urbem.
185 Cedet Iulus agris: nec post arma ulla rebelles
Aeneadae referent, ferrove haec regna lacessent.
Sin nostrum adnuerit nobis victoria Martem,
(Ut potius reor, & potius DI numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
190 Nec mihi regna peto. Paribus se legibus ambae
Invictae gentes aeterna in foedera mittant.
Sacra Deosque dabo: socer arma Latinus habeto;
Imperium sollemne socer: mihi moenia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
195 Sic prior Aeneas: sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens caelum, tenditque ad sidera dextram:
Haec eadem, Aenea, terram, mare, sidera, juro,
Latonaeque genus duplex, Janumque bifrontem,

Vim-

SERVII.

185. REBELLIS. Homo *rebellis* dicitur; res ipsa *rebellio*; non *rebellatio*: sic Suetonius.

187. ADNUERIT NOBIS VICTORIA MARTEM. Hypallage, pro, Sin noster Mars adnuerit nobis victoriam: nam Martem victoria comitatur.

191. INVICTAE. Quasi invictae. Et bene sibi conciliat populum: nam sine dubio una cum rege vincetur.

192. SACRA DEOSQUE DABO. Magna fuit apud majores sacrorum cura, sicut diximus supra: unde nunc Aeneas id agit, ne peteant. Et re vera constat, facta Phrygia, tunc Latinis tradita, coluisse Romanos. LATINUS HABETO. Aut antiquus vocativus est: aut *habeto*, tertia persona est. Sane sciendum, quia crebra soceri commemoratione sibi favorem Latini conciliat: item dicendo: *Mihi moenia Teucri constituent*: popularem gratiam captat: quia supra dixerat Drances: *Saxaque subvectare humeris Trojana juvabit*.

197. TERRAM, MARE, SYDERA JURO. Et ornatior elocutio; & crebra apud majores, quam si velis addere praepositionem, ut dicas, *Juro per maria, per terras*. EADEM autem bene dixit: nam pro mari, ille fontes & fluvios posuit; pro syderibus, Solem.

198. LATONAEQUE GENUS, DUPLEX. Ac si diceret, utrumque sexum prolis Latonae vel sobolis. Et bene in foederibus duplicia invocat numina: quia in unum duo coituri sunt populi. JANUMQUE BIFRONTEM. Rite hunc quoque invocat: quia ipse faciendis foederibus praeest: namque, postquam Romulus & Titus Tatius in foedera convenerunt, Jano simulacrum duplicis frontis effectum est, quasi ad imaginem duorum populorum. Legimus tamen Janum etiam quadrifrontem fuisse: unde Martialis ait: *Et lingua pariter locutus omni*: Nam *omnis*, de duobus non dicimus.

PIERII.

185. CEDET IULUS AGRIS. Vetera quaedam exemplaria *cedat* habent: quaedam etiam *cedet*, ob syncroniam scilicet, quod sequitur *referent*, & *lacessent*. In Donati tamen Paraphrasi omnia haec dicta videntur per imperandi modum. In Mediceae Bibliothecae antiquo codice ultima syllaba tota abrasa est, & superne, *det* ascriptum: unde *cedet* priorem lectionem fuisse conjicias.

187. SIN NOSTRUM ADNUERIT NOBIS VICTORIA MARTEM. Antiqua exemplaria pleraque *Si nostrum* legunt. Sed enim orationis ordo, ut *sin* legatur, exposcit: eaque lectio in Mediceo & probatioribus aliquot codicibus.

188. ET POTIUS DII NUMINE FIRMENT. In vetustiss. quodam exemplari legere est, *& proprius Di numina firment*. In Rom. quoque *numina* scriptum est; sed *numine* vulgata lectio magis recepta.

191. AETERNA IN FOEDERA MITTANT. In Oblongo codice *mittent* est, affirmativo modo, de futuro, boni ominis caussa: & pariter sequitur: *Sacra deosque dabo*.

Vimque Deum infernam, & duri ſacraria Ditis:
200 Audiat haec Genitor, qui foedera fulmine ſancit:
Tango aras; medios ignis, & Numina teſtor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec foedera rumpet,
Quo res cumque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet; non ſi tellurem effundat in undas
205 Diluvio miſcens, caelumque in Tartara ſolvat:
Ut ſceptrum hoc (dextra ſceptrum nam forte gerebat)
Numquam fronde levi fundet virgulta, neque umbras,
Cum ſemel in ſilvis imo de ſtirpe reciſum
Matre caret, poſuitque comas & brachia ferro;
Olim

SERVII.

199. VIM. Duritiem, inexorabilitatem. SACRARIA DITIS. *Sacrarium*, proprie locus eſt in templo, in quo ſacra reponuntur: ſicut *donarium* eſt, ubi ponuntur oblata: ſicut *lectiſternia* dicuntur, ubi homines in templo ſedere conſuerunt.

200. QUI FOEDERA FULMINE SANCIT. Confirmat: ſancta eſſe facit: quia, cum fiunt foedera, ſi coruſcatio fuerit, confirmantur: vel certe, quia apud maiores arae non incendebantur; ſed ignem divinum precibus eliciebant, qui incendebat altaria. *Sancire* autem, proprie eſt ſanctum aliquid, id eſt, conſecratum facere, fuſo ſanguine hoſtiae: & dictum *ſanctum*, quaſi ſanguine conſecratum.

204. SI TELLUREM EFFUNDAT IN UNDAS. Hypallage, pro, ſi undas effundat in terram.

205. DILUVIO MISCENS. Id eſt, aquae ſuperfuſione univerſa perturbans.

206. UT SCEPTRUM HOC. Homeri locus, verbum ad verbum:

Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔ ποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει, ἐπειδὴ πρῶτα τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει, περὶ γάρ ῥά ἑ χαλκὸς ἔλεψε,
Φύλλα τε καὶ φλοιόν, νῦν αὖτέ μιν υἷες Ἀχαιῶν
Ἐν παλάμῃς φορέουσι δικασπόλοι, οἵτε θέμιστας
Πρὸς Διὸς εἰρύαται; ὁ δέ τοι μέγας ἔσσεται ὅρκος.

DEXTRA SCEPTRUM NAM FORTE GEREBAT. Per parentheſim dictum eſt. Ut autem *ſceptrum* adhibeatur ad foedera, haec ratio eſt, quia majores ſemper ſimulacrum Jovis adhibebant: quod cum taedioſum eſſet, praecipue quando fiebant foedera cum longe poſitis gentibus, inventum eſt, ut *ſceptrum* tenentes, quaſi imaginem ſimulacri redderent Jovis. *Sceptrum* enim ipſius eſt proprium: unde nunc tenet *ſceptrum* Latinus, non quaſi rex; ſed quaſi Pater patratus.

208. IMO DE STIRPE. Ideo genere maſculino uſus eſt quia de arboribus loquitur: nam de hominibus genere foeminino dicimus, ut: *Heu ſtirpem inviſam*, dixit tamen, ſed uſurpative, Horatius etiam de arboribus, ut: *Stirpeſque raptas, & pecus, & domus*.

209. MATRE CARET. Vel terra, ut: *Antiquam exquirite matrem*: vel arbore, ut: *Parva ſub ingenti matris ſe ſubjicit umbra*. Sic enim melius carmini reſpondet Homerico: τομὴν ἐν ὄρεσσι λέλοιπεν.

PIERII.

199. VIMQUE DEUM INFERNAM DIRI SACRARIA DITIS. In antiquis porro omnibus exemplar. ſcriptum obſervavi *duri*: & apud Servium tale aliquid obſerves, dum exponit, *duriciem inexorabilem*, pro *Vimque deum infernam*. *Ditem* vero *flecti indocilem* ait Claudianus, quod congruit duro.

201. TANGO ARAS MEDIOSQUE IGNES. In Romano codice, in Mediceo, & aliquot aliis antiquis legere eſt, *Tango aras, medio ignis*, abſque particula copulativa. Hoc loco Donatus ait: *Medios dicit, quia nihil aliud habuit in praeſenti, niſi aras & ignes, quae contigi manu potuerint. Numina autem invocabat, ut teſtimonio eſſent firmantibus foedera*. Haec ille. Qui vero volunt Virgilium paſſim philoſophari, ideo medios dictum ajunt, quod ignis inter humanam divinamque naturam medius ſit: quia materiae applicatus, ad ſublimiora ſponte fertur, ſedemque ſibi ſuperiori loco debitam affectat, nullumque ita ſit commodius internuntium, quod res noſtras ad Deorum aures & oculos perferre poſſit.

205. COELUMVE IN TARTARA SOLVAT. In Romano cod. ſcriptum eſt *coelumque*; ſed ſingula haec diſtincta Ti. Donatus ponit. Praeterea in veteri co-

210 Olim arbos, nunc artificis manus aere decoro
Inclusit, patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant foedera dictis,
Conspectu in medio procerum. Tum rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
215 Eripiunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
At vero Rutulis inpar ea pugna videri
Jamdudum, & vario misceri pectora motu:
Tum magis, ut propius cernunt non viribus aequis.
Adjuvat incessu tacito progressus, & aram
220 Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,

Ta-

SERVII.

210. Aere decoro. Id est, orichalco.

211. Dedit gestare Latinis. Ut: *Dat ferre*.

212. Talibus inter se firmabant foedera dictis. Latinus & Aeneas. Turnum autem non inducit jurantem: quia dux est, qui praesente rege non habet potestatem. Et imitatus est Homerum, qui post jusiurandum Menelai, Alexandrum quasi fervidum & adolescentem a foedere inducit exclusum, & Priamum adhibitum ad foederis confirmationem.

213. Rite sacratas. Rite expurgatas solemnitate, quam diximus supra.

216. Videri et misceri. Infiniti sunt pro indicativis.

218. Propius. Diligentius, ut: *Et propius res aspice nostras*. Non viribus aequis. Eos congressuros, subaudis.

219. Incessu tacito. Pro, ipse tacitus: Hypallage est.

PIERII.

codice quodam, *in tartara vertat*, habetur, quod forte sumptum ex paraphrasi: nam *solvat* longe plura legunt exemplaria.

209. Cum semel in silvis imo de stirpe recisum. Quia Grammatici soliciti sunt de nominis genere, quaeruntque nonnulli, *imone stirpe*, an *ima* dicendum sit. Et responsum Servii est, foeminino genere dici de hominibus, virili vero de arboribus, quamvis Horatius *stirpesque raptas* dixerit; ea mihi visum est apponere, quae super hoc Donatus ait: *Si jungamus*, inquit is, *faciemus stirpem genere masculino, contra ipsius Virgilii sententiam, qui omnibus locis Stirpem foeminino pretulit genere*, ut: *Stirpis Achilleae fastus*: &: *Heu stirpem invisam*. Et non multo supra: *Hinc Pater Aeneas Romanae stirpis origo*. Hunc scrupulum qui declinare voluerit, sic pronuntiare debet, & sic intelligere, ut, quod dictum est *imo*, separetur; ut sit ab imo abscissum, hoc est, ab inferiore arboris parte.

216. At vero Rutulis impar ea pugna videri jamdudum et va. Antiquiores aliquot codices *Rutulisque impar* legunt: nam *que* praejectum alteri copulativae &, venustam reddit orationem.

219. Adjuvat incessu tacito. Vetera quidem exemplaria multa cum vulgatis *incessu* legunt: in Oblongo tamen Vaticano *ingressu* scriptum est. *Incedere* enim quum plerumque sit majestatis, & venerabile nescio quid prae se ferat, locum hic habere non videtur, ubi omnia perquiruntur, quae timorem in Turno manifestum indicent. Praeterea Servius quoque *ingressu* agnoscere videtur, si diligenter inspicias. Haudquaquam vero obscure Donatus *ingressu* legendum ostendit, dum ait: *Apparebant in Turno signa omnia, quae imparis diffidentiam comprobarent. Primo ingressus ejus, hoc est, ambulatio tacita: & progressus, hoc est, ad ulteriora segnior accessus. Ecce his signis colligebatur animi ejus corporisque defectio: Lassos quippe tacitus habuit gressus, dum vix pedem movebat, & vix reponebat alterum, ut progrederetur ulterius. Fuit alterum diffidentiae signum, quod aram venerabatur oculis dejectis ad terram. Et (ut reliqua persequamur) tertium signum tabentium genarum fuit: nam repentina macie fuerat deformatus. Quartum palloris, qui in juvene esse non debuit, si deesset & metus*.

220. Ad aram suppliciter venerans. Sunt qui *ad aram* legunt, ut sit progressus ad aram. Sed enim exemplaria vetera & *aram* habent, ut sit, &

Tabentesque genae, & juvenali in corpore pallor
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & volgi variare labantia corda:
In medias acies, formam adsimulata Camerti,
225 Cui genus a proavis ingens, clarumque paternae
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis,
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios, ac talia fatur:
Non pudet, o Rutuli, pro cunctis talibus unam
230 Objectare animam? numerone, an viribus aequi
Non sumus? En, omnes & Troës, & Arcades, hi sunt,

Fa-

SERVII.

225. Cui genus a proavis ingens. Cujus auctoritatem commendabat & origo majorum, & paterna virtus, & propria fortitudo.

229. Pro cunctis talibus. Qualis etiam Turnus est: & attendit sensum superiorem, ubi ait Turnus oblique: *Et solus ferro crimen commune refellam*.

230. An viribus aequis Non sumus? Bene addidit *viribus*: nam legimus in Sallustio: *Memorare possumus, quibus in locis populus Romanus ingentes hostium copias parva manu fuderit*. Virgilius: *Exigui numero; sed bello vivida virtus*.

231. En omnes. Ne occurreret: Sed est in castris alter exercitus.

PIERII.

aram suppliciter venerans. Unum enim, uti dictum ex Donato, de quatuor signis, quae timorem indicabant, fuit ea veneratio demisso lumine praestita.

221. Pubentesque genas. Antiquus codex Mediceae Bibliothecae, in *pubentes* primam litteram abrasam & alio atramento in *p* notatam ostendit; sed quae subsequitur vocalis *a*, est & ea quidem incolumis conservata, sed *u* vocali quinta superne adscripta: ut quod prius *tabentes* legebatur, in *pubentes* sit immutatum. Sed & alii codices plerique *tabentes* legunt: & quod Ti. Donatus tertium signum tabentium genarum fuisse dicit, nullam dubitationem reliquam facit, quin lectio castior sit, *Tabentesque genas*.

229. Non pudet o Rutuli cuncti pro talibus unam Objectare animam? Romanus codex, & Oblongus Vaticani, Mediceusque, & nonnulli alii veteres, *pro cunctis talibus* legunt. Quam lectionem Servius agnoscit, dum ait, *tales Latinos reliquos, qualis est Turnus*.

230. Numero ne an viribus aequi non sumus. In codicibus aliquot manu scriptis *aequae* habes, quia dixerat *unam animam*, ita *aequae animae*: quod non probatur. In aliquot aliis, *viribus aequis*; sed *aequi* vulgata lectio omnino castior.

231. En omnes et Troes et Arcades hi sunt. In antiquo codice scriptum est, *En omnes hi Troes & Arcades hi sunt*: quasi dicat, inimici nostri, qui sedibus suis expulsi, terram alienam invasere, ne propter foedus initum, eos jam amicos effectos existimarent, & ideo certare nollent. Servius, *hic sunt*, cum vulgata lectione legit, ne in castris alterum exercitum esse suspicarentur · quae lectio magis placet omnino, quia propositum est, *Numerone, an viribus aequi non sumus*. Mediceus codex, & aliquot alii perveteres eadem sententia, lectione paulo sequius scripta ita legunt, *En omnes & Troes & Arcades hi sunt*, ut suspendatur, *En omnes*: inde subjiciatur, *& Troes & Arcades hi sunt*, quos scilicet ante oculos habetis, & non alii usquam. In Romano autem codice legere est, *& Troes & Arcades hinc sunt fatalisque manus*. Et in aliquot aliis codicibus *fatales*, numero multitudinis habetur. Quod ita forte quis interpretetur, *Et Troes & Arcades hinc sunt*: in Latinis quippe castris tam strenui, tamque praestantes virtute viri habentur, quales & Troes & Arcades feruntur: vel potius distinguendum, ut dicas, *En omnes & Troes & Arcades*. Mox de suis, *hinc sunt fatalesque manus infensa Etruria Turno*, hoc est, Latino quoque nomini favent fata, ne eos tantum fatis fretos huc venisse persuasum habeatis. Et quod magis excitare animos possit, Etruria, quae infensa Turno esse consuevit, nobiscum militat, propter eos, qui Mezentium secuti erant: ut ita sit

re-

Fatalisque manus, infensa Etruria Turno.
Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
235 Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos, patria amissa, dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis; serpitque per agmina murmur.
240 Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini.
Qui sibi jam requiem pugnae, rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, foedusque precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
245 Dat signum caelo; quo non praesentius ullum
Turbavit mentis Italas, monstroque fefellit.

Nam-

SERVII.

232. FATALISQUE MANUS. Trojanorum scilicet, qui fataliter ad Italiam venerant, ut sit iteratio. HETRURIA autem INFENSA, pro, Hetrusci, qui etiam Turno inimici sunt, propter Mezeotium.

234. DEVOVET ARIS. Quia ait supra de Turno: *Et aram supplicitur venerant*. Item: *Sed vobis animam hanc soceroque Latino Devovi:* nam ipsa iterat verba.

235. VIVUSQUE PER ORA FERETUR. Taoquam de vivo omnes loquentur: vel, oominis immortalitate vivet, & laudibus.

237. LENTI. Ociosi, ut: *Tu Tityre lentus in umbra*.

242. FOEDUSQUE PRECANTUR INFECTUM. Rogant, ut pro non facto sit, ne piaculum videantur admittere.

245. ET ALTO DAT SIGNUM CAELO. Ut religio alia religione solvitur. PRAESENTIUS. Efficacius. Et alibi: *Nec tam praesentes alibi cognoscere Divos*.

246. MONSTROQUE FEFELLIT. Bene *fefellit:* namque hoc augurium nec oblativum est, nec impetrativum; sed immissum factione Juturnae, quod carere fide indicat sedes negata: nam ubicumque firmum iotroducit augurium, dat ei firmissimam sedem, ut: *Ipsa sub ora viri caelo venere volantes, Et viridi sedere solo*. Item: *Ante sinistra cava monuisset ab Ilice cornix*. In hoc autem augurio liberatum cygnum cecidisse in aquam dicit, quam instabilem esse & infirmam, manifestum est.

PIERII.

respoosum ad id, quod propositum erat, essentoe aequi viribus. De numero vero ait, *Vix hostem alterni, si congrediamur, habemus*. Caeterum crediderim ego *N* literam in Rom. cod. superfluam esse, ut saepe alibi in eodem reperitur, eamque omnino castiorem esse lectionem, quae vel *hic* adverbium, vel *hi* pronomen demonstrativum scriptum ostendit: praesertim quom Ti. Donatus ita locum hunc ioterpretetur: *Considerate, qui sitis, & quale Rutulorum nomen, & facta, quanta ubique praedicatione laudantur. Nihil interea e diverso existit, quod aliquem incutiat metum: non numero praecedit hostis, aut robore: quicquid opinio formidolosum sparserat, praesto est, subjectum oculis nostris. Tum quod habet pars utraque substantiae, prodidit campus, quod contra fidem rerum oneraverat fama terroribus. Trojani adsunt, videntur Arcades, in conspectu sunt, quos fatales appellant: & hoc est totum, quod infensa Etruria Turno potuit*.

238. TALIBUS INCENSA EST JUVENUM SENTENTIA DICTIS. In antiquis aliquot codicibus *accensa* legitur, quam lectionem Donatus etiam agnoscit.

245. QUO NON PRAESTANTIUS ULLUM TURBAVIT MENTES ITALAS. Antiqui aliquot codices *praesentius* legoot: ut illud: *Praesentemque viris intentant omnia mortem*. In Mediceo *praestantius* quidem scriptum est, in dictionum sequela; sed superne vetus haec lectio, *praesentius*, addita.

Namque volans rubra fulvos Jovis ales in aethra
Litoreas agitabat avis, turbamque ſonantem
Agminis aligeri; ſubito cum lapſus ad undas
250 Cycnum excellentem pedibus rapit inprobus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctaeque volucres
Convertunt clamore fugam, mirabile viſu;
Aetheraque obſcurant pennis, hoſtemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipſo
255 Pondere defecit, praedamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penituſque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore ſalutant,
Expediuntque manus: primuſque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis, inquit, quod ſaepe petivi.
260 Accipio, adgnoſcoque Deos: me, me duce ferrum
Corripite, o miſeri, quos inprobus advena bello
Territat, invalidas ut avis; & litora veſtra

Vi

SERVII.

248. LITTOREAS AGITABAT AVES. Paluſtres: nam *littus* dicitur omnis terra aquis vicina, ut: *Viridique in littore conſpicitur ſus*.

250. EXCELLENTEM. Magnum, ſicut in exercitu magnus eſt Turnus.

252. CONVERTUNT CLAMORE FUGAM. Redeunt cum clamore, ſicut in exercitu ſolet fieri.

257. AUGURIUM SALUTANT. Venerantur. Et proprie: nam *ſalutare* dicimus *deos*. Terentius: *At ego deos penates hinc ſalutatum domum divortar*. Et Plautus in Curculione: *Quis eſt, qui operto capite ſalutat Aeſculapium?*

258. EXPEDIUNTQUE MANUS. Dimicare ſe velle ſignificant: haec enim eſt conſenſio militaris. Lucanus: *Elataſque alte, quaecumque ad bella vocaret, Promiſere manus*.

259. QUOD SAEPE PETIVI. Quaſi impetrativum hoc augurium vult videri. ACCIPIO, AGNOSCOQUE DEOS. Modo quaſi de oblativo loquitur: nam in oblativis auguriis in poteſtate videntis eſt, utrum id ad ſe pertinere velit; an refutet & abominetur. Ergo nunc dicit, ſe augurium libenter amplecti, & agnoſcere circa ſe favorem deorum.

261. QUOS IMPROBUS ADVENA TERRITAT. Interpretatur augurium: & confirmat, id ad praeſens negotium pertinere.

262. LITTORA NOSTRA. Bona iteratio: nam ſupra ait: *Littoreas agitabat aves*.

PIERII.

247. RUBRA FULVUS JOVIS ALES IN AETHRA. In antiquis pleriſque *fulvos*, uti etiam ſuperius: *vivoſque per ora feretur*: de quo ſcriptionis modo ſatis alibi dictum. Id praeterire non poſſum, quod Ti. Donatus artificioſe compoſitum ait, primo, ut *alitem* maſculinum imitteret: ſi enim foemina eſſet, non tangeret Aeneae perſonam. Deinde ait, *Ales Jovis*, ut turbaudum foedus, nec perficiendum, & Jupiter videretur oſtendere.

252. MIRABILE VISU. Antiqui aliquot codices una cum Mediceo *miſerabile* legunt; ſed vulgata lectio acceptior eruditis.

253. DONEC VI VICTUS, ET IPSO PONDERE DEFECIT. In antiquis pleriſque codicibus *deficeret* habetur. Magis tamen placet *defecit*, ut vulgata habent exemplaria, non ſine veterum aliquot codicum aſſenſu.

260. ME ME DUCE FERRUM CORRIPITE, O RUTULI, QUOS IMPROBUS ADVENA BELLO TERRITAT. In Romano codice legere eſt, *o miſeri*, non, o *Rutuli*; ſubiecta vero ſtatim ratio, cur miſeri, quos ſcilicet *improbus advena bello territat, invalidas ut aves*, & *litora veſtra vi populat*. In Mediceo, & aliquot

aliis

Vi populat. Petet ille fugam, penitusque profundo
Vela dabit. Vos unanimi densate catervas,
265 Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, & adversos telum contorsit in hostis
Procurrens: sonitum dat stridula cornus, & auras
Certa secat: Simul hoc, simul ingens clamor, & omnes
Turbati cunei, calefactaque corda tumultu.
270 Hasta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora constiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjunx Tyrrhena Gilippo;
Horum unum ad medium, teritur qua sutilis alvo
Balteus, & laterum juncturas fibula mordet,
275 Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis,
Transadigit costas, fulvaque effundit arena.

At

SERVII.

263. VI POPULAT. Antique: nam veteres & *populo*, & *populor* dicebant: nunc tantum *populor* dicimus; illud penitus de usu recessit. PENITUSQUE PROFUNDO VELA DABIT. Ut supra de aquila: *Penitusque in nubila fugit*.

264. DENSATE CATERVAS. Sicuti Cygni, *hostemque per auras Facta nube premunt*.

266. ET ADVERSOS TELUM CONTORSIT IN HOSTES. Hoc loco ab Homeri oeconomia recessit: ille enim inducit Minervam persuadentem Pandaro, ut jacto in Menelaum telo dissipet foedera: Α'γχ8 δ' ἱςαμένη ἔπεα πτερόεντα προσηύδα, Η'ρά νύ μοί τι πίθοιο Λυκάονος υἱὲ δαΐφρον Τλαίης κὲν Μενελάῳ ἐπὶ προϊέμεν ταχὺν ἰόν, Πᾶσι δὲ κ' ἐν Τρώεσσι χάριν ϗ κῦδος ἄροιο. Ε'κ πάντων ᾗ μάλιςα Α'λεξάνδρῳ βασιλῆϊ. Hic vero dicit, ipsum augurem telum sponte torsisse, & occidisse unum de novem fratribus; quod pertinet ad oeconomiam: necesse enim erat, ut fratres, dolore ex unius morte commoti, bellum moverent. Si enim vilis aliquis interiret, poterat ejus mors ob foederis religionem forte contemni.

267. SONITUM DAT. Id est, facit, ut supra: *Tu das epulis accumbere Divum*. Et Plautus in Aulularia: *E mortuum ego me mavelim letho malo; Quam non ego illi dein hodie insidias seni*. CERTA. Inevitabilis: unde *incerta*, est infirma & vitabilis.

268. SIMUL HOC, SIMUL. Antique, ut: *Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes*: &: *Simul Aenean in regia ducit Tecta, simul divum templis indicit honorem*.

270. HASTA VOLANS. Minus est, *namque*: sane reliquit hastam Poeta, dum vult simul multa describere, & rem imperfectam omisit; deinde rediit ad descriptionem, ut supra in augurii narratione.

273. HORUM UNUM. Ordo est: Transadigit unum costas: & figurate dixit *unum*, pro, *unius*. TERITUR QUA SUTILIS ALVO BALTHEUS. Rem physicam dixit: omnia enim, quibus utimur, non nos terunt; sed ea nos terimus: ut annulum, vestem, baltheum. AD MEDIUM autem, absolute, id est, ubi alvo teritur baltheus.

275. EGREGIUM FORMA JUVENEM. Bene hic *egregium*: quippe qui esset de fratrum grege.

PIERII.

aliis antiquis *o Rutuli* scriptum est. Ti. Donatus *o miseri* agnoscit: dicit enim: EI VOS *manus armate, o miseri, hoc est, dolendi*.

262. ET LITORA VESTRA VI POPULAT. Sunt aliquot antiqui codices, ubi *nostra* legatur; sed omnino *vestra* melius.

264. DENSATE CATERVAS. In Romano codice *densete* legitur, conjugationis secundae, ut superius *densent*; sed hic aures offendit tam exilitate vocalis tenuissimae ter continenter positae, quam etiam sono ipso elanguescentis.

266. TELUM CONTORSIT IN HOSTES. In antiquis aliquot *conjecit*; sed id ex paraphrasi.

276. FULVAQUE EXTENDIT ARENA. In Rom. cod. in Oblongo Vaticanae, in Mediceo, in eo; qui

At fratres, animoſa phalanx, accenſaque luctu,
Pars gladios ſtringunt manibus, pars miſſile ferrum
Corripiunt, caecique ruunt. Quos agmina contra
280 Procurrunt Laurentum. Hinc denſi rurſus inundant
Troës, Agyllinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnis amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras: it toto turbida caelo
Tempeſtas telorum, ac ferreus ingruit imber:
285 Crateraſque focoſque ferunt. Fugit ipſe Latinus,
Pulſatos referens infecto foedere Divos.
Infrenant alii currus, aut corpora ſaltu
Subjiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.
Meſſapus regem, regiſque inſigne gerentem,
290 Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere foedus,
Adverſo proterret equo: ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris

In

SERVII.

277. AT FRATRES. Pro, at fratrum pars. ANIMOSA PHALANX. Quaſi phalanx, id eſt, legio. Et bene a numero, a germanitate, a nobilitate, a forma, ab aetate, ab vulneris genere, ab ipſius laude, a genere mortis incitatio nata.

279. COECI. Ut ſalutis improvidi. Et bene, jam non pars, ſed univerſi.

280. INUNDANT. More undae fluunt.

281. AGYLLINIQUE. Pro Etruſcis: hi enim contra Mezentium auctores conjurationis fuerunt. PICTIS ARCADES ARMIS. Bene *pictis*, ut in undecimo: *Et verſis Arcades armis*: ut ornatus picturae lateret in luctu.

282. SIC OMNES AMOR UNUS HABET. *Sic*, id eſt, dum paulatim ſuis invicem ſubveniunt, omnes in bellum coacti ſunt. Sic Salluſtius.

283. DIRIPUERE ARAS. Dejecerunt, diſſipaverunt. Sane cum praeſens tempus belli loquitur, bene praeteritum intulit *diripuere*. Et more ſuo interjecit aliud: nam ordo erat *Diripuere aras, crateraſque focoſque ferunt*.

284. FERREUS IMBER. Permanſit in tranſlatione, quia dixerat: *Tempeſtas telorum*.

285. FERUNT. Auferunt: nam Aphaereſis eſt, ut *temnere*, pro, *contemnere*: alibi, *Omnia fert aetas*.

286. PULSATOS DIVOS. Id eſt, violatos, laeſos fractis foederibus.

287. INFRENANT ALII CURRUS. Id eſt, equos, qui ſub curribus ſunt: ſic alibi: *Fertur equis auriga, neque audit currus habenas*.

288. SUBJICIUNT IN EQUOS. Super equos jaciunt; ſed proprie non eſt locutus, magiſque contrarie: nam *ſubjicere*, eſt aliquid ſubter jacere.

289. REGISQUE INSIGNE GERENTEM. Id eſt, diadema habentem: & decenter regem cum inſignibus ſuis dixit.

290. AVIDUS CONFUNDERE FOEDUS. Legitur & AVIDUM; ſed melius AVIDUS: quia Meſſapus Turno favebat, qui erat impar ad ſingulare certamen: nam & poſtea ait: *Et miſer oppoſitis a tergo involvitur aris*. Sic enim facilius foedus diſſiparet, ſi arae humano cruore polluerentur: nam & Meſſapi voluntas ita expreſſa eſt, qui ait: *Haec melior magnis data victima divis*. CONFUNDERE FOEDUS autem, prodiit conſundere.

291. PROTERRET. Mire dictum.

PIERII.

qui apud me eſt, & aliquot aliis, uno exemplo legitur *effundit harena*, quod magis movere pathos videtur: quia majorem prae ſe fert vulneris vehementiam.

In caput, inque humeros. At fervidus advolat hasta
Messapus, teloque orantem multa trabali
295 Desuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
Hoc habet: haec melior magnis data victima Divis.
Concurrunt Itali, spoliantque calentia membra.
Obvius ambustum torrem Corynaeus ab ara
Corripit, & venienti Ebuso, plagamque ferenti
300 Occupat os flammis. Olli ingens barba reluxit,
Nidoremque ambusta dedit. Super ipse secutus
Caesariem laeva turbati corripit hostis,
Inpressoque genu nitens terrae adplicat ipsum:
Sic rigido latus ense ferit. Podalirius Alsum
305 Pastorem, primaque acie per tela ruentem,
Ense sequens nudo superinminet: ille securi
Adversi frontem mediam mentumque reducta
Disjicit, & sparso late rigat arma cruore.
Olli dura quies oculos & ferreus urguet

Som-

SERVII.

293. HASTA. Cum hasta.

294. TELOQUE ORANTEM MULTA TRABALI. Ennius: *Teloque trabali*.

295. ALTUS EQUO. Equi magnitudinem latenter ostendit.

296. HOC HABET. Id est, lethali percussus est vulnere. Apud antiquos enim id erat, *hoc habet*, quod nunc, *peractum est*; sic Terentius: *Certe captus est, habet*. Sane Sarcasmos est, quasi de loci qualitate inventus: nam, quia super aras cecidit, ait: *Haec melior magnis data victima divis*.

298. OBVIUS. Bene *obvius* corripuit. AMBUSTUM TORREM. Quidam *ambustum*, proprie circumustum accipiunt; sed poetae indifferenter pro *combusto* utuntur. TORREM autem, erit nominativus *hic torris*, & ita nunc dicimus: nam illud Ennii & Pacuvii penitus de usu recessit, ut *hic torrus*, *hujus torri*, dicamus.

299. FERENTI. Pro, inferenti.

300. RELUXIT. Bene ad brevitatem ignis retulit, qui tantum fulgorem brevi ediderat.

301. NIDOREM. Modo, putorem. SUPER. Quidam, propterea; alii, pro, supra, ut: *Ense sequens nudo super imminet*.

302. TURBATI HOSTIS. Quia plus trepidationis in illa flamma fuit, quam periculi.

304. SIC RIGIDO. Quam *sic*, pro aeque accipiunt; alii simpliciter, ut eum impresso genu terrae adplicuerat, ut est illud: *Despiciens mare velivolum, terrasque jacentes*. SIC RIGIDO LATUS ENSE. Quidam duro & acuto volunt, non recto, ut: *Et curvae rigidum falces formantur in ensem*.

305. PRIMAQUE ACIE. Hic *que* conjunctio abundat. RUENTEM. Non cadentem; sed magno impetu se inferentem.

309. FERREUS SOMNUS. Homerus: *χάλκεος ὕπνος*.

PIERII.

296. HAEC MELIOR MAGNIS DATA VICTIMA DIVIS. Cum joco dictum ait Donatus meliorem victimam; quia in aram cecidit, & illic occisus est.

306. ILLE SECURI ADVERSI FRONTEM MEDIAM MENTUMQUE REDUCTA DISJICIT. In Romano codice *discidit* legitur. Secare enim, securis est, & scindere. Sed in Oblongo, in Mediceo, & aliquot alii *diffidit*, in uno simplici *s*, in altero *ss* geminato scriptum.

310 Somnus; in aeternam clauduntur lumina noctem.
At pius Aeneas dextram tendebat inermem
Nudato capite, atque suos clamore vocabat.
Quo ruitis? quaeve ista repens discordia surgit?
O cohibete iras! ictum jam foedus, & omnes
315 Compositae leges: mihi jus concurrere soli:
Me sinite, atque auferte metus. Ego foedera faxo
Firma manu: Turnum jam debent haec mihi sacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, viro stridens alis adlapsa sagitta est,
320 Incertum qua pulsa manu, quo turbine adacta;
Quis tantum Rutulis laudem, casusne, Deusne,
Adtulerit. Pressa est insignis gloria facti:
Nec sese Aeneae jactavit vulnere quisquam.

Tur-

SERVII.

312. NUDATO CAPITE. Scilicet deposita galea, ut possit agnosci. Sane quaeritur, quemadmodum *nudato*, dixerit? cum supra eum nusquam tecto induxerit capite: nam *nudatum* est, quidquid fuit ante coopertum. *Nudum* vero dicitur, quod tectum ante non fuerat. Ergo aut *nudato*, pro, *nude* accipiamus; ut sit pro nomine participium: aut dicamus, tectum eum habuisse caput, cum descendit ad campum: nam legimus: *Syderee flagrans clypeo, & caelestibus armis*. SUOS CLAMORE VOCABAT. Utrumque exercitum jam suum vocabat, ut talis fuerit ejus clamor: Cur in vos invicem mei ruitis? QUO autem, & adverbium potest esse & nomen.

313. REPENS. Aut subito, ut sit adverbium, id est repente, ut: *Sole recens orto*: aut *repens discordia*, pro repentina.

316. ME SINITE. Subaudiendum *concurrere*: & est Zeugma. FAXO. Id est, faciam, confirmabo: & est archaismos.

319. ALIS ADLAPSA SAGITTA EST. Utrum, *alis stridens*; an *alis adlapsa*?

320. INCERTUM QUA PULSA MANU. Hoc loco adhuc quidem quasi dubitat; tamen intelligimus ab Juturna immissum quendam, qui vulneraret Aeneam: quod autem paulo post Juno dictura est de Juturna: *Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum*: minime est mirandum: nam scimus, unicuique imputari, quod alter in ejus fecerit gratiam, sicut est: *Et potes in totidem classes convertere Nymphas*. Aeneam autem ab homine vulneratum indicat Jupiter, paulo post dicens: *Mortalin' decuit violari vulnere divum*. TURBINE. Quod improvisa; alii, quod vehementer, accipiunt.

322. PRESSA EST INSIGNIS, *Pressa*, pro suppressa: & non *insignis gloria*, sed *insignis facti*, ut genitivus casus magis sit.

323. AENEAE VULNERE. Hic proprie: est enim huic contrarium: *Et nostro sequitur de vulnere sanguis*. JACTAVIT autem, aut adeo fortis Aeneas, & metuendus; aut adeo impium nefas visum est.

PIERII.

310. IN AETERNAM CLAUDUNTUR LUMINA MORTEM. Quamvis in codicibus aliquot antiquis *mortem* legatur, legendum tamen est *noctem*, ut in emendatioribus habetur. Quam lectionem etiam Donatus agnoscit.

313. QUAEVE ISTA REPENS DISCORDIA. In codicibus aliquot antiquis *queve* legitur; sed probatiores *quaeve* habent. Sunt enim in quibus non *repens*, sed *recens* habeatur. *Repens* autem agnoscitur a Servio: & *repentina discordia* est in Donati paraphrasi.

316. ME SINITE, ATQUE AUFERTE METUS, EGO FOEDERA FAXO. In codicibus aliquot antiquis *atque* non habetur, sed absque synaloepha legere est, *ne finite*, *auferte metus*. Praeterea in Romano codice *metuus*, Attiano more scriptum est, vocali, quae longa esse debuerat, geminata. Sic in nomenclatura quadam antiquo lapide, a curru, CURRUUS, pro, CURRUS legitur.

Turnus, ut Aënean cedentem ex agmine vidit,
325 Turbatosque duces, subita spe fervidus ardet:
Poscit equos, atque arma simul, saltuque superbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Multa virum volitans dat fortia corpora leto:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
330 Proterit, aut raptas fugientibus ingerit hastas.
Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clipeo increpat, atque furentis
Bella movens inmittit equos: illi aequore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant. Gemit ultima pulsu
335 Thraca pedum, circumque atrae formidinis ora
Iraeque, insidiaeque, Dei comitatus, aguntur.
Talis equos alacer media inter proelia Turnus
Fumantis sudore quatit, miserabile caesis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
340 Sanguineos, mixtaque cruor calcatur arena.
Jamq; neci Sthenelumq; dedit, Thamyrimq; Pholumq;
Hunc

SERVII.

327. MOLITUR. Regit: & est Acyrologia: nam proprie *molitur*, est parat. Alii *molitur*, movet intelligunt, vel arripit, vel aptat.

331. HEBRI. *Hebrus* autem, fluvius Thraciae, juxta Cypsala oppidum.

332. SANGUINEUS MAVORS. Gaudens sanguine, *αἱμοχαρής*. CLYPEO INCREPAT. Sonat; alibi, arguit, ut: *Increpat ultro Cunctantes socios*.

334. ANTE NOTOS ZEPHYRUMQUE. Id est, ventos. VOLANT. Pro, vertuntur. ULTIMA. Hoc est, tota: si enim gemit ultima, omnis sine dubio.

335. THRACA autem, id est, Thracia. Cicero in de Republica: *Colonia vero, quae est deducta a Graecis in Asiam, Thracam, Italiam*, & non dixit Thraciam.

336. IRAEQUE, INSIDIAEQUE DEI. Figurata elocutio vario significatu idem ostendens: & non tam virtute, sed insidiis comitatus.

337. ALACER. Quidam, *alacer*, gestiens, & rei novitate turbatus, volunt; *alacris* vero, laetus.

338. QUATIT. Exagitat. MISERABILE CAESIS. Id est, miserabiliter: nomen pro adverbio, ut: *Sanguinei lugubre rubent*.

340. MISTAQUE CRUOR. Hypallage est, pro mixta cruore.

341. STHENELUMQUE DEDIT THAMYRUMQUE. Plura *ὁμοιοτέλευτα*.

PIERII.

330. PROTERIT AUT RAPTAS. In Romano &, in aliis *aut*: hoc vero loco Donatus ait: *An suas raptas hastas ingereret hostibus, an hostibus raptas, id est, sublatas, incertum est; melius tamen, ut suas rapuisse, & hostibus ingessisse videatur*.

332. SANGUINEUS MAVORS CLYPEO INCREPAT. In Romano codice *intonat*; sed *increpat* Servius agnoscit & Donatus, atque ita legitur in Mediceo, & pluribus aliis.

335. CIRCUMQUE ATRAE FORMIDINIS ORA. In Romano codice *atra*, quippe *ora*, legitur; sed magis placet *atrae formidinis*, ut in aliis plerisque habetur.

341. THAMYRIMQUE POLUMQUE. Et *Thamarim*, & *Thamurum*, & *Thamyrim*, in diversis codicibus legitur. Quinetiam *Taurum* in aliquot antiquis exemplaribus habetur: sed enim *Θάμυρις* apud Graecos nomen est proprium, adagiumque fertur, *Θάμυρις μαίνεται*, *furit Thamyris*, de iis, qui cum intel-

 lectu

Hunc congressus, & hunc; illum eminus: eminus ambo
Imbrasidas, Glaucum atque Laden, quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis;
345 Vel conferre manum, vel equo praevertere ventos.
Parte alia media Eumedes in proelia fertur,
Antiqui proles bello praeclara Dolonis;
Nomine avom referens, animo manibusque parentem:
Qui quondam, castra ut Danaum speculator adiret,
350 Ausus Pelidae pretium sibi poscere currus:
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Adfecit pretio: nec equis adspirat Achillis.

Hunc

SERVII.

342. AMBO. Antiquo more *ambo*. Terentius: *Ambo opportune vos volo:* sicut superius dictum est; cum hodie *ambos* dicamus.

343. IPSE NUTRIERAT. Solent enim plerumque parentes filios suos aliis dare nutriendos. Dicendo autem *ipse*, ignotae personae hoc pronomine addit dignitatem. LYCIA autem, pro, in Lycia, ut: *Non Lybiae, non ante Tyro despectus Jarbas*. PARIBUSQUE ORNAVERAT ARMIS. Scilicet, ut aequaliter dimicarent, aequaliter currerent.

347. ANTIQUI. Pro, nobilis, & magni, ut: *Urbs antiqua fuit:* aut proprie *antiqui*, si referamus ad tempora scribentis. DOLONIS. Cum Trojani exploratorem, quem ad castra Graecorum mitterent, quaererent, hic Dolon exploratum se ire obtulit, si sibi equi Achillis pro praemio darentur: qui, cum isset, obvios habuit Diomeden & Ulyxen, similiter exploratores missos ad castra Trojana, captusque ab iis, & tormentis adactus exposuerat tam consilia Trojanorum, quam Rhesi adventum, qui equos fatales adduxerat in auxilium Trojanorum: quem Diomedes & Ulyxes, vinctum ad arborem relinquentes, profecti ad castra Trojana, occiso Rheso, abductis equis, redeuntes occiderunt. Hujus filium nunc inter Trojanos a Turno dicit occisum.

350. AUSUS PELIDAE PRETIUM SIBI POSCERE CURSUS. Difficilis Hypallage: nam hoc vult dicere: Qui, ut Achillis equos posset accipere, ire ausus est ad castra Graecorum. Ordo enim non procedit, qui ut iret, ausus est petere. *Currus* vero, pro curruum; ac per hoc, equorum, dixit.

351. PRO TALIBUS AUSIS. Quaeritur, quis ante hunc *ausis* dixerit?

352. AFFECIT PRETIO. Modo, *poenam* significat: nam pretium τῆς μίσθου est. Terentius: *Ergo pretium ob stultitiam fero*. Unde & Graeci τιμωρίαν, *poenam* vocant, ἀπὸ τῆς τιμῆς, quod est *pretium*. NEC EQUIS ASPIRAT ACHILLIS. *Aspirat*, apud majores *accedit* significat. Cicero: *Numquam aspiravit ad curiam*. Sed hic figurate dixit: *Aspiravit equis*, pro, ad equos: idest, occisus est, nec ad equos Achillis accessit. Melius tamen est, ut de Diomede intelligamus: ut sit sensus: Diomedes occidit Dolonem, qui equos Achillis ausus est petere: quos nec ille, qui eum occidit, poposcit. Sane *adspirat*, est tractum ab his, qui insequentes spiritu suo proximos adflant.

PIERII.

lectu polleant, delirare tamen in operibus videantur. Eundem porro *Thamyrim*, & *Thamyran*, Graeci dicunt.

342. EMINUS AMBOS. Est & *ambo*, ut: *Si duo praeterea tal. Id. tul.* Cujus declinationis varias observationes ex antiquis Grammaticis alibi recitavimus.

343. IMBRASIDAS GLAUCUM ATQUE LADEN. Oblongus codice *Hymbrasidas*, & *Hymbrasus*, habet per *y:* & *Hyaden*, non *Laden:* in quam lectionem multa conveniunt exemplaria: licet in Mediceo aliena manu *Lade* factum sit, prima litera contacta. In aliquot aliis *Caden* legitur. In Romano *Embrasidas*, & *Embrasus:* sed enim Ἴμβρασος Graecis ὄνομα κύριον. Ergo *Imbrasidas* melius puto.

345. VEL EQUO PRAEVERTERE VENTOS. In veteribus aliquot exemplariqus *equis*, pluralis numeri.

346. MEDIA EUMEDES IN PRAELIA FERTUR. In Mediceo quidem, & alio, qui apud me est, antiquo codice *Eumedes* legitur. In aliis plerisque veteribus *Eumenides*, una plus syllaba.

348. NOMINE AVUM REFERENS. In pervet. cod.

atem

Hunc procul ut campo Turnus prospexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane secutus;
355 Sistit equos bijugis, & curru desilit, atque
Semianimi labsoque supervenit, &, pede collo
Inpresso, dextrae mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinguit jugulo; atque haec insuper addit:
En, agros, &, quam bello, Trojane, petisti,
360 Hesperiam metire jacens: haec praemia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt: sic moenia condunt.
Huic comitem Asbuten conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Thersilochumque,
Et sternacis equi labsum cervice Thymoeten.
365 Ac velut Edoni Boreae cum spiritus alto

In-

SERVII.

354. LONGUM PER INANE. Hoc est, per longum spatium. SECUTUS JACULO. Pro, insecutus: vel certe, e longinquo eum ante jaculo vulneravit.

356. ELAPSOQUE. Pro, lapso.

357. DEXTRAE MUCRONEM EXTORQUET. Quasi prooeconomia est, ut non eum suo iotetimat gladio; ne agnoscat, quod Metisci est, & jam nunc suum requirat: quo facto perire poterat sequens fracti gladii oeconomia.

358. TINGUIT JUGULO. Hic non significat *inficit*, ut: *Tingue novo mecum direptis crura coturnis*, sed, demersit in jugulum, ut ibi: *Et Stygia candentem tinxerat unda*, imbuerat, durarat, significat.

359. EN, AGROS. Subauditur, quos victore Aenea te accipere posse credebas, corpore tuo *metire: metiuntur* autem *agros*, qui colonis adsignant: inde enim Sarcasmos factus est: nam consuetudo erat, ut victores imperatores agros militibus suis darent, ut in historiis legimus. Item in Lucano: *An melius fient piratae, Magne, coloni*. Et alibi: *Quae sedes erit emeritis: quae rura dabuntur, Quae noster veteranus aret?* Et hoc est, quod supra ait: *Hostibus insultans*.

364. STERNACIS EQUI. Ferocis, qui facile sternit sedentem. Quidam, pro, pavidi, accipiunt: *consternati* enim *equi* dicuntur.

365. EDONI BOREAE. *Edoni*, Thracii: nam *Edon*, mons est Thraciae. Sane sciendum, hoc loco errasse Donatum, qui dicit *Edonii* legendum, ut *no* brevis sit, secundum Lucanum, qui dicit: *Edonis Ogygio decurrit plena Lyaeo*. Namque certum, est Systolen fecisse Lucanum: unde *Edoni* legendum est, ut sit, *hic Edonus*, *hujus Edoni*. Statius & Virgilium, & artem secutus, ait: *Tristius Edonas hyemes Hebrumque nivalem*: non *Edonias*.

PIERII.

avom habetur, ut in veterum inscriptionibus: cujusmodi ea est, quam in hortis Colotianis inspeximus:

M. CAESONIVS PRIMVS AVOS.

Et AVONCOLO superius ex aede divi Basilii protulimus. Praeterea Terentius Scaurus, qui reliquas id genus scriptiones rejicit, *avos*, & *avom* non excludit.

353. CAMPO TURNUS CONSPEXIT APERTO. In Romano codice legere est *prospexit*, ut commendatio etiam sit ab acumine visus, qui in bellicis negotiis obeundis est magno usui.

358. FULGENTEM TINXIT JUGULO. In Mediceo, & antiquis plerisque codicibus *tinguit*, praesenti tempore legitur, ut reliqua, quae praecedunt, quaeque subsequuntur verba, eadem periodo contenta.

362. HUIC COMITEM BUTEM. Quamquam *Butus*, inter nomina propria locum habeat, a quo *Butadae* propagatae familiae celebrantur: antiqua tamen exemplaria pleraque omnia *Asbutem* hic legunt. Nam *Butes* superius occisus est, ubi legitur: *Protinus Orchilochum, & Butem*. *Asbutem* denique hoc loco Donatus agnoscit in integris commentariis.

363. CHLOREAQUE SIBARIMQUE DARETAQUE. In codicibus aliquot vulgatis *Sabarim* legitur: in nonnullis antiquis *Habarim*. Est & ubi *Fabarim* legas. Sane H litera, ut alibi latius, nunc in F transit, ut *faba*, pro *haba*: nunc in S, ut *exsibeant*, pro *exhibeant*: quod

Aqui-

Infonat Aegaeo, fequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere; fugam dant nubila caelo:
Sic Turno, quacumque viam fecat, agmina cedunt,
Converfaeque ruunt acies: fert impetus ipfum,
370 Et criftam adverfo curru quatit aura volantem.
Non tulit inftantem Phegeus, animifque frementem:
Objecit fefe ad currum, & fpumantia frenis
Ora citatorum dextra detorfit equorum.
Dum trahitur, pendetque jugis, hunc lata retectum
375 Lancea confequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & fummum deguftat vulnere corpus.

Ille

SERVII.

366. AEGAEO. Mari fcilicet, ficut fequentia indicant: SEQUITURQUE AD LITTORA FLUCTUS: nam male ait Donatus montem effe, unde flat Boreas; cum certum fit, eum de Hyperboreis montibus flare: quidam, *fluctus*, melius numero fingulari accipiendum putant.

367. QUA VENTI INCUBUERE. Pro, qua ventus: *Boream* enim folum dixit. FUGAM DANT. Pro, fugiunt, ut alibi: *Defenfum dabit*.

370. QUATIT VOLANTEM. Ut: *Oblimet inermes*.

371. INSTANTEM PHEGEUS. Aut fibi, aut omnibus.

372. AD CURRUM. Pro, currui fe objecit. CITATORUM. Aphaerefis, pro, concitatorum.

374. PENDETQUE JUGIS. Pro, jugo, ut: *Aufus Pelidae pretium fibi pofcere currus*.

375. LANCEA. Raro lectum: & eft telum miffile. BILICEM LORICAM. *Li* longa eft, & accentum habet: ficut *bifilum*, FI producitur: quia & *fila*, & *licia* dicimus.

376. DEGUSTAT CORPUS. Id eft, leviter tangit, id eft, ftringit, propter exiguitatem fanguinis: unde contra de alto vulnere ait: *Virgineumque alte bibit acta cruorem*.

PIERII.

Aquilae antiquo cernitur monumento pro foribus aedis S. Mariae de Rodio:

EX QVORVM VSVRIS PER SINGVLOS ANNOS
CONVIVIVM DEDICATIONIS EXSIBEANT.

Quare minime mirum lectionem hanc ita variare; fed haec, ut parvi momenti, praetereamus.

365. AC VELUT EDONI BOREAE. In antiquis codicibus fere omnibus *Edonii* geminato II fcribitur: ubi neceffe eft per fynizefin ultimas illas duas in unam coire fyllabam: nam DO, ὦ μέγα eft.

373. ORA CITATORUM DEXTRA CONTORSIT EQUORUM. In Mediceo, & omnibus his venerandae antiquitatis codicibus *detorfit* fcriptum obfervavi: quod magis placet, & agnofcitur a Donato, qui fic ait: *Mira hominis virtus, & fingularis audacia, ut iret ad currum, nec metueret fuperiorem hoftem: impetum quoque equorum currentium frangeret, & torqueret in aliam partem*: ea enim eft paraphrafis verbi ejus; *detorquet*.

374. DUM TRAHITUR PENDETQUE JUGIS HUNC LATA RETECTUM LANCEA CONSEQUITUR. In codicibus aliquot antiquis legere eft: *Pendetque jugis hic*; fed enim fententiam Donatus latius explicavit: quae quoniam fuperiori adnexa eft adnotationi, ea quoque videtur ad verbum adfcribenda: *Ex eo, quod unus currus unum haberet jugum, fic exponunt plerique, quafi pluralem numerum pro fingulari Poeta pofuerit. Nos contra fentimus: qui enim ora citatorum dextra detorfit equorum, dubioprocul frenos tenuerit, non jugum, & non jugo pendebat, fed jugis, hoc eft, frenis equorum junctorum: ut hoc ei ad virtutem accedat, quod bijuges pleno ictu currentes nitebatur vincere. Recte etiam*, Trahitur *dixit, ut partem potiorem daret virtuti equorum citatorum, partem vero fortitudini retinentis: qui enim pendens trahebatur, evicerat aliquid; fed duorum equorum vim ad plenum fuperare non valuit: non minor etiam equorum laus, qui impediti frenis, & hominis pondere, durabant tamen, & trahebant perfeverantem*. Sunt etiam antiqui codices, qui pro *retectum*, legant *relictum*. Quod vero nonnulli dicunt *retectum*, id eft, qua parte exarmatus erat: non procedit, quia ftatim fequitur: *Rumpitque infixa bilicem loricam*.

Ille tamen clipeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat.
Cum rota praecipitem, & procursu concitus axis
380 Inpulit, effuditque solo: Turnusque secutus,
Imam inter galeam summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arenae.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Aenean Mnestheus, & fidus Achates,
385 Ascaniusque comes, castris statuere cruentum,
Alternos longa nitentem cuspide gressus.
Saevit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere, auxilioque viam, quae proxima, poscit:
Ense secent lato vulnus, telique latebram
390 Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phoebo ante alios dilectus Iapyx

Ia-

SERVII.

378. DUCTO MUCRONE. Id est, educto.

379. PROCURSU. Impetu: & est *procursus* una pars orationis.

387. SAEVIT. Scilicet, quia non potest in bella procedere: vel, quod abstractus a bellis sit: & bene, viro forti servat dignitatem, qui nihil molliter facit in tam aspero vulnere: nam ideo ait: *Infracta luctatur arundine*.

389. ENSE SECENT LATO VULNUS. Quidam *lato*, ita dictum accipiunt; ut, quasi ipso jubente ne scalpello, aut aliquo ferramento minore, sed ense: & hoc *lato*, quod cum majore dolore, dummodo extracta sagitta, remittant eum quamprimum ad pugnam. Alii *lato*, pro, late, tradunt: ubique tamen animum viri fortis expressit.

391. IAPYX. Aptum nomen medico: nam ἰᾶσθαι Graeci dicunt *curare*: unde ἰατρὸς dicitur *medicus*.

PIERII.

378. IBAT ET AUXILIUM STRICTO MUCRONE PETEBAT. In veteribus aliquot codicibus legere est *auxilium educto mucrone*. In aliquot aliis *ducto a mucrone*. Ali malunt *ducto mucrone* legere, absque ulla praepositiva particula, ut habetur in Mediceo & aliquot aliis. Sed enim Donatus *stricto* legit, dum ait: *Fidens auxilio gladii, quem strictum tenebat, hoc est, paratum ad feriendum.*

380. IMPULIT EFFUDITQUE SOLO. In aliquot veteribus exemplaribus *effundit* est, praesenti tempore: male vero superiore versu in exemplaribus pierisque, distincta praepositiva particula & nomine, legitur *pro cursu concitus axis:* quum dubioprocul *procursu*, unica dictione, legendum sit: vel Servio submonente: id quod ita Donatus adnotaverat: PROCURSU *quod ais, una pars est orationis, quasi porro tenens cursum. Hunc procursum, ut melius exprimeret, addidis*, concitus axis, *ut apertius ostenderet quid esset, procursus*.

382. TRUNCUMQUE RELIQUIT ARENA. In aliquot antiquis codicibus *relinquit* est, praesenti tempore. Est & in plerisque *barenae*, casu acquisitivo, quod agnoscit Donatus.

385. ASCANIUSQUE COMES CASTRIS STATUERE CRUENTUM. In Romano codice *Ascaniusque puer*, non *comes*, legitur: eamque castiorem lectionem esse didicimus ex Ti. Donato ita scribente: *Mnestheus, atque Achates* (inquit) *Ascanius, licet esset puer, sciens tamen quid patri, vel maxime vulnerato deberetur:* & quae sequuntur.

391. PHOEBO ANTE ALIOS DILECTUS IAPIS. In antiquioribus *Iapyx*, per Y & X scriptum habetur. Alii volunt medici nomen a vento distingui scriptione: hujusque nominis obliquos casus in C Donatus mittere videtur, *Iapicis*, *Iapici*, qui per G proferuntur in vento. Horatius: *Praeter Iapyga*.

Iasides: acri quondam cui captus amore
Ipse suas artis, sua munera, laetus Apollo
Augurium, citharamque dabat, celerisque sagittas.
395 Ille, ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & mutas agitare inglorius artis.
Stabat acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Aeneas, magno juvenum & maerentis Iuli
400 Concursu, lacrimis inmobilis. Ille retorto
Paeonium in morem senior succinctus amictu,
Multa manu medica Phoebique potentibus herbis
Nequidquam trepidat, nequidquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
405 Nulla viam Fortuna regit: nihil auctor Apollo
Sub-

SERVII.

394. AUGURIUM CITHARAMQUE DEDIT. Vera lectio est DABAT: nam non *dedit*. Sane per *citharam*, scientiam indicat harmoniae, id est, musicae. Sed & *cythara*, & *sagittae*, artes sunt; *augurium* vero, munus: non enim sola arte, verum etiam indulta divinitate colligitur.

395. UT DEPOSITI. Id est, desperati: nam apud veteres consuetudo erat, ut desperati ante januas suas collocarentur; vel ut extremum spiritum redderent terrae; vel ut possent a transeuntibus forte curari, qui aliquando simili laboraverant morbo. Cicero: *Aegram & prope depositam reipublicae partem suscepisse*. Statius in Thebaid.: *Ferte depositis opem*.

396. POTESTATES HERBARUM. Vim, possibilitatem: nam in herbarum natura vis est, quae δύναμις dicitur, cujus nulla ratio est: unde etiam ait: *Mutas artes*, musicae comparatione: licet alii, *mutas artes*, tactum venae velint: alii *mutas artes*, quia apud veteres manibus magis medicina tractata est: unde & *chirurgia* dicta: nam ipse ait: *Multa manu medica, Phoebique potentibus herbis*. Ergo *mutas*: quia, ubi manu res agebatur, cessabat oratio. USUMQUE MEDENDI. Ἐμπειρικὴν scientiam, hoc est, *medicinam*, in usu, non in ratione constantem: nam quaedam artes usu discuntur; sicut ipsa maxima parte medicina, quae ante Hippocratem muta fuit.

397. INGLORIUS. Comparatione saggittarum, & harmoniae, id est, musicae, & divinitatis. MALUIT. Quoniam heroicis temporibus etiam medicina valde fuerat in honore.

398. ACERBA FREMENS. Pro, acerbe: adverbium qualitatis in nomen derivatum.

400. LACHRYMISQUE IMMOBILIS. Non suis, sed illorum.

401. PAEONIUM IN MOREM. Medicinalem, a Paeone: nam Doricae linguae est *Paean*: naturale autem est *Paeon*.

402. MULTA. Pro, multum. TREPIDAT. Pro, trepidanter facit.

404. FORCIPE FERRUM. Hic *forcipem* dixit, quod Graeci ἀρδιοθήραν dicunt, qua solent spicula vulneribus evelli: ἄρδις enim *spicula sagittarum* appellantur: alibi *forcipem*, quod formum, id est, calidum capiunt.

405. NULLA VIAM FORTUNA REGIT. Nullus eventus rationem praestat. NIHIL AUCTOR APOLLO. Medicinae inventor: nam Aesculapius praeest medicinae, quam Apollo invenit, qui in Ovidio: *Inventum*, de se ait, *medicina meum est*.

PIERII.

400. LACHRYMISQUE IMMOBILIS. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis, absque copulativa particula legere est, *lacrimis immobilis*.

404. PRENSATQUE TENACI FORCIPE FERRUM. In antiquis aliquot codicibus *pressatque* legitur. In Romano *forfice*. Sunt enim qui *forfices*, & *forcipes*, ita distinguant, ut *forfices* esse sarcinatorum velint, a faciendo: quae vero ferrum calidum capiant, *forcipes*: tonsorum, quod pilum secent, *forpices*. Sed enim inepta haec esse Carisius monet ex Lucillio,
qui

Subvenit: & saevus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est. Jam pulvere caelum
Stare vident: subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis. It tristis ad aethera clamor
410 Bellantum juvenum, & duro sub Marte cadentum.
Hic Venus, indigno nati concussa dolore,

Di-

SERVII.

407. PROPIUSQUE MALUM. Ex fuga scilicet Trojanorum.

408. STARE. Plenum esse, ut alibi: *Stat pulvere caelum*. Et: *Stant & Juniperi*. Alii *stare*, constare intelligunt; ut significet, *pulvere caelum constat*, id est, in pulverem versum est, & quasi totum ex pulvere est. Alii, diutinum pulvere & continuum: & significatum volunt, inumbrationem ex eo Solis, & caeli factam, id est, non moveri caelum; sed consistere, eundemque manere habitum aeris, ex continua caligine pulveris, obducto semel caelo, & quasi ab oculis intercluso.

411. HIC VENUS. Genitrix. INDIGNO DOLORE. Qui fuerat natus ex vulnere indigne inlato, scilicet, per insidias.

PIERII.

qui etiam *Medicorum forcipes* dicit *lxxx; scalprorum forcipium millia xx*. Item paulo post: *Forcipibus dentes vellere*. Sed Virgilius in VIII. *Versantque tenaci forcipe ferrum*: quod in codicibus aliis *massam* scriptum est.

407. JAM PULVERE CAELUM STARE VIDENT SUBEUNT EQUITES. In antiquis plerisque codic. *subeuntque equites*, legitur, quod numerosius est.

411. TUM VENUS INDIGNO NATI CONCUSSA DOLORE, DICTAMNUM GENITRIX, CRETEA CARPIT AB IDA PUPERIBUS CAULEM FOLIIS. Ex antiquis partim exemplaribus, partim ex veterum Grammaticorum observatione hi versus ita leguntur: *Tum Venus indigno gnati concussa dolore, Ipsa manu genetrix Dictaea carpsit ab Ida Puberibus caulem foliis*. *Carpsit* quidem in plerisque antiquis exemplaribus, ut eadem sit synchronia cum altero praeterito, quod sequitur, *detulit*. Sed enim Donatus *carpit*, praesenti tempore legit: & ita in veteribus codicibus nonnullis, qui apud me sunt, habetur. Idem *Dictea* agnoscit, dum ait: *Itaque a* Dictea Ida substulit suis manibus caulem. *Dictea* porro cognomen est *Idae*, ut alio loco: *Dictea negat tibi Jupiter arva*. Sed enim *Dicta*, ipse quoque mons est Cretae: cujus Callimachus mentionem facit. Quod vero *ipsa manu genetrix*, pro, *Dictamnum genitrix* legatur, lectionem hanc Ti. Donatus agnoscit, cujus haec est interpretatio: *Quod ait*, manu carpit, *& matris animum expressit, ut ipsam diceret opera sua procurasse, quod sanare filium potuisset, & non ferro propter remedium, sed manu assereret esse sublatum. Dubium enim non est certo modo, & suo modo, ac tempore esse detrahenda terris, quae aliquibus sunt procuranda remediis, ut ipse alio loco Virgilius dixit:* Falcibus & messae ad Lunam quaeruntur ahenis: *ubi & modum & tempus expressit. In praesenti vero ait*, manu. Et inferius: *Quanta signa istius data sunt speciei, cujus nomen omissum est: quippe & regio expressa est, in qua nascitur: & nomen editum montis, & ipsius nominis signum*. Deinde quum ad descriptionem praedicti graminis accederet: *Caulem*, inquit, *facit, & comantem florem colore purpureo*. Et inferius: *Gramen appellavit novo usurpationis genere, alias dicens folia*. Caeterum vero nomine *Dictamnum* In regione sua dicitur appellari. Unde nonnulli sic exponunt hunc locum, ut asserant Virgilium dixisse *Dictamnum genetrix Dictea carpit ab Ida*. Quod usque adeo admittendum non est: ne, si sequentia conjungas, fiat vitium. *Dictamni* enim *caulem* dicere debuit, non *Dictamnum caulem*. Melior est enim superior lectio: *Ipsa manu carpit caulem a Dictea Ida*: cujus herbae nomen quia non dixit, signa ejus infinita protulit, ut posset sciri, quaenam esset. Haec Donatus. Apud quem *Dictamnum* per *m* & *n* scriptum inveni, prout etiam Δίκταμνον in exemplaribus Graecorum manu scriptis, Theophrasti quippe, & Dioscoridis pene omnibus observatur. Et in antiquissimae traductionis Dioscoride, quem literis Longobardicis scriptum ostendit mihi Florentiae vir clarissimus Nic. Scomberges, Campanus Archiepiscopus, *Dictamnu* passim scriptum erat. In quo illud praecipua fuit observatione dignum, quod, quum phrasis alioqui, & Latina esset, & recte Graecorum vocabulorum vim & proprietatem exprimeret, formae tamen, quas nos in *um* vel in *em* terminamus, plurimum illic absque *m* notatae sunt, hoc modo: *Dictamnu multi dicunt, Pulelu agreste; sed nec florem, nec semen habet*. Ita illud: *Est autem alterum Dictamnu de Creta adlatu*, quae quamvis ita sint, plurimum tamen delectant ob sermonis puritatem, & venerandae memoriam antiquitatis. Ut

 vero

Dictamnum genetrix Cretaea carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
Purpureo: non illa feris incognita capris
415 Gramina, cum tergo volucres haesere sagittae.
Hoc Venus, obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occulte medicans: spargitque salubris
Ambrosiae succos, & odoriferam panaceam.
420 Fovit ea volnus lympha longaevus Iapyx
Ignorans; subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor: omnis stetit imo volnere sanguis.
Jamque secuta manum, nullo cogente, sagitta

Ex-

SERVII.

412. Dictamnum. Haec herba licet ubique nascatur, melior tamen in Creta est, quia *Dicta* dicitur: unde proprium herbae nomen. Haec admota vulneri, in quo ferrum est, extrahit ferrum; in tantum, ut animalia apud Cretam, cum fuerint vulnerata, ad hanc herbam currant, eaque depasta, tela corpore dicantur excutere. Haec herba hausta, etiam venena corpora exigere dicitur.

413. Puberibus caulem foliis. Hoc est, adultis. Sic in quarto: *Pubentes herbae*. Et est reciproca inter herbas & homines translatio: nam *pubertatem herbarum*, & *florem juventutis* vocamus. *Caulem* autem, medium fruticis, qui vulgo θύρσον dicitur. De hac herba in IV. Aeneid. ait, ubi de vulnerata cerva: *Illa fuga sylvas saltusque peragrat Dictaeos*.

415. Gramina. Hic pro herba: nam est hoc nomine alia herba, quae in immensum excrescit.

416. Faciem circumdata. A parte totum corpus accipimus. Et putatur sic dictum, ut: *Faciem mutatus & ora Cupido*.

417. Fusum amnem. Pro, aquam: a toto partem; sic supra: *Fontemque ignemque ferebant*.

419. Ambrosiae succos. *Ambrosia*, est cibus deorum: nam *nectar*, potus. Alibi, *Ambrosia* unguentum deorum legitur: *Ambrosiaeque comae divinum vertice odorem*. *Ambrosia*, ab immortalitate dicta: α enim, *sine*; βροτὸς *mortalis*. Panaceam. Genus herbae est. Sciendum tamen, Lucretium *Panaceam* ubique *salem* dicere: unde possumus & hoc loco *salem* intelligere: nam omnem pellit dolorem: unde & nomen accepit, quasi πρὸς πάντα ἄκος, id est, *ad omnia remedium*: sed melius herbam: quia ait *odoriferam*. Alii *Panaceam* medicamentum dicunt, ex compluribus herbis compositum, quod ad omne vulnus facit. Hanc herbam Hercules contra vim venenorum Thessalis dicitur praestitisse. Sane nomen mire compositum.

422. Quippe dolor. Quasi dolor: cujus natura haec est, ut adhibito remedio statim recedat: nam *dolor*, consequens res est, non principalis: unde sublata caussa etiam ipse statim recedit. Hinc ait, *quippe*, nam infusa aqua inhaerens laxare coeperat telum, quod antea inferebat dolorem.

423. Jamque secuta manum. Leniter tentantis secuta est.

PIERII.

vero ad Donatum revertamur: quamvis ille, uti dictum, de lectione sentiat jure suo, antiqua tamen exemplaria, quae legimus omnia, eam lectionem ostendunt, quam ipse improbat. Papiniusque his exemplis propior accedere videtur, ubi ait: *Dictamni florentis opem*: quod Virgilius *florem comantem* dixerat. Et Priscianus, ubi agit de constructione partium orationis, *Dictamnum Genetrix* videtur agnovisse, diversaque genera, & diversos numeros Virgilium hoc loco auctoritate sua κατὰ τὸ ἀκόλουθα confudisse. Quod vero neque florem, neque semen *Dictamno* esse Dioscorides, & plerique alii tradunt, Virgilius Theophrastum sequi videtur, qui flores in *Dictamno* ponit: vel quod uni & deteriori cuidam speciei, quae vulgo nascitur, proprium est, toti dedit generi, ut descriptionem hanc lascivius exornaret. Quia vero Virgiliana sententia de *Dictamno*, ejusque vi cum Tulliana consentit, visum est ex tertio de Natura Deorum, haec subjungere: *Dictam-*

Excidit, atque novae rediere in priſtina vires.
425 Arma citi properate viro. Quid ſtatis? Iapyx
Conclamat, primuſque animos accendit in hoſtem.
Non haec humanis opibus, non arte magiſtra
Proveniunt. Neque te, Aenea, mea dextera ſervat:
Major agit Deus, atque opera ad majora remittit.
430 Ille avidus pugnae ſuras incluſerat auro
Hinc atque hinc, oditque moras, haſtamque coruſcat.
Poſtquam habilis lateri clipeus loricaque tergo eſt,
Aſcanium fuſis circum complectitur armis,
Summaque per galeam delibans oſcula fatur:
435 Diſce, puer, virtutem ex me, verumque laborem;
Fortunam ex aliis. Nunc te mea dextera bello
Defenſum dabit, & magna inter praemia ducet.

Tu

SERVII.

424. IN PRISTINA. In uſum priorem, hoc eſt, quales fuerunt priſtinae: vel NOVAE, magnae, aut mirae.

425. ARMA CITI PROPERATE VIRO. Suo more oſtendit feſtinationem: ante induxit loquentem, quam ſignificaret, qui loqueretur. Atqui ſicut nos *properare*, *feſtinare* dicimus, ita antiqui pro *dare* dicebant. Salluſtius: *Soleas feſtinare*.

427. NON HAEC HUMANIS OPIBUS. Poteſt ſubaudiri & arte humana.

429. MAJOR AGIT DEUS. Apollo ſcilicet, inventor medicinae: hoc eſt, haec agit major.

432. HABILIS LATERI CLYPEUS. Et hic expreſſa feſtinatio eſt. LORICAQUE TERGO EST. Quare tergo tantum, cum totum ambiat corpus? aut, quia latus clypeo dixerat tectum, ſupererat, ut *tergum* lorica muniret.

434. SUMMAQUE PER GALEAM. Decenter *galeam* quoque tum induiſſe ſignificat.

435. VERUMQUE LABOREM. Quem per me ipſe ſuſcipio: non qui ex aliorum virtute imperatoribus aſcribi conſuevit.

436. FORTUNAM EX ALIIS. Subaudimus, *opta*: neque enim fortuna diſcitur. Quidam autem defectionem putant, & deeſſe volunt *pete*, aut *accipe*. Alii figuram volunt, pro, quid fortuna ſit, ex aliis diſce; cum & *bona* & *mala* ſit *fortuna*: quid valeat dea haec, ex aliis diſce: vult enim intelligi, ſe adverſa uſum: & eſt Zeugma non integrum.

437. DEFENSUM DABIT. Pro, defendet. INTER PRAEMIA. *Inter*, veteres pro *ad*, ponebant: id eſt, ad praemia. Cicero: *Dico te priore nocte veniſſe inter falcarios*, id eſt, ad falcatios.

PIERII.

Elamnum herba eſt, quam capreae, ſagittis venenatis percuſſae, quaerere dicuntur: quam quum guſtaverunt, ſagittae excidunt a corpore. Alia Plinius libro Naturalis hiſtoriae quinto & vigeſimo.

417. HOC FUSUM LABRIS SPLENDENTIBUS AMNEM INFICIT, OCCULTE MEDICANS. In codicibus aliquot antiquis legere eſt, *labris pendentibus*. Sed enim cum hic *labrum*, pro vaſe poſitum ſit, quod olim id *lavabrum* dicebant, magis placet *ſplendentibus*, hoc eſt, nitidis, & depurgatis, ut omnia cum decoro fiant. Ait vero Ti. Donatus in hujus loci paraphraſim: *Venus aquam infecit, quam Japix ſtudioſe ſplendentibus labris infuderat, ut foveret vulnus*.

418. SPARSITQUE SALUBRIS AMBROSIAE SUCCOS. Antiqui aliquot codices *ſpargit* legunt, inſtanti tempore, ut cum *inficit* conveniat; ſed in pluribus *ſparſit* praeteritum.

422. OMNIS STETIT IMO VULNERE SANGUIS. In Romano codice & aliquot aliis antiquis codicibus *in* particula interjecta, *imo in vulnere*, habetur.

436. NUNC TE MEA DEXTERA BELLO DEFENSUM DABIT, ET MAGNA INTER PRAEMIA DUCET. In codicibus pleriſq; veteribus, *magna inter praelia*, legitur; ſed *praemia* videtur agnoviſſe Ti. Donatus, dum ait: *Facit eum de praeſentibus ſecu-*

 rum;

Tu facito, mox cum matura adoleverit aetas,
Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum
440 Et pater Aeneas, & avunculus excitet Hector.
Haec ubi dicta dedit, portis ſeſe extulit ingens,
Telum inmane manu quatiens: ſimul agmine denſo
Antheuſque Mneſtheuſque ruunt; omniſque relictis
Turba fluit caſtris. Tum caeco pulvere campus
445 Miſcetur, pulſuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverſo venientis aggere Turnus,
Videre Auſonii, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor. Prima ante omnis Juturna Latinos
Audiit, agnovitque ſonum, & tremefacta refugit.
450 Ille volat, campoque atrum rapit agmen aperto.
Qualis ubi ad terras abrupto ſidere nimbus

SERVII.

438. MATURA ADOLEVERIT AETAS. Adoleſcendo matura eſſe coeperit.

439. SIS MEMOR. Subaudiendum, meorum factorum.

443. ANTHEUSQUE, MNESTHEUSQUE. Servavit τὸ πρέπον; neceſſe enim erat, ut, vulnerato duce, multi cum eo in caſtra remearent.

445. MISCETUR. Modo, confunditur: alibi, perturbatur, ut: *Miſcet agens telis nemora inter frondea turbam*.

446. AGGERE TURNUS. Hic *aggere*, pro eminentia poſuit; de via autem aggerem non poſſumus dicere; niſi ſi *viae aggerem* dicere voluerimus, id eſt, viae coacervationem, quam Hiſtorici *viam militarem* dicunt, ut: *Qualis ſaepe viae deprenſus ab aggere ſerpens*. Quidam ambiguitatem volunt, utrum, ipſe Turnus in aggere; an, venientes ex aggere?

448. PRIMA ANTE OMNES. Ut: *Primus ibi ante omnes*: & *ante omnes*, Latinos ſolum audit.

449. TREMEFACTA REFUGIT. Quaeritur, cur Juturna, cum hic acie excedat tremefacta, mox tamen inducitur revertens?

450. ATRUM RAPIT AGMEN. Pulveris nube coopertum: quidam autem *agmen*, iter accipiunt; *rapit* autem, feſtinat; ut ſit: Ille campo aperto iter feſtinat pulveris plenum, & ipſa feſtinatione excitat: & ita dicunt, quoniam, ſi *agmen* exercitum dicit, apertus campus eſſe non potuit bellatorum denſitate completus.

451. ABRUPTO SYDERE. Vel immenſa, vel magna tempeſtate: per *ſydus* enim tempeſtas ſignificatur, ut: *Sorbet in abruptum fluctus*. Item: *Scit triſte Minervae Sydus*.

PIERII.

rum: defenſionem pleniſſimam ſpendens, & ex victoria commodum: nam qui poſſit praelia commodum ſignificare non video.

438. TU FACITO MOX CUM MATURA ADOLEVERIT AETAS. In antiquis aliquot exemplaribus legere eſt *maturo*; ſed vulgata lectio magis accepta eſt.

440. ET AVUNCULUS EXCITET HECTOR. In antiquis aliquot exemplaribus *avonculus*, prout in veterum monumentis ſcriptum eſſe ſuperius non uno oſtendimus exemplo.

441. HAEC UBI DICTA DEDIT, PORTIS SESE EXTULIT ALTIS, TELUM IMMANE MANU QUATIENS. Non deſunt quidem antiquorum codicum exemplaria, in quibus *altis* ſcriptum reperiatur; ſed enim Mediceum, & plura, atque ex his probatiora ſaepius reperta, non *altis*, ſed *ingens* legunt: ut, ſi ad telum referatur, cum Homerica ſententia facit, Βριθὺ, μέγα, στιβαρόν. Sed enim Ti. Donatus, & *ingens* agnoſcit, & epitheton adcommodat Aeneae, dum ait: INGENS, *Animo ſcilicet & corpore*.

446. VIDIT AB ADVERSO VENIENTES AGGERE TURNUS. In Romano codice, & in iis, qui apud me ſunt, non omnino contemnendis, atque in aliquot aliis manu ſcriptis, *agmine* legitur; ſed enim Ti. Donatus dubioprocul *aggere* videtur agnoviſſe.

It

It mare per medium: miſeris, heu, praeſcia longe
Horreſcunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, ſtragemque ſatis; ruet omnia late:
455 Ante volant, ſonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adverſos ductor Rhoeteïus hoſtis
Agmen agit: denſi cuneis ſe quiſque coactis
Adglomerant. Ferit enſe gravem Thymbraeus Oſirim,
Archetium Mneſtheus, Epulonem obtruncat Achates,
460 Ufentemque Gyas. Cadit ipſe Tolumnius augur,
Primus in adverſos telum qui torſerat hoſtis.
Tollitur in caelum clamor, verſique viciſſim
Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros.
Ipſe neque averſos dignatur ſternere morti;
465 Nec pede congreſſos aequo, nec tela ferentis

In-

SERVII.

452. IT MARE PER MEDIUM: MISERIS. Statius plenius de hoc ſenſu: *Deflent ſua damna coloni, Et tamen oppreſſos miſeratur in aequore nautas*. HEU autem, ut ſolet, interjectionem ex ſua perſona interpoſuit.

453. DABIT ILLE RUINAS. *Dabit*, pro, faciet; Terentius: *Quas turbas dedit?* Et ipſe: *Et ingentem lato dedit ore feneſtram*. RUET. Eruet, evertet. Terentius: *Ceteros agerem, ruerem:* nam aliter dictum eſt in II. *Ruit alto a culmine Troja*.

456. TALIS. Taliter, ſimili modo. Sic paulo poſt: *Similis medios Juturna per hoſtes*. RHOETEIUS. Trojanus, a promontorio Trojae.

457. DENSI CUNEIS SE QUISQUE COACTIS AGGLOMERANT. Denſentur, ut cuneatim dimicent; ſcilicet in cuneorum modum compoſiti, ut hoſtem facilius invaderent.

458. GRAVEM. Fortem. Salluſtius: *Luſitaniae gravem civitatem*.

460. CADIT IPSE TOLUMNIUS AUGUR. Ut primus violator foederis poenas luat.

462. TOLLITUR IN CAELUM CLAMOR. Occiſo eo, qui auctor diſrumpendi foederis fuerat, exortus eſt clamor: & ſtatim ſecuta fuga Rutulorum, ut: *Verſique viciſſim Pulverulenta fuga Rutuli dant terga per agros*. Et bene VICISSIM, quia Trojanos in fugam verſos fuiſſe, exinde apparet, quod ſupra dixit: *Subeunt equites, & ſpicula caſtris Denſa cadunt mediis*.

463. PULVERULENTA. Plena pulveris: nam apud veteres *pulverulenta* dicebantur, ſicut *vinolentum* dicimus, qui vino plenus eſt; & *temulentum*, qui temeto plenus eſt.

465. NEC PEDE CONGRESSOS, NEC EQUO. Pedeſtres & equeſtres pugnas vocat, ubi inter equitem & peditem pugna eſt, ut X. Aeneidos: *Et urgetur pugna congreſſus iniqua*. NEC TELA FERENTES INSEQUITUR. Id eſt, nec fugientes, nec contra ſtantes dignatur occidere. Et magna Aeneae oſtenditur pietas, qui nec vulneratus iraſcitur; ut velit contra legem foederis in bellum moveri.

PIERII.

464. IPSE NEQUE ADVERSOS DIGNATUR STERNERE MORTI: NEC PEDE CONGRESSOS, NEC EQUO NEC TELA FERENTES INSEQUITUR ADVERSOS. Sic vulgata fere omnia exemplaria legunt: neque deſunt antiqui codices, qui lectioni adſtipulentur. Romanus tamen codex, & Oblongus Pomponianae deliciae, legunt *averſos*. Quodque ſubſequitur, *nec pede congreſſos, nec equo*, antiqua fere omnia, quae verſamus exemplaria, legunt, *nec pede congreſſos aequo:* in quo tria pugnarum genera, tres ferientium geſtus animadvertas. Aut enim eos, qui terga dant, occidimus: & hoc exprimit *averſos:* aut aequo reſiſtentes Marte: hinc ait: *Nec pede congreſſos aequo:* aut eminus ferientes: hoc illud eſt: *Nec tela ferentes Inſequitur*. Horum ſic pugnantium nullum ille dignatur ſternere morti, ſed ſolum denſa in caligine Turnum veſtigat luſtrans. Donatus vero *adverſos*,

ad-

Inſequitur: ſolum denſa in caligine Turnum
Veſtigat luſtrans, ſolum in certamina poſcit.
Hoc concuſſa metu mentem Juturna virago
Aurigam Turni media inter lora Metiſcum
470 Excutit, & longe labſum temone relinquit.
Ipſa ſubit, manibuſque undantis flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque, & corpus, & arma Metiſci.
Nigra velut magnas domini cum divitis aedes
Pervolat, & penitus alta atria luſtrat hirundo,
475 Pabula parva legens, nidiſque loquacibus eſcas;
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna ſonat: ſimilis medios Juturna per hoſtis
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hic germanum, jamque hic oſtentat ovantem:
480 Nec conferre manum patitur: volat avia longe.
Haud minus Aeneas tortos legit obvius orbis,
Veſtigatque virum, & disjecta per agmina longa
Voce vocat. Quoties oculos conjecit in hoſtem,
Alipedumque fugam curſu tentavit equorum;

A-

SERVII.

468. VIRAGO. Dicitur mulier, quae virile implet officium, id eſt, mulier, quae viri animum habet: has antiqui *viras* dicebant.

471. UNDANTES. Quia in motu undarum modo flectuntur.

474. PERVOLAT. Per magnas aedes volat: nam more ſuo verbo dedit detractam nomini praepoſitionem.

475. NIDISQUE LOQUACIBUS ESCAS. Ordo eſt: Eſcaſque nidis loquacibus legens.

476. VACUIS. Magnis, ut: *Vacua atria luſtrat Saucius*.

477. SIMILIS. Pro, ſimiliter.

480. NEC CONFERRE MANUM. Cum Aenea: nam alios perſequitur. AVIA. Ab ea ſcilicet parte, qua veniebat Aeneas.

481. TORTOS ORBES. Obliquas & implicitas vias.

482. VESTIGATQUE VIRUM. Inquirit: translatio a canibus, qui per veſtigia & pedum ſigna feram indagant. DISJECTA PER AGMINA. Diſſipata adventu Aeneae.

PIERII.

admittit, dum obvios exponit. Mecum vero ſentit in altero, dum ſubjungit: *Aut aequo pede congreſſos occidere*. Quod vero legitur *denſa in caligine*, in Romano codice *denſo* eſt, virili genere, contra Grammaticorum praeceptionem.

468. HOC CONCUSSA METU MENTEM JUTURNA VIRAGO. In Oblongo codice, *hinc* legitur, hoc eſt, hac de cauſſa. In aliis *haec*: quod minime placet.

478. RAPIDOQUE VOLANS OBIT OMNIA CURSU. In antiquis aliquot codicibus *curſu* ſcriptum eſt: ea lectio in Mediceo ſuperne adnotata: in reliquis *curru* habetur.

479. JAMQUE HIC GERMANUM, JAMQUE HIC OSTENDIT OVANTEM. Hoc loco, ubi vana ſunt, quae fiunt, magis placet quod in Romano codice legitur, *oſtentat*.

482. ET DISJECTA PER AGMINA MAGNA VOCE VOCAT. In Mediceo, & aliquot aliis codicibus, non *magna* ſed *longa* ſcriptum eſt, addita ſuperne dictione *magna*, ut fieri ſolet, pro paraphraſi.

485 Averſos toties currus Juturna retorſit.
Heu, quid agat; vario nequidquam fluctuat aeſtu:
Diverſaeque vocant animum in contraria curae.
Huic Meſſapus, uti laeva duo forte gerebat
Lenta levis curſu praefixa haſtilia ferro,
490 Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Subſtitit Aeneas, & ſe collegit in arma,
Poplite ſubſidens: apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit, ſummaſque excuſſit vertice criſtas.
Tum vero adſurgunt irae, inſidiiſque ſubactus,
495 Diverſos ubi ſenſit equos currumque referri,
Multa Jovem, & laeſi teſtatus foederis aras,
Jam tandem invadit medios, & Marte ſecundo
Terribilis, ſaevam nullo diſcrimine caedem
Suſcitat, irarumque omnis effundit habenas.
500 Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmine caedes
Di-

SERVII.

485. AVERSOS RETORSIT. Pro, retorſit & avertit.

486. HEU QUID AGAT? Omne adverbium verbo cohaeret: unde, quia *heu*, *hem*, *at*, *atat*, & ſimilia, verbo cohaerere non poſſunt, ſeparatim fecerunt aliam partem orationis, ſcilicet interjectionem: quam ſola Latinitas collidet; cum Graeci ſub adverbio comprehendant tales voces. Sane hoc Poeta dedit, rerum miſerationem movens. Alii ab Aeneae perſona dictum accipiunt, ut diceret: *Heu quid agam?*

488. HUIC. Pro, in hunc: & eſt ordo: *Huic dirigit*.

491. SE COLLEGIT IN ARMA. Ita ſe texit, ut nulla parte poſſet feriri.

492. APICEM TAMEN INCITA SUMMUM. Galeae eminentiam, quam Graeci *conum* vocant, in qua eminent criſtae. Poteſt hoc tamen nomen & de ſacerdote Flamine accipi, qui apice utuntur: quod in quarto plenius dictum eſt: nam ſubjunxit, *vertice criſtae*. INCITA. Id eſt, cum impetu veniens.

495. REFERRI. Id eſt, retro ferri.

496. MULTA JOVEM, ET LAESI TESTATUR FOEDERIS ARAS. *Multa*, pro, multum; licet haberet juſtam cauſſam iracundiae, quod & fugiebat Turnus, & ipſe appetebatur inſidiis; non tamen ante prorupit in bellum, quam Jovis fidem, & laeſa foedera teſtaretur.

497. MEDIOS. Qui inter ipſum ſequentem, & fugientem Turnum, medii de hoſtibus erant. MARTE SECUNDO TERRIBILIS. Poteſt & *Marte ſecundo* diſtingui, ut ſequatur *Terribilis ſaevam*, &c. poteſt & jungi, ut ſit: *Marte ſecundo terribilis*.

498. NULLO DISCRIMINE CAEDEM SUSCITAT. Indiſcrete obtruncat univerſos, quibus ante pari pepercerat modo.

499. IRARUM HABENAS. Poteſtatem, facultatem, id eſt, irae permittit ſaeviendi liberam poteſtatem, ut: *Et premere, & laxas ſciret dare juſſus habenas*. Et hic moderate locutus eſt: nam Ennius dixit: *Irarumque effunde quadrigas*.

500. QUIS MIHI NUNC TOT ACERBA DEUS? Ac ſi diceret: nec Muſa, nec Apollo ſufficiunt. Statius: *Major ab Aoniis ſumenda audacia lucis: Mecum omnes audete deae*.

PIERII.

485. AVERSOS TOTIES CURRUS JUTURNA RETORSIT. In antiquo admodum exemplari *totiens currus* legitur, *uu* geminato, Attiano more, uti etiam ſuperius notatum dicebamus.

496. MULTA JOVEM ET LAESI TESTATUS FOEDERIS ARAS. In antiquis fere omnibus *teſtatur* legere eſt. In Mediceo ultimus apex abraſus, & nota, quae *teſtatus* legat, appoſita.

Diverſas, obitumque ducum, quos aequore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Juppiter, aeterna gentis in pace futuras?
505 Aeneas Rutulum Sucronem, (ea prima ruentis
Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, &, qua fata celerrima, crudum
Tranſadigit coſtas & crates pectoris enſem.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
510 Congreſſus pedes: hunc venientem cuſpide longa,
Hunc mucrone ferit; curruque abſciſa duorum
Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.
Ille Talon, Tanaïmque neci, fortemque Cethegum,
Tris uno congreſſu, & maeſtum mittit Onyten,
No-

SERVII.

502. INQUE VICEM. Invicem: nam *que* vacat. Alii *que* expletivam conjunctionem accipiunt.

503. TANTON' PLACUIT CONCURRERE. Apoſtropha eum exclamatione ad Jovem. Sane *tanton'* circumflectitur: nam cum per Apoſtropham Apocopen verba patiuntur, is, qui in integra parte fuerat, perſeverat accentus; ut *tantone*, inde fit *tanton'*, ut &, *Tanton' me crimine dignum?*

505. AENEAS RUTULUM SUCRONEM. Deſcriptio per alterna diviſa, ut ſolent hiſtorici. RUENTES TEUCROS. Modo fugientes, quos inſequebatur Sucro.

506. LOCO STATUIT. Stabiles reddidit, ut: *Stabilitque fugam trepidantis Oreſtis*. HAUD MULTA MORATUM. Id eſt, non diu moratum; quod ſcilicet vim Aeneae diutius ſuſtinere non potuit.

507. EXCIPIT IN LATUS. Figurata elocutio. CRUDUM ENSEM. Modo, *nudum*; alias *crudelem*. ET CRATES PECTORIS. Donatus ſuperfluam vult eſſe conjunctionem, ut ſit Epexegeſis: *adigit enſem per coſtas*: id eſt, *pectoris crates*, ubi celerius fata complentur. Et hoc eſt, quod ait ſupra: *Haud multa moratus*.

509. AMYCUM, FRATREMQUE DIOREM. Hi duo duces ſunt etiam ſupra memorati, ut: *Nunc Amyci caſum gemit, nunc acris Orontis*. Item: *Et nunc tertia palma Diores*: unde ad terrorem populi, eorum capita religantur in curru.

511. CURRU autem, aut ſeptimus eſt, aut dativus caſus antiquus, ſecundum regulam; ne ſit major a nominativo plurali. DUORUM. Pro, amborum.

514. MOESTUM ONYTEN. Severum, naturaliter triſtem, quem Graeci σκυθρωπὸν dicunt, ἀγέγαστον aut imaginatus eſt exſpirantem; MITTIT autem, ſocium ſupra memoratis. Sane ONYTEN Donatus dicit aut gentile eſſe, aut patronymicum, ut nomen ejus proprium ſit, *Echionius*. Sed hoc non procedit: quia neque patronymicum in TES exit: neque *Onytes*, a qua gente veniat, uſquam lectum eſt. Proprium ergo eſt: & ſequens verſus erit: NOMEN ECHIONIUM: id eſt, Thebana gloria, per Periphraſin: nam *Echionii*, ſunt Thebani, a rege *Echione*. Ovidius de ſociis Cadmi loquens, Thebarum aedificatoris, ait: *Quinque ſuperſtitibus, quorum fuit unus Echion*: unde quidam male legunt: *Nomine Chionium*. Alii *nomen Echionium*, hoc eſt, genus, quemadmodum de matre *genus* dixit, accipiunt; ut oſtendatur, eum Echionis eſſe & Peridiae filium: vel ab Echione genus ducentem.

PIERII.

503. TANTON PLACUIT CONCURRERE MOTU. In veteribus codicibus, & *tanton*, & *tanto* habetur. Sed enim *tanton* notatur a Grammaticis, neque temere agnoſcitur a Servio.

506. HAUD MULTA MORATUS EXCIPIT. In Mediceo, & aliquot aliis veteribus, *morantem*: ut uno eum vulnere confectum oſtendat.

508. CRUDO TRANSADIGIT COSTAS, ET CRATES PECTORIS ENSE. In Mediceo, in Rom. & an-

515 Nomen Echionium, matriſque genus Peridiae,
Hic fratres Lycia miſſos & Apollinis agris,
Et juvenem exoſum nequidquam bella Menoeten
Arcada: piſcoſae cui circum flumina Lernae
Ars fuerat, pauperque domus; nec nota potentum
520 Munera: conductaque pater tellure ſerebat.
Ac velut inmiſſi diverſis partibus ignes
Arentem in ſilvam, & virgulta ſonantia lauro;
Aut ubi decurſu rapido de montibus altis
Dant ſonitum ſpumoſi amnes; & in aequora currunt,
525 Quiſque ſuum populatus iter: non ſegnius ambo
Aeneas Turnuſque ruunt per proelia: nunc, nunc

Flu-

SERVII.

515. MATRISQUE GENUS PERIDIAE. Periphraſis eſt: hoc eſt, filium Peridiae.

516. LYCIA MISSOS, ET APOLLINIS AGRIS. Vacat *&*: nam per Epexegeſin *Lyciam*, *arva Apollinis*, dixit, ut: *Nunc Lyciae ſortes*. Appellat autem *Lyciam*, a *Lyce* nympha, ex qua habuit Apollo filium, nomine Lycadium: *Miſſos* autem, profectos, ut: *Miſſus in imperium magnum*.

517. EXOSUM NEQUIDQUAM BELLA. Supra: *Injecere manum Parcae:* nam per tranſitum oſtendit, urgentibus fatis eum ad bella deductum: quae nequidquam ſemper vitare cupiebat. Hunc autem *Menoetem* oriundo Arcada fuiſſe intelligimus; ſed habitaſſe circa Argos: nam *Lerna*, palus eſt Argivorum, in qua eum dicit ſolitum fuiſſe piſcari: nam hoc ſignificat: PISCOSAE CUI CIRCUM FLUMINA LERNAE ARS FUERAT. Et vetuſte *flumina*, pro fluore dixit: neque enim *Lerna* fluvius eſt: & ſic, *flumina Lernae*, quomodo *Aventini montem*. Quaeritur ſane, quis primus *exoſum*, pro *peroſo* dixerit.

519. PAUPERQUE OOMUS. *Hic & haec pauper* dicimus: nam *paupera*, uſurpatum eſt. Sic Plautus: *Paupera eſt haec mulier*. Se hoc hodie non utimur. Ea enim nomina, quae ablativo ſingulari in *e* exeunt, ſi foeminina ex ſe faciunt, ſimilia faciunt: neque enim heteroclita, vel alterius declinationis eſſe poſſunt: ut puta, quia *ab hoc hoſpite* facit, *hic & haec hoſpes* dicamus neceſſe eſt. Lucanus: *Hoſpes in extremis audivit curia tectis*. Nam ab *hoc leone*, *hic & haec leo*; ab *hoc latrone*, *hic & haec latro*; ab *hoc fullone*, *hic & haec fullo*; ab *hoc nepote*, *hic & haec nepos*: nam ut *neptis* dicamus in Jure propter diſcretionem ſucceſſionis admiſſum eſt. Sciendum tamen, *hoſpita*, *paupera*, *leaena*, *lea*, uſurpata a poetis.

520. POTENTUM MUNERA. *Munera* dicit obſequia, id eſt, officia, quae pauperes divitibus loco munerum ſolvunt. Sane *munera*, atque *munia* dicimus. PATER. Ipſe pater: an pater ejus?

522. ARENTEM IN SYLVAM. Pro, aridam.

524. DANT SONITUM SPUMOSI AMNES. Bellum ſemper incendio & fluminibus comparat. Sic in ſecundo: *In ſegetem veluti cum flamma furentibus auris Incidit*, *aut rapidus montano flumine torrens*. VIRGULTA SONANTIA LAURO. Quaeritur, quid ſit *virgulta ſonantia lauro?* ſcilicet ipſa virgulta lauri; *ſonantia* autem, cum crepitu ardentia.

525. NON SEGNIUS AMBO AENEAS TURNUSQUE RUUNT. Bene comparationibus diverſis ſingula reddidit ad ſimilitudinem veram: quia ambos ignibus aut fluminibus comparaverat. Ergo *non ſegnius*, ad ignem retulit: quia *ſegnis*, quaſi *ſine igne* ſit. *Fluctuat* autem, ad amnes cum retuliſſe nulla dubitatio eſt.

PIERII.

antiquis omnibus codicibus, quotquot habui, *crudum transadigit coſtas, & crates pectoris enſem*, ſcriptum obſervavi, quod etiam Servius agnoſcit. Ex hoc vero ſuperiorem lectionem communire poſſis, ubi de Turno legitur: *Crudum per coſtas exigat enſem;* nam *durum* in aliquot codicibus legi dicebamus.

515. NOMEN ECHIONIUM. In antiquis pleriſque legas *nomine Echionium*, quam lectionem improbat Servius: neque Donato aſſentitur, qui *Oniten*, nomen vel patronymicum, vel gentile putat, & *Echionium*, proprium.

526. AENEAS TURNUSQ. RUUNT PER PRAELIA.

In

Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murrhanum hic, atavos & avorum antiqua sonantem
530 Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Praecipitem scopulo, atque ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo. Hunc lora & juga subter
Provolvere rotae: crebro super ungula pulsu
Incita nec domini memorum proculcat equorum.
535 Ille ruenti Hyllo, animisque inmane frementi
Occurrit, telumque aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajum fortissime Creteu,
Eripuit Turno: nec DI texere Cupencum,
540 Aenea veniente, sui. Dedit obvia ferro

Pe-

SERVII.

527. RUMPUNTUR. Pro, fatigantur: & *fluctuat*, & *rumpuntur*: quia NESCIA VINCI PECTORA. Horatius: *Pelidae stomachum cedere nescii*.

529. MURRHANUM HIC ATAVOS ET AVORUM ANTIQUA SONANTEM NOMINA. Hoc est, cujus majores omnes *Murrhani* dicti sunt, & reges fuerunt, ut: *Per regesque actum genus omne Latinos*. Scimus enim, solere plerumque fieri, ut primi regis nomen reliqui etiam possideant: ut apud Romanos *Augusti* vocantur; apud Albanos *Sylvii*; apud Persas *Arsacidae*; apud Aegyptios *Ptolemaei*; apud Athenienses *Cecropidae*. Unde superfluum, quod ait Donatus, debere nos accipere interemptum esse Murrhanum, dum avos & atavos Turni commemorat, & effert laudibus maximis, per illud: *Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem Murrhanum*.

530. PER REGESQUE ACTUM GENUS OMNE LATINOS. Horatius de Lamia: *Et nepotum Per memores genus omne fastos*.

533. NEC DOMINI MEMORUM PROCULAT EQUORUM. Id est, equorum, domini immemorum.

538. DEXTERA NEC TUA TE GRAJUM FORTISSIME CRETEU ERIPUIT TURNO, NEC DII TEXERE CUPENCUM. Ita Aeneam comparat Turno, ut eum superiorem esse significet: nam quem Turnus interemit, fortitudo sua eum liberare non potuit; ei vero, quem occidit Aeneas, ne sua quidem numina prodesse potuerunt. Terentius: *Memini relinqui me deo irato meo*. Sic alibi: *Nec dii morientis Elissae*. Singuli enim deos proprios habemus, Genios. Sane sciendum, *Cupencum* Sabinorum lingua *sacerdotem* vocari: ut apud Romanos Flaminem, & Pontificem, sacerdotem. Sunt autem *Cupenci*, Herculis sacerdotes. Ergo quod huic proprium nomen de sacerdote finxit, bene dixit: *Nec Dii texere sui*: Et quidam reprehendunt Poetam hoc loco, quod in nominum inventione deficitur. Jam enim in IX. Cretea a Turno occisum induxit, ut: *Cretea, Musarum comitem*; sed & apud Homerum, & *Pylaemonem*, & *Adrastum* bis ponit, & alios complures.

PIERII.

In codicibus aliquot antiquis, *ruunt in praelia*, legitur, sed *per* in pluribus.

531. INGENTIS TURBINE SAXI. In Romano, *ingenti*; sed magis placet *ingentis saxi*.

535. RUENTI HYLO. In antiquis codicibus *Hylo*, per *y* scriptum est.

537. FIXO STETIT HASTA CEREBRO. Quidam codices antiqui *fixa stetit asta*, legunt. In Mediceo *fixa* prius scriptum fuerat; inde alio atramento ducta circularis lineola in *o* literam.

538. GRAJUM FORTISSIME CRETEU. Vetera quaedam exemplaria *Rhetea* scribunt: plura *Creteu*.

539. NEC DII TEXERE CUPENTUM. Antiqua omnia haec exemplaria *Cupencum* legunt, per *c* in finali syllaba. Est & *di*, unico *i*, de quo saepe dictum.

Pectora: nec misero clipei mora profuit aerei.
Te quoque Laurentes viderunt, Aeole, campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.
Occidis, Argivae quem non potuere phalanges
545 Sternere, nec Priami regnorum eversor Achilles.
Hic tibi mortis erant metae: domus alta sub Ida;
Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulcrum.
Totae adeo conversae acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidae: Mnestheus, acerque Serestus,
550 Et Messapus equum domitor, & fortis Asylas,
Tuscorumque phalanx, Euandrique Arcades alae,
Pro se quisque viri summa nituntur opum vi.
Nec mora, nec requies: vasto certamine tendunt.
Hic mentem Aeneae Genetrix pulcherrima misit,
555 Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, & subita turbaret clade Latinos.
Ille, ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc acies circumtulit; aspicit urbem
In-

SERVII.

543. LATE TERRAM CONSTERNERE. Aliud ex alio ostenditur: nam per hoc corporis exprimitur magnitudo, ut: *Stabant tercentum nitidi in praesepibus altis*.

545. EVERSOR ACHILLES. Bene separavit Achillem a Graecis, ut: *Relliquias Danaum atque immitis Achilli*.

546. MORTIS METAE. Id est, mors, quae *meta* est & finis: nam *metas vitae* dicimus, non *mortis*: mors enim infinita est. Sciendum tamen, ita hoc de Homero esse translatum, qui ait: τέλος θανάτοιο, hoc est, *finis mortis*: nam in ipsa morte finis est.

547. LYRNESSI DOMUS ALTA. *Lyrnesos*, civitas est Phrygiae, unde fuit Briseis: & per transitum docet, neminem posse fatorum statuta vitare: quando enim hic crederet, ibi se natum, tam longe esse periturum?

548. CONVERSAE ACIES. In bellum coactae, vel inter se conversae.

552. PRO SE QUISQUE VIRI. Pro qualitate virium suarum, sicut in quinto: *Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris*. SUMMA NITUNTUR OPUM VI. Hemistichium est Ennianum. TENDUNT. Pro, contendunt.

554. MENTEM AENEAE GENITRIX PULCHERRIMA MISIT. *Mentem*, consilium, ut: *Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem*. MISIT autem, pro, immisit. Et PULCHERRIMA perpetuum est epitheton, nec ad negotium pertinens. Sane bona usus est oeconomia, ut diceret instinctu numinis profectum esse Aeneam ad civitatis excidium: nam incongruum fuerat, occupatum bello per se tale cepisse consilium.

555. URBIQUE ADVERTERET AGMEN. Id est, contra urbem.

558. ACIES CIRCUMTULIT. Vel exercitum suum huc atque illuc circumduxit, vel acies oculorum: & bona occasione pervenit ad id, ut Aeneas civitatem posset aspicere.

PIERII.

541. CLIPEI MORA PROFUIT AEREI. Antiqua exemplaria, quae volvimus, *aeris* legunt: quamvis *aerei*, cultum magis videatur.

551. EUANDRIQUE ARCADIS ALAE. In antiquis omnibus exemplaribus *Arcades*, scriptum observatur: quod minime displiceat, quia passim *Arcades* Virgilius nominat.

Inmunem tanti belli, atque impune quietam.
560 Continuo pugnae accedit majoris imago:
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores, tumulumque capit: quo cetera Teucrum
Concurrit legio: nec scuta aut spicula densi
Deponunt. Celso medius stans aggere fatur:
565 Ne qua meis esto dictis mora. Juppiter hac stat.
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie caussam belli, regna ipsa Latini,
Ni frenum accipere, & victi parere fatentur,
Eruam, & aequa solo fumantia culmina ponam.
570 Scilicet exspectem, libeat dum proelia Turno
Nostra pati; rursusque velit concurrere victus?
Hoc caput, o cives, haec belli summa nefandi.
Ferte faces propere, foedusque reposcite flammis.
Dixerat: atque animis pariter certantibus omnes

Dant

SERVII.

559. IMMUNEM TANTI BELLI. Sine officio dimicandi. Et vult inobsessam intelligi, quasi sine periculo sit oppugnationis: nam *immunis* est, qui nihil praestat; quasi *sine muniis*, hoc est, qui non facit *munia*. IMPUNE QUIETAM. Quae specialiter debuit poenas luere, propter foedus abruptum.

560. PUGNAE ACCENDIT MAJORIS IMAGO. Subaudis, *eum*.

563. NEC SCUTA, AUT SPICULA DENSI DEPONUNT. Ex eo, quod non est factum, quid fieri soleat, indicavit, ut supra: *Defigunt telluri hastas, & scuta reclinant*.

565. NEQUA. Pro, nulla. ESTO. Sit. JUPPITER HAC STAT. Pro nobis religio est, quam laeserunt Rutuli, ruptis foederibus. Novimus autem interfuisse foederi & deos alios, & Jovis imaginem sceptri praesentia redditam.

566. NEU QUIS OB INCEPTUM SUBITUM MIHI SEGNIOR ITO. Tertia persona est ITO, id est, erit: & hortatur eos, ut ita in bellum ruant, quasi res fuerit ante disposita; nam hoc dicit: Repentinum imperium nullam vobis afferat moram; unde est illud paulo post: *Scalae improviso, subitusque apparuit ignis*.

567. CAUSSAM BELLI. Quia illic erat Lavinia.

568. FRENUM. *Frenum*, singulari numero raro lectum est: & quidam hunc versum per figuram Graeci dictum tradunt: *ὁμιλοῦσιν λέλαν λαβεῖν*.

569. ERUAM. Confidenter, quasi jam non bellum sit; sed expugnatio.

572. HOC CAPUT O CIVES. Sic superius Drances de Turno, ut: *O Latio caput horum & causa malorum*, id est, principium: potuistis enim quieti esse, si Latini foedus servassent: & ad Latinos transfert crimen Turni.

573. FOEDUSQUE REPOSCITE FLAMMIS. Gravitate sermonum declamationi pondus imposuit: nam hoc dicit: Flammas foederis urbis innovemus incendio: nam hic REPOSCITE, est, revocate, innovate.

PIERII.

567. URBEM HODIE CAUSSAM BELLI. Tres versus in Oblongo codice hoc habentur ordine: *Urbem hodie caussam belli: regna ipsa Latini Eruam: & aequa solo fumantia culmina ponam: Ni fraenum accipere, & victi parere fatentur*. Sed enim magis placet conditionalis oratio: *Ni fraenum accipere, & victi parere fatentur*: interposita & ante verbum *eruam*. Est & illud adnotandum, quod *freni* inter ea nomina reponitur a Carisio, quae singularitate carent: quamvis secus a Virgilio dicatur, ut hoc loco.

573. FERTE FACES PROPERE. Veteres plerique cod. *properi* legunt, uti superius: *Circumstant properi aurigae*; sed magis incitare videtur adverbium.

575 Dant cuneum; denſaque ad muros mole feruntur.
Scalae inproviſo, ſubituſque apparuit ignis.
Diſcurrunt alii ad portas, primoſque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant aethera telis.
Ipſe inter primos dextram ſub moenia tendit
580 Aeneas, magnaque incuſat voce Latinum;
Teſtaturque Deos iterum ſe ad proelia cogi:
Bis jam Italos hoſtis, haec altera foedera rumpi.
Exoritur trepidos inter diſcordia civis:
Urbem alii reſerare jubent, & pandere portas
585 Dardanidis; ipſumque trahunt in moenia regem.
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Incluſas ut cum latebroſo in pumice paſtor
Veſtigavit apes, fumoque inplevit amaro;
Illae intus trepidae rerum per cerea caſtra

Diſ-

SERVII.

575. DANT CUNEUM. Quotiens in ſimilitudinem cunei milites diſponuntur. DENSA MOLE. Denſi cum impetu.

576. IMPROVISO. Deeſt, *ex*; ut ſit, ex improviſo. APPARUIT IGNIS. Pro, apparuerunt: & eſt Zeugma, ut in primo: *Cymothoe ſimul, & Triton adnixus*: pro, adnixi: non enim ſolus Triton adnitebatur.

577. DISCURRUNT ALII AD PORTAS, PRIMOSQUE TRUCIDANT. Subaudis, *improviſo*: & haec ſimul pronuntianda ſunt, ut ſimul facta videantur; quo vehemens vis bellica poſſit agnoſci. *Primoſque trucidant* autem, id eſt, qui primi ad portas erant obvii, ſcilicet ſtationem agentes.

579. INTER PRIMOS. Inter duces, inter principes.

581. TESTATURQUE DEOS. Id eſt, foederis. HAEC ALTERA FOEDERA RUMPI. Bis rumpi foedera; bis Italos hoſtes fieri; bis ſe in praelia ſaeva compelli: nam varie eandem rem iterat. Bis autem foedera facta ſunt, ſemel per Ilioneum; quando Latinus ait: *Ipſe modo Aeneas, noſtri ſi tanta cupido eſt, Si jungi hoſpitio properat, ſociuſque vocari, Adveniat*. Et: *Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant*: & iterum, paulo ante propter ſingulare certamen.

583. TREPIDOS INTER. Hoc eſt, inter trepidos.

584. RESERARE JUBENT. Id eſt, volunt, ut Terentius: *Jubeo Chremetem*.

585. TRAHUNT IN MOENIA REGEM. Trahere volunt: nam voluntas, animi eſt, non facti. TRAHUNT autem, ſcilicet, ut poſſit imminens videre diſcrimen. Donatus dicit, *trahunt in moenia*, pro, dilacerant in moenibus rumoribus ſuis. Ergo *regem*, de Latino dixit; *moenia* autem, hic muros dixit.

587. INCLUSAS CUM LATEBROSO IN PUMICE PASTOR. Pene omnia comparationis iſtius verba ad ſupradictum pertinent bellum: nam ita apes incluſae ſunt, ut homines qui obſidentur: ita civitatem, timentium latebras dicimus, ſicut apum ſunt alvearia: item paſtor, ut rex: & re vera *paſtor* eſt & ductor exercitus, ut Homerus ποιμένα λαῶν. *Pumicem* autem, iſte maſculino genere poſuit: & hunc ſequimur: nam & Plautus ita dixit; licet Catullus dixerit foeminino: *Arida modo pumice expolitum*.

588. FUMO AMARO. Qui elicit lachrymas.

589. TREPIDAE RERUM. Neſcientes quid agant, ignarae auxilii, hoc eſt, trepidae de ſuis rebus. Terentius: *Satagit rerum ſuarum*. CEREA CASTRA. Opportune hic *caſtra*, de his rebus, quae nunc aguntur: in lib. IIII. Georg. *Aulaſque & cerea regna*.

PIERII.

577. PRIMOSQUE TRUCIDANT. In Oblongo codice *fatigant*: quod non ita placet: nam in praeliis mos eſt, ut primi ſemper ſint caedibus & periculis magis expoſiti: & ad aliorum terrorem, clementiſſimi etiam imperatores, expugnationis initio, caede aliqua ſaevire ſoliti ſunt.

590 Diſcurrunt, magniſque acuunt ſtridoribus iras.
Volvitur ater odor tectis: tum murmure caeco
Intus ſaxa ſonant: vacuas it fumus ad auras.
Accidit haec feſſis etiam fortuna Latinis,
Quae totam luctu concuſſit funditus urbem.
595 Regina ut tectis venientem proſpicit hoſtem,
Inceſſi muros, ignis ad tecta volare;
Nuſquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnae juvenem in certamine credit
Exſtinctum; &, ſubito mentem turbata dolore,
600 Se cauſſam clamat, crimenque, caputque malorum:
Multaque per maeſtum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu diſcindit amictus,
Et nodum informis leti trabe nectit ab alta.

Quam

SERVII.

591. ATER ODOR. Nove: nam in odore quis color eſt? Sed hoc dicit: odor atrae rei, id eſt, fumi ater odor, peſſimus, ut: *Fumoque implevit amaro*.

593. FESSIS. Pro, adflictis. ETIAM FORTUNA. Caſus: nam omnis caſus in poteſtate fortunae eſt.

595. TECTIS VENIENTEM PROSPICIT. Aut, e tectis proſpicit: aut, contra tecta venientem.

596. INCESSI MUROS. Invadi.

598. INFELIX PUGNAE JUVENEM. Quia non putabat, Turnum civitatem oppugnari paſſurum fuiſſe, ſi viveret.

599. MENTEM TURBATA. Figurate: ut: *Oculos ſuffuſa*.

660. CAPUTQUE. Sicut ſupra dictum eſt: *Caput* dicebatur, qui auctor & princeps alicujus rei geſtae fuiſſet, ut XI. Aen. *O Latio caput horum*.

601. DEMENS EFFATA FUROREM. Verba noluit ponere, unde videtur diras ſignificare.

602. PURPUREOS MORITURA MANU. Rem, quae Flaminicae competit, tranſtulit ad reginam. Flaminica enim venenato operiri debet: nam, cum *amictus* dicit, opertam dicit, quae res ad pallium refertur.

603. ET NODUM INFORMIS LETHI. Fabius Pictor dicit, quod Amata inedia ſe interemerit. Sane ſciendum, quia cautum fuerat, in Pontificalibus libris, ut, qui laqueo vitam finiſſet, inſepultus abjiceretur: unde bene ait, INFORMIS LETHI, quaſi mortis infamiſſimae. Ergo, cum nihil ſit hac morte deformius, Poetam etiam pro reginae dignitate dixiſſe accipiamus. Caſſius autem Hemina ait: *Tarquinium Superbum, cum cloacas populum facere coegiſſet, & ob hanc injuriam multi ſe ſuſpendio necarent, juſſiſſe corpora eorum cruci affigi: Tunc primum turpe habitum eſt, mortem ſibi conſciſcere*. Et Varro ait: *Suſpendioſis, quibus juſta fieri jus non ſit, ſuſpenſis oſcillis, veluti per imitationem mortis, parentari*. Docet ergo Virgilius, ſecundum Varronem & Caſſium, quia ſe laqueo induerat, letho periſſe informi.

PIERII.

591. NUNC MURMURE COECO. In antiquis *tum* legitur pro *nunc*.

595. REGINA UT TECTIS VENIENTEM PROSPICIT HOSTEM. In Oblongo codice, & in aliquot aliis *conſpicit* habetur: quod magis moveret, propter periculi vicinitatem: ſed enim *proſpicit* Servius admittit, & vetera pleraque exemplaria conſentiunt.

596. INCENDI MUROS. Codices omnino aliqui veteres *incendi* legunt. Antiquitus enim contextis arboribus, lutoque, aut calce illitis, infartiſque, moenia conſtrui ſolebant: quorum plurimus in Galliis uſus fuit teſte Caeſare. Sed enim Oblongus, Mediceus, atque alii perveteres codices, *inceſſi*, legendum oſtendunt: quod Servius admittit, dum exponit *invadi*. Romanus ambiguus eſt unius mutatione literae: in eo enim *incenſi* legitur; ſed cum alias primam ex duabus *ss* in *n* vertere conſuerit, ut multa ſuperius declarant citata loca, *Inceſſi* crediderim eſſe de-

Quam cladem miserae postquam accepere Latinae,
605 Filia prima manu flavos Lavinia crinis,
Et roseas laniata genas; tum cetera circum
Turba furit: resonant latae plangoribus aedes.
Hinc totam infelix volgatur fama per urbem:
Demittunt mentis: it scissa veste Latinus,
610 Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
Canitiem inmundo persusam pulvere turpans:
(Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Aenean, generumque adsciverit ultro.)
Interea extremo bellator in aequore Turnus
615 Palantis sequitur paucos, jam segnior, atque
Jam minus, atque minus successu laetus equorum.

At-

SERVII.

605. FLAVOS LAVINIA CRINES. Antiqua lectio FLOREOS habuit, id est, florulentulos, pulchros: & est sermo Ennianus. Probus sic adnotavit: *Neotericum erat flavos, Ergo bene floreos: nam sequitur,* Et roseas laniata genas. Accius in Bacchis: *Nam florei crines, vide, ut propexi jacent*. In iisdem: *Et lanugo florea nunc demum inrigat*. Pacuvius Antiopa: *Cervicum floreos dispergite crines*.

606. ET ROSEAS LANIATA GENAS. Moris fuit apud veteres, ut ante rogos regum humanus sanguis effunderetur, vel captivorum vel gladiatorum: quorum si forte copia non fuisset, laniantes genas suum effundebant cruorem, ut rogis illa imago restitueretur. Tamen sciendum, cautum lege Duodecim tabularum, ne mulieres carperent faciem, his verbis: *Mulier faciem ne carpito*.

608. HINC TOTAM. Id est, de domo regia. INFELIX FAMA. Rerum infelicium nuntia, ut: *Infelix vates*.

609. DEMITTUNT MENTES. Desperant; sicut e contra, sperantes aliquid, *erigunt mentes*.

610. CONJUGIS ATTONITUS FATIS, URBISQUE RUINA. Et privatis, & publicis luctibus.

611. CANICIEM. Ex aetate pathos movit: non enim tam miserum est, regem in miseriis esse, quam senem. IMMUNDO PULVERE. Bene *immundo* addidit. Sic in Georgicis: *Et cinerem immundum jactare per agros*: quia etiam ille pulvis, quo utuntur puellae, cinis vocatur: unde etiam apud Plautum de mundo mulierum & *ciniflones* dicti sunt. Horatius: *Custodes, lectica, ciniflones, parasitae*.

614. BELLATOR. Epitheton peracti temporis.

616. MINUS SUCCESSU LAETUS EQUORUM. Infirmitas animi ex equorum etiam tarditate veniebat: quia minus successus habebant equi jam fatigati.

PIERII.

debuisse: quum praesertim Arusianus in elocutionum exemplis, loci hujus Virgiliani testimonio, ostendat eleganter dici, *incessitur illa res*: quare *incessi muros* longe lubentius legerim.

598. PUGNAE JUVENEM IN CERTAMINE CREDIT EXTINCTUM. Romanus codex *a certamine* legit, sed melius est *in*. Quaedam vetera alia exemplaria *juvenem certamine* legunt, absque *a*, & absque *in*.

601. MULTAQUE PER MOESTUM DEMENS EFFATA FUROREM. In Oblongo codice *dolorem* est, quod non aeque placet: neque quidem quod *effusa*, vel *afflata*, in nonnullis habetur.

605. FLAVOS LAVINIA CRINES. Miror, cum Servius asserat *floreos* antiquam esse lectionem, eam a posterioribus non admissam. Synizesis enim non est adeo poetis insolita, ut hoc loco eam reformidare debeamus.

607. RESONANT LATE PLANGORIBUS AEDES. In Oblongo codice *clangoribus* legitur, quod non placet: id enim turbarum est. In Mediceo autem *clamoribus*; sed *plangoribus* omnino melius.

612. MULTAQUE SE INCUSAT. In Romano codice desiderantur hi duo versus: *Multaque se incusat, qui non acceperit ante Dardanium Aeneam, generumque asciverit urbi*: nempe, quia in undecimo iidem habentur: sed enim non incongruum videtur versus eosdem, eadem superveniente rerum turbatione, hoc etiam libro repetitos esse: quum praesertim eam se-

Attulit hunc illi caecis terroribus aura
Commixtum clamorem, arrectasque inpulit auris
Confusae sonus urbis, & illaetabile murmur.
620 Hei mihi! quid tanto turbantur moenia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait; adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigae, currumque, & equos, & lora regebat,
625 Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit:
Sunt alii, qui tecta manu defendere possint.
Ingruit Aeneas Italis, & proelia miscet:
Et nos saeva manu mittamus funera Teucris.
630 Nec numero inferior, pugnae nec honore recedes.
Turnus ad haec:
O soror, & dudum agnovi, cum prima per artem
Foedera turbasti, teque haec in bella dedisti:
Et nunc nequidquam fallis dea. Sed quis Olympo
635 Demissam tantos voluit te ferre labores?

SERVII.

617. ATTULIT HUNC ILLI COECIS TERRORIBUS AURA. Naturale enim est, ut, a qua parte ventus flat, inde maximus audiatur clamor. Et mire, *coecis terroribus*, quos nemo videret.

618. COMMIXTUM CLAMOREM. Ex impugnatione, & morte reginae. ARRECTAS AURES. Ad audiendum sollicitas. Terentius: *Arrige aures Pamphile*.

619. INLAETABILE MURMUR. Quaeritur quis *inlaetabile* dixerit? Ideo autem *murmur*, quia ferre solent quasi praesagium *murmura*, sive *bona*, sive *mala*.

621. DIVERSA CLAMOR. Hypallage, diversus clamor, aut ex variis partibus civitatis.

622. AMENS. Consilii egens, nescius rei gerendae: nam *mentem* & *consilium* significare diximus, ut: *Mentem Aeneae Genitrix pulcherrima misit*.

625. OCCURRIT DICTIS. Orationi ejus verbis obviam venit.

626. PRIMA VICTORIA. Id est, primum.

627. SUNT ALII QUI TECTA MANU. Ideo, quia scit Turnum de urbe maxime esse sollicitum.

630. NEC NUMERO INFERIOR, PUGNAE NEC HONORE. Id est, nec pauciores interimis, nec minor te, quam Aeneam, comitabitur gloria: nam occisorum multitudo compensat hoc, quod tu fugientes interimis. Sane sciendum, in hac omni oratione Juturnam occurrere quaestionibus tacitis.

632. PRIMA PER ARTEM FOEDERA TURBASTI. *Prima*, aut inchoantia: aut, tum prima: nam post datum augurium, quo animi omnium pertubati sunt, & post ejus orationem Tolumnius tela contorsit. *Per artem* autem, per fraudem, ut initio 11. Aen. *Artificis scelus*.

634. NEQUIDQUAM FALLIS. Pro, non fallis.

PIERII.

secum reprehensionem apportent, quae Graeci illius dicterii testimonio gravissima videri poterat: Δὶς ἐξαμαρτεῖν ταὐτὸν οὐκ ἀνδρὸς σοφοῦ.

624. CURRUSQUE ET EQUOS. In antiquis codd. *currum*, singulari numero.

627. QUI TECTA MANU DEFENDERE POSSUNT. In antiquis plerisque codicibus, *possint*.

An fratris miseri letum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quae jam spondet Fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos me voce vocantem
Murrhanum, quo non superat mihi carior alter,
640 Oppetere ingentem, atque ingenti volnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret. Teucri potiuntur corpore & armis.
Exscindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis dicta refellam?
645 Terga dabo? & Turnum fugientem haec terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? vos o mihi Manes
Este boni: quoniam Superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia culpae
Descendam, magnorum haud umquam indignus avorum.

Vix

SERVII.

636. AN FRATRIS MISERI LETHUM. Humile est, si ex persona Turni accipias. Ergo *miseri*, ad animum sororis referendum est: & quod ait, *Sed quis Olympo?* intulit, *an, ut videres?* subaudiendum ergo, tua sponte.

637. NAM QUID AGO? Argumentum a necessario. JAM, non est temporis; aut erit absurdum.

638. ME VOCE VOCANTEM. Atqui hoc nusquam legimus; sed aut κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus, aut mortis est omen, audire se a mortuo vocari: aut audire, quod non dicitur; videre, quod minime occurrit. Sic in quarto: *Hinc exaudiri gemitus, & verba vocantis Visa viri.*

639. SUPERAT. Vivit, ut: *Superatne, & vescitur aura?*

641. NE NOSTRUM DEDECUS UFENS ASPICERET. Sic est hoc, ac si diceret, fortasse viveret; nisi ideo voluisset occumbere, ne nos victos videret: & est quale in XI. *Ille mihi ante alios, fortunatusque laborum, Egregiusque animi, qui, ne quid tale videret, Procubuit moriens*, INFELIX autem, in hoc bello, contra illud: *Insignem fama & felicibus armis:* & est argumentum ab honesto.

642. TEUCRI POTIUNTUR CORPORE ET ARMIS. Id est, etiam sepultura caruit: nam ut in Homero legimus, de virorum fortium cadaveribus erat inter hostes grande certamen: quod maxime apparet de cadavere Patrocli.

644. DEXTRA NEC DRANCIS DICTA REFELLAM? Id est, virtute: nam pro rei efficio ipsam rem posuit, *dexteram* scilicet pro virtute, hoc est, fortiter faciendo.

645. TURNUM FUGIENTEM. Ἐμφατικῶς, Turnum.

646. USQUE ADEONE MORI MISERUM EST? Tacitae quaestioni occurrit. Et quidam hoc verbum reprehendunt, *usque adeone;* melius dici *usque adeo*. Lucilius septimo: *Usque adeo studio atque odio illius efferor*. Quidam sic accipiunt: *Usque adeone mori miserum est*, ut non quasi confirmet; sed quasi interroget, quare dea sic de illo laboret ut vivat? cum satius sit, honeste mori, quam turpiter vivere. Ergo *usque adeone*, ut tamen tanta turpitudo ferenda sit. VOS O MIHI MANES. Quasi per fantasiam relinquens Superos, ad Manes convertit orationem.

647. SUPERIS AVERSA VOLUNTAS. Quia, ut supra diximus, donec vivimus, curae sumus Diis superis; post mortem ad Inferos pertinemus; quibus se modo commendat.

648. SANCTA AD VOS ANIMA. Qua differentia *sancti* sit, superius dictum est: hic *sancta*, incorrupta accipiendum est: neque enim *sacro*, aut *religiose*, ejus anima tenebatur. ISTIUS INSCIA CULPAE. Vel fugae: quia fuga grande crimen est apud virum fortem: vel rupti foederis, & laesae religionis: a qua re se dicit esse alienum, propter futura supplicia.

649. INDIGNUS AVORUM. Graeca figura est: nam nos, *indignus illa re*, dicimus; contra Graeci ἀνάξιοι στεφάνου, id est, *indignus coronae*.

650 Vix ea fatus erat; medios volat, ecce, per hostis
Vectus equo spumante Saces, adversa sagitta
Saucius ora, ruitque inplorans nomine Turnum:
Turne, in te suprema salus: miserere tuorum.
Fulminat Aeneas armis, summasque minatur
655 Dejecturum arcis Italum, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant. In te ora Latini,
In te oculos referunt: mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quae sese ad foedera flectat.
Praeterea Regina, tui fidissima, dextra
660 Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus & acer Atinas
Sustentant aciem. Circum hos utrimque phalanges
Stant densae, strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum deserto in gramine versas.

Ob-

SERVII.

651. VECTUS EQUO SPUMANTE SACES. Pro, cum veheretur, ut: *Et qua vectus Abas*.

652. IMPLORANS NOMINE TURNUM. Ex multis rebus indicat perturbationem, quod festinans venit; quod per hostes; quod vulneratus; quod Turnum nomine appellat: nam contumelia est, nomine suo superiorem vocare: sic in Georgicis: *Mater, Cyrene mater:* cum praemisisset: *Et te crudelem nomine dicit:* sicut contra Aeolus ad Junonem ait: *Tuus, o Regina, quid optes, Explorare labor*.

653. TURNE IN TE SUPREMA SALUS. Omnia, quae supra Juturna dixerat, oratio ista dissolvit.

654. FULMINAT AENEAS. Exaggeratio est: sic paulo post: *Horrendumque intonat armis*. MINATUR DEJECTURUM ARCES. Quia dixerat: *Et aequa solo fumantia culmina ponam*.

656. JAMQUE FACES. Ut sit, quare Turnus subvenire festinet.

657. MUSSAT. Modo, dubitat, & cunctatur Rex ipse, in quo summa rerum est. Veteres *mussat*, pro timet. Ennius *mussare*, pro tacere posuit. Clodius Tuscus: *Mussare, est ex Graeco, comprimere oculos*: Graeci μύσαι dicunt.

658. QUOS GENEROS VOCET. Pro, utros; pluraliter autem *generos* de exercitibus, quorum duces sunt, Aeneas, & Turnus. AUT QUAE SESE AD FOEDERA FLECTAT. Aut nuptiarum foedera, ut: *Nec conjugis unquam Pretendi tedas, aut haec in foedera veni:* aut propter violatum foedus; ut ideo dixerit, *quae sese flectat ad foedera;* quasi nec hoc remedium supersit, cum illa jam bello corrupta sint.

659. PRAETEREA REGINA TUI. Quia occurrebat, Amatam, si Latinus dubitat, reginam pro ejus partibus niti. TUI FIDISSIMA. Tui amantissima. DEXTRA OCCIDIT IPSA SUA. Ut laquei ostenderet dedecus.

660. LUCEMQUE EXTERRITA FUGIT. Augmentum mali.

661. SOLI PRO PORTIS. Contra illud: *Sunt alii, qui tecta manu defendere possint*. Pro *portis* autem, ante portas, Sallustius: *Ex parte cohortium praecipere instructa, & stationes locatae pro castris*. Bene autem, cum dicit, *pro portis sustentant acies*, & spem adhuc subveniendi dedit: & dicendo, *soli*, addidit etiam necessitatem.

664. DESERTO IN GRAMINE VERSAS. Huc atque illuc agis, ut: *Aethiopum versemus oves*. Homerus ἐστρέφου· & bene *deserto gramine*, contra illud: *Et nos saeva mittamus funera Teucris*.

PIERII.

658. QUAE SESE AD FOEDERA FLECTAT. In Oblongo codice *mittat* legitur, pro, demittat; verum non aeque placet.

661. ACER ATINAS. In aliquot *Asilas;* sed & superius, *Acer Atinas*, habetur.

665 Obſtupuit varia confuſus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito ſtetit. Aeſtuat ingens
Uno in corde pudor, mixtoque inſania luctu,
Et Furiis agitatus amor, & conſcia virtus.
Ut primum diſcuſſae umbrae, & lux reddita menti,
670 Ardentis oculorum orbis ad moenia torſit
Turbidus, eque rotis magnam reſpexit ad urbem.
Ecce autem, flammis inter tabulata volutus
Ad caelum undabat vortex, turrimque tenebat.
Turrim, compactis trabibus quam eduxerat ipſe,
675 Subdideratque rotas, pontiſque inſtraverat altos.
Jam jam fata, ſoror, ſuperant; abſiſte morari:
Quo Deus, & quo dura vocat Fortuna, ſequamur.
Stat conferre manum Aeneae, ſtat, quidquid acerbi eſt,
Morte pati: nec me indecorem, germana videbis
680 Amplius. Hunc, oro, ſine me furere ante furorem.

Di-

SERVII.

665. VARIA CONFUSUS IMAGINE RERUM. Multiplici nuntio: quod regina periit; quod urbs oppugnatur; quod omnes Latini in illum oculos referunt; quod dubitat Latinus, quos generos vocet.

666. ET OBTUTU. Vario ſtetit vultu. Et *obtutus*, eſt proprie, quem Graeci *πρόσωπον*, id eſt, *vultum* dicunt.

667. PUDOR. Propter illud: *Tu currum deſerte in gramine verſas*: vel *pudor*, quia in illum oculi referentur. INSANIA. Quia in hoſtes ferebatur: vel quia urbs oppugnabatur. MIXTO LUCTU. Propter Amatae cognitam mortem.

668. AMOR. Quia muſſat Latinus. CONSCIA VIRTUS. Quia fugere putatur, qui *currum deſerte in gramine verſat*.

669. DISCUSSAE UMBRAE. Poſtquam mentis caligo diſceſſit, quod ſequentia indicant, ut: *Et lux reddita menti eſt*.

671. TURBIDUS. Plenus perturbationis.

672. ECCE AUTEM FLAMMIS. Alia perſuaſio, ex aſpectu.

673. UNDABAT VORTEX. Exundabat: & bene in translatione permanſit, ut *verticem undare* diceret: *vortex* enim *undarum* dicitur: *Verticibus rapidis*: & *Verat aequore vortex*.

674. QUAM EDUXERAT IPSE. Scilicet, quod ei majorem creabat dolorem. Graviter enim dolemus ſi perire videamus illa, quae fecimus. *Eduxerat* autem, in altum fabricando ſuſtulerat, ut alibi: *Cyclopum educta caminis*.

675. SUBDIDERATQUE ROTAS. Quo poſſet trahi ad ea loca, quibus hoſtis inſtabat.

676. JAM JAM FATA. Salluſtianum: *Jam jam frater animo meo cariſſime*.

678. STAT CONFERRE MANUM AENEAE. Placet, ut: *Stat caſus renovare omnes*: vel *ſtat*, certum eſt. QUIDQUID ACERBI EST, MORTE PATI. Aut, quidquid in morte acerbum eſt, placet pati: hoc eſt, inſerna ſupplicia: vel, quae poteſt acerbus hoſtis inferre, ſicut de Hectore legimus: Ἐμοὶ δὲ τότ' ἂν πολὺ κέρδιον εἴη. Aut certe poſitivus ſit pro comparativo: placet pati, ſi quid etiam morte acerbius invenitur.

680. FURERE ANTE FUROREM. Figura antiqua: ut, *Servitutem ſervit*; *Dolet dolerem*. Eſt autem ſenſus: Sine me bellicum furorem furere; ſcilicet, priusquam ad eum veniam, ut pugnam mente concipiam, & inſtructus furore in bella prorumpam.

PIERII.

675. PONTESQUE EXTRUXERAT ALTOS. In antiquis aliquot codicibus *inſtraverat* legitur, quod magis proprium eſt. Mediceus tamen *inſtraverat* habet.

678. STAT QUICQUID ACERBUM EST, MORTE

Dixit, & e curru saltum dedit ocius arvis:
Perque hostis, per tela ruit: moestamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
Ac veluti montis saxum, de vertice praeceps
685 Cum ruit avolsum, vento, seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno mons inprobus actu,
Exsultatque solo; silvas, armenta, virosque
Involvens secum. Disjecta per agmina Turnus
690 Sic urbis ruit ad muros; ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, striduntque hastilibus aurae:
Significatque manu, & magno simul incipit ore:
Parcite jam, Rutuli; & vos tela inhibete, Latini:
Quaecumque est Fortuna, mea est: me verius unum
695 Pro vobis foedus luere, & decernere ferro.

Dis-

SERVII.

684. Saxum de vertice praeceps Cum ruit. Comparatio ista futurum ostendit eventum. Simul notandum, quod, sicut supra in praelio, ita nunc etiam in comparatione praefertur Aeneas: nam Turnum parti comparat montis; montibus exaequat Aeneam: & est comparatio de Homero sumpta.

Ἀντικρὺ μεμαὼς ὀλοίτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης,
Ὅντε κατὰ στεφάνης ποταμὸς χειμάῤῥοος ὤσῃ
Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναιδέος ἔχματα πέτρης
Ὕψι τ' ἀναθρώσκων πέτεται, κτυπέει δέ θ' ὑπ' αὐτοῦ
Ὕλη, ὁ δ' ἀσφαλέως θέει ἔμπεδον ὄφρ' ἂν ἵκηται
Ἰσόπεδον, τότε δ' οὔτι κυλίνδεται ἐσσύμενός περ.

685. Avulsum vento. Proprie: nam & Turnus ad bellum invitus adtrahitur.

686. Annis solvit sublapsa. Pro, multorum annorum sublapsum saxum: & quidam *lapsa*, quasi non passiva specie, sed activa dictum volunt.

687. Mons improbus. Pars montis: & ἐμφατικῶς dictum est, sicut supra: *Haud partem exiguam montis*. Magno actu. Magno impulsu.

688. Exultatque solo. Mire, saepe exilit, dum volvitur. Ubi plurima fuso Sanguine terra madet. Hypallage, ubi plurimo sanguine terra madet: sic supra: *Sanguine in alto*: vel certe, ubi plurimum fuso sanguine madet terra.

691. Striduntque hastilibus aurae. Homerus: Συρίζουσα λόγχη, id est, *strider lanceae*.

692. Magno ore. Pro, voce magna.

693. Tela inhibete. Cohibete, suspendite: & est translatio a nautis.

694. Me verius unum Pro vobis. *Verius*, justius: & sensus hic est: Justius est, me unum pro omnibus rupti foederis poenas exsolvere. Alii veteri more dictum accipiunt: *verum* enim, quod rectum & bonum esset, appellabant. Terentius: *Id ne est verum modo?* id est, pessimum genus: & item: *Quod si astu rem tractavit, Dii vestram fidem! quantam & quam veram laudem capiet Parmeno!* Sallustius in primo: *Ea paucis, quibus peritia & verum ingenium est, abnuentibus*. Idem: *Perpenna tam paucis prospectis vera est aestimanda*.

695. Decernere ferro. Decertare, dimicare: aliter *decernere*, statuere, ut, *decernere Senatum*, dicimus.

PIERII.

pati. *Acerbum* quidem Servius agnoscere videtur; sed in his antiquis exemplaribus nunc *acerbi est*, legitur.

687. Magno mons improbus actu. In aliquot antiquis codicibus *actu* habetur, & agnoscitur a Servio; sed in Oblongo, in Mediceo, & in Porcio *ictu* legitur, quod non displiceat.

691. Stridentque hastilibus aurae. In ant. aliquot codicibus *strident* legitur, ut in Georgicis: *Stridere apes utero*: utrumque enim dicimus.

Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Aeneas, audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arcis;
Praecipitatque moras omnis: opera omnia rumpit:
700 Laetitia exsultans, horrendumque intonat armis:
Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse coruscis
Cum fremit ilicibus quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens pater Apenninus ad auras.
Jam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
705 Convertere oculos Itali; quique alta tenebant
Moenia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. Stupet ipse Latinus,
Ingentis, genitos diversis partibus orbis,
Inter se coïsse viros, & cernere ferro.
710 Atque illi, ut vacuo patuerunt aequore campi,
Procursu rapido, conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clipeis atque aere sonoro.

Dat

SERVII.

701. QUANTUS ATHON. Haec est vera lectio: nam, si legeris ATHOS, *thos*, brevis est; & versus non stat. *Athon* autem dici, accusativus indicat: nam *hunc Athona* facit, sicut *Apollon*, *Apollona*. Quod autem Herodotus *hunc Athon*, & *hunc Apollon* dicit, Atticae declinationis est. *Athon* autem, mons est adjacens Thraciae, circa Lemnum insulam, in promontorio Macedoniae. AUT QUANTUS ERYX. Siciliae mons, supra Drepanum oppidum. NIVALI VERTICE SE ATTOLLENS PATER APENNINUS. *Apenninus*, mons Italiae est, de hoc Lucanus: *Nulloque a vertice tellus Altius intumuit, propiorque accessit Olympo*.

704. TROES ET OMNES. Graece declinavit, unde brevis est ES, sic supra: *Troes agunt*.

707. ARMAQUE DEPOSUERE. Vel spectaturi, vel defessi, vel jussi: ne quis possit iterum foedus turbare.

709. INTER SE COIISSE VIROS, ET CERNERE FERRO. Vera & antiqua haec est lectio: nam Ennium secutus est, qui ait: *Olli cernebant magnis de rebus agentes*. Et idem: *Ferro, non auro, vitam cernamus utrique*. Posteritas coepit legere, *& decernere ferro*. Secundum quam lectionem Synaloepha opus est, sed excluso os, ut sit, *Inter se coisse vir' & decernere ferro*.

710. VACUO PATUERUNT. Potest intelligi, ut patuerunt corporis magnitudine.

711. PROCURSU. Una pars orationis est.

PIERII.

701. QUANTUS ATHOS, AUT QUANTUS ERYX. In antiquis *Athon* legitur, scilicet ex Servii praecepto, quem nonnulli damnant, nescientes apud Graecos etiam Ἄθων, τὸ ὄρος σὺν τῷ ν λέγεσθαι, quamvis & Ἄθως, & Ἄθω, ἐκ τοῦ Ἄθοος dicatur.

709. INTER SE COIISSE VIROS, ET DECERNERE FERRO. Servius quidem *cernere* contendit ex Ennio legendum. Et Seneca lib. VII. epistola prima, in eadem est opinione, dum dicit: *Ne te longe differam, quaedam simplicia in usu non erant, sicut* cernere ferro, *inter se dicebant*. Idem Virgilius hoc *probavit tibi*: Inter se coiisse viros & cernere ferro: *quod nunc* decernere *dicimus*. Verum contra hos stat codicum pene omnium veterum auctoritas, in quibus legitur *& decernere*. In quodam tamen perveteri deest &, & ita legitur: *Coiisse viros, decernere ferro*.

711. CONJECTIS EMINUS HASTIS. In Romano codice *conlectis* est; sed inemendate: melius enim *conjectis*.

Dat gemitum tellus: tum crebros ensibus ictus
Congeminant. Fors & virtus miscentur in unum.
715 Ac velut, ingenti Sila, summove Taburno
Cum duo conversis inimica in proelia tauri
Frontibus incurrunt, pavidi cessere magistri:
Stat pecus omne metu mutum, mussantque juvencae,
Quis nemori imperitet, quem tota armenta sequantur:
720 Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt, & sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Aeneas & Daunius heros
Concurrunt clipeis. Ingens fragor aethera complet.
725 Juppiter ipse duas aequato examine lances

Suf-

SERVII.

713. DAT GEMITUM TELLUS. Pulsu pedum.

714. FORS ET VIRTUS MISCENTUR IN UNUM. *Fors*, id est, casus, in Turno; *virtus* in Aenea: nam in bello etiam casus plurimum valet. Cicero in Miloniana: *Adde casus, adde incertos exitus, Martemque communem.*

715. AC VELUT INGENTI SYLA, SUMMOVE TABURNO. *Syla*, mons est Lucaniae: *Taburnus* mons Campaniae. Sallustius de fugitivis: *In sylva Syla fuerunt*: unde pessime quidam *sylva* legunt: quia proprium appellativo non potest jungi & aequari: unde bene proprium proprio junxit.

717. PAVIDI CESSERE MAGISTRI. Proprie *magistri*, sunt militum; *pastores*, pecorum; sed reciprocae sunt istae translationes: nam & *ductor militum pastor* vocatur, ut diximus supra, & *magistros pecorum* dicimus: Cicero: *Quem magistrum pecoris esse dicebat.*

718. MUSSANTQUE JUVENCAE. Dubitant, sicut: *Mussat rex ipse Latinus.*

719. NEMORI IMPERITET. Hoc est, qui sunt in nemore, ut est: *Sed tota aestiva repente.*

725. JUPPITER IPSE DUAS AEQUATO EXAMINE LANCES. Aut poetice dictum est, & ratione caret: nam Jupiter ignorare nihil poterat: aut certe illud quaeritur, quis ibi de Turno & Aenea mortis adferat caussam: nam dicunt philosophi, mortem ad deum minime pertinere: nam bona tantum praestat, nec ad eum, quae mala sunt, pertinent: nam ideo & aequas lances sustinet: unde Cicero in Officiis ait: *Sed quia nocere Deos non putant; his exceptis, homines hominibus obesse plurimum arbitrantur*: vel ideo a Jove hoc fit, ut Junoni aliisque Deis necessitatis violentiam probet: an inquirit, utrum tempus sit? Tamen sciendum, hunc locum a Virgilio ita esse translatum, ut in Homero lectus est:

Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα,
Ἐν δ' ἐτίθει δύο κῆρε τανηλεγέος θανάτοιο,
Τὴν μὲν Ἀχιλλῆος, τὴν δ' Ἕκτορος ἱπποδάμοιο.
Ἕλκε δὲ μέσσα λαβὼν, ῥέπε δ' Ἕκτορος αἴσιμον ἦμαρ.
Ὤιχετο δ' εἰς Ἀΐδαο, λίπεν δ' ἑ Φοῖβος Ἀπόλλων.

EXAMINE. *Examen*, proprie est filum, quo trutina regitur.

PIERII.

715. AC VELUTI INGENTI SYLA. Pervetus codex *Silo* legit. Romanus *silva*, quam lectionem Servius improbat. Reliqua exemplaria recte *Syla*, qui Brutiorum mons, hodieque nomen retinet.

719. QUIS PECORI IMPERITET: Romanus codex cum altero perveteri *nemori* legunt, ut *imperat arvis*. In aliquot aliis: *Quis nemori imperitet, & quem tota armenta sequantur*. In Mediceo, *Quis pecori imperitet, & quem*: quae lectio etiam est in Porcio codice. In Vitaliano quoque, & in Delphio, & ipsum habetur, altera tamen dictione corrupta.

722. COLLA ARMOSQUE LAVANT. In antiquis aliquot exemplaribus *lavunt*, a *lavo*, *lavis*.

723. HAUD ALITER TROS AENEAS. Antiqui codices, quotquot habui, *non aliter*, legunt.

724. INGENS FRAGOR AETHERA COMPLET. In Oblongo *pulsat* habetur: in aliis, *complet*.

Sustinet, & fata inponit diversa duorum;
Quem damnet labor, & quo vergat pondere letum.
Emicat hic, inpune putans, & corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem,
730 Et ferit. Exclamant Troës trepidique Latini,
Arrectaeque amborum acies. At perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu:
Ni fuga subsidio subeat. Fugit ocior Euro,
Ut capulum ignotum dextramque aspexit inermem.
735 Fama est, praecipitem, cum prima in proelia junctos
Conscendebat equos, patrio mucrone relicto,
Dum trepidat, ferrum aurigae rapuisse Metisci:
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit. Postquam arma Dei ad Volcania ventum,

Mor-

SERVII.

727. DAMNET LABOR. Id est, quem voto liberet labor praeliandi, parta scilicet victoria: quoniam unusquisque ob incolumitatem recuperatam votis exsolvitur, id est, liberatur explicitis sacrificiis, ut est: *Damnabis tu quoque votis*. Nonnulli sic tradunt: quem labor suus liberet, quem mors urgeat: nam in Jure cum dicitur; *Damnas esto*, hoc est, damnatus es, ut des, hoc est, damno te, ut des, neque alias libereris. Quidam *labor* pro militia intelligunt. VERGAT PONDERE LETHUM. Bene *vergat*: nam morientes Inferos petunt.

730. TREPIDI LATINI. Atqui laeti esse debuerunt; sed nimia Aeneae ostenditur virtus: namque naturale est, ut sociis timori sit inferioris audacia; unde nunc Latini sunt territi, ex eo, quod superiorem ferire ausus est Turnus.

731. ACIES. Aut exercitus, aut oculi.

734. UT CAPULUM IGNOTUM, DEXTRAMQUE ASPEXIT INERMEM. Locus hic totus ad gloriam Aeneae pertinet: namque id agit, ne videatur Turnus armorum vilitate superatus: unde ei redditur gladius, quo etiam cum divinis armis ab Aenea possit extingui. ASPEXIT autem, quasi mirabundus, quod fractus esset; cum putaret, se gladium ferre Vulcanium, eo scilicet tempore, quo tempore vulneratum vidit Aeneam: Sed supra de Turno: *Simul aptat habendo Ensemque clypeumque, Ensem, quem Dauno Ignipotens deus ipse parenti Fecerat*. Modo ergo Metisci usus est ferro: & haec ratio est, quod, quamvis armatus suo gladio descendisset ad campum, tamen causa foederis deposuisset arma: nam & de Aenea hoc dixit: *Dextram tendebat inermem*: qui utique ad foedus non inermis advenerat: nam dictum est: *Hinc pater Aeneas, Sidereo flagrans clypeo, & caelestibus armis*. Sane PATRIO MUCRONE, modo, paterno, significat: nam Dauni fuerat gladius: ut hic dictum est: *Ensem quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti fecerat*. Alias *patrium*, a patria est derivatum. *Mucrone* autem, pro gladio, a parte totum.

737. DUM TREPIDAT. Dum turbatur, festinat, quod Graeci, ἐν ἀγωνίᾳ ἐστί· scilicet, quando rupto foedere, subita spe furibundus ardet. FERRUM. Materiam pro opere posuit, ut solet, ut: *Jungit equos curru genitor*.

739. ARMA DEI AD VULCANIA. Hypallage, pro Dei Vulcani arma.

PIERII.

732. IN MEDIOQUE ARDENTEM DESERIT ICTU. Romanus codex cum aliquot aliis veteribus legunt, *Ardentem deserit ictum*; sed *ictu*, ut in Mediceo & in Porcio est, magis placet.

735. CUM PRIMA IN PRAELIA JUNCTOS CONSCENDEBAT EQUOS. In codicibus aliquot, non tamen iis antiquioribus, *cum primum* legitur; sed magis placet *prima in praelia*, hoc est, initio belli, pugnaeve.

740 Mortalis mucro, glacies ceu futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit aequora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos inplicat orbis.
Undique enim densa Teucri inclusere corona:
745 Atque hinc vasta palus, hinc ardua moenia cingunt.
Nec minus Aeneas, quamquam tardata sagitta
Interdum genua inpediunt, cursumque recusant,
Insequitur, trepidique pedem pede fervidus urguet.
Inclusum veluti si quando flumine nactus
750 Cervum, aut puniceae septum formidine pennae,
Venator cursu canis & latratibus instat:
Ille autem, insidiis & ripa territus alta,
Mille fugit, refugitque vias: at vividus Umber
Haeret hians, jam jamque tenet, similisque tenenti
In-

SERVII.

740. MORTALIS MUCRO. Mortali manu factus. GLACIES CEU FUTILIS. Hoc loco, fragilis.

744. UNDIQUE ENIM DENSA TEUCRI INCLUSERE CORONA. Stratagema est: nam, postquam Turnum fugere videre Trojani, clauserunt loca, per quae evadere poterat: aut non dedita opera inclusere Trojani; sed quod ita consederant.

745. ATQUE HINC VASTA PALUS. Quae nunc non apparet.

747. CURSUMQUE RECUSANT. Retardant, scilicet genua, quae impediebat vulnus inlatum sagitta. Sane perite facit, ut gladio non utatur Aeneas; sed hasta eminus dimicare contendat: quia impediente vulnere nec sequi poterat, nec in ictum consurgere: unde est: *Hic gladio fidens; hic acer & arduus hasta*.

749. INCLUSUM FLUMINE. Comparatio Apollonii. Alterutro *inclusum*, aut flumine, aut formidine: aut duobus inclusum: infra enim ait: *Insidiis & ripa territus alta*; ut *insidias*, pro formidine; *ripa*, pro flumine posuerit.

750. CERVUM AUT PUNICEAE. Utrum figurate, *cervum instat*: an potius, cervum nanctus alioquin instat? SEPTUM FORMIDINE PENNAE. Lucanus: *Claudit odoratae metuentes aera pennae*.

751. VENATOR CANIS. Pro, venaticus.

752. INSIDIIS. Pennarum scilicet: instrumentum quoddam, in fune, ad terrendas bestias factum.

753. VIVIDUS UMBER. Acerrimus Tuscus: nam *Umbria*, pars Tusciae est. Sane *Umbros*, Gallorum veterum propaginem esse, Marcus Antoninus refert: hos eosdem, quod tempore aquosae cladis imbribus superfuerant, *Umbros* cognominatos. FUGITQUE VIAS. Figurate campum; cum mare, navigat. JAMJAMQUE TENENS. Ita ut videtur intuentibus: & hi duo versus; verbum ad verbum sunt translati de Apollonio. Sane summa brevitate rem elocutus est.

PIERII.

741. FULVA RESPLENDENT FRAGMINA ARENA. In aliquot antiquis codicibus unitatis numero legitur, *fulva resplendet fragmen harena*; sed magis amplum, & majoris admirationis est, *resplendent fragmina*, quod in plures dissiluisse partes ensem ostendit. Illud vero inemendate legitur in quibusdam codicibus, *glacies cui*: quum dubio procul *ceu* legendum sit.

746. QUANQUAM TARDANTE SAGITTA INTERDUM GENUA IMPEDIUNT. Romanus codex, Mediceus, & pleraque alia exemplaria, *tardata* legunt, quippe genua.

749. SI QUANDO IN FLUMINE NACTUS. Romanus codex & aliquot alii, *Siquando flumine*, legunt, absque *in*, quod tamen appositum & sententiae, & numero consulit.

750. FORMIDINE PENNAE. In antiquis *pinnae*, de quo satis alibi.

754. JAM IAMQUE TENET. In Romano codice *tenens* legere est, sed inemendate.

755 Increpuit malis, morſuque eluſus inani eſt.
Tum vero exoritur clamor: ripaeque lacuſque
Reſponſant circa, & caelum tonat omne tumultu.
Ille ſimul fugiens, Rutulos ſimul increpat omnis,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat enſem.
760 Aeneas mortem contra, praeſenſque minatur
Exitium, ſi quiſquam adeat: terretque trementis,
Exciſurum urbem minitans, & ſaucius inſtat.
Quinque orbis explent curſu, totidemque retexunt
Huc illuc. Neque enim levia aut ludicra petuntur
765 Praemia: ſed Turni de vita & ſanguine certant.
Forte ſacer Fauno foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti Divo, & votas ſuſpendere veſtis.
770 Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum

Suſ-

SERVII.

755. TUM VERO EXORITUR CLAMOR. Quidam quaerunt, an jam receſſum ſit his verſibus a comparatione? ſed non dubie videtur.

758. INCREPAT. Objurgat, incuſat, ut: *Aeſtatem increpitans ſeram*.

759. EFFLAGITAT ENSEM. Cum clamore depoſcit.

761. TERRETQUE TREMENTES. Quis enim ſaucium non timeret inſtantem, cum eum integer fugeret? Et bene terret eos, apud quos terror ejus habetur: & alibi: *Ne me terrete timentem*.

764. LUDICRA PRAEMIA. Vilia, digna ludo. Haec apud antiquos *ludibria* dicebantur; non, ut nunc, in mala ſignificatione. Hi verſus de Homero ſunt tranſlati: *Ε'πεὶ οὐχ ἱερήϊον, οὐδὲ βοείην Α'ρνύσθην, ἅτε ποσσὶν ἀέθλια γίνεται ἀνδρῶν, Α'λλὰ περὶ ψυχῆς θέον Ε'κτορος ἱπποδάμοιο*. Dabatur autem victori pro praemio aut pelvis, aut vinum, eſca, hordeum; unde *hordeariae quadrigae* dicuntur. SACER OLEASTER. Fere omnia Latina arborum nomina, generis foeminini ſunt, exceptis paucis, ut *hic oleaſter*, & *hic ſiler*. Ipſe: *Ut molle ſiler lentaeque geniſtae*. Item *hoc buxum*: licet & *haec buxus* dicatur: nam ſuperfluam quidam volunt facere diſcretionem, ut, *haec buxus* de arbore dicamus; *buxum* vero, de ligno compoſitum: legimus enim in Virgilio de tibiis: *Buxuſque vocat Berecynthia Matris Idaeae*. Item cum de arboribus loqueretur dixit: *Et torno raſile buxum*.

767. VENERABILE LIGNUM. Antiquam arborem voluit exprimere: ſeu truncus fuerit jam, & aridus, ob vetuſtatem: & ideo *lignum*, humiliter dictum accipiunt; ornavit tamen, *venerabile* dicendo.

768. UBI FIGERE DONA SOLEBANT. Proprie, ut ait: *Sacra ad faſtigia fixi*. Et quaeritur, cur terreno Deo nautae dona ſuſpenderent? quia conſtat, omnes in periculis ſuis Deos patrios invocare, & ideo illis vota ſolvere, quorum familiarius numen opitulari ſibi credant.

770. NULLO DISCRIMINE. Sine aliquo religionis intuitu. Et deeſt *habito*, ut ſit, nullo diſcrimine habito. Intelligendum autem, eatenus ſtirpem exciſum, quatenus ſupra terram fuit; ergo *ſtirpem*, pro arborem accipiendum: quia & *ſobolem*, *ſtirpem* appellant.

PIERII.

757. ET COELUM TONAT OMNE TUMULTU. In Mediceo codice & aliquot aliis antiquis legere eſt, *& coelum intonat omne fragore*. In Porcio *tumultu* habetur, atque *intonat*, verbum.

768. UBI FIGERE DONA SOLEBANT LAURENTI DIVO, ET NOTAS SUSPENDERE VESTES. Oblongus codex, Mediceus, & pleriq; alii cod. antiqui, *votas* legunt: ait enim: *Servati ex undis*, quod tempeſta-

tem

Suſtulerant, puro ut poſſent concurrere campo.
Hic haſta Aeneae ſtabat: huc inpetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
775 Dardanides: teloque ſequi, quem prendere curſu
Non poterat. Tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor, miſerere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene; colui veſtros ſi ſemper honores;
Quos contra Aeneadae bello fecere profanos.
780 Dixit, opemque Dei non caſſa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in ſtirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit diſcludere morſus
Roboris Aeneas. Dum nititur acer, & inſtat,
Rurſus in aurigae faciem mutata Metiſci

Pro-

SERVII.

772. FIXAM, ET LENTA RADICE TENEBAT. Plenum eſt: quam radix fixam tenebat. Et bene *tenebat*, quaſi propter piaculum remotae arboris hoc videtur paſſus Aeneas: & ideo dixit *tenebat*; quod adeo veriſimile eſt, ut Faunus Turnum audiat, & haſtam moretur.

775. PRENDERE CURSU. Quidam humiliter *prendere curſu* dictum accipiunt.

778. FERRUM TERRA TENE. *Ferrum* pro telo; *terra* autem, elementum, pro Dea poſuit.

779. BELLO FECERE PROFANOS. *Profanum* proprie dicitur, quod ex religioſa re in hominum uſus convertitur, ut hic pleniſſime oſtenditur, dicens enim Turnus, *colui veſtros ſi ſemper honores, Quos contra Aeneadae bello fecere profanos*: & ſibi religioſam fuiſſe arborem; & a Trojanis in uſum communem fuiſſe conſumptam: nam ex ſua perſona ſupra Poeta ait: *Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris, Hic ſteterat, nautis olim*: & ſubjunxit: *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine*, &c. at poſtea dicendo *bello fecere profanos*, docuit, *profanum* eſſe, quod a religione in uſum hominum tranſiit. Sacro profanum contrarium, ut feſto profeſtum, faſto nefaſtum. Ergo non omne, quod ſacrum non ſit, profanum; ſed quod ſacrum fuerit, & deſierit.

780. NON CASSA IN VOTA. Non ad inania vota popoſcit auxilium.

781. LUCTANS LENTOQUE IN STIRPE MORATUS. *Luctatus*, & *moratus*, erat integrum, quod vitavit propter ὁμοιοτέλευτον. *In ſtirpe* autem, hic radicem dixit.

784. RURSUS IN AURIGAE FACIEM MUTATA METISCI. Κατὰ τὸ σιωπώμενον intelligimus Juturnam in numen reverſam, poſtquam Turnus currum reliquit.

PIERII.

tem praeceſſiſſe ſignificat. Hunc vero morem tangit etiam Horatius: *Suſpendiſſe potenti veſtimenta maris Deo*.

773. LENTA IN RADICE TENEBAT. Mediceus codex, & vetera quaedam exemplaria *lenta radice* legunt, abſque *in*, quod alii viderint.

781. LENTOQUE IN STIRPE MORATUS. Qui ſuperius *ſtirpem inviſam*, foeminino genere, dixerat, nunc maſculino dicit, ait Nonius: quo genere etiam Ennius & Pacuvius in hoc nomine uſi ſunt; nam Ennius *a ſtirpe ſupremo*: & *ad ſtirpem exquirendum* Pacuvius dixit. Donatus tamen, uti ſuperius dictum, Virgilium ait paſſim in hoc nomine foeminino genere uſum. Agnoſcit vero Soſipater *ſtirpem inviſam*, foeminino genere, pro ſobole; pro materia, *ſtirpem reciſum*, adjecto Virgiliano carmine: *Sed ſtirpem Teucri nullo diſcrimine ſacrum Suſtulerat*. Quamvis Pacuvius: *Qui ſtirpem occidit meum*, dixerit de ſobole. Pomp. Feſtus in iis, quae ex Verrio Flacco defloravit, antiquae fuiſſe conſuetudinis ait, *recto fronte* dicere: ut Cato in Diſſertatione conſulatus, ut cum ait Ennius: *a ſtirpe ſupremo*, & *Iliadia nepos*, & *lupus foeta*. Etiam in commentariis. ſacrorum Pontificalium frequenter eſt; *hic ovis*, & *haec agnus*, ac *porcus*: quae non ut vitia, ſed ut antiquam conſuetudinem teſtantia, debemus habere.

785 Procurrit, fratrique ensem dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphae indignata licere,
Accessit, telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis, animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta,
790 Adsistunt contra certamina Martis anheli.
Junonem interea Rex omnipotentis Olympi
Adloquitur, fulva pugnas de nube tuentem:
Quae jam finis erit, conjunx? quid denique restat?
Indigetem Aenean scis ipsa, & scire fateris,
795 Deberi caelo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus haeres?
Mortalin' decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
800 Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris:

Nec

SERVII.

786. AUDACI NYMPHAE. Ut supra diximus, ubicumque inducit nitentem aliquem sine effectu, *audacem* dicit. Praecipue autem hoc de Rutulis servavit dicens, *Nec curant coeco contendere Marte Amplius audaces Rutuli*, &c. LICERE. Pro, quod liceret.

788. ARMIS, ANIMISQUE REFECTI. Sicut armis, ita & animis: nam armorum inopia, animi ante utriusque torpebant.

789. HIC ACER ET ARDUUS HASTA. Potest & *hic hasta fidens* subaudiri.

790. CERTAMINA MARTIS ANHELI. Alii CERTAMINE legunt; ut sit sensus: Adsistunt contra se in Martis anheli certamine.

792. FULVA DE NUBE. De aere, de elemento suo.

793. QUAE JAM FINIS ERIT CONJUX? *Jam denique*. Verba ista quasi iam taediantis sunt ad longam Junonis iracundiam; unde & paulo post: *Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris*.

794. INDIGETEM AENEAM SCIS IPSA, ET SCIRE FATERIS. Subaudis, *fore*. Et *indigetes Dii*, duplici ratione dicuntur, vel secundum Lucretium, quod *nullius rei indigeant*, qui ait: *Ipse suis pollens opibus nihil indiga nostri*: vel quod nos *deorum indigeamus*: unde quidam omnes *deos indigetes* appellari volunt. Alii patrios deos, *indigetes* dici debere tradunt: alii ab invocatione *indigetes* dictos volunt; quod *indigeto*, est precor, & invoco. Vel certe *indigetes* sunt *dii* ex hominibus facti: & dicti *indigetes*, quasi *in diis agentes*. Sane de Aenea fabula talis est; Cum, Turno occiso, & accepta Lavinia, condita civitate, in Numicum fluvium, ut alii volunt, sacrificans, ut alii, Mezentium, ut alii, Messapum fugiens, cecidisset; nec ejus esset cadaver inventum, Ascanius, filius ejus, victo Mezentio, cum caeteris Trojanis credens & jactitans inter numina receptum, sive patrem volens consecrare, templum ei constituit, quod *Dei indigetis* appellari jussit.

797. MORTALIN', DECUIT VIOLARI VULNERE DIVUM? Mortali vulnere dixit; non, lethali; sed, aut quo mortales laborant, aut a mortali inlato: aut *mortali vulnere*, id est, mortem faciente: ergo non quasi Juturna mortalis sit. *Divum* autem subaudimus, *futurum*.

798. (QUID ENIM SINE TE JUTURNA VALERET?) Parenthesis: poterat enim excusare Juno se, nihil fecisse commemorans; unde eam auctorem fuisse Juppiter dicit, propter illud: *Auctor ego audendi*.

800. DESINE JAM TANDEM. Singula pronuntianda sunt. Dicendo autem *tandem*, odium perseverantis ostendit.

PIERII.

792. PUGNAS DE NUBE TUENTEM. In Mediceo vi-

Nec te tantus edat tacitam dolor: & mihi curae
Saepe tuo dulci triſtes ex ore recurſent.
Ventum ad ſupremum eſt. Terris agitare, vel undis
Trojanos potuiſti: infandum accendere bellum,
805 Deformare domum, & luctu miſcere hymenaeos.
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orſus,
Sic dea ſubmiſſo contra Saturnia vultu:
Iſta quidem quia nota mihi tua, magne, voluntas,
Juppiter, & Turnum, & terras invita reliqui.
810 Nec tu me aëria ſolam nunc ſede videres
Digna indigna pati; ſed flammis cincta ſub ipſam
Starem aciem, traheremque inimica in proelia Teucros.
Juturnam miſero, fateor, ſuccurrere fratri
Suaſi, & pro vita majora audere probavi;
815 Non ut tela tamen; non ut contenderet arcum:
Adjuro Stygii caput inplacabile fontis:

Una

SERVII.

801. NEC TE TANTUS EDAT TACITAM DOLOR. Scilicet, deſine odiis urgere Trojanos. Sane *edo*, *edis*, *edit*, integrum verbum eſt, ut *lege*, *legis*, *legit*: nam *ede*, *es*, *eſt*, eſſe anomalum conſtat.

803. VENTUM AD SUPREMUM EST. Per infinitum modum verbi dictum.

804. TROJANOS POTUISTI. Id eſt, jam non potes: ideo enim praeterito uſus eſt tempore: & bene *potuiſti*: quia ipſe dixerat: *Atque ipſes potuit ſubmergere ponte*: & iterum: *Mars perdere gentem Immanem Lapithum valuit*.

805. DEFORMARE DOMUM. Deformem reddere, per luctum.

807. SUBMISSO VULTU. Habitum futurae orationis oſtendit.

808. QUIA NOTA MIHI TUA MAGNA VOLUNTAS JUPPITER. Hoc ideo Juno, quia Juppiter neceſſitatem objecerat fati, dicens: *Ventum ad ſupremum eſt*. Sed Juno, ſciens fatum eſſe, quidquid dixerit Juppiter, dicit ſe cedere ejus voluntati: nam id agit, ut conciliet ſibi ejus favorem ad petitionem futuram.

810. AERIA SEDE. Nubem dixit, quia ſupra dixerat, *Fulva pugnas de nube tuentem*: nam & hoc accuſaverat Juppiter. Ergo argumento veriſimili utitur; quaſi dicat, non faceres ſolum ut ſpectatrix eſſem, ſed ipſa rem gererem.

811. DIGNA, INDIGNA PATI. Id eſt, omnia: proverbialiter dictum eſt.

813. SUCCURRERE FRATRI. Bene *fratri*; ne, ſi diceret *Turno*, careret adfectu.

814. PRO VITA. Ac ſi diceret: pro re nobis data, id eſt, a ſuperis: Et bene figuravit, *Audere probavi*.

815. NON UT TELA TAMEN, NON UT CONTENDERET ARCUM. Hoc loco, quaſi Juturnam ſagittam jeciſſe ſignificat; Sed, ut ſupra diximus, poſſumus accipere: quod alter in ejus gratiam in Aeneam tela contorſit: ipſi adſcribendum ergo, *Contenderet arcum*. Alii *oſtenderet*, id eſt, adjuvaret tendentem in Aeneam telum: non enim certus auctor vulneris fuerat.

816. ADJURO STYGII CAPUT IMPLACABILE FONTIS. Pro *juro*: nam Proſthesis eſt. Quidam tamen volunt *jure* tunc dici debere, cum confirmamus aliquid, aut promittimus, ut, *Juro me facturum*; *adjuro* vero, cum negamus, ut, *adjuro me non poſſe*; *adjuro me non feciſſe*. Terentius: *Adjurat, ſe non poſſe apud vos, Pamphilo abſente, perdurare*. Poteſt tamen & *ad*, valde ſignificare, ut ſit *adjuro*, valde juro. IMPLACABILE autem, perjurantibus implacabile: & bene reſpondit ad illud, quod Juppiter juraverat in decimo; ne quis Deorum Trojanis, vel Rutulis ferret auxilium.

Una superstitio superis quae reddita Divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo.
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
820 Pro Latio obtestor, pro majestate tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Component, cum jam leges & foedera jungent;
Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari
825 Aut vocem mutare viros, aut vertere vestis.
Sit Latium: sint Albani per saecula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago:
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum rerumque Repertor:
830 Et germana Jovis, Saturnique altera proles,
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum frustra submitte furorem.

Do,

SERVII.

817. UNA SUPERSTITIO. Id est, sola, vel summa, ut: *Unam Posthabita coluisse Samo*. SUPERSTITIO autem, religio, metus; eo, quod superstet capiti omnis religio. Et est Homeri locus: *Καὶ τὸ κατειβόμενον Στυγὸς ὕδωρ, ὅς τε μέγιστος ὅρκος, δεινότατός τε πέλει μακάρεσσι θεοῖσιν*. REDDITA. Hoc est, data: nam Prosthesis est.

818. EXOSA RELINQUO. *Exosus*, & *perosus*, de eo tantum, qui odit, dicitur.

819. NULLA FATI QUOD LEGE TENETUR. Bene fati: nam victoriae lex est, ut victi cedant in habitum nomenque victorum.

820. PRO MAJESTATE TUORUM. Respexit ad Saturnum, qui in Italia quandoque regnaverat: inde ait *tuorum*: nam & Latinus inde originem ducit, ut: *Fauno Picus pater; isque parentem Te, Saturne, refert; tu sanguinis ultimus auctor*.

821. ESTO COMPONENT. Consentit; sed invita.

827. SIT ROMANA POTENS ITALA VIRTUTE PROPAGO. Hoc videtur dicere: Si fataliter imminet, ut a Trojanis origo Romana descendat, Trojani Italorum nomen accipiant; ut Romani de Italis, non de Trojanis videantur esse progeniti.

830. ET GERMANA JOVIS, SATURNIQUE ALTERA PROLES. Locus de obscuris, de quo quidam hoc sentiunt: Petis pene illicita; sed concedenda sunt: quoniam soror Jovis es, id est, Saturni filia. Quod si voluerimus admittere, erit sequens versus incongruus, ut: *Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?* Unde melius est, ut ita intelligamus: Soror Jovis es, id est, Saturni filia: unde non mirum est, tantam te iracundiam retinere sub pectore: nam scimus, unumquemque pro generis qualitate in iram moveri: nobiles enim, etsi ad praesens videntur ignoscere; tamen in posterum iram reservant: quod nunc Junoni videtur objicere: nam, cum se concedere diceret, petiit tamen, quod graviter posset obesse Trojanis. Sic enim Homerus inducit Calchanta dicentem de Agamemnone: *Regum irae ita se habent, ut, etiam si ad praesens indulgere videantur, stimulos iracundiae ad futurum reservent:*

Κρείσσων γὰρ βασιλεὺς, ὅτε χώσεται ἀνδρὶ χέρηι.
Εἴπερ γάρ τε χόλον γε καὶ αὐτῆμαρ καταπέψῃ,
Ἀλλά γε καὶ μετόπισθεν ἔχει κότον ὄφρα τελέσσῃ.

PIERII.

videntem est, in aliis *tuentem*. Puto vero alteram illam lectionem ex paraphrasi huc irrupisse.

8.8. QUIA NOTA MIHI TUA MAGNA VOLUNTAS JUPITER. Quanvis *magna* in veteribus aliquot legatur, non tamen displicet, quod habetur in Oblongo codice, in Porcio, & aliquot aliis *tua magne voluntas Jupiter*: ne quatuor dictiones eodem concurrant casu.

Do, quod vis; & me victuſque volenſque remitto.
Sermonem Auſonii patrium, moreſque tenebunt.
835 Utque eſt, nomen erit: conmixti corpore tanto
Subſident Teucri. Morem rituſque ſacrorum
Adjiciam, faciamque omnis uno ore Latinos.
Hinc gens, Auſonio mixtum quod ſanguine ſurget,
Supra homines, ſupra ire Deos pietate videbis:
840 Nec genus ulla tuos aeque celebrabit honores.
Adnuit his Juno, & mentem laetata retorſit.
Interea excedit caelo, nubemque reliquit.
His actis, aliud Genitor ſecum ipſe volutat:
Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
845 Dicuntur geminae peſtes, cognomine Dirae;
Quas & Tartaream Nox intempeſta Megaeram
Uno

SERVII.

833. DO QUOD VIS. Bene praeſenti uſus eſt tempore: nam promiſſio numinis pro facto eſt.

836. SUBSIDENT. Remanebunt, latebunt, Latinorum ſcilicet multitudine, ut: *Galeaque ima ſubſedit Aceſtes*. RITUSQUE SACRORUM ADJICIAM. Verum eſt: nam ſacra Matris Deum Romani Phrygio more coluerunt: & patrias leges appellatas eſſe dixit, quae morem ſacrorum rituſque continebant, quod licet in VII. dixerit; plenius tamen declarat: *Sermonem Auſonii patrium moreſque tenebunt*: nihil eſt enim *ſermo patrius Auſoniuſque*, niſi avitus: quippe cum Auſonii antiqui Italiae populi fuiſſe referantur: nam *patrium*, quod ait, *morem rituſque ſacrorum adjiciam*, ipſo titulo legis Papyriae uſus eſt, quam ſciebat de ritu ſacrorum publicatam, & quod junxit, *faciamque omnes uno ore Latinos*: ſic enim dictae ſunt *leges avitae & patriae*, & utramque legem ſacrorum complexus eſt: nam *ritus*, eſt comprobata in adminiſtrandis ſacrificiis conſuetudo, quam civitas ex alieno adſcivit ſibi; cum receptum eſt, mos appellatur. Alii ita definiunt: *ritum* eſſe, quo ſacrificium uti fiat ſtatutum eſt: aut inſtitutus religioſus, ceremoniis conſecratus: iſque privatus aut publicus eſt: publicus ut curiatum, compitorum...

841. MENTEM LAETATA RETORSIT. Iſte quidem hoc dicit; ſed conſtat, bello Punico ſecundo exoratam Junonem: tertio vero bello a Scipione ſacris quibuſdam etiam Romam eſſe tranſlatam.

843. HIS ACTIS. Remoto a Turno auxilio.

844. DIMITTERE AB ARMIS. Per tranſitum hiſtoriae uſus eſt verbis: nam, qui ab exercitu relaxantur, *ab armis* dicuntur *dimitti*. Salluſtius de Appio, ubi eum Cotta in contentione ab exercitu cogit abſcedere, dicit: *Se ejus opera non uſurum, eumque ab armis dimittit*. Cicero ad Appium Pulchrum: *Sic intellexeram permultos a te milites tunc dimiſſos*.

845. PESTES, COGNOMINE DIRAE. Proprie *Peſtes* vocantur; *Dirae* vero, *cognomine*. Et dictae *Dirae*, quod non niſi ante iratum Jovem videntur, ut: *Saevique in limine regis Apparent Dirae*.

846. TARTAREAM MEGAERAM. Bene TARTAREAM addidit, ut oſtendat eſſe & *terrenam* & *aeream Megaeram*: nam, ut etiam in tertio diximus, volunt periti, quandam poteſtatem triplicem eſſe, & in terris, & apud Superos, ſicut eſt Furiarum apud Inferos. Ideo autem dicit, has ex Nocte progenitas, ut oſtendat, & latenter oriri, & intolerabilem eſſe iram Deorum. NOX INTEMPESTA. Perpetuum noctis epitheton. Alio modo dicimus *intempeſtam*, partem noctis ſignificantes.

PIERII.

835. COMMISTI CORPORE TANTUM SUBSIDENT TEUCRI. Romanus codex non *corpore*, ſed *ſanguine* legit. Eſt & ubi *ſanguine tanto* ſcriptum ſit; ſed omnino *tantum* legendum. In Mediceo autem & in Porcio *commixto corpore* legitur.

Uno eodemque tulit partu, paribuſque revinxit
Serpentum ſpiris, ventoſaſque addidit alas.
Hae Jovis ad ſolium, ſaevique in limine regis
850 Apparent, acuuntque metum mortalibus aegris,
Si quando letum horrificum morboſque Deum rex
Molitur, meritas aut bello territat urbis.
Harum unam celerem demiſit ab aethere ſummo
Juppiter, inque omen Juturnae occurrere juſſit.
855 Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non ſecus, ac nervo per nubem inpulſa ſagitta;
Armatam ſaevi Parthus quam felle veneni,
Parthus, ſive Cydon, telum inmedicabile torſit;
Stridens, & celeris incognita tranſilit umbras.
860 Talis ſe ſata Nocte tulit, terraſque petivit.
Poſtquam acies videt Iliacas atque agmina Turni;
Alitis in parvae ſubitam conlecta figuram,
Quae quondam in buſtis, aut culminibus deſertis

No-

SERVII.

847. UNO, EODEMQUE TULIT PARTU. Diſpoſitio haec Poetae, quae dicit has & ſimiles eſſe Furiis, & cum his eſſe procreatas, hoc agit, ut oſtendat, illam prudentium opinione eſſe tam apud Superos, quam in terris, ſicut apud Inferos Furias.

849. SAEVI REGIS. Epitheton eſt accommodatum ei, cum ſaevit: neque enim eſt *Juppiter* ſemper *ſaevus*.

850. APPARENT. Videntur, praeſto ſunt ad obſequium: unde etiam *apparitores* conſtat eſſe nominatos.

851. LETHUM HORRIFICUM. Volunt Jovem non eſſe mortis auctorem; ſed poſſe mortis genere, vel prodeſſe, vel obeſſe mortalibus.

854. INQUE OMEN JUTURNAE OCCURRERE JUSSIT. Ut Juturnae omen fraternae mortis efficeret.

856. NON SECUS, AC NERVO PER NUBEM IMPULSA SAGITTA. Sic illa deſcendit, ut ſolet ſagitta deſcendere. Hinc Statius traxit, ut diceret de diſco jacto: *Similiſque cadenti Creſcit in adverſos*. *Impulſa* autem, proprie, ſicut ſupra: *Incertum qua pulſa manu*.

857. FELIE VENENI. Amaritudine veneni, ſucco noxio: aut certe periphraſticῶs dixit venenum: Parthi enim ſagittas veneno oblinunt. Lucanus: *Spicula nec ſolo ſpargunt fidentia ferro Stridula; ſed multo ſaturantur tela veneno*.

858. TELUM IMMEDICABILE. *Immedicabile* eſt, cujus vulneri mederi non poſſit.

859. CELERES. Hypallage eſt, pro celeriter, & ita celeriter, ut tranſiliat priuſquam exeat. TRANSILIT UMBRAS, Hyperbole eſt: namque umbra ſemper tela comitatur. Hinc ait: *Tranſilit umbras ſagitta*. Male enim quidam *auras* legunt.

860. TALIS SE. Taliter collecta: ex nimia ſcilicet Furiae magnitudine.

863. CULMINIBUS DESERTIS. Noctuam dicit; non bubonem: nam ait: *Alitis in parvae*: bubo autem major eſt.

PIERII.

853. DEMITTIT AB AETHERE. In antiquis omnibus exemplaribus, praeterito tempore legitur *demiſit*, in aliquot *dimiſit*.

862. ALITIS IN PARVAE SUBITO COLLECTA FIGURAM. In Romano codice & pleriſque aliis *ſubitam conlecta figuram*. In Mediceo *ſubito converſa* habetur; ſed *collecta* magis placet eruditis.

Nocte ſedens, ſerum canit inportuna per umbras:
865 Hanc verſa in faciem, Turni ſe peſtis ob ora
Fertque refertque ſonans, clipeumque everberat alis.
Illi membra novus ſolvit formidine torpor:
Arrectaeque horrore comae, & vox faucibus haeſit.
At, procul ut Dirae ſtridorem agnovit & alas,
870 Infelix crinis ſcindit Juturna ſolutos,
Unguibus ora ſoror foedans, & pectora pugnis;
Quid nunc te tua, Turne, poteſt germana juvare?
Aut quid jam durae ſuperat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' poſſum me opponere monſtro?
875 Jam jam linquo acies. Ne me terrete timentem
Obſcoenae volucres: alarum verbera noſco,
Letalemque ſonum. Nec fallunt juſſa ſuperba
Magnanimi Jovis. Haec pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit aeternam? cur mortis ademta eſt
880 Conditio? poſſem tantos finire dolores
Nunc certe, & miſero fratri comes ire per umbras.
In-

SERVII.

864. SERUM CANIT. Triſte, luctiferum, ut: *Seraque terrifici cecinerunt omina vates*. Salluſtius: *Serum bellum in anguſtiis futurum*.

866. CLYPEUM EVERBERAT ALIS. Signa ſunt iſta plangentium.

869. STRIDOREM. Vocis ſcilicet ſonum: nam utrumque tangit augurium, & oſcinum & praepetum: quod graviter poſſet obeſſe Trojanis. Sic Homerus inducit Calchanta: *Μήτηρ δ' ἀμφεποτᾶτο ὀδυρομένη φίλα τέκνα, Τὴν δ' ἐλελιξάμενος πτέρυγος λάβεν ἀμφιαχυῖαν*.

870. CRINES SCINDIT SOLUTOS. Aut ſolvit & ſcindit: aut *ſolutos*, non propter fratris exitium ſed q...*

872. QUID NUNC. Decenter inducit loqui coepiſſe.

873. DIRAE. Immitl, quae poſſet fratrem cernere tot laboribus ſubditum. SUPERAT. Supereſt.

874. MONSTRO. Augurio ex Jovis voluntate venienti. OBSCOENAE VOLUCRES. Invidioſe dixit: nam una eſt.

879. QUO VITAM DEDIT AETERNAM. Quia occurrebat: Sed praeſtitit immortalitatem, dicit hanc aeternam eſſe cauſſam doloris.

PIERII.

864. SERUM CANIT IMPORTUNA PER UMBRAS. In antiquis aliquot *umbram*, ſingulari numero. Eſt ubi *ſaevum canit*; ſed *ſerum* omnino melius.

865. TURNI SE PESTIS AD ORA. Vetera omnino aliquot exemplaria *ad ora* legunt; ſed longe magis placet quod in Romano codice legitur, *ob ora*, quod infeſtiorem ſignificat iocurſatione moleſta.

866. CLIPEUMQUE EVERBERAT ALIS. In Mediceo codice *reverberat* habetur; ſed *everberat*, ut in Porcio, & aliquot aliis, omnino melius eſſe videtur.

873. AUT QUID JAM MISERAE SUPERAT MIHI. In Rom. cod. in Mediceo, & aliquot aliis codicibus antiquis legere eſt, *Aut quid jam durae ſuperat mihi*: quod aliorum judicio relinquimus.

879. QUO VITAM DEDIT AETERNAM, CUR MORTIS ADEMPTA EST. In codicibus aliquot antiquis *cur vitam*; ſed id ex paraphraſi deſumptum, quum eodem ſignificato longe elegantius ſit, *quo* dicere. Eſt & numerus alius in Mediceo codice: *Quo vitam aeternam dedit, & cur mortis adempta eſt*.

881. COMES IRE PER UMBRAS. Mediceus codex *ire ſub umbras* legit.

Inmortalis ego? aut quidquam mibi dulce meorum
Te fine, frater, erit? O quae fatis alta dehifcat
Terra mihi, manisque Deam demittat ad imos?
885 Tantum effata, caput glauco contexit amictu
Multa gemens, & fe fluvio Dea condidit alto.
Aeneas inftat contra, telumque corufcat
Ingens arboreum, & faevo fic pectore fatur: (ctas?
Quae nunc deinde mora eft? aut quid jam, Turne, retra-
890 Non curfu, faevis certandum eft comminus armis.
Verte omnis tete in facies; & contrahe, quidquid
Sive animis, five arte vales: opta ardua pennis
Aftra fequi, claufumque cava te condere terra.
Ille caput quaffans, Non me tua fervida terrent
895 Dicta, ferox. DI me terrent, & Juppiter hoftis.
Nec plura effatus, faxum circumfpicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, campo quod forte jacebat,

SERVII.

882. IMMORTALIS. Per indignationem dictum eft: *Immortalis ego*, quam maxime fcilicet. c. . . . . *

885. GLAUCO AMICTU. Quafi Nympha, propter undarum fimilitudinem.

888. INGENS ARBOREUM. Quidam pro ligneo accipiunt; ut hoc loco non fint duo epitheta; fed, Aeneas ingens, telum corufcat arboreum.

890. SAEVIS CERTANDUM COMINUS ARMIS. Sed hoc ideo dicit, quia vulnere tardus magis comminus pugnare defiderat.

891. TETE IN FACIES. Te ipfum: & proverbialiter dictum. CONTRAHE. Collige; eft autem hoftilis iracundia.

892. ANIMIS. Id eft, viribus: aut enim animo, aut corpore, aut precibus & voce poffumus, quidquid poffumus: & hoc ideo, quia feptus erat undique, & non habebat effugium.

894. CAPUT QUASSANS. Concutiens, ut: *Tunc quaffans caput*.

895. ET JUPPITER HOSTIS. Ordo eft: ferox hoftis.

896. SAXUM CIRCUMSPICIT. Homeri totus hic locus eft.

Αλλ' ἀναχασσάμενος λίθον εἵλετο χειρὶ παχείῃ
Κείμενον ἐν πεδίῳ μέλανα τρηχύν τε μέγαν τε.

Et alibi:

Εκτωρ δ' ἁρπάξας λᾶαν φέρεν, ὅς ῥα πυλάων
Εστήκει πρόσθεν.

897. CAMPO QUOD FORTE JACEBAT LIMES AGRO POSITUS. Secundum artem propiori refpondet. Sic Salluftius: *Eft locus in carcere, quod Tullianum appellatur*.

PIERII.

882. IMMORTALIS EGO, HAUD QUICQUAM MIHI DULCE MEORUM TE SINE FRATER ERIT. Oblongus codex, Porcius, & pervetus alter, legunt, *jam mortalis ego haud quicquam*. Romanus, & alii quidam utrumque membrum per interrogationem legunt *immortalis ego? Aut quicquam mibi dulce meorum Te fine frater erit?* Mox, cum fecum tacite deftinaffet nihil futurum dulce, fubjungit: *O quae fatis ima dehifcat Terra mibi*: nam *Fratri comes ire fub umbras*; pendet a fuperiore membro, *poffem*.

883. O QUAE SATIS IMA DEHISCAT TERRA MIHI. In codice Mediceo, & Porcio, *fatis alta* legitur.

897. CAMPO QUI FORTE JACEBAT LIMES AGRI POSITUS. In antiquis exemplaribus nonnullis *quod* legitur, & priori refpondere, fecundum artem effe dicit Servius. Bona tamen eruditorum pars *qui* legit, habita limitis ratione. Eft & illud obfervandum in Porcio, quod legere eft, *limes agro pofitus* elocutione non ineleganti.

Limes agro poſitus, litem ut diſcerneret arvis.
Vix illud lecti bis ſex cervice ſubirent,
900 Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hoſtem:
Altior inſurgens, & curſu concitus heros.
Sed neque currentem ſe, nec cognoſcit euntem,
Tollentemve manu, ſaxumque inmane moventem.
905 Genua labant: gelidus concrevit frigore ſanguis.
Tum lapis ipſe viri, vacuum per inane volutus,
Nec ſpatium evaſit totum, nec pertulit ictum.
Ac velut in ſomnis, oculos ubi languida preſſit
Nocte quies, nequidquam avidos extendere curſus
910 Velle videmur, & in mediis conatibus aegri
Succidimus; non lingua valet, non corpore notae
Sufficiunt vires, nec vox aut verba ſequuntur:
Sic Turno, quacumque viam virtute petivit,
Succeſſum Dea nira negat. Tum pectore ſenſus
915 Vertuntur varii. Rutulos aſpectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque inſtare tremiſcit.
Nec quo ſe eripiat, nec qua vi tendat in hoſtem,
Nec currus uſquam videt, aurigamve ſororem.
Cunctanti telum Aeneas fatale coruſcat,
920 Sortitus fortunam oculis; & corpore toto

Emi-

SERVII.

902. MANU RAPTUM TREPIDA. Aut feſtina: aut re vera *trepida*: quia ſequitur: *Sed neque currentem, nec ſe cognoſcit euntem*. TORQUEBAT. Bene imperfecto uſus eſt tempore: quia non eſt perfectum, quod voluit, ut: *Nec ſpatium evaſit totum, nec pertulit ictum*.

906. VIRI. Mire viri addidit, quaſi propter rationem ejus, qui languide jecerat, & ipſe lapis ſine effectu fuerit: ut ſi dixiſſet, talis eſt vir, qualem deſcripſi.

907. NEC SPATIUM EVASIT. Hic diſtinguendum eſt, ut ſit: *Totum nec pertulit ictum*: id eſt, evacuatus eſt impetus ipſius ſpatio longiore.

908. AC VELUT IN SOMNIS. Homeri comparatio: *Ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, Οὔτ' ἄρ' ὁ τὸν δύναται ὑποφεύγειν, οὔθ' ὁ διώκειν· Ὣς ὁ τὸν οὐ δύνατο μάρψαι ποσὶν, οὐδ' ὃς ἀλύξαι*.

917. NEC QUO SE ERIPIAT. Totum enim Troiani clauſerant.

920. SORTITUS FORTUNAM OCULIS. Hunc totum ad feriendum oculis elegit Aeneas, fortuna deſtinaverat vulneri.

PIERII.

912. NEC VOX, NEC VERBA SEQUUNTUR. In antiquis codicibus, *nec vox aut verba*, legitur.

916. TELUMQUE INSTARE TREMISCIT. Uti ſuperius obſervatum eſt, antiquiora omnia exemplaria verbi hujus pene ultimam per *e*, *tremeſcit* proferunt.

Eminus intorquet. Murali concita numquam
Tormento ſic ſaxa fremunt, nec fulmine tanti
Diſſultant crepitus. Volat atri turbinis inſtar
Exitium dirum haſta ferens, oraſque recludit
925 Loricae, & clipei extremos ſeptemplicis orbis:
Per medium ſtridens tranſit femur. Incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
Conſurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
930 Ille humilis ſupplexque oculos dextramque precantem
Protendens, Equidem merui, nec deprecor, inquit:
Utere ſorte tua. Miſeri te ſi qua parentis
Tangere cura poteſt; oro, (fuit & tibi talis
Anchiſes genitor) Dauni miſerere ſenectae.
935 Et me, ſeu corpus ſpoliatum lumine mavis,
Redde meis. Viciſti, & victum tendere palmas
Auſonii videre. Tua eſt Lavinia conjunx:
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis

Ae-

SERVII.

922. FULMINE TANTI. Pro tonitru, ſine quo fulmen nunquam mittitur.

923. ATRI TURBINIS INSTAR. Multis utitur comparationibus ad exprimendum nimium impetum: & INSTAR, ut ſupra diximus, per ſe plenum eſt; nec recipit praepoſitionem; licet Serenus *ad inſtar* dixerit, quod in idoneis auctoribus non invenitur.

926. ICTUS. Percuſſus: nunc participium eſt, ac ſi diceret: *Cecidit eliſus*.

931. EQUIDEM MERUI, Secundum artem rhetoricam: nam quotiens perſonae in invidia ſunt, aliae per inſinuationem, ut Cicero ait, hominem pro homine, his adponuntur; unde ita ait. Ego quidem occidi mereor; ſed tu debes ignoſcere, parentis intuitu. NEC DEPRECOR. Non refuto, non recuſo.

932. UTERE SORTE TUA. Interfice hoſtem tuum.

933. FUIT ET TIBI TALIS ANCHISES. Hic diſtinguendum, ut duo dicat: & habuiſti patrem: & pater es.

935. ET ME REDDE MEIS. Ordo eſt: Redde me meis: ſed, ne ex aperto rem viro forti pudendam peteret, interpoſitione uſus eſt, dicens: *Seu corpus ſpolitatum lumine mavis*.

936. VICTUM TENDERE PALMAS AUSONII VIDERE. Ad gloriam Aeneae pertinet, quod ſe Turnus cunctis praeſentibus victum fatetur.

937. TUA EST LAVINIA CONJUX. Quae fuerat cauſa certaminis.

938. ULTERIUS NE TENDE ODIIS. Noli velle crudelitatem tuam ultra fata protendere, ſed redde corpus ſepulchro. ACER IN ARMIS. Non tantum ad praeſens refertur: ſed quia ſemper in armis acer eſſe conſuevit.

PIERII.

924. EXITIUM DIRUM HASTA FERENS. In Mediceo codice *exitium durum* habetur.

925. LORICAE ET CLIPEI EXTREMOS SEPTEMPLICIS ORBES PER MEDIUM. In Mediceo cod. lectio ita variat: *Loricae clipeique extremos ſeptemplicis orbes, Et medium ſtridens tranſit femur.*

930. SUPPLEXQUE OCULOS. In codicibus antiquis quibuſdam, *ſupplex oculos*, abſque particula *que*, legitur; ſed longe venuſtius eſt: *Ille humilis, ſupplexque*, ut alterum hujusmodi ſequitur, *Oculos, dextramque*.

Aeneas, volvens oculos, dextramque repreſſit.
940 Et jam jamque magis cunctantem flectere ſermo
Coeperat; infelix humero cum apparuit alto
Balteus, & notis fulſerunt cingula bullis
Pallantis pueri: victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris inimicum inſigne gerebat.
945 Ille, oculis poſtquam ſaevi monumenta doloris
Exuviasque hauſit, furiis accenſus, & ira
Terribilis: Tune hinc ſpoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc volnere, Pallas
Inmolat, & poenam ſcelerato ex ſanguine ſumit.
950 Hoc dicens, ferrum adverſo ſub pectore condit
Fervidus. Aſt illi ſolvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit indignata ſub umbras.

SERVII.

940. CUNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT. Omnis intentio ad Aeneae pertinet gloriam; nam & ex eo, quod hoſti cogitat parcere, pius oſtenditur: & ex eo, quod eum interemit, pietatis geſtat inſigne: nam Euandri intuitu Pallantis ulciſcitur mortem.

941. INFOELIX BALTEUS. Nulli domino foelix: & ſic eſt dictum, *infoelix balteus*, ſicut, *Lacedaemoniosque hymenaeos*. Et ſciendum, balteum habuiſſe Turnum ad inſultationem & jactantiam; non ad utilitatem, unde eſt: *Atque humeris inimicum inſigne gerebat*.

945. MONUMENTA DOLORIS. Proprie; nam & *monumentum* ab eo, quod mentem moneat, dictum eſt.

946. HAUSIT. Vidit, ut: *Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto Dardanus*.

949. PALLAS IMMOLAT. Ad ſuae mortis & abrupti foederis ultionem, te tanquam hoſtiam immolat Pallas.

951. FRIGORE. Morte, ut: *Corpusque lavant frigentis, & ungunt*.

952. VITAQUE CUM GEMITU FUGIT INDIGNATA SUB UMBRAS. *Indignata:* vel quia poſt preces veniam non meruerat: vel quia Laviniam fore ſciebat Aeneae: vel quia, ut ſupra de Camilla diximus, diſcedebat a juvene: nam volunt Philoſophi, invitam animam diſcedere a corpore, cum quo adhuc habitare naturae legibus poterat. Sic Homerus:

Ψυχὴ δ' ἐκ μελέων πταμένη ἄϊδόσδε βεβήκει
Ὃν πότμον γοόωσα, λιποῦσ' ἀδροτῆτα καὶ ἥβην.

SERVII HONORATI, GRAMMATICI DOCTISSIMI, COMMENTA IN VIRGILIUM FELICITER EXPLICIUNT.

PIERII.

940. CUNCTANTEM FLECTERE SERMO COEPERAT. Antiqui aliquot codices *Cunctantem flectere mentem* legunt, quod aliis examinandum linquimus.

941. INFELIX HUMERO QUUM APPARUIT ALTO BALTEUS. Apud Soſipatrem Cariſium ambigua lectio eſt, *quod*, *ingens*, interpoſitum, *ingens balteus*, quod ei correſpondet, quod in x. dictum: *Rapiens immania pondera baltei*. Diſputat vero Cariſius, *balteus* maſculino genere ſemper dici, ut *clipeus*. *Infoelix humero cum apparuit ingens Balteus*, Virgilius dicit. Plinius tamen vult maſculino genere vinculum ſignificare, neutro autem genere lora ad alligandum apta. Sed Varro *baltea* dixit, & Tuſcum vocabulum ait eſſe: uſque adeo paſſim variant auctorum ſententiae.

951. SOLVUNTUR FRIGORE MEMBRA. In antiquis nonnullis codicibus *ſolvontur:* ita *vont*, *acuont*, ea pronuntiatione, quam a veteribus acceptam Etruſci adhuc incolumem ſervavere.

FINIS AENEIDOS.

P. VIR-

P. VIRGILII MARONIS CULEX.

AD OCTAVIUM.

LUSIMUS, Octavi, gracili modulante Thalia:
Atque, ut araneoli, tenuem formavimus orsum.

Lusi-

JOSEPHI SCALIGERI JUL. CAES. F. COMMENTARII ET CASTIGATIONES IN CULICEM P. VIRGIDII MARONIS.

QUANQUAM hoc poematium quo anno aetatis suae scripserit Virgilius, plane compertum non habemus: tamen maiorem natu scripsisse satis constat, quam voluerit ejus vitae auctor, ignobilis Grammaticus: qui annos tantum quindecim natum vult hoc poematium confecisse. Cujus opinionis nostrae, vel duo maxima argumenta: unum, quod Suetonius

NOTAE FRIDERICI LINDENBRUCH IN CULICEM P. VIRGILII MARONIS.

QUAE horum temporum ratio est, non defuturos arbitror qui Notas hasce meas vitilitigent, culpentque quod ego, qui primum hoc specimen studiorum meorum exhibeo, tam levia, tam paene nullius momenti adferam, cum merito docta deberem, & non nisi laudabilia; quippe cui iuvenilis aetas, ingenium integrum est, nec longo usu aut jugi labore exhaustum. Ita fateor, & quo me

tue-

Lusimus: haec propter Culicis sint carmina dicta.
Omnis ut historiae per ludum consonet ordo
5 Notitiae, ducam voces: licet invidus adsit,
Quisquis erit culpare jocos, Musamque paratus:

Pon-

SCALIGERI.

Tranquillus in vita Lucani, quae adhuc formis excusa non est, ait Lucanum inter aequalium suorum plausus, quum magno successu, ac favore poema aliquod a se compositum recitasset, ut ostenderet, quanto junior, quam Virgilius, Poeticam attigisset, exultabundum dixisse: quantum mihi restat ad Culicem? quum tamen quo tempore haec dicebat Lucanus, jam eam aetatem transcendisset. Nam Statius:

Haec primo juvenis canet sub aevo,
Ante annos Culicis Maroniani.

Quin & Pharsaliam ante annos Culicis Maroniani cecinisse ait idem Statius. Alterum est, quod Virgilius in Culice non excusaret stili levitatem, nisi conscius sibi esset, majora se aut scripsisse, aut scribere potuisse: ut facile colligas non adeo tironem haec lusisse. Esto. Si verum est, quod ait idem Grammaticus, Virgilium Octavio prius ob Mathematices, ac Medicinae, & Veterinariae rei scientiam, quam ob Poeticam facultatem notum fuisse: necesse est, ut minor xv. annorum eas scientias omnes attigerit, quod & putare, ridiculum est. Aut quomodo quindecim tantum annos natus Octavio Culicem dedicaverit, quem jam grandior primum cognovit? An dicendum est non esse Octavium eum, qui postea Augustus dictus fuit? Nugae. Sane ille literator, quisquis est, satis habuit ex bonis auctoribus Suetonio, Paediano, Hygino, aliis, vitam Virgilii consarcinare: neque discrimen facere, neque, ut Lucillius ait, *signare linea alba*. Igitur quisquis es, memineris, non pueri ac tironis secundum eum Grammaticum, sed Virgili ἀκμῆς καὶ τελείου te opus legere: ut, quoties tanti viri rationem habueris, nihil habeas quoque, quo studium nostrum, quod in hoc poematio emaculando posuimus, reprehendas. Plus ei vetustas, an correctorum audacia nocuerit, incertus sum. Utrumque autem valde nocuisse cognoscent certo scio, qui nostras commentatiunculas cum eorum correctorum emendationibus comparabunt.

P. VIRGILI MARONIS CULEX. In veteri libro manuscripto ita conceptus erat titulus JUVENALIS LUDI LIBELLUS INCIPIT. Ita etiam Martialis de Monobiblo Propertii.

Cynthia facundi carmen juvenale Propertî.

Videtur enim conceptus titulus fuisse, Sex. Aurelii Propertii Juvenalis monobiblos.

Vs. 3. HAC PROPTER CULICIS SUNT. Lego, *Hacpropter culicis sint carmina dicta*. Hacpropter, ut Quapropter. Varro:

Hacpropter omnes, qui laborant, invocant.

Sed haec levia, ac minimi momenti. Illud vero, quod sequitur, non leve.

4. OMNIS UT HISTORIAE. Haec sunt perturbatissima, καὶ ἀνόητα. lego,

Omnis ut historiae proludens consonet ordo
Notitiae, ducam vocem licet, invidus absit.

Ut omnis ordo historiae notitiae consonet, ducam vocem. Deducam vocem in re tam tenui, & humili: ut stilus conveniat materiae. Nam historia materia dixit, non historica, poetice, ut:

Tempus & Arcadii memoranda referre magistri:

non Arcadici: & eodem modo *Galliae mulieres* apud Sallustium, citante Nonio, pro Gallicae, more eorum, qui dicunt Ἑλλάδες γυναῖκες. Sic Horatius, *Metaurum flumen*, *Stertinium acumen*. Vel potius dicendum: ut omnis ordo historiae proludens consonet notitiae. Ducere vocem, & deducere, ut ducere filum. Persistit in metaphora prima;

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum.

Et per illud, -- *Invidus absit*, deprecatur, καὶ ἀποτρέπει invidiam, ut in sacris -- *Procul este profani*. *Proludens* habebat membrana quaedam P. Pithoei Jurisc. eruditiss. Ex his potes animadvertere, quam inepta sit vulgaris hujus loci lectio.

LINDENBRUCH.

tuerer vix haberem, nisi insusurrasset Apollinaris, *Donec scientiam natura combiberit, non major est gloria dixisse quod noveris, quam siluisse quod nescias*. Et profecto, si rem recte consideres, boni aliquid in hos scriptores post illustrissimum J. Scaligerum dicere oppido quam difficile videbitur: tanti summi viri in eorum maculis delendis diligentia & felicitas fuit. Quae tum demum recte apparebit, si quis hanc nostram editionem, cum retro aliquot editionibus contenderit. Negari tamen non potest, aliquos adhuc restare naevulos: eos ego, etsi non valebo omnes, adtingam vel paucos tamen. Nec hoc mihi vitio erit, si quosdam reliquero.

Non enim cursim aut remisse tam minuta acumina adsequi quicumque poterit, sed morosa intentio. Haec praefanda duxi, nunc ad rem.

Pondere vel Culicis levior, famaque feretur.
Posterius graviore sono tibi Musa loquetur
Nostra: dabunt cum securos mihi tempora fructus:
10 Ut tibi digna tuo poliantur carmina sensu.
Latonae, magnique decus Jovis, aurea proles
Phoebus erit nostri princeps, & carminis auctor,
Et recinente lyra fautor: sive educat illum
Alma Chimaereo Xanthus perfusa liquore,
15 Seu nemus Asteriæ, seu qua Parnassia rupes
Hinc, atque hinc patula praepandit cornua fronte.
Castaliaeque sonans liquido pede labitur unda.

Qua-

SCALIGERI.

7. FAMAQUE FERETUR. Lege, *feratur*.

13. ET RECINENTE LIRA. Repone ex veteribus manuscriptis, *Et recanente lyra*. Sallust. *Signa occanuere*; pro *occinuerunt*.

14. ALMA CHIMAEREO XANTHI. *Alma*, eleganter subintelligitur urbs. Sic apud Varronem:

Ad Sybaritanam praedam, in qua sunt tripedes, Craterrae,
Anancaea populo nobilium Tarentinarum.

Subaudi urbium. Sic & Propertius dixit *nobiles Misenas*, subintelligens urbes.

Et te mirantem Thesproto subdita regno
Proxima Misenis aequora nobilibus.

Si haec vera scriptura est (nam in aliis est, *littoribus*, non *nobilibus*) intelligit, ut dixi, per Misenas urbes, omnes illas, quae in tractu Neapolitano erant, Cumas, Bajas, Puteolos: ut Varro per Tatentinas nobiles, urbes tractus Tarentini, in quibus Croton, & ipsum Tarentum. Propertius enim aequora vocat subdita Thesproti regno, quae ab Abantibus, qui prius Thesprotiam incoluissent, deinde in magnam Graeciam emigrassent, occupata fuerunt. Neapolin enim, & Cumas, aliasque praeterea in ea regione urbes condidisse nemo nescit. Quin & Columella in Hortulo, ubi ait:

-- *Cespeto litore Cuma*: ego corrigo, *Thesproto*. Thesprotum litus vocat, quod ab Abantibus, qui ex Euboea insula in Thesprotiam, & ex ea, duce columba, in magnam Graeciam venissent, occupatum fuit. Itaque & locum Columellae emendamus, & Propertio lucem adferimus, qui immerito magnis viris negotium facessebat. Satis enim nota res est: & quae tanta ingenia exercere non debebat. XANTHUS. Reposuimus ex veteribus editionibus, & manuscriptis, *Xanthi*. subintelligitur enim urbs, ut supra docuimus.

15. SEU NEMUS ASTERIAE. Omnes antiquitus excusi, itemque schedae Pithoei nostri, plane habent, *seu decus astriferum*. Hoc est caelum. Nam Phoebus etiam in caelo, utpote qui idem sit cum sole. An legendum: *Seu specus oestriferum*. Ut intelligatur specus, quod erat Delphis, unde oestro percita reddebat oracula Pythiomantis. Prior conjectura melior. In libro manuscripto Contii J. C. *Seu decus astrigeri*.

17. CASTALIAEQUE SONANS. Malo, ut prae se ferunt membranae Pithoei, quanquam corrupte:

-- *Seu qua Parnasia rupes*
Hinc atque hinc patula praetendit cornua fronte.
Castalia & resonans liquido pede labitur unda.

Castaliae pede dixit, ut Horatius:

Mollis crepante lympha desilit pede.

Quanquam ambitiose dictum cavillatur χρῆστ πίδα Aristophanes.

20. ET TU SANCTA PALES. Non solum commentitia haec lectio, quod a manuscripta dissentiat; sed & ineptissima, quod nullam bonam sententiam efficiat. Illa membrana Pithoei habebat:

Et tu sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona sors cura secura, tenes quae
Herbiferos saltus nemorum, sylvasque virentes,
Te cultrice -- &c.

Alia item membrana eandem lectionem habet, quanquam paulo depravatiorem. Quid hic purius, quid dilucidius? Invocat Palem, ad quam ait pertinere agrestum bonam sortem, hoc est, copiam lactis: quia est ruris & pastoralis Deo. Quem proventum lactis securum ab omni cura dixit, quia sine ulla cultura ac labore illud percipiunt

pastor

Quare, Pierii laticis decus, ite, sorores
Naides, & celebrate Deum plaudente chorea.
20 Et tibi, sancta Pales, ad quam ventura recurrit
Agrestum bona cura, sequi sit cura tenentis
Aereos nemorum tractus, silvasque virentes.
Te cultrice vagus saltus feror inter & astra.
At tu, cui meritis oritur fiducia chartis,
25 Octavi venerande, meis allabere coeptis,
Sancte puer: tibi namque canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo sparsa est quo sanguine tellus:
Nec Centaureos Lapithas compellit in ensis:
Urit Erichthonias Oriens non ignibus arces.
30 Non perfossus Athos, nec magno vincula Ponto
Jacta, meo quaerent jam sera volumine famam:
Non Hellespontus pedibus pulsatus equorum,
Graecia cum timuit venientis undique Persas:
Mollia sed tenui pede currere carmina versu

SCALIGERI.

pastores: quum contra agricolae maximis sudoribus terram subigant, ut ex ea percipiant fructus. Cura secura Graecorum est, [illegible], [illegible]. Aristophaneum id paulo diversius, sed non hoc loco alienum, [illegible]. Herbiferos saltus tenere ait: quia pabulo praesidet.

23. TE CULTRICE. Mallem, *Te tutrice vagus esse*. Nisi (quod verius puto) *cultrix* sit hic habitatrix. Nam sequitur [illegible] -- *tenes quae*

Herbiferos saltus nemorum, silvasque virentes.

Est autem Hellenismus. Et tu Pales, te tutrice. Et apud nescio quem, *me Consule prohibui*. In qua figura non infrequens est Plautus, & Gellius. Cujus ignorantia fecit, ut lectio mutaretur.

24. ORITUR FIDUCIA CHARTIS. In membrana Antonii Contii J. C. *castris*, recte. Tu, qui, ut veteres loquebantur, belli clues.

26. SANCTE PUER. Non ad aetatem referendum. Catullus:

-- *Est enim jocorum*
Disertus puer, ac facetiarum. Infra:
Et tibi sancte puer --

Sancte puer, valde suspecta est lectio. Membrana Antonii Contii J. C. habebat:

Triste Jovis ponitque canit non pagina bellum.

Lego haud dubitanter:

Triste Jovis, Poenique canit non pagina bellum.

Triste Jovis bellum, ut puto, cum Capitolium obsessum a Brenno, aut potius cum conflagravit. Imo *triste Jovis bellum*. Giganteum.

27. PHLEGRA GIGANTEO. *Phlegra tellus*, pro *Phlegraea*, ut *Metaurum flumen*, quanquam nove dictum videtur. Puto totum hunc locum ita legendum.

Triste Jovis, Poenique canit non pagina bellum,
Phlegra Giganteo, &c: ut *Phlegra* conjungatur cum illis, *Triste Jovis*.

34. MOLLIA SED TENUI. Mendosus versiculus. Ita lego:

Mollia sed tenui percurrere carmina versu est.

Est eadem metaphora:

Atque ut araneoli tenuem formavimus orsum:

nimirum a textura. Cujus verbum est, ordiri. Graecum est [illegible], [illegible]. Item, [illegible], [illegible]. *Percurrere carmina*, ut,
-- *Percurrens pectine telas*. [illegible].

LINDENBRUCH.

Vs. 19. PLAUDENTE CHOREA. Alii, *ludente*.

Viri-

35 Viribus apta ſuis Phoebo duce ludere gaudet.
Et tu, ſancte puer, venerabilis, & tibi certet
Gloria perpetuum lucis manſura per aevum:
Et tibi ſede pia maneat locus, & tibi ſoſpes
Debita felicis memoretur vita per annos,
40 Grata bonis lucens. Sed nos ad coepta feramur.
Igneus aethereas jam Sol penetrarat in arcis,
Candidaque aurato quatiebat lumina curru,
Crinibus & roſeis tenebras Aurora fugarat:
Propulit e ſtabulis ad pabula laeta capellas
45 Paſtor, & excelſi montis juga ſumma petivit:
Lurida qua patulos velabant gramina collis.
Jam ſilvis, dumiſque vagae, jam vallibus abdunt
Corpora: jamque omni celeres e parte vagantes
Scrupea deſertae perrepunt ad cava rupis.

Ton-

SCALIGERI.

36. ET TU SANCTE PUER. Interpolatitia lectio, & inepta. Sed ſchedae Pithoei bene habent:
Et tibi, ſancte puer, memorabitur:
& tibi certet &c.
Quam lectionem, quamvis depravatam retinet Contii liber. Et tibi, inquit, memorabuntur abſenti illa, quae ſolent dici inter pocula, nempe ea, quae ſequuntur: *Et tibi certet &c.* Ejus acclamationis meminit & Ovidius:
Et bene te, bene me, patriae pater optime, dixi.
Itemque & Tibullus ad Meſſalam:
Et bene Meſſalam ſua quiſque ad pocula dicat,
Nomen & abſentis ſingula verba ſonent.
Plautus Milite:
Bene, quaeſo, dicatis inter vos & mihi abſenti tamen.
Idem erat & *Bene vixis*, aut *vixeris*. Quod colligo ex verbis Dionis: ἐφ' ᾧ δὴ παραχρῆμα πάντες, in vita Commodi Imp. τοῦτο δὴ τὸ ἐν τοῖς συμποσίοις εἰωθὸς λέγεσθαι, ἐξεβόησαν, ΖΗΣΕΙΑΣ. Suidas haec interpretans, τὸ ζήσειας, inquit, ἐπὶ τῶν πιόντων τὴν ζωὴν φασὶν οἱ γραμματικοί. Nam quod in malam partem interpretati ſint, eo ſpectat, quia, ut alibi diximus, quem actores ἀφευφημοῦντες volebant dicere mortuum, dicebant, VIXIT. Ut Cic. de conjuratis, VIXERUNT. Plautus Bacchidibus:
Video nimio jam multo plus, quam volueram.
Vixiſſe nimio ſatius eſt, quam vivere.
Et in Captivis:
Nunc illud eſt, cum me fuiſſe, quam eſſe nimio mavelim.

37. GLORIA PERPETUUM LUCIS. Manu ſcripta, & antiquitus edita lectio, *lucens*, non *lucis*. Ergo repone.

38. ET TIBI SEDE PIA. Ut -- *tibi brachia contrahit ardens Scorpius*. -- ET TIBI SOSPES. Soſpitem vitam cum omni bonorum copia precatur. Quod Graeci uno verbo eleganter πανθυγίειαν dicunt.

40. GRATA BONIS LUCENS. Graeci poetae, ἀγαθοῖς φλέγοντα. Aeſchyl.

41. IGNEUS AETHEREAS. Excerpta Pithoei in illa membrana habebant, *aetneas*. Ego lego, *oeteas*. Nam ab Oeta Oriens in Graecia.

46. LURIDA QUA. Eadem ἐκλογάδην habebant,
Humida qua patulos velabant gramina flores.
Quam quur mutemus, cauſſae profecto non eſt. Intelligit enim flores, qui ſubinde in pratis naſci ſolent. Sed membranae Contii habebant *Lucida*. Unde *Lurida* factum eſt. *Lucida* ergo recte, propter rorem.

49. SCRUPEA DESERTAE PERREPUNT. Membrana Contii *Scrupea deſertis acrebant*, pro *haerebant*, quod puto verius eſſe. Nam haerent & pendent caprae & capreae rupibus.
Dumoſa pendent procul de rupe capellae.

LINDENBRUCH.

46. LURIDA QUA PATULOS. Niſi jam eleganter hic locus a Dom. Scaligero emendatus eſſet, legerem, *Plurima qua patulos*; & profecto non male.

50 Tondentur tenero viridantia gramina morſu,
Pendula projectis carpuntur & arbuta ramis,
Denſaque virgultis avide labruſca petuntur.
Haec ſuſpenſa rapit carpente cacumina morſu
Vel ſalicis lentae, vel quae nova naſcitur alnus:
55 Haec teneras fruticum ſentes rimatur: at illa
Inminet in rivi praeſtantis imaginis undam.
O bona paſtoris, ſi quis non pauperis uſum
Mente prius docta faſtidiat, & probet illis
Omnia luxuriae pretiis incognita curis,
60 Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.
Si non Aſſyrio fuerint bis lauta colore,
Attalicis opibus data vellera: ſi nitor auri
Sub laqueare domus animum non tangit avarum:
Picturaeque decus, lapidum nec fulgor in ulla
65 Cognitus utilitate manet: nec pocula gratum
Alconis referent, Boëtique toreuma: nec Indi
Conchea bacca maris pretio eſt: at pectore puro
Saepe ſuper tenero proſternit gramine corpus:
Florida cum tellus gemmantis picta per herbas.
70 Vere notat dulci diſtincta coloribus arva:
Atque illum calamo laetum recinente paluſtri,

Otia-

SCALIGERI.

52. DENSAQUE VIRGULTIS. *Labruſcum* neutro genere enunciatum a Virgilio, jam olim notavit Nonius.

56. IMMINET IN RIVI. Non eſt dubitandum hic maculas aſperſas eſſe. Ego lego igitur:

Imminet inrigui praeſtanti marginis undae.

irrigui marginis, διαῤῥύτῳ πλατάμωνι. PRAESTANTIS. Neſcio an legendum *properanti*.

59. OMNIA LUXURIA PRETIIS. Pro *pretiis* jam olim emendabamus *pravis*. Quam conjecturam confirmat quaedam vetus membrana, in qua paucula ex hac digreſſione excerpta erant. Membrana tamen Pithoei aliter habet: — *Et probet illis*

Omnia luxuriae pretiis incognita, vitans
Quae lacerant avidas inimico pectore mentes.

Quae lectio longe optima eſt, modo pro *illis* legatur *illic*. Ergo τὸ *illic* eſt apud paſtores.

60. QUAE LACERANT. Poetae θυμαλγέα μελεδῶνας.

63. SUBLAQUEARE. Diſtinguendum, *Sub laqueare*. Laquear, eſt lacunar.

70. VERE NOTAT. In illis ſchedis pro *dulci* & *coloribus*, *duris*, & *ligonibus* legebatur,

Vere notat duris diſtincta ligonibus arva.

71. RECINENTE PALUSTRI. Membrana Contii, *recanente*, ut ſupra *Et recanente lira*.

LINDENBRUCH.

63. TANGIT AVARUM. Alii, *angit*.

69. GEMANTES PICTA PER HERBAS. Sic in Pervigilio Veneris: *Ipſa gemmeis purpurantem pingit annum floribus*. GEMMANTIS PICTA. Alii, *geminantis*.

70. VERE NOTAT DULCI. Alii, *pulchris*.

Otiaque invidia degentem, ac fraude remota,
Pollentemque ſibi viridi cum palmite lucens
Vitea pampineo ſubter coma velat amictu.
57 Illi ſunt gratae rorantes lacte capellae,
Et nemus, & foecunda Pales, & vallibus imis
Semper opaca novis manantia fontibus antra.
Quis magis optato queat eſſe beatior aevo,
Quam qui mente procul pura, ſenſuque probando
80 Non avidas agnovit opes, non triſtia bella,
Nec funeſta timet validae certamina claſſis?
Non, ſpoliis dum ſancta Deum fulgentibus ornet
Templa, vel evectus finem tranſcendat habendi,
Adverſum ſaevis ultro caput hoſtibus offert.
85 Illi falce Deus colitur, non arte politus:
Ille colit lucos: illi Panchaica thura,
Floribus agreſtes herbae variantibus adſunt:
Illi dulcis adeſt requies, & pura voluptas,
Libera ſimplicibus curis: huc inminet, omnis
90 Dirigit huc ſenſus: haec cura eſt ſubdita cordi,
Quolibet ut requie victu contentus abundet,

Ju-

SCALIGERI.

73. Viridi cum palmite. Ex altera membrana repone:

Pollentemque ſibi viridi cum palmite ludens
Tmolia pampineo ſubter coma velat amictu.

ludens a flatu venti ſcilicet. Varro, *Capitis corona faſciis tiligneis Faciem labore flatili viridis premit.*

76. Et nemus. Eadem altera ſcheda:

Et nemus, & foecunda palus, & vallibus intus &c.

Intus eſt ἔνδοθεν haud dubie: creberrimum Plauto, quae lectio extat in Contiana membrana. Tamen in ſcheda Pithoei ἀκρωτηλίαστον hujus verſus deſinebat in -- *mollis Iacchus*. Ut poſſis cognoſcere non hodie primum hos errores incepiſſe. *Mollis Iacchus* eſſet, θῆλυς Ἴακχος.

78. Quis magis. *Qui*, non, *quis* ἀρχαϊκῶς habens, & manu ſcriptus codex, & antiquiores excuſi. Eſt autem Helleniſmus, *magis beatior*. Ad verbum Ariſtophanes:

Τίς γὰρ γένοιτο μᾶλλον ὀλβιώτερος, Hoc autem archaiſmo utitur ſaepe Plautus, ut: *magis majores nugas egeris*. Item:

Tum nihil invenies magis hoc certo certius.

89. Huc imminet. Non deterius erat in priſca membrana:

-- Huc mittit, & omnes
Dirigit huc ſenſus. -- Perſius:
Eſt aliquid, quo tendis, & in quod dirigis arcum.

91. Quolibet ut requie. Puto, *Qualibet ut requie*. Niſi legendum ſit,

Quolibet ut requies victu contentus abundet.

Requies pro *riquietus*, ut *irrequies* pro *irrequietus*.

LINDENBRUCH.

74. Vitea pampineo. Alii, *Tmolia*.

89. Libera simplicibus curis. Puto mendum in his eſſe. Nam melius meo judicio dixiſſet, Libera magnis vel gravibus curis. Non tamen, quam huic ſubſtituam comminiſci vocem queo.

Jucundoque locet languentia corpora somno.
O pecudes, o Panes, & o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
95 Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae
Securam placido traducit pectore vitam.
Talibus in studiis baculo dum nixus apricas
Pastor agit curas, & dum non arte canora
Compacta solidum modulatur arundine carmen:
100 Tendit inevectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aethereo ponit discrimina mundo,
Qua jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam compellente vagae pastore capellae
Ima susurrantis repetebant ad vada lymphae,

Quae

SCALIGERI.

97. TALIBUS IN STUDIIS. Hic sane praeter alia, grassata est correctorum audacia: quod tamen sine ope veteris schedae non potuissem deprehendere. In ea enim haec dicuntur γενικῶς in illo vitae pastoralis μακαρισμῷ, non autem ἰδικῶς de nostro pastore, de quo factum est hoc opusculum. Totum igitur locum apponam, ne singula minima persequendo mihi molestiam, lectori fastidium pariam.

O pecudes, o Panes, & o gratissima Tempe
Fontis Hamadryadum: quarum non divite cultu
Aemulus Ascraeo pastor sibi quisque poetae
Securam placido traduxit pectore vitam
Dulcibus in studiis, baculo dum nixus apricas
Laetus agit curas: & dum non arte canora
Compacta solidum modulatur arundine carmen,
Quem circa fessae passim cubuere capellae.
His superat gelidis manans e fontibus unda,
Quae levibus placidum rivis sonet orta liquorem.
At volucres patulis residentes dulcia ramis
Carmina per varios edunt resonantia cantus.
Hinc illi geminas avium vox obstrepit aures.
Hinc querulas referunt voces, quae nantia limo
Corpora limfa fovet. Sonitus alit acris Echo.
Argutis & culta fremunt ardore cicadis.
Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra
Excelsis supra dumis: quos leniter afflant
Aura susurrantis possit confundere venti:
Anxius insidiis nullis, & lentus in herbis.
Concipit hic mitem projectus membra soporem,
Tendit ut evectus radios Hyperionis ardor,
Lucidaque aetherio ponit discrimina mundo,
Et jacit Oceanum flammas in utrumque rapaces.
Et jam compellente &c.

In his ergo ordini suo restituendis multum adjuti sumus illa schedula, quae ita eo ordine disposita haec habebat. Ut possis agnoscere quanta audacia haec immutarant correctores isti, quum ea non solum Pastori huic attribuerent, quae Virgilius in genere omni vitam rusticam colenti: sed &, ut ita accommodarent, omnem ordinem perverterunt. Est autem tanti momenti hic locus, ut non solum propter luculentam sententiam suavissima digressione explicatam commendari debeat, sed & quam propter hanc insignem restitutionem nostram diligenti lectori considerare, & perpendere opus sit. Ubi etiam retraximus e fuga versiculum, qui ab omnibus editionibus aberat:

Seu libet ad fontem densa requiescere in umbra.

Nunc ad reliqua.

99. COMPACTA SOLIDUM. *Solidum carmen*, nulla aegritudine contaminatum, nullis supervenientibus curis interpellatum.

100. TENDIT INEVECTUS. Idem verbum & infra: *iret inevectus caelum super* -- Qui sane locus ansam hunc corrumpendi audacibus hominibus dedit: Nam veteres editiones habent, *Tendit & evectus*. Unde, ita postulante sententia, fecimus, *Tendit ut evectus*. Sic supra

-- *Vel evectus finem transcendit habendi*.

104. REPETEBANT AD VADA. Ἀνάμνησις, ut Plautus: *visere ad aliquem*. Mallem tamen -- *petebant ad vada*. Quod Syracusanum est. Nam ἰδίως Syracusii, & Tarentini pro

ire

105 Quae ſubter viridem reſidebant caerula muſcum.
Jam medias operum partis evectus erat Sol,
Cum denſas paſtor pecudes cogebat in umbras;
Ut procul adſpexit luco reſidere virenti,
Delia Diva, tuo; quo quondam victa furore
110 Venit Nyctileum fugiens Cadmaeis Agave
Infandas ſcelerata manus e caede cruenta;
Quae gelidis bacchata jugis requievit in antro,
Poſterius poenam gnati ſe morte futuram.
Hic etiam viridi ludentes Panes in herba,
115 Et Satyri Dryadeſque choros egere puellae,
Naïadum coetu. Tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit ripis, ſilvaſque canendo:
Quantum te, Peneu, remorantem dia chorea,

Mul-

SCALIGERI.

ire ponunt: ita ſemper uſurpat Theocritus. Alioquin caprarum eſt *repere*, ut ſupra -- *deſertae repebant ad cava rupis*. Quanquam vetus lectio repugnat.

108. LUCO RESIDERE VIRENTI. Cogebat pecudes in umbras reſidere luco virenti. Ita Horatius:

Deſcende Torquato jubente
Premere languidiora vina: ἐκλυτηρμός.

109. QUO QUONDAM VICTA. Haec omnia confuſa, & corrupta puto. Nam & ordo perturbatus, & maculae inoleverunt. Quare ita lego:

-- quo quondam victa furore
Venit Nyctilei, fugiens Cadmeis Agave
Poſterius poenam natis e morte futuram.

Nam ſane Agave non fugiebat Nyctileum, quem non offenderat, cum ejus miniſtra eſſet. Imo melius ceſſiſſet ei, ſi fugiſſet. Non enim ejus nimius cultus jactura nati illi conſtitiſſet. Imo hoc vult poeta, in eum lucum, in quem Agave victa furore Bacchi, metuens poenam, hoc eſt ἄγος, quod imminebat ejus poſteritati propter interfectum Pentheum, confugerat, compuliſſe paſtorem pecudes ſuas.

113. POSTERIUS POENAM. Correximus ergo.

Poſterius poenam natis e morte futuram.

Poenam futuram poſterius natis e morte Penthei, ἄγος illud, quod totam poſteritatem perſequitur, donec expiatum eſſet, ex veteri ſuperſtitione veterum intelligit. Sic Horatius:

Negligis immeritis nocituram
Poſtmodo te natis fraudem committere. --

Nihil enim aliud, quam ἄγος illud intelligit. Ubi & *poſtmodo natis* dixit, ut hic Virgilius, *Poſterius natis*. Theognis fere, ut Horatius:

Ἀλλ' ὁ μὲν αὐτὸς τίσε κακὸν χρέος· οὐδὲ φίλοισιν
Ἄτην ἐξοπίσω παισὶν ἐπεκρέμασεν.

Inde ἐναγεῖς dicuntur piaculo nexi, [illegible].

117. RESTANTEM TENUIT RIPIS, SILVASQUE CANENDO. Contiana membrana, *rivis*, non *ripis*. Omnino legendum:

Tantum non Orpheus Hebrum
Reſtantem tenuit, rivis, ſilviſque canendo.

Cecinit enim ſilvis & rivis, & rivos reſtantes, ſilvas mobiles fecit.

118. QUANTUM TE PENEU. Quia paulo ante dixerat, *tantum non Orpheus*, putarunt hic [illegible] deeſſe. Ita hic *Quantum*, poſuerunt. Atquin legendum: *Non tam te Peneu*. Comparat amoenitatem illius loci cum eo, in quo Orpheus cecinit, item cum eo, in quo nuptiae Pelei, & Thetidis celebratae ſunt: in quo deſcribendo imitatur Catullum, qui eas nuptias egregio carmine celebrat: adeo, ut & in arboribus deſcribendis ejuſdem veſtigiis ſemper inſiſtat. Totus autem verſus ita legendus eſt:

Non tam te, Peneu, remorata eſt dia chorea.

Nam eam choream deſcribit luculente Catullus.

Multa tibi laeto fundentes gaudia vultu.
120 Ipsa loci natura domum resonante susurro
Quis dabat, & dulci fessas refovebat in umbra.
Nam primum prona surgebant valle patentes
Aëreae platanus: inter quas impia Lotos,
Impia, quae socios Ithaci moerentis abegit,
125 Hospita dum nimia tenuit dulcedine captos.
At quibus insigni curru projectus equorum
Ambustos Phaëthon luctu mutaverat artus,
Heliades teneris amplexae brachia truncis
Candida fundebant tentis velamina ramis.
130 Posterius, cui Demophoon aeterna reliquit
Perfidiam lamentandi mala, perfida multis.
Quam comitabantur fatalia carmina quercus:
Quercus ante datae, Cereris quam semina, vitae:
Illas

SCALIGERI.

123. AERIAE PLATANI. Reponendum ex veteribus excusis, *Aeriae platanus*. Sic infra: *umbrosae fagus*. ἀρχαισμός, & in Georgicis dixit *fagus* pro *fagos*. IMPIA LOTOS. *Impia*, eadem figura Horatio:

Impiae (nam quid potuere majus?)
Impiae. Duro potuere sponsos
Perdere ferro. Et Catullo:
Ignaro mater substernens se impia nato,
Impia non verita est divos scelerare Penates.

Alludit autem ad metamorphosin Loti, quam ex XI Geoponicon petas licet. Porro omnes hae descriptiones, quanvis nil aliud sunt, quam πάρεργα; tamen meliorem partem poematis occuparunt, ut materiae ipsius praecipuae minima hic pars sit. Nam in Catullo totum fere tempus in descriptione pulvinaris, Ariadnae conquestione, & Parcarum carmine conteritur: nuptiarum vero ipsarum minima ratio. Hic vero circa laudes vitae rusticanae, pastorum bona, arborum descriptiones, inferorum argumenta, multum satagitur: de Culice vero, quantum dici potuit, tantum dicitur, hoc est minimum. In pictura enim tam tenui, nisi parerga adhibueris, quid dignum oculis proponi potest?

127. AMBUSTOS PHAETON. Lege *Ambustus*.

129. CANDIDA FUNDEBANT TENTIS VELAMINA RAMIS. Nihil muto. Tamen aliquando putavi legendum, *lentis sudamina ramis*. Id est, electra. TENTIS VELAMINA. Scripsimus *lentis*, non *tentis*. Paulo inferius de iisdem.

Ipsaeque excedunt ad summa cacumina lentae.

id est, ῥαδιναί.

131. PERFIDIAE LAMENTA. Vetus editio: *Perfida lamentandi mala*. Corrigo: *Perfida lamentanda diu mala – Perfidum malum*, hoc est perfidia. Ut *solstitialis dies*, solstitium Ciceroni. Reliquit illi lamentanda mala, quae saepe lacrymet. Nam ejus gummi, lacryma. Tamen malim. *Perfidiae lamentandi mala*. PERFIDA MULTIS. Lego -- *perfide multis*,

Perfide Demophoon.

Perfide multis, non solum mihi, sed & multis puellis. Propertius:

Perfide, nec cuiquam melior sperande puellae.

Et repetitio illa amoena. Catullus:

Siccine me patriis abductam, perfide, ab oris,
Perfide, deserto liquisti in littore, Theseu?

ET NUNC DEFENDE PUELLAM. Inepte, membrana Contiana *puellis*. Sane legendum,

– Perfide multis.
Perfide Demophoon & nunc deflende puellis.

Multis puellis perfide, & iisdem deflende, vel lamentande: quemadmodum paulo ante dixit lamentari mala perfidiae: Et sane valde congruit huic loco Propertianus versus, paulo ante a nobis adductus.

132. FATALIA CARMINA. Fatidicae quercus, μαντῳδεῖς. Nam in Dodona reddebant oraculum.

Illas Triptolemi mutavit ſulcus ariſtis.
135 Hic magnum Argoae navi decus edita pinus
Proceras decorat ſilvas hirſuta per artus:
Appetit aëreis contingere montibus aſtra.
Ilicis & nigrae ſpecies, & laeta cupreſſus:
Umbroſaeque manent fagus, ederaeque ligantis
140 Brachia, fraternos plangat ne populus ictus.
Ipſaeque excedunt ad ſumma cacumina lentae,
Pinguntque aureolos viridi pallore corymbos:
Quis aderat veteris myrtus non neſcia fati.
At volucres patulis reſidentes dulcia ramis
145 Carmina per varios edunt reſonantia cantus.
His ſuberat gelidis manans e fontibus unda:
Quae levibus placidum rivis ſonat orta liquorem.
Et quamquam geminas avium vox obſtrepit auris,
Hanc querulae referunt voces, quis nantia limo
150 Corpora lympha fovet: ſonitus alit aëris Echo:

Ar-

SCALIGERI.

136. Proceras decorat. Lego:

Proceras decorant ſilvas hirſuta per artus.

Hirsuta per artus. Ovidius Metamorph. xi.

-- Hirſutaque vertice pinus.

Sed videtur hiulca oratio. Puto legendum,

Hic magnum Argoae navi decus edita pinus

Proceras decorat ſilvas; hic ſuberis arbos,

Appetit aeriis contingere motibus aſtra.

Scriptum erit *arvos* pro *arbos*, unde factum *artus*, ineptiſſime. Quanquam ſuberis arbore ſunt aliae longe proceriores.

137. Contingere montibus. Non damno, tamen mallem motibus. Ὀρέγεται ἄστρων. Intelligit quod poetae dicunt βλωθρόν.

138. Et laeta cupressus. Laeta eſſet ἀμφιλαφής, quae tamen habeat minutiſſima folia, & ut res ipſa docet, laeta eſſe, & ἀμφιλαφής non poteſt. Non omittam conjecturam optimi & eruditiſſimi amici noſtri Oberti Gifanii, qui legit, *lethea cupreſſus*. Nam funebris arbor.

143. Quis aderat veteris Myrtus. Non eſt, quod putat bonus Domitius. Sed alluditur ad Myrti Metamorphoſin. Quam vide in xi. Geoponicon. s Poſt hunc verſum autem non qui ſtatim (nam quo referendi erant, ſuperius indicavimus) ſed alii, qui multis interjectis ſequuntur, huc rejiciendi ſunt.

Paſtor ut ad fontes denſa requietis in umbra

Securo preſſos ſomno mandaverat artus,

Stratus humi dulcem capiebat corde quietem,

Ni fors incertos juſſiſſet ducere caſus.

Nam ſolitam &c.

Et ita perturbatiſſimo loco hac via facillime conſuletur.

146. His suberat. Vetus ſcriptura: *His ſuperat*. Malim, *ſuperet*, Non erat hic locus haec explicandi, cum in alium locum rejecerimus: ſed vulgatam editionem ſequimur, ut in ſequentibus.

157. Quae levibus. Melius, *Quae levibus placido rivis ſonat orta liquore*.

148. Et quanquam geminas. Repone ex veteri: *Hinc illi geminas*. Geminas avium vox. *Geminas aures*, ἀμφιδύμους ἀκοάς. Catullus:

Roſeis ut hic labellis palam ſonitus abit,

Geminaſque vox Deae aures nova nuncia refert.

Ita enim depravatus locus Catulli legendus eſt.

149. Hanc querulae. Repone ex veteri ſcheda: *Hinc querulas*. Quis nantia. Corrige ex veteri ſcriptura, *quae nantia*. Λιμναῖα χρωῶν τέκνα. Ariſtoph.

Argutis & cuncta fremunt ardore cicadis.
At circa passim fessae cubuere capellae,
Excelsisque super dumis: quos leniter adflans
Aura susurrantis possit confundere venti.
155 Pastor, ut ad fontem densa requievit in umbra,
Mitem concepit projectus membra soporem,
Anxius insidiis nullis: sed lentus in herbis
Securo pressos somno mandaverat artus.
Stratus humi dulcem capiebat corde quietem:
160 Ni fors incertos jussisset ducere casus.
Nam solitum volvens ad tempus tractibus Isdem
Inmanis vario maculatus corpore serpens,
Mersus ut in limo magno subsideret aestu,
Obvia vibranti carpens gravis aëra lingua,
165 Squamosos late torquebat motibus orbis.
Tollebant aurae venientis ad omnia visus.
Jam magis atque magis corpus revolubile volvens
Attollit nitidis pectus fulgoribus, & se
Sublimi cervice rapit: cui crista superne
170 Edita purpureo lucens maculatur amictu,
Adspectuque micant flammantia lumina torvo.
Metabat sese circum loca, cum videt ingens

Ad

SCALIGERI.

151. ARGUTIS ET CUNCTA. Vetus scriptura *culta*.

154. AURA SUSURRANTIS POSSIT. Continuus liber *pescit*, id est, πυρᾶται.

160. JUSISSET DUCERE CASUS. Lego, *jussisset dicere*. Ni fors jussisset, vel coegisset nos fateri incertas esse, & instabiles vices humanas.

161. TRACTIBUS HYDRAE. Ex veteri scriptura & editione, *tractibus iisdem*.

166. PALLEBANT AURAE. Statius de serpente Nemeeo.

-- percussae calidis afflatibus aurae
Qua tulit ora, cadunt: moriturque ad sibila campus.

Vetus editio *Tollebant*, non *Pallebant*. Fortasse *squalebant*.

Squalebant aurae vehementis ad omina visus.

Nam sine dubio *omina* non *omnia* legendum. *Vehementis* habent veteres editiones.

LINDENBRUCH.

151. ARGUTIS ET CUNCTA FREMENT ARDORE CICADIS. *Argutum grillum* dixit V. Cato in Diris, unde Novius Exodio: *Quando ad ludos venit, alii cum tacent totum diem argutatur quasi cicada*.

155. PASTOR UT AD FONTEM. Alii, *fontes*.

156. PROJECTUS MEMBRA SOPOREM. Lego *Porrectus*. Conveniens huic rei vox. Sic Plautus in Pseudolo:

Eccam in tabellis porrectam, in cera cubat.

166. TOLLEBANT AURAE VENIENTIS. Alii, *pallebant a. liventis*.

168. FULGORIBUS, ET SE. Alii, *& fert*.

169. CERVICE RAPIT. Alii, *caput*.

Adversum recubare ducem gregis. Acrior instat
Lumina diffundens intendere, & obvia torvo
175 Saepius arripiens infringere, quod sua quisquam
Ad vada venisset: naturae comparat arma:
Ardet mente, furit stridoribus, intonat ore:
Flexibus eversis torquetur corporis orbis:
Manant sanguineae per tractus undique guttae:
180 Spiritibus rumpit fauces. Cui cuncta paranti
Parvulus hunc prior humoris conterret alumnus,
Et mortem vitare monet per acumina. Namque
Qua diducta genas pendebant lumina gemmis,
Hac senioris erat naturae pupula telo
185 Icta levi. Tum prosiluit furibundus, & illum
Obtritum morti misit; cui dissitus omnis

Spi-

SCALIGERI.

174. OBVIA TORVA. Quaecumque ipsi torvo obvia erant.

175. SAEPIUS ARRIPIENS INFRENDERE. *Arrepens*, non *arripiens*. *Infrendere*, non *infringere* habent veteres editiones, & scripta membrana Contii. Itaque, ut alibi annotamus, *Defrensa* in veteri Glossario exponitur, *ἄρουρα διερδεῖσα*, quasi fracta seges. Et *defrens*, *ἄρουρα*, *διερασμός*. Catullus idem exprimit:

Abit, infremit, refringit virgulta pede vage.

180. CUI CUNCTA PARANTI. Lege: -- *que cuncta parante*. Cujus rei extant vestigia in antiquitus excusis. *Cuncta facere*, genus loquendi non vulgare in utraque lingua. Quod fere dicebant de irrito conatu. Cicero v. de Finibus. *At vere facere omnia, ut adipiscamur, quae secundum naturam sunt*, &c. Martialis lepide lusit:

Omnia quum fecit, Thaida Thais olet.

Euripides Eraclidis:

Μόλις δὲ πάντα δρῶντες, οὐκ ἄτερ πόνων
Ἐτρεψάμεσθ' Ἀργεῖον ἐς φυγὴν δόρυ.

Eubulus Comicus:

Ἐγὼ κεχόρτασμαι μὲν, ἄνδρες, οὐ κακῶς.
Ἀλλ' εἰμὶ πλήρης, ὥστε καὶ μόλις πάνυ
Ὑπεδησάμην, ἅπαντα δρῶν, τὰς ἐμβάδας.

Sic infra:

Gutturis arenti revolutus in omnia sensu. Hoc est, *πάντα ποιῶν ἵνα πίῃ*. Nisi sit, *ἐπὶ πᾶν διψώσιν*. Petronius apertius: *Quae ergo dementia est, omnia facere, ne quid e nobis relinquat sepultura?*

182. MONET PER ACUMINA. Lego cum veteribus excusis:

Et mortem vitare monet, per culmina namque
Qua diducta genas, &c. Culmina, τοὺς κροτάφους vocat.

183. QUA DIDUCTA GENAS. *Genae* hic *αἱ βλεφαρίδες*. Ennius:

Pandite sulti' genas, & corde relinquite somnum.

Melius ergo *obdebant*, quam *pandebant*. Nam veteres excusi, *ponebant*. Et fortasse bene, *Penebant*, pro *abdebant* rectum est.

184. AC LEVIORIS. Lege, ut antiquitus excusi, *Ac senioris erat naturae pupula*. -- Araneosam cutem & senilem, hoc est rugosam intelligit. Nam sane senem hunc pastorem ab eo induci patet ex alio loco:

Quantumcumque sibi vires tribuere seniles.

LINDENBRUCH.

181. HUMORIS ALUMNUS. Ita Culices describit, quod humore nascantur, Plinius lib. IX. cap. XV. *Arescente humore culices* (scilicet *proveniunt*.) Inepte alii haec legunt & explicant.

184. NATURAE PUPULA TELO ICTA LEVI, Eleganter Tertullianus quod cum telo semper volet, *Culicis tubam & lanceam* dixit. Aelianus quoque de Animal. lib. XIIII. cap. XXII. *Κώνωπι καὶ αἱρεῖται μόνῳ πονηρῷ μὲν ζώῳ, καὶ μεθ' ἡμέραν καὶ νύκτωρ ἀνθρώποις ἐχθρῷ καὶ δακεῖν δὲ βοῆσαι.*

Spiritus exceſſit ſenſus. Tum torva tenentem
Lumina reſpexit ſerpentem comminus: inde
Impiger, exanimis, vix compos mente refugit,
190 Et validum dextra truncum detraxit ab orno:
Qui caſus ſociaret opem, numenve Deorum,
Namque illi dederitne viam caſuſve, Deuſve,
Prodere ſit dubium: voluit ſed vincere tales.
Horrida ſquamoſi volventia membra draconis,
195 Atque reluctantis crebris, foedeque petentis
Ictibus oſſa ferit, cingunt qua tempora criſtam:
Et quod erat tardus, omni languore remoto,
Neſcius adſpiciens timor obcaecaverat artus:
Hoc minus implicuit dira formidine mentem.
200 Quem poſtquam vidit caeſum langueſcere, ſedit.
Jam quatit, & bijuges oriens Erebo cit equos nox,
Et piger aurato procedit Veſper ab OEta,
Cum grege conpulſo paſtor duplicantibus umbris
Vadit, & in feſſos requiem dare comparat artus:
205 Cujus ut intravit levior per corpora ſomnus,

Lan-

SCALIGERI.

187. TUM TORVA TENENTEM LUMINA. Fortaſſe:

-- *Tum torva tuentem Lumine* -- Sed nihil mutandum. *Tenentem lumina*, eſt, immotis luminibus ſtantem.

189. VIX COMPOS MENTE REFUGIT. Repone ex veteribus *reſurgit*. *Compos mente*, ἀρχαϊσμός. Ut Plautus, *vino cupidae*. Ut Ennius -- *ſtudioſum robore belli*.

192. NAMQUE ILLI. Iſte verſus ὑποβολιμαῖος. Neque in veteribus excuſis reperitur, & ſententiae concinnitati repugnat. Namque omnino legendum:

Cui caſus ſociarit opem, numenve Deorum,
Prodere ſit dubium.

Imo potius:

Qui (caſus ſociarit opem, numenve Deorum)
Horrida ſquamoſi, &c.

Ut duo illi verſus ſint perperam interpoſiti.

Namque illi d. v. c. D. Prodere, ſ. d. v. ſ. v. t.

Illa autem; *timor obcaecaverat artus*, includenda ſunt parentheſi. QUI, hoc eſt; *quo trunco*, ἀρχαϊκῶς, *qui* pro, *quo*. Sive inquit, caſus ſive Deus illi opitulatus ſit. Nam ita haec jungunt veteres. CASUS, Providentia, Fors, Ratio. Horatius: *Seu fors, ſeu ratio dederit*. Haec eſt vera lectio. Ex Epicurea ſchola eſt, Fors, Caſus; ex Stoica, Ratio, Providentia. Epicurus τύχῃ omnia, Stoici προνοίᾳ fieri ſciſcebant.

195. FOEDEQUE PETENTIS. Lego *patentis*. Patet ictibus, qui nullo modo adverſarii ictus repellit, ſed recipit.

196. CINGUNT QUA TEMPORA CRISTAM. Legendum *criſtae*.

197. OMNI LANGUORE REMOTO. Lege, *ſomni*. Vix tum primum expergiſcebatur.

201. JAM QUATIT ET. *Quatit*, ſupple flagrum. Quod mulionum, & aurigarum eſt ſignum, ἢ σύνθεμα, quum profecturi ſunt. Juvenal. -- *Mota jam mulio virga*
Annuit; &c.

tamen malo: *Jam quatiens bijuges*. Supra:

Et piger aurato quatiebat lumina curru.

Languidaque effuso requierunt membra sopore:
Effigies ad eum Culicis devenit, & illi
Tristis ab eventu cecinit convitia mortis.
Inquit: Quid meritus, ad quae delatus acerbas
210 Cogor adire vices? tua dum mihi carior ipsa
Vita fuit vita, rapior per inania ventis:
Tu lentus refoves jucunda membra quiete,
Ereptus tetris e cladibus: at mea Manes
Viscera Lethaeas cogunt transnare per undas:
215 Praeda Charontis agor. Viden' ut flagrantia taedis
Lumina collucent infestis omnia templis?
Obvia Tisiphone, serpentibus undique comta,
Et flammas, & saeva quatit mihi verbera poenae:
Cerberus, & diris flagrant latratibus ora:
220 Anguibus hinc atque hinc horrent cui colla reflexis,
Sanguineique micant ardorem luminis orbes.

Heu!

SCALIGERI.

207. Effigies ad eum. Effigiem τὸ εἴδωλον vertit. Tamen potuerat dicere spectrum. Sed nondum satis erat in usu. Primus enim Catius Insuber, Epicuri εἴδωλα *spectra* vertit. Auctor Cicero. Lucilius, quia eo tempore Romani, quomodo Latine dicerent, non habebant, Graecam vocem usurpavit:

Eidola, atque atomos vincere Epicuri volam.

209. Inquit, quid meritus. Mihi videtur melius legi posse:

Quis meritis, inquit, aut quae delatus.

Nam etiam *meritis* erat in membrana Contiana. Quae delatus: deferor hoc crimen, est ἐγκλισμός.

218. Verbera Poenae. Hic poena est Furia, ut infra:

Ergo jam caussam mortis me dicere vinctae
Verberibus saevo cogunt ab judice Poenae.

Sic Graece ποινή. Scriptor nescio quis apud Suidam: Πάντων ἀτεθυμένων, καὶ παρῃτημένων, ὧν εἰργάσατο, παράστησαι αὐτῷ τινας ἐρινῦς, καὶ ποινὰς, καὶ προστροπαίους τῶν δι' ἐκεῖνον ἀτυχηκότων. Et in Axiocho: Ἀκμαιότατα ἐκμαίνουσι τυφόμεναι ποινῶν. Plutarchus Ἐρωτικῷ: καὶ ποινὰς καλοῦσιν αὐτὰς, καὶ τοῖς ἀνδράσιν ὀργιζομένας, ὅτι σωφρονοῦσι. In eam partem, in quam accepit Plutarchus, interpretandum apophthegma de uxore, ἣν μὲν αἰσχρὰν, ποινήν. ἣν δὲ καλὴν, κοινήν. Terentius

— Illis crucibus, qui nos nostramque adolescentiam
Habent despicatam —

Varro Eumenidibus:

Tertia Poenarum, Infamia,
Stans nexa in volgi pectore.

Nam prius dixerat:

Videmus populum Furiis instinctum tribus
Diversim ferri, exterritum formidine.

Et tribus illis Furiis, ac Poenis tertiam ponit Infamiam. Corrector ergo, quisquis fuit ille, non intellexit, Poenae nomine hic Furiam accipi debere. Quo factum, ut postea sequentem versum corruperit.

219. Flagrant latratibus. Lege, *flagrans*. Ἀπὸ κοινοῦ, *saeva quatit verbera*. Et ita melius concinnitati & lectioni consuletur.

220. Horrent cui colla. Sed non displicet id, quod in veteribus editionibus reperi, *arent cui colla*. Nam squallere, & arere pro eadem re ponebant veteres.

LINDENBRUCH.

208. Cecinit convicia. Lucanus Panegyr.

Stridula cum rapido faciunt convicia soli.

Antiqui hoc *occentare* dicebant. Festus: *Occentassint antiqui dicebant, quod nunc convicium fecerint dicimus, quod id clare & cum quodam canore fit, ut procul exaudiri possit.*

Heu! quid ab officio digressa est gratia, cum te
Restitui superis lethi jam limine ab ipso?
Praemia sunt pietatis ubi? pietatis honores
225 In vanas abiere vices: & rure recessit
Justitiae prior illa fides: instantia vidi
Alterius, sine respectu mea fata relinquens.
Ad pariles agor eventus: fit poena merenti:
Poena fit exitium: modo sit dum grata voluntas,
230 Existat par officium. Feror avia carpens,
Avia Cimmerios inter distantia lucos:
Quem circa tristes densentur in omnia poenae.
Nam vinctus sedet inmanis serpentibus Othos,
Devictum moestus procul adspiciens Ephialten,
235 Conati quondam cum sint incendere mundum:
Et Tityos Latona tuae memor anxius irae,
Inplacabilis ira nimis, jacet alitis esca.
Terreor a tantis insistere, terreor umbris
Ad Stygias revocatus aquas. Vix ultimus amni
240 Restat, nectareas Divum qui prodidit escas,
Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.
Quid, saxum procul adverso qui monte revolvit,
Contempsisse dolor quem Numina vincit acerbus,
Otia quaerentem frustra? Vos ite puellae.

SCALIGERI.

224. PRAEMIA SUNT PIETATIS. Concinnius puto,

Praemia ubi pietatis? ubi pietatis honores?
In vanas abiere vices. -- Simile Catulli:
Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benigne est.

PIETATIS HONORES? *Hic pietatis honos? sic nos in sceptra reponis?*

228. FIT POENA MERENTI. Corruptissima haec sunt, & perturbatissima. Ita lego: -- *fit poena merenti,*

Poena fit exitium, modo, si cui grata voluntas,
Existat par officium. --

Age plectar sane, & mihi poena pro beneficio sit, dum tamen si cui gratus animus est, is parem gratiam mihi referat. Si qua est gratia, mutuis officiis me remuneretur.

232. QUEM CIRCA TRISTES. Hinc alio divulsi sunt versus, quos ita in sedes postliminio restituimus:

Quem circa tristes densentur in omnia poenae,
Atq; alias alio densent super agmine turmas.
Terreor a tantis insistere, terreor umbris.
Nam vinctus sedet &c.

DENSENTUR IN OMNIA. Sic alibi loquitur:

Gutturis arenti revolutus in omnia sensu.

237. IMPLACABILIS IRA NIMIS. Vetus editio:
Impla abilis ita jacet vivus alitis esca.

Ex quibus lego.

Implacabilibus Divis jacet alitis esca.
Ad Stygias revocatus &c.

244. OCIA QUAERENTEM FRUSTRA. Malo ex veteribus editionibus:

Ite; Otia

245 Ite, quibus taedas accendit tristis Erinnis,
Sicut Hymen praefata dedit connubia mortis:
Atque alias alio densat super agmine turmas,
Impietate fera vecordem Colchida matrem
Anxia sollicitis meditantem vulnera gnatis;
250 Jam Pandionias miseranda prole puellas,
Quarum vox Ityn, & Ityn, quod Bistonius Rex,
Orbus Epops moeret volucris evectus in auras.
At discordantes Cadmeo sanguine fratres
Jam truculenta ferunt, infestaque vulnera corpus
255 Alter in alterius; jamque adversatus uterque
Impia germani manat quod sanguine dextra.
Eheu! mutandus nunquam labor; auferor ultra
In diversa magis, distantia Numina cerno;
Elysiam tranandus agor delatus ad undam.
260 Obvia Persephone comites Heroidas urget
Adversas perferre faces; Alcestis ab omni
Inviolata vacat cura, quod saeva mariti
Ipsa suis fatis Admeti fata morata est.

SCALIGERI. Ecce

Otia quaerentes frustra sub lite puellae
Ite, quibus taedas accendit tristis Erinnys;
Sicut hymen praefata dedit connubia mortis:
Impietate fera cum cernam Colchida matrem
Anxia sollicitis &c.

Postrema enim de industria reponimus, *sub lite*. Nam certatim κὴ φιλοτιμούμεναι dolia implent. Facile absolvit Danaidas, cum videat majus scelus a Medea patrari, nimirum natorum caedem.

246. SICUT HYMEN. Correximus: *sicui hymen*.

248. VECORDEM COLCHIDA. Flagitiose haec mutarunt. Nos ex veteribus editionibus, -- *quum cernam Colchida* &c. Et sic postea in libro Conti scriptum reperi.

251. QUARUM VOX ITYN. Neque sententia, neque syllaba constant. Neque ambae illae aves Ityn referunt, sed Procne tantum. Quanquam potuit haec confundere poeta. Ex vestigiis priscae editionis repono:

Quarum vox querula est. Superas quoque Bistonius Rex
Orbus Epops moeret volucres evectus in auras.

254. JAM TRUCULENTA FERUNT, INFESTAQUE VULNERA. Puto rectius esse, quod habet membrana Contii I. C.

Jam truculenta ferunt infestaque lumina corpus,
Alter in alterius.

257. EHEU MUTANDUS. Hi versus alieni loci insessores sunt, & interdicto de vi ejiciendi. Quibus vindiciis in eos agamus, postea dicemus sub finem colloquii Culicis.

263. IPSA SUIS FATIS. Nihil argutius hac lectione. Quae tamen tanquam sorex indicio suo periit. Nam in obsoletis editionibus longe diversior concepta lectio:

Hic Chalcedenias Admeti cura merata est.

Nae audax nimis fuit ille, qui, quod ignorabat, id mutavit. Melius enim fuit haec praeterire, quam corrumpere. Sed melius, ut puto, erit & interpretari. An opponit Chalcedonias mulieres Alcestidi, ut videatur, quomodo ejus in Admetum maritum pietas insignis, sic harum nescio quod detestabile

Ecce, Ithaci conjux ſemper decus Icariotis
265 Femineum incorrupta decus manet, & procul illam
Turba ferox juvenum telis confixa procorum.
Quin miſera Eurydice tanto moerore receſſit,
Poenaque reſpectus, & nunc manet Orpheus in te.
Audax ille quidem, qui mitem Cerberon unquam
270 Credidit, aut ulli Ditis placabile numen:
Nec timuit Phlegethonta furentem ardentibus undis,
Nec moeſta obtentu diro, & ferrugine regna,
Defoſſaſque domos, ac Tartara nocte cruenta
Obſita, nec faciles Ditis ſine judice ſedes,
275 Judice, qui vitae poſt mortem vindicat acta.
Sed fortuna valens audacem fecerat Orphea.
Jam rapidi ſteterant amnes, & turba ferarum
Blan-

SCALIGERI.

bile facinus in maritos ſuos fuiſſe? Io hiſtoriis quidem legimus Chalcedonias mulieres, quum loquereotur cum viris, dimidiam oris partem tegere ſolitas, quod puderet eas concubuiſſe cum peregrinis ac ſervis. Videretur ergo Virgilius velle inouere, eas propter ſervos ioterfeciſſe maritos ſuos. Quamquam Plutarchus dicit earum viros periſſe in bello, quod cum Bithyois geſſerant, ac cum ſervis concubuiſſe. Ergo ita meos eſſet Maronis: Alceſtis apud inferos caret omni cura, & poenarum immunis eſt. Cujus mirum amoris exemplum in maritum omnes Chalcedonias, quibus diverſa fuit de maritis cura, remoratum eſt, oe in eandem ſedem ſcilicet ingrediantur, quam Proſerpina piis uxoribus, Alceſtidi, Penelopae, & Eurydicae aſſignavit. Saevam curam vocavit, quod, ut marito conſuleret, ſibi non pepercit. Si corrector ille hac ſaltem modeſtia auctori conſultum voluiſſet, ut quidvis potius auderet, quam ut hoc ulcus tangeret, & plus gloriae apud me conſequutus fuiſſet, & invidiae minus. Sed hoc cooteoti non erimus. Putamus enim ſine dubio legendum eſſe,

Iſtbic Alcyonas Admeti cura morata eſt.

Exemplum Alceſtidis moratum eſt Alcyonas. Hoc eſt, ſtupuerunt Alcyones exemplum ſimile Alceſtidis in maritum. Alcyonis pietas in maritum oota eſt ex fabulis. *Alcyones* elegantius dixit numero plurali, pro caeteris, quae ſimiliter ex luctu de morte maritorum perierant. Qua de re eleganter diſputat Dionyſius Longinus περὶ ὕψους. Quio & puto alluſum ad poema Ciceronis, cujus titulus erat, *Alcyones*. Auctor Capitolious io Gordianis.

265. Foemineum incorrupta. Priores excuſi *concepta*. Quae vera eſt lectio. Concepta decus, ἀρχαϊσμός.

268. Et nunc manet Orpheus in te. Lege:

Et nunc in te manet Orpheu.

272. Nec moesta obtentu diro. Interpolatum ex priſca editione:

Nec moeſta obtentu ditis ferrugine regna.

Lego *obtenta* non *obtentu*; *obtenta ferrugine*.

273. Defossasque domos. In membrana Contiana. *Neſoſaſque domos*. Sane veteres Romani *Cneſoſum* pro obſcuro dicebant, teſte Feſto, παρὰ τὸ κνέφας. Sed an ita ſcripſerit Virgilius nec oe, liquido non dejerarim.

274. Nec faciles Ditis. Et Aeneid. vi.

Nec vero hae ſine ſorte datae, ſine judice ſedes.

Mallem tamen, -- *nec faciles Dictaeo judice ſedes.*

Dictaeus judex eſt Minos. Α'προσιτοι ἵδρυι [illegible] ἢ δυσπαρ αἴτητοι κριτῶν, ἢ Δικταῖον.

275. Judice, qui v. p. mortem vindicat acta. Vetus membrana, *Judicat*.

LINDENBRUCH.

275. Post mortem vindicat acta. Monuit D. Scaliger veterem membranam habere *judicat*. Ego malim τὸ *vindicat*: Praeclare Manilius lib. v.

Quaeſtor ſcelerum veniet vindexque reorum,
Qui commiſſa ſuis rimabitur argumentis.

Blanda voce ſequax regionem inſederat Orphei:
Jamque imam viridi radicem moverat alte
280 Quercus humo, ſteterantque amnes, ſilvaeque ſonorae
Sponte ſua cantus rapiebant cortice amara.
Labentes bijuges etiam per ſidera Luna
Preſſit equos: & tu currentis menſtrua virgo
Auditura lyram tenuiſti nocte relicta.
285 Haec eadem potuit Ditis te vincere conjux,
Eurydicemque ultro ducendam reddere: non fas,
Non erat in vitam Divae exorabile numen.
Illa quidem nimium Manes experta ſeveros
Praeceptum ſignabat iter: nec rettulit intus
290 Lumina, nec Divae corrupit munera lingua.
Sed tu crudelis, crudelis tu magis, Orpheu,
Oſcula cara petens rupiſti juſſa Deorum.
Dignus amor venia, parvum ſi Tartara noſſent
Peccatum ignoviſſe: ſed & vos ſede piorum,

Vos

SCALIGERI.

287. Divae exorabile numen. Veteres excuſi *divae exorabile mortis*. Ergo:

Eurydicenque ultro ducendam reddere; non fas

Non erat in vitam dirae exorabile mortis.

Haec eadem lyra potuit te vincere, o Proſerpina: & jam eo res redierat, ut leges mortis non vetarent Eurydicen in lucem reddere. Οὐχ ἦσαν θεσμοὶ θανάτου ἀπαραίτητοι, μὴ οὐχὶ πάλιν εἰς φῶς τὴν Εὐρυδίκην ἀνάγειν. Porro quam omnes Eurydicen, eam Mimnermus vocat Agriopen.

290. Corrupit munera. Repono ex antiquitus excuſis, & ex membrana Contii, *Corrupit limina*. Votuerat enim Proſerpina loqui intra limina, & reſpicere.

293. Parvum si Tartara. Melius priſcae editiones; quas tamen ita interpungimus:

Dignus amor venia, gratum ſi Tartara noſſent.

Peccatum meminiſſe. Grave: at vos &c.

Si Tartara noſſent meminiſſe peccatum gratum, hoc eſt aequi boni conſulere. Imo peccatum gratum, quod eſt gratuitum. Sic gratum mendacium poſſet quis dicere, quod nulla mercede quis, ſed ſolo garrulitatis morbo motus mentitur. Quod Graeci dicunt ψιδίσθαι γλώσσῃ χαίρειν. Idem ergo extulit & in Georgicis:

Quum ſubito incautum dementia cepit amantem,

Ignoſcenda quidem, ſcirent ſi ignoſcere Manes.

Putarem tamen melius legi poſſe: *Peccatum minus eſſe*. Qua figura Petronius: *Quiſquis inops peccat minor eſt reus*. -- Ita hic, quiſquis in gratiam alicujus peccat, minor eſt reus.

294. Grave. Ita putamus diſtinguendum, ut ſua periodo intercipiatur. Sic Horatius:

Durum. Sed levius fit patientia

Quicquid corrigere eſt nefas.

Hic *Grave*, ut in Horatio, *Durum*. Grave quidem, inquit: at vos pro hac jactura, vos, inquit, manet beatorum ſedes. Orpheum & Eurydicen per apoſtrophen alloquitur.

LINDENBRUCH.

283. Menstrua virgo. Luna. Sic Martianus Capella lib. IX. dixit *menſtruam lampadem*, Lunam intelligens, quae modulationibus menſtruis variat, aequali viciſſitudine, lucem ſemper atque obſcuritatem reſumens.

287. Divae exorabile numen. Alii, *dirae*, o *mortis*.

295 Vos manet Heroum contra manus: hic & uterque
Aeacides. Peleus namque, & Telamonia virtus
Per fecura patris laetantur numina, quorum
Connubiis Venus, & virtus injunxit honorem.
Hunc rapuit ferva: aft illum Nereis amavit.
300 Affidet hac juvenis, fociat quem gloria, fortis,
Acer, inexcuffus, referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulfos.
O quis non referat talis divortia belli,
Quae Trojae videre viri, videreque Graji?
305 Teucria cum magno manaret fanguine tellus,
Et Simois, Xanthique liquor, Sigaeaque praeter
Litora, cum Troës faevi vos Hectoris ira
Videre in claffis inimica mente Pelafgas
Vulnera, tela, neces, ignis inferre paratos.
310 Ipfa jugis namque Ida potens feritatis, & ipfa
Aequa faces altrix cupidis praebebat alumnis,

Omnis

SCALIGERI.

297. LAETANTUR NUMINA. Lego *munia*. Id eft, praefecturam Aeaci, quam obtinet ille apud inferos. *Telamonia virtus* Graecanicum eft, ἰς Τελαμῶνος, βίη Πριάμοιο.

298. HUNC RAPUIT FERITAS. Quia fuit ἀγριός τις. Propterea ipfi favit Virtus. ficut contra Venus Peleo, qui ἀπράγμων fuit, ut uxorem Thetidem meruerit. Quare impudenter nimis fecit ille, qui nuper edidit: *Hunc rapuit ferva*. Et quaenam fuit illa ferva? Non Hefionem putat, fi fapit. At Ajacem filium rapuit Tecmeffa ancilla. Sed quam Homerus ἠνορέην vocat, feritatem Virgilius vertit, ut & paulo poft -- *torva feritate repulfos*.

300. ASSIDET HAC JUVENIS. Quam proxime potero, ad veteris editionis veftigia accedam:

Affidet hac juvenis fociatae gloria fortis
Alter, in excurfu referens a navibus ignes
Argolicis Phrygios torva feritate repulfos.

301. ACER, INEXCUSSUS. Veteres duae membranae, *Alter in excisfum*.

308. VIDERE IN CLASSES. Antiquitus excufi recte habent *viderit*. *Hectoris ira* περιφραστικῶς more Graecorum, μένος Ἕκτορος. Quum Hector, o Troes, vos viderit paratos inferre &c. Sed quum idem antiquitus excufi habeant, *Troas*, puto verius:

-- Cum Troas faevi vis Hectoris ire
Viderit in claffes inimica mente Pelafgas
Vulnera, tela, neces, ignes inferre paratos.

-- vis Hectoris, idem Hellenifmus, βίη Ἕκτορος.

310. IPSA JUGIS. Repono ex veteribus excufis, *Ipfa magis*. fed totum locum apponam:

Ipfa magis namque Ida potens feritatis, & ipfa
Acta faces altrix cupidis praebebat alumnis.

Acta pofui, cum membranae, item libri antiquitus excufi habeant, *Latque*. *Acta* eft ἀκτή.

At procul in fola fecretae Troades acta.

Putavi & legi poffe, *Dicta*. Nam in Troade Ἴδη, καὶ Δίκτη montes, ut & in Creta. Strabo. Prior conjectura magis placet. *Potens feritatis*. (ita enim veteres excufi habent) ἀγριόδενδρος. Nam *feritas*, ut *autumnitas*, *olivitas*. Ergo in *qua* multae ferae arbores: ut *fera vitis* Sifennae. Et *fera oliva* ἡ κότινος Statio:

Pulvereumque fera crinem detersit oliva.

Poteft & ferarum altrix, θηρόβοτος. Quo nomine & μητέρα θηρῶν dicuut Poetae.

LINDENBRUCH.

299. HUNC RAPUIT SERVA. Alii, *feritas*..

Omnis ut in cineres Rhoetei litoris ora
Classibus ambustis flamma superante daretur.
Hinc erat oppositus contra Telamonius heros,
315 Objectoque dabat clipeo certamina: & illinc
Hector erat, Trojae summum decus: acer uterque,
Fulminibus caelo veluti fragor editus alto:
Ignibus hic telisque super, si classibus Argos
Eripiat reditus: ille ut Vulcania ferro
320 Vulnera protectus depellere navibus instet.
Hoc erat Aeacides alter laetatus honore:
Dardaniaeque alter fuso quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
Rursus acerba fremunt, Paris hunc quod letat, & hujus
325 Alma dolis Ithaci virtus quod concidit icta,
Huic gerit aversos proles Laërtia vultus,

Et

SCALIGERI.

313. FLAMMA SUPERANTE. Veteres illae editiones, & membranae *flamma lacrimante*. Quis tam stolidus, si vera erat lectio vulgata, ut hanc mallet, quae minus usitata est? Sed sane subdititium est τὸ *superante*. Equidem eruditissimum poetam more Graecorum *lacrimantem flammam* dixisse puto. Nam illi δακρυόεσσαν φλόγα & πόλεμον δακρυόεντα.

317. FULMINIBUS CAELO. Et haec & sequentia importuna Correctorum audacia depravavit. Sequar vestigia illarum obsoletarum editionum:

Fulminis ut caelo velitat fragor, editur ense
Tegminibus, telisque super-- Nam illae habent:
Fulminibus caelo veluti fragor, editur ense
Tegminibus, telisque super -- vel potius,
Fulmineus caelo veluti fragor, -- ἀπὸ κοινοῦ
editur.

Imminet, inquit, ense super omnia tela, & tegmina, hoc est clupeos. Ensem coruscans inter tela, & clipeos viam perrumpit. Idem XII. Aeneid.

Ense sequens nudo superimminet.

superimminet, ut hic, *supereditur*. Et apud Tibullum in panegyrico ad Messalam: -- *celerem superedere corpus Audet equum*.-- hoc & *emicat* vocavit eodem libro Virgilius: -- *saltu*
Emicat in currus --

Quid ergo faciemus istis monstris Correctorum?

319. ERIPERET REDITUS. Homericum: νόστιμον ἦμαρ ἀπηύρα. Hic corruptae sunt veteres editiones.

321. HOC ERAT AEACIDES. O immanem licentiam βδελυρεβδελῶν istorum! ut ista nobis mutarunt, ut ne Virgilius quidem ipse agnoscere possit. Saltem veterem editionem nobis reliquissent, quae ita legit:

Hoc erat Aeacides vultu laetatus honore.
Dardaniaeque alter, fuso quod sanguine campis &c.

Ex quibus sane leg. non ex animi nostri libidine,

Hic erat Aeacides vultus elatus honore
Alter, Dardanio fusi quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.

Nam iste alter Aeacides, est Achilles: alter de quo jam dixit, Ajax. *Campis fusi sanguine* est ὑπαλλαγὴ poetis frequentissima. Nam dicendum potius fuso sanguine campis.

324. RURSUS ACERBA FREMIT PARIS HUNC QUOD LAEDAT. Repone lectionem manuscriptam. *Paris hunc quod letat*. *Letare* πέφνειν, ἐπεκτονεῖν.

325. ALMA DOLIS. Repone, *Alta dolis*. Allusum ad Epigramma, in quo virtus Ajacis conqueritur:

Θυμὸς ἔχει μεγάλω βεβολημένα, οὕνεκ' Ἀχαιοῖς
Ἁ δολόφρων ἀπάτα κρέσσων ἐμεῦ κέκριται.

326. HINC GERIT AVERSOS. Priores editiones habebant:

Hinc gerit eversos proles Laertia currus.

Quod quare mutemus? intelligo evertisse currus Rhesi, interfecto Rheso ipso. Vel, si mavis, aversos currus. Avertit enim, hoc est abegit ipsum currum

 cum

Et jam Strymonii Rhoesi, victorque Dolonis
Pallade jam laetatur ovans, rursusque tremiscit
Jam Ciconas, jam jamque horret Laestrigonas atros.
330 Illum Scylla rapax canibus succincta Molossis,
Aetnaeusque Cyclops: illum metuenda Charybdis,
Pallentesque lacus, & squalida Tartara terrent.
Hic & Tantalei generis decus amplus Atrides
Assidet, Argivum lumen: quo flamma regente
335 Doris Erichthonias prostravit funditus arces.
Reddidit, heu, gravius poenas tibi Troja ruenti;
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.
Illa vices hominum testata est copia quondam,
Ne quisquam propriae fortunae munere dives
340 Iret inevectus caelum super omne: propinquo
Frangitur invidiae telo decus. Ibat in altum
Vis Argoa petens patriam, ditataque praeda

Arcis

SCALIGERI.

cum equis, ut testatur auctor Tragoediae Rhesi (non enim est Euripides) his verbis:

-- Οἱ δ' ὄχημα πωλικὸν
Λιβόντες ἵππων ἴσαν φυγῇ πόδα.

333. AMPLUS ATRIDES. Placet ἐγχειρίμοις veterum editionum, *Atrida*.

336. REDDIDIT HEU GRAVIUS. Miror istos tam securos haec praeteriisse, cum non intelligerent: aut ipsis melius haec cognita esse, quam nobis, qui haec non intelligimus. Non enim vacant maximo aliquo meodo. Sed puto non solum ipsis Correctoribus, sed & aliis ita facile intelligi posse, si hoc modo legantur:

Heu reditus Grajum poenas tibi, Troja, ruenti
Hellespontiacis obiturus reddidit undis.

reditus obiturus Ὁμηρικῶς. -- Ἀτώματο νόστιμον ἦμαρ.
Reduces Graii perituri in undis reddiderunt tibi poenas. Subjicit enim:

Illa vices hominum testata est copia quondam &c.

Et ita Propertius lib. IV. *-- tu diruta fletum*
Supprime, & Euboicos respice, Troja, sinus.
Sed sine dubio de Achille haec dicta sunt. Quare hinc eiiciendi sunt duo hi versus, & in superiora reiiciendi, hoc est in suas pristinas sedes postliminio revocandi.

Hic erat Aeacides vultus elatus honore
Alter, Dardanio fusis quod sanguine campis
Hectoreo victor lustravit corpore Trojam.
Reddidit heu gravius poenas tibi, Troja, ruenti
Reddidit, Hellespontiacas obiturus ad undas.

Nihil clarius hac lectione. Nam ad Hellespontium litus sepultus est. Graeci vero non in Hellesponto, sed ad Caphareos scopulos, hoc est in mari Euboico naufragium fecerunt. *Obiturus* in futuro dicit, quia de ipso adhuc raptante Hectorem loquitur. Ruentem Trojam vocat, quae Hectore peremto facilior captu erat. *-- Et ademptus Hector*

Tradidit fessis leviora tolli
Pergama Graiis

Ait Higenus, quum Hectorem raptaret, Achillem exclamasse, *expugnavi Trojam*.

338. ILLA VICES HOMINUM. Enumeratis sigillatim Heroibus, nunc in genere eorum naufragium narrat: & hic incipit narratio. Locus autem hic ita legitur in membrana excerptorum:

Illa vices hominum testata est copia quondam,
Cur aliquis propriae fortunae munere dives
Tendit inevectus caelum super?

Ut nullam satis malam crucem istis Correctoribus imprecari possim, qui ita, ut in vulgatis hodie legitur, mutarunt.

342. VIS ARGOA. Miror hoc hominum genus, qui

Arcis Erichthoniae : comes huic erat aura ſecunda
Per placidum curſu pelagus : Nereis ad undas
345 Signa dabat, pars inflexis ſuper acta carinis:
Cum ſeu caeleſti fato, ſeu ſideris ortu
Undique mutatur caeli nitor, omnia ventis,
Omnia turbinibus ſunt anxia. Jam maris unda
Sideribus certat conſurgere ; jamque ſuperne
350 Corruere & Sol iis, & ſidera cuncta minantur.
At venit in terras caeli fragor. Hoc modo laeta
Copia nunc miſeris circumdatur anxia fatis;
Inmoriturque ſuper fluctus, & ſaxa Capharei,
Euboicas & per cautes Haereaque late
355 Litora : cum Phrygiae paſſim vaga praeda peremtae
Fluctuat omnis in aequoreo jam naufraga tractu.

Hic

SCALIGERI.

quia omnia mutare ſolent, adeo caecos fuiſſe, ut diſpicere non potuerint, quid interſit inter Ἀργῷον, & Ἀργεῖον. Nam Argoa ab Argo navi : illud ab Argivis. Quare legendum eſſet Argiva. Sed veteres editiones admonent aliam fore lectionem, ſi earum corrupta veſtigia ſequamur. Habent enim :

Vis repetens Argo patriam. -- Ut malim ſane:
Vis repetens Argos patrium. -- *Vis*, *Copia*, ut infra.

343. COMES HUIC ERAT. Comes aura. πομπίμους οὔρους, πομπαῖον οὖρον. Quem ita deſcribit Varro κοσμοτορύνῃ hac Coronide anapaeſtica :

Detis habenas animae leni,
Dum ventus vos flamine ſudo
Suavem ad patriam perducat.

aliter λαμπρὸν οὖρον. *Candidum*. Petronius :
Nequitiae claſſes candida vela ferunt.

344. NEREIS AD UNDAS. Puto legendum -- *Nereides undis Signa dabant* -- Nam de pluribus omnino loqui neceſſe eſt, cum ſubjungat -- *Pars inflexis ſuperacta carinis*. Deinde neſcio quid ὑπερβάλλειν ἢ λέξει eſſet. Et quare unam potius Nereidem aſſignaſſet ?

345. PARS INFLEXIS. Fortaſſe -- *pars inflexis ſubit acta carinis* : ut intelligat partem praeire, partem ſubire oneri, hoc eſt, navi, quod Graeci ἐπέχειν dicunt.

351. HIC MODO LAETUM. Quare *laeta* in *laetum* mutarunt, cum & ſententia, & veteres editiones refragentur? *Copiam* vocat exercitum, ut ſupra: *Illa vices hominum teſtata eſt copia quondam*. Varro III. rerum humanarum : *in tres partes diviſa copia. In populos* XII. *Salentini dicti, quod in ſalo amicitiam fecerint*. Citat Probus VI. Bucolico Virgilii.

354. HERAEAQUE LATE. De Heraeis litoribus, ad quae perierit Ajax Oilei, adhuc nihil legi; ſed neque extare in literis puto. Si enim, qui correxit hoc, is ſequutus eſt veſtigia priſcae lectionis, vereor, ne *Gyraea* legendum ſit. Γυραῖαι enim πέτραι dicuntur, ad quas periit ille, quas Γυρὰς Homerus vocat. In commentariis in Lycophronem, Γυραῖαι δὲ κυρίως ἐλέγοντο αἱ πέτραι, ἐν αἷς ὁ Αἴας ἀπώλετο. In obſoletis editionibus, ut & in membranis, plane expreſſum eſt *Caeica*, valde diverſa lectione. An in membranis ſcriptum fuit *Aecea*, pro *Aegea*? ut *ſubicitare*, pro *ſubigitare* : *inicere*, pro *inigere* : *indices*, pro *indiges*? Nam *Aegea litora* legendum eſſe etiam Euripides docet in Ione :

-- πέτραις Καφηρείοις ἐμβαλεῖν, Αἰγαῖ τε.

355. PRAEDA PEREMPTA. Ineptiſſima ſane lectio. At veteres editiones recte, *praeda peracta*, id eſt, penitus averſa, & convectata : ut *ſidus peractum*, confectum.

356. FLUCTUAT OMNIS IN AEQUOREO JAM NAUFRAGA TRACTU. Pro *tractu* membrana Contii habet *luctu*. Lego *fluctu*. Sed & totus verſus in ea ita conceptus erat: *Fluctuat omnis in aequoreo naufragia luctu*. Fortaſſe : *Fluctuat omnis in aequoreo navifraga fluctu*. Ut -- *Navifragum Scylacaeum*.

LINDENBRUCH.

348. UNDA SIDERIBUS CERTAT CONSURGERE. Virgilius. *Sidera verberat unda*.

Hic alii ſidunt pariles virtutis honore
Heroës, mediiſque ſiti ſunt ſedibus omnes.
Omnis Roma decus magni quos ſuſcipit orbis.
360 Hic Fabii, Deciique: hic eſt & Horatia virtus:
Hic & fama vetus nunquam moritura Camilli:
Curtius &, mediis quem quondam ſedibus urbis
Devotum bellis conſumſit gurgitis hauſtus:
Muciusи & prudens, ardorem corpore paſſus,
365 Legitime ceſſit cui fracta potentia Regis.
Hic Curius clarae ſocius virtutis, & ille
Flaminius, devota dedit qui corpora flammae.
Jure igitur talis ſedes pietatis honorat.
Illic Scipiadaeque duces: devota triumphis
370 Moenia quos rapidos Libycae Carthaginis horrent.
Illi laude ſua vigeant: ego Ditis opacos
Cogor adire lacus, viduos a lumine Phoebi,
Et vaſtum Phlegethonta pati: quo maxima Minos
Conſcelerata pia diſcernit vincula ſede.

Ergo

SCALIGERI.

359. OMNIS ROMA DECUS. Verſus, qui ab hoc nonus eſt, huc rejiciendus eſt: *Jure igitur tali ſedes pietatis honore eſt*. Vetus editio ita habet: *Jure igitur tali ſ. p. honeres*. Ex quo noſtrum correximus.

361. MORITURA CAMILLI. Miſſas fac Correctorum nugis, & cum priſcis editionibus legito:

Hic & fama vetus nunquam moritura per aevum
Curtius, e mediis quem quondam ſedibus urbis
Devotum bellis conſumpſit gurges inundans.

Ad verbum, ἡ μῦθος παλαιὸς ὁ Κούρτιος. Non enim dubium, quin ea vera ſit lectio. Nam famam veterem, ſeu hiſtoriam vocat Curtium, quod & incertum tempus ejus hiſtoriae, & incerta, ac varia de eo tradebantur. Quod cognoſces ex Varrone. Eſt autem Graeciſmus, ut indicavi, *Curtius fama vetus*. Similiter loquutus eſt:

Et certamen erat Corydon cum Thyrſide magnum.

vide Servium. At quur omiſit Camillum, omnium optime de patria meritum? Atqui Romulum, & Numam, qui priores ordine, & memoria erant, pariter omiſit.

363. GURGITIS HAUSTUS. Illae veteres editiones, & membranae: *gurges in unda*. Nos *gurges inundans*. Nam ex iis variis opinionibus de morte Curtii, ſunt & quae dicant, inundatione, dum ad hoſtes penetrare vult, & paludem trajicere, abſorptum. Vide Varronem, & quae in illum annotavimus olim: item Dionyſium. Inde *Curtii lacus* vocatus eſt locus ille. Dicebant enim quidam ſubito ſtagnaſſe locum, & ubi in undam conjeciſſet ſe Curtius, poſtea exſiccatum gurgitem fuiſſe,

365. LEGITIMI CESSIT. Legitimum Regem vocat Porſenam. Scriba enim, qui pro Rege interfectus fuit, non erat legitimus Rex, ſed ὑποδεσπότης.

367. DEVOTA DEDIT QUI. Conjecit enim ſe tanquam in flammam, & ut Cicero loquitur, tanquam in peſtem ob oculos poſitam, cum conflixit cum Annibale, & equo devolutus interfectus eſt. Aucupatur autem argutiam ex alluſione nominis, *Flaminius*, *flamis*.

374. CONSCELERATA PIA. Sane nihil muto. Non tacebo tamen, quid de hoc loco ſentio. Videtur enim melius, & commodius legi poſſe:

Cognita diſcernit ſcelerata piacula ſede.

Nam ex *cognita ſcelerata* videntur feciſſe *conſcelerata*. Ex *piacula* autem *pia vincula*. Deinde eo ordine

375 Ergo jam cauſſam mortis me dicere vinctae
Verberibus ſaevo cogunt ab judice poenae:
Cum mihi tu ſis cauſſa mali, nec conſcius adſis;
Nec tolerabilibus curis haec inmemor audis:
Quae tamen, ut vanis dimittens omnia ventis,
380 Digredior nunquam rediturus: tu cole fontis,
Et viridis nemorum ſilvas, & paſcua laetus:
Et mea diffuſas rapiantur dicta per auras.
Dixit: & extrema triſtis cum voce receſſit.

Hunc

SCALIGERI.

dine diſpoſuiſſe, quo hodie leguntur, ut verſui conſuleretur. Diſcernit ergo piacula, & reos ſedibus. Hoc eſt, pro ratione criminum eis ſuas ſedes aſſignat: ut etiam legimus VI. Aeneid. Lacus viduos a lumine, ἀκτερεῖς Sophocli.

375. ERGO JAM CAUSSAM. Valeant Correctorum deliramenta. Tu, ſi verum amas, veterem lectionem, quae in antiquitus excuſis & membrana legitur, potius ſequere:

Ergo quam cauſſam mortis, quam dicere vitae
Verberibus ſaevae cogunt ſub judice Poenae,
Cum mihi tu ſis cauſſa mali, nec conſcius adſis?
Sed tolerabilibus curis haec immemor audis?

Nam quid magis perſpicuum hac lectione? quam cauſſam mortis, quam vitae ex Dialogis νεκρικῶν Luciani haec cognoſces. Nam ibi Charon & de vitae, & de mortis genere interrogat.

378. SED TOLERABILIS. Importune nuper depravarunt, *Nec tolerabilibus*. Intolerabiles ipſi ſane. *Tolerabilis* hic eſt ἀνεξίκακος, Columella lib. VII. *Quoniam ſaepe frigorum atque hiemis ſaevitia paſtorem decipit, & eas oves interimit, quas ille tempore Autumni ratus adhuc eſſe tolerabiles, non ſummoverat*. Nam ibi *Tolerabiles*, ſunt tolerantes hiemis. Ita *intolerabilis* Afranio, Privigno:

--quod ſi feciſſem paulo ſaepius,
Didiciſſet ferre, & non eſſe intolerabilis.

ἐκ τῆς δυσκαρτερησίας. Locus ille in Heautontimorumeno parum vulgo intelligitur:

--nam parentum injuriae
Uniuſmodi ſunt ferme, Paulo qui eſt homo tolerabilis,
Scortari crebro nolunt--

Nam etiam, inquit, ſi quis inter patres patientiſſimus, & filiorum ingeniis aequiſſimus eſt, tamen crebro illos ſcortari nolit &c. Hic ergo, *tolerabilibus curis audis*, eſt Graecorum, ἀνεξικάκως ἔχεις περὶ πάντα. Dictum autem ad exemplum Graecorum. Nam Homerus dixit eadem mente τλητὸν. Τλητοὶ θυμόν.

Τλητὸν γὰρ Μοῖραι θυμὸν θέσαν ἀνθρώποισιν.

Sic μενετοὶ θεοὶ pro ἀνεξίκακοι Ariſtophanes dixit. Cum tamen μενετὸς, & tolerabilis, & τλητὸς patiendi notionem habeant, non agendi. Non abſimili forma Naevius Alceſtide, *intolerantibus curis* dixit.

379. QUAE TAMEN UT VANIS. Jam errorem errore, vel potius ſcelus ſcelere cumularunt, qui haec mutarunt. Vetus editio:

Et tamen in vanis demittes ſomnia ventis,

Ego non ſolum amplector hanc lectionem, quanquam nonnullis maculis aſperſam: ſed & verſum, qui hinc diſtractus fuit, ea duce, in ſuas ſedes repono. Lego igitur:

Tu tamen in vanos dimittes ſomnia ventos,
Et mea diffuſas rapientur dicta per auras.

Nam quaecunque Culex paſtori dicit, dormienti & in ſomnis dicit. Quae qui non animadverterunt, veram, & genuinam vocem immutarunt.

380. DIGREDIOR. Jam tempus eſt verſus jam longo intervallo hinc vi pulſos, de quibus ſupra monuimus, in ſuas ſedes reponere:

Tu tamen in vanos dimittes ſomnia ventos,
Et mea diffuſas rapientur dicta per auras.
Eheu mutandus nunquam labor! auferor ultra
In diverſa magis, diſtantia limine certo.
Elyſiam tranandus ager delatus ad undam.
Digredior nunquam rediturus. Tu cole fontes,
Et viridis nemorum ſilvas, & paſcua laetus.
Dixit: & extrema &c.

Piget me his correctiones aut venditare, aut commendare, quaſi excellentiſſimorum virorum ingeniis, aut judiciis diffidam. Ipſi conſiderent, & videbunt non tam meam diligentiam, quam aliorum negligentiam: qui cum omnia ſuſpecta haberent, haec interim ſilentio praetermiſerunt. DISTANTIA LIMINA CERNO. Lego *diſtantia limine certo*. Inde enim nunquam exitur amplius.

Hunc ubi ſollicitum dimiſit inertia vitae,
385 Interius graviter mentem aeger: nec tulit ultra
Senſibus infuſum Culicis de morte dolorem,
Quantumcumque ſibi vires tribuere ſeniles,
Quis tamen infeſtum pugnans devicerat hoſtem:
Rivum propter aquae viridi ſub fronde latentem,
390 Conformare locum capit inpiger: hunc & in orbem
Deſtinat, ac ferri capulum repetivit in uſum,
Gramineam ut viridi foderet de ceſpite terram.
Jam memor inceptum peragens ſibi cura laborem
Congeſtum cumulavit opus, atque aggere multo
395 Telluris tumulus formatum crevit in orbem:
Quem circum lapidem levi de marmore formans
Conſerit aſſiduae curae memor. Hic & acanthus,
Et roſa purpureo creſcit rubicunda colore,
Et violae omne genus: hic eſt & Spartica myrtus,
At-

SCALIGERI.

385. MENTEM AEGER. Omnino legendum, *mentem aegret*. A quo etiam *aegreſcere*. Alioqui valde confuſa erat hujus loci ſententia. Sed alio nos revocat ſcripta lectio, *Interius graviter rege mentem:* quae proba eſt, & tenor ſententiae continuatur uſque ad *Conformare locum capit impiger*.

390. CONFORMARE LOCUM. *Capit conformare locum*. Ita ſupra locutus eſt: — *Et in feſſos requiem dare comparat artus*. Nam ibi eodem modo *comparat dare*, ut hic, *capit conformare*. *Capere* vero verbum Augurum, cum locum eligebant ad eſſandos fines templorum. Sic *captus Augur*, *captus judex*, *captus arbiter*. Grammatici etiam veteres nugantur, qui haec verba DE VESTALI CAPIENDA putant dicta ex more, & ſuperſtitione veteri: quod quae primum Veſtalis facta, capta ſit in bello.

395. QUEM CIRCUM. Puto:
Quem circum lapidum laevi de marmore formas
Conſerit &c. Formas lapidum.

397. CONSERIT. Κυριολογία. Nam cruſtas marmorum quas vocat *formas*, eas intelligit, quas aliter ἐμβλήματα, a conſerendo dicunt.

399. ET VIOLAE OMNE GENUS. Vel dictum ἴων πᾶν γένος, vel ἴα παντοῖα. Ut Auſonius,
Et duplici defenſa putamine quinquegenus Nux.
Omne genus autem dixit, quia plura earum genera Plinius libro XXI. Nicander vero in Georgicis duo tantum, quod miror. Ex eo optimos & luculentiſſimos hos verſus proferemus ita, ut olim a nobis correcti ſunt.

Ἀλλὰ τὰ μὲν σπείροις, τὰ δὲ καὶ ὡραῖα φυτεύοις
Ἄνθη Ἰαονίηθε. Γένη γε μὲν ἴα δίοισα,
Ὠχρόν τε, χρυσῷ τε φυὴν εἰς ὦπα ἰδέσθαι
Σιδόεν. Ἰαονιάδες Νύμφαι στέφος ἀγνὸν Ἰωνι
Πισαίοις ποθέσασαι ἐνὶ κλήροισιν ὄρεξαν.
Ἤνυσε γὰρ χλοῦνιν μετὰ δ' ἐσσυμένοις σκυλάκεσσιν
Ἀλφειῷ κατὰ λύθρον ἰὼν ἐπελούσατο γυίων,
Ἑσπέριος νύμφαισιν Ἰαονίδεσσι τυχήσας.

SPARTICA MYRTUS. Τὸ *Spartica* νοθίζει. Non enim Sparticus a Sparta, ſed Spartanus. An legendum *Aſtartica*, hoc eſt Venerea? Aſtarte enim Venus. An, de quo non dubito, *Parthica*? Sane id confirmabimus ex Athenaeo lib. XV. Ἀπολλόδωρος δ' ἐν τετάρτῳ Παρθικῶν ἄνθος τι ἀναγράφει καλούμενον φιλάδελφον, κατὰ τὴν Παρθικὴν χώραν. Περὶ οὗ τάδε φησί, καὶ μυρσίνης γένη ποικίλα, μίλαξ τε, καὶ τὸ καλούμενον φιλάδελφον. In his verbis habes μυρσίνην Παρθικήν. Tamen Theophraſtus in libris ἱστορίας φυτῶν aliquem agrum Sparticum Achaiae facit, περὶ τὴν Σπαρτικὴν τῆς Ἀχαΐας. Sed haec incerta ſunt.

LINDENBRUCH.

395. TELLURIS TUMULUS FORMATUM CREVIT IN-

400 Atque hyacinthus, & hic Cilici crocus editus arvo,
Laurus item Phoebi ſurgens decus; hic rhododaphne,
Liliaque, & roris non avia cura marini,
Herbaque thuris opes priſcis imitata Sabina,
Chryſanthuſque, ederaeque nitor, pallente corymbo,
405 Et Bocchus Libyae Regis memor; hic amaranthus,
Buphthalmuſque virens, & ſemper florida pinus.
Non illinc Narciſſus abeſt; cui gloria formae
Igne Cupidineo proprios exarſit in artus,
Et quoſcumque novant vernantia tempora flores.
410 His tumulus ſuper inſeritur; tum fronte locatur
Elogium, tacita format quod litera voce.

SCALIGERI.

400. Cilici Crocus. Placet veterum editionum ἀρχαϊσμὸς *Cilico* non *Cilici*.

402. Et roris non avia. Haec lectio interpolata ex quibuſdam veteribus editionibus, *novania*. Aliae vetuſtiores habent *Nonacria*. Puto, *Nonacria tura*:

-- & Rores, Nonacria tura, marini.

ut apud Nonacrios Arcadiae gentem vicem turis praeſtitiſſe intelligatur. Sane propterea λιβανωτὶς dicta, quia τῇ ὀσμῇ λιβανωτίζει. Et quemadmodum herba Sabina priſcis Romanis pro ture adolebatur, ita etiam juſtius videatur ἡ λιβανωτὶς in uſu turis fuiſſe. Eodem modo ſupra dixit:

-- illi Panchaia tura,
Floribus agreſtes herbae variantibus adſunt.

Cui, inquit, pro ture, aut vice turis ſunt herbae odoriferae. An legendum *non annua cura*. Nam non colitur quotannis, ut vitis: ſed ramo depacto ſponte inoleſcit.

403. Herbaque turis opes priscis imitata Sabinis. Lege ex priſca membrana, *Sabina*.

404. Chrysantus. Lege Chryſanthes. Ita Nicander Georgicis:

Πηλαίκι δ' ἴλλια καλά, τότε χρυσανθὲς ἀμέργων.

Ederaeque nitor. Ut Vitruvius: *Neque olei nitorem, neque vitium fructum habere potuiſſemus.* Poetica ſunt, τὸ πῖαρ, τὸ λίπος, τὸ γάνος. Sed & *ederae nitor* ita videri poſſit dictum, ut apud Theocritum ῥόδω ἀγλαΐα:

Αγλαΐαν πυρσοῖο ῥόδου χείρεσσι λέγουσα.

405. Et Boccus. *Επώνυμον βόκχου.* Sed quid ſit, quaeramus.

406. Buphthalmusque. Nicander in Georgicis ex correctione noſtra:

Par-

Ἠ' γὰρ λεπταὶ πτέριδες, καὶ παιδὸς ἔρωτες,
Λευκόϊά τε ἀμείνω, ἐν καὶ κρόκος εἴαρι μύων
Κύπρος τε, σισύμβριον, ὅσα τε χ' οἷα
Λαπορ' ἰαμνιαῖσι πόταις ἀνεθρέψατο λειμὼν
Κάλλεα, βουφθαλμόν τε, καὶ ἀοίδιες διὸς ἄιδος.

Veteres excuſi & membranae mendoſe, meo judicio, omnes habent *Bumaſtus*. Si autem vera eſt, quaeramus quid ſit *Bumaſtos*. Et semper florida. Injurioſe nimis mutarunt hunc locum, ubi antea legebatur *-- ſemper florida pinus*: quum *Picris* etymo ſuo ſatis oſtendat, inter hos delicatiſſimos flores locum ſe habere non poſſe. At *pinus* non eſt arbor, quod putavit Corrector, ſed χαμαίπιτυς. Eam inter flores Columella ponit. Quin ſi quando nos eam legimus, ea, ac ſuaviſſimo quovis alio flore laetamur. Apollodorus inter στεφανωματικὰ ponit. Athenaeus, Απολλόδωρος δὲ ἐν τῷ περὶ θηρίων φησὶ, χαμαίπιτυν. Οἱ δὲ ἰωνιάν, οἱ δὲ κατ' Λιβύαν, σιδηρῖτιν. Non aliam intellexit Poeta noſter IIII. Georg.

Ipſe thymum, pinoſque ferens de montibus altis. Poſt:

--illi tiliae, atque uberrima pinus.

Qui enim putaverit ibi de arbore pinu intelligendum, toto caelo eum errare neceſſe eſt.

411. Elogium. *Elogium* proprie, quod Gallice *Blaſon* dicimus. Quod tam in bonam, quam in malam partem accipiendum. Plautus Mercatore:

Meae fores impleantur elogiorum carbonibus.

Multi putant Graecum eſſe: priuſque dictum ἐκλόγιον. Ego vero contra putem, quemadmodum pleriſque nominibus Graecis Latini praepoſitiones

Parve Culex, pecudum custos, tibi tale merenti
Funeris officium vitae pro munere reddit.

SCALIGERI.

anteponebant: ita etiam *elogium* ex Graeca voce, & Latina praepositione conflatum: ut in *prologo*, & *prologio*, & *antelogio* videmus factum: quae qui mere Graeca dixerit, is magnas nugas egerit. Sic *Pronus* primam producit: nam compositio est Latina: origo Graeca. In antiqua enim lingua fuit προσὼ [illegible] τὸ πρόσθεν. Ex quo mansit tantum in usu προπωλεῖν. Sic etiam *Propola* ex Graeco πωλεῖν. Sed praepositio Latina est, ut *Prologus*: producitur enim. Quod non esset, si Graeca est. Si enim esset προπώλης, hoc est προεξωνεῖτιν, & *Pararius* Senecae, ut nonnulli annotant ex Polluce: neque primam produceret, neque eam significationem haberet, quam nunc. Dictus enim, quod primus vendat merces: quas in portu primus anticipat: & ut Persius ait: *primus tollis piper a sitiente camelo*, ut prior vendat. Quod manifesto innuit Lucillius:

Sicuti quum ficus primus propola recentes
Attulit, & precio ingenti dat primitu' paucos.

Nam quominus credam doctissimo viro, qui censet *propalam*, non *propolam* dicendum, facit, quod ea non est scriptura Etymologiae, sed pravae librariorum consuetudinis. Si enim, quod unus aut alter *propala* scripserit, verum esset, eam rectam esse scripturam: quidni & ego quoque contenderem *propula* dicendum esse, qui in optimo Glossario scriptum invenerim, *Propula*, πωλεῖς? Deinde, quare multis partibus plures libri habent *Propola*, quam *Propala*? Quid caussae est, quur, quae usitatior scriptura, ea ut verior non sit? Quare ego *Propolam* esse Graecum cum Latina praepositione: quae tamen idem valet quod Graeca πρό. Nam eadem est in πρόλογος, quae in *Prologus*. Sic Graeci Latina vocabula cum Graeca praepositione Latio abstulerunt, & sua fecerunt ut, ἐπιπόρησιν. Sic Arabes addito articulo suo *Al*, pleraque Graeca ad morem suum interpolarunt: ut liber Ptolemaei est *Almagestle*. Est enim ἡ μεγίστη πραγματεία, sive σύνταξις. Sic *Alchymia*, χυμεία & *Alchymista* χυμιστής. Sic *Almanac* Kalendarium: μηνιακός, a Luna, & mensibus. Unde circulus Lunaris apud Vitruvium μηνιακός. Sic *Alembic*, a Graeco ἄμβιξ, apud Dioscoridem. Itaque, ut dixi, eo modo *Propola*. Ita & de *Elogio*. Nam & sunt, qui dictum putent, ut diximus, quasi ἐκλόγιον, hoc est, parvam Eclogam: quod omnia parva poematia, quae Graeci vocant εἰδύλλια, *Eclogas* dicerent. Itaque & Bucolica sua Virgilius, Horatius Epistolas, & Satyrarum poematia, Ausonius vero & opuscula sua *Eclogas* inscripserunt: quod nimirum brevia essent, ut quae excerpere solemus ex variis auctoribus in usum nostrum. Quod si verum erat, & *elogium* hic, quasi *Eclogium* dixisset Virgilius: quare non & eodem modo, *Elogas*, nec *Eclogas* dixisset? Quare satis puto eorum opinionem confutasse, qui *Elogium*, quasi *Eclogium* dictum censent. Tamen non dubito, quin quod Graeci ἐλεγεῖον, id dictum fuerit antea *elogium*. Hoc est epigraphe distichos. TACITA QUOD FORMAT. Malo ex veteri editione, *firmat*. Nam litera est ad subsidium Elogii. Est autem ἐξύμνησιν *Tacita voce*. Catullus: *Nequicquam tacitum cubile clamat*.

LINDENBRUCH.

IN ORBEM. Nobilissimus doctissimusque juvenis Janus Douza legendum putat *cumulus*.

P. VIRGILII MARONIS CIRIS, AD MESSALLAM.

ETSI me vario jactatum laudis amore,

Irri-

SCALIGERI.

HUJUS politissimi poematii auctorem esse Virgilium vel una ratio vicerit, versus crebro hic repetiti, qui passim in Aeneide, & in Georgicis, atque in Bucolicis leguntur. Quod si propterea Virgilii non est, ut dicebat amicus noster, qui putabat Virgilium pleraque ex hoc poemate desum-

Irritaque expertum fallacis praemia vulgi,
Cecropius ſuavis exſpirans hortulus auras
Florentis viridi ſophiae complectitur umbra:
5 Num mea quaeret eo dignum ſibi quaerere carmen?
Longe aliud ſtudium, atque alios accincta labores;
Altius ad magni ſuſpendit ſidera mundi,

Et

SCALIGERI.

deſumpſiſſe, & ſuis operibus inſeruiſſe: at fidem fecerit unus verſiculus, *Ut vidi, ut perii, ut me gravic abſtulit error*. Negari enim ooo poteſt, quin eum ex Theocrito verterit Maro, qui omnium Romanorum primus Theocritum Latine expreſſit. Conſequens ergo, ut illius verſiculi auctor ſecundum alios quoque verſus vindicias jure poſtulet. Scripſit autem hoc poema, cum Megaram ſe contuliſſet, motus memoria rei, quam locus ipſe ei excitabat. Nam & Grammaticus is, qui ejus vitam ſcripſit, id propemodum innuere videtur, quum ſcribit: *Quum Megaram vicinum Athenis oppidum viſendi gratia peteret, languorem nactus eſt*. Ac ſane videtur id ſupremum Virgilii opus fuiſſe, tum ex illius verbis Grammatici, qui ait poſtea languorem nactum fuiſſe: tum ex ipſo Virgilio canente:

In quo jure meas utinam requieſcere Muſas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.

Principio ſtatim poematis innuit ſe ſtudiis irretitum philoſophiae, ac in hortulo Sophiae, quae eſt Epicuri ſchola, confidentem, non poſſe poeticae, ut antea, operam dare. Profectus enim erat Athenas, ut philoſophiam Epicuri perdiſceret, cujus guſtum a Scirone tantum, ut nonnulli volunt, ego etiam a Catio Inſubro accepiſſe puto: cum dicat idem Grammaticus Mediolani ſtuduiſſe, quod erat natale ſolum Catio Epicureo. Ac ſane ea gratia ipſemet petiiſſe Athenas hoc Epigrammatio profitetur:

Ite hinc inanec Rhetorum manipli, Ite hinc &c.
Nos ad beatos vela mittimus portus,
Magni petentes docta dicta Scironis,
Vitamque ab omni vindicavimus cura.

Quin etiam eo anno videtur Athenas ingreſſus, qui in Quinquatria Mioervae inciderat: ut inde videatur nactus occaſionem peplum Minervae deſcribendi, qui Panathenaicis in pompa ferebatur. Dedicat vero Val. Meſſalae, viro domi militiaeque claro: qui Auguſtum ſecutus fuerat in Orientem: cui reduci occurrit Megaris ipſe Virgilius, ut ſcribitur in ejus vita his verbis: *Anno quinquageſimo ſecundo, ut ultimam manum Aeneidi imponeret, ſtatuit in Graeciam & Aſiam ſecedere, trienniοque continuo operam limationi dare, ut in reliqua vita tantum philoſophiae vacaret. Sed quum aggreſſus iter Athenic occurriſſet Auguſto ab Oriente Romam revertenti, una cum Caeſare redire ſtatuit*, &c. Eſt autem prorſus cultiſſimum poematium, & quod nulli Latinorum neque nitore, neque elegantia cedat: atque adeo quod venuſtate ſua merebat, ut minus ad nos depravatum veniret. .Non enim dici poteſt, quot mendis deformatum vix poſſit elegantiae ſuae dignitatem ſuſtinere. In eo vero nihil omnino vidiſſe Chalderinum, apparet: qui praeter multa futiliter, oſcitanter, otioſe dicta, tandem nobili ineptia errores ſuos cumulavit, cum *cirim* interpretatus ſit praeconium. Os hominis! inter κεῖριν, & κήρυκα nihil intereſſe putavit. Sed de his ſatis.

Vs. 1. Etsi me vario. Totum hoc prooemium perturbatum eſt. Apponam ita, ut & legendum, & diſtinguendum cenſeo:

Etſi me vario jactatum laudis amore:
Irritaque expertum fallacis praemia volgi,
Cecropius ſuaves expirans hortulus auras,
Florentis Sophiae viridi complectitur umbra,
Nec mea quis Erato dignum ſe quaerere carmen:
(Longe aliud ſtudium, atq; alioc accincta laboree
Altius ad magni ſubtendit ſidera mundi,
Et placitum paucis auſa eſt aſcendere collem)
Non tamen abſiſtam coeptum detexere munuc.

Nihil eſt lucidius, oihil expeditius hac lectione, quam poſuimus.

3. Expirans hortulus. Apollodorus apud Diogenem ait hortum Epicuri emptum fuiſſe ὀγδοήκοντα μνῶν. De eo Papinius:

— cultoque ſenex Gargettius horto.

Innuit ergo ſe Epicuri Philoſophiae operam dare.

5. Num mea quaeret eo. Reſtituimus, *Nec mea quit Erato*, levi trajectiooe literarum. Nec te moverit ratio ſyllabae in *quit*. Quam ſaepe enim hoc commiſerint Poetae, oſtendere poſſem, niſi ſcirem in re nota turpe eſſe abuti otio ſuo. Quio potius ſuperſtitio ſyllabae in cauſſa fuit ignaris hominibus lectionem priſcam expungendi.

7. Altius ad magni. Pro *ſuſpendit* lego *ſubtendit*, hoc eſt, ut alibi dicit, *affectat viam Olympo. Subtendit*, ſurſum tendit. Ut, *ſubjicit*, ſurſum jacit. *Quantum vere novo viridis ſe ſubjicit alnus*. Lucil.

Et placitum paucis ausa est ascendere collem.
Non tamen absistam coeptum detexere munus:
10 In quo jure meas utinam requiescere Musas,
Et leviter blandum liceat deponere morem.
Quod si mirificum proferre valent genus omnes
Mirificum saecli, modo sit tibi velle libido;
Si me jam summa sapientia pangeret arce,
15 Quatuor antiquis quae haeredibus est data consors,
Unde hominum errores longe, lateque per orbem
Despicere, atque humilis possem contemnere curas:
Non ego te talem venerarer munere tali:
Non equidem: quamvis interdum ludere nobis,
20 Et gracilem molli liceat pede claudere versum.
Sed magno intexens, si fas est dicere, peplo,

Qua-

SCALIGERI.

Ut veles bonu', sub vitem qui sumicit hastas. Sumicit, pro subjicit, [illegible].

8. ASCENDERE COLLEM. Propter illud — [illegible]. Nam Philosophiam suam Epicurei solam virtutem putabant, eamque caelestem scientiam vocabant. Ad quod plane allusit Lucretius de Epicuro loquens:

Qui primus caelo est oculos attollere contra
Ausus

hoc est, quod ait poeta Graecus apud Galenum:

[illegible]

Propterea dixit Virgilius hic:

Altius ad magni subtendit sidera mundi.

Nam & Epicurus ipse librum, in quo praecepta sua descripserat, vocavit [illegible], vel potius ejus sectatores. ET PLACIDUM MULTIS. Veteres omnes editiones habent, & *placitum paucis*. Quae vera est lectio: paucis placuisse ait, quia deterriti sunt difficultate aditus, cum sit [illegible].

12. QUOD SI MIRIFICUM. Omnino & obscura & inepta lectio. Subolet ex prioribus excusis, qui hunc versum mutilum habent, legendum esse:

Quod si Majorum, Valeri, genus omne tuorum
Mirifice seclis modo sit proferre libido: &c.

Si esset mihi libido mandare seclis, & memoriae aeternae genus Valeriorum, ex quo Messalarum familia: non ego te acciperem hoc munere, sed longe excellentiore carmine. Mihi videtur omnino hoc voluisse Virgilium. Quanquam non satis confido conjecturae meae: tamen spero minimum me abesse a vera lectione.

14. PANGERET ARCE. *Arcem* dixit, ut supra *collem*. Quatuor heredes sunt Plato, Aristoteles, Zenon, Epicurus. Ideo de re non admodum obscura memini, ne cuipiam rudiori imponeret Domitius.

21. PEPLO. Quod peplum Minervae ferretur in Panathenaicis, pleni sunt Graecorum commentarii. Sed & Plautus Mercatore meminit:

Neque nisi quinto quoque anno posse invisere
Urbem: atque extemplo inde, ut spectavisset peplom
Rus rursum confestim exigi solitum a patre.

In eo, ut hic videmus, pingebantur acu, sive intexebantur Titanomachiae, & Minervae victoria in Titanas. Euripides: [illegible]. Nimium ergo tribuerit Messalae Virgilius, qui peplo tali voluerit intexi gesta ejus. Sed eo respexit, quia & strenuorum quoque Ducum Athenis gesta in peplo intexta templo Minervae imponebantur. Aristophanes [illegible]:

[illegible]

Quare & Aristoteles librum suum, quem de Heroum tumulis confecerat, Peplum vocavit. Eum nuper edidit doctus juvenis Gul. Canterus, summa necessitudine mihi conjunctus.

LINDENBRUCH.

Vs. 8. ET PLACITUM PAUCIS. Alii, *multis*.

16. UNDE HOMINUM ERRORES. Videtur sumtum ex Lucretii lib. 1s.

Sed

Qualis Erichtheis olim portatur Athenis,
Debita cum caſtae ſolvuntur vota Minervae,
Tardave confecto redeunt Quinquennia luſtro,
25 Cum levis alterno Zephyrus concrebuit Euro,
Et prono gravidum provexit pondere curſum.
Felix ille dies, felix & dicitur annus:
Felices, qui talem annum videre, diemque.
Ergo Palladiae texuntur in ordine pugnae:
30 Magna Giganteis ornantur pepla tropaeis:
Horrida ſanguineo pinguntur praelia cocco.
Additur aurata dejectus cuſpide Typho,
Qui prius Oſſaeis conſternens aethera ſaxis,
Emathio celſum duplicabat vertice Olympum.
35 Tale Deae velum ſollemni in tempore portant:
Tali te vellem, juvenum doctiſſime, ritu
Purpureos inter Soles, & candida Lunae
Sidera, caeruleis orbem pulſantia bigis,
Naturae rerum magnis intexere chartis:
40 Aeternum ſophiae conjunctum carmine nomen
Noſtra tuum ſenibus loqueretur pagina ſaeclis.
Sed quoniam ad tantas nunc primum naſcimur artes:
Nunc primum teneros firmamus robore nervos.
Haec tamen interea quae poſſumus, in quibus aevi

Pri-

LINDENBRUCH.

Sed nil dulcius eſt, bene quam munita tenere,
Edita doctrina ſapientum templa ſerena,
Deſpicere unde queas alios, paſſimque videre
Errare, atque viam palantes quaerere vitae.

Quo etiam Claudianus alluſit in Panegyr. Mallii:

-- *Ex alta mortalia deſpicit arce.*

21. Peplo. Bene de hoc peplo Suidas: Πέπλος τὸ ἄρμενον τῆς παναθηναϊκῆς νεώς. ὃν οἱ Ἀθηναῖοι κατεσκεύαζον τῇ Ἀθηνᾷ διὰ πενταετηρίδος, ἧς καὶ τὴν πομπὴν διὰ τοῦ κεραμεικοῦ ἐποίουν μέχρι τοῦ Ἐλευσινίου. πέπλον δὲ τοῦτο ἐκάλουν, διὰ τὸ ἱερὸν αὐτοῦ εἶναι. ἐνεγέγραπτο δὲ ἐν αὐτῷ ὁ Ἐγκέλαδος ὃν ἀνεῖλεν ἡ Ἀθηνᾶ. ἐπὶ δὲ τῶν γιγάντων εἶπεν ἢ ὅτι νικήσαντες οἱ Ἀθηναῖοι πέπλον ἐποίουν τῇ Ἀθηνᾷ, καὶ ἐνέγραψαν τοὺς ἀγῶνας ἐν αὐτῷ. Id peplum Athenis, quinto quoque anno, hoc eſt, quarto completo, & quinto incipiente, circumferebatur, ut ex Plauti exemplo ab Illuſtriſſimo Scaligero citato, & aliis ſcriptoribus patet. Et fallitur Lutatius, Statii vetus & doctus interpres, qui tertio quoque anno id factum putat. Cujus verba haec ſunt: *Peplum eſt veſtis candida, aureis clavis picta ſine manicis, quod ſimulachris fiebat. Sed hoc peplum primum eſt ab Atheninſibus inſtitutum, quod matronae ſuis manibus faciebant, & inter triennium numinibus offerebant.* Niſi quis *inter quinquennium*, legendum dicat; quaſi non Lutatii error ſit, ſed exſcriptorum, qui ſaepe nobis hujuſmodi portenta monſtra pepererunt; quod equidem crediderim.

23. Vota Minervae. Alii, *dona*.

45 Prima rudimenta, & primos exegimus annos:
Accipe dona meo multum vigilata labore,
Et praemiſſa tuis non magna exordia rebus.
Impia prodigiis ut quondam exterruit amplis
Scylla, novoſque avium ſublimis in aëre coetus
50 Viderit: & tenui conſcendens ſidera penna
Caeruleis ſua tecta ſupervolitaverit alis.
Hanc pro purpureo poenam ſcelerata capillo,
Proque patris ſolvens exciſa funditus urbe.
Complures illam, & magni, Meſſalla, poëtae
55 (Nam verum fateamur: amat Polyhymnia verum)
Longe alia perhibent mutatam membra figura,
Scyllaeum monſtra in ſaxum converſa vocari:
Illam eſſe, aerumnis quam ſaepe legamus Ulyxi
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
60 Dulichias vexaſſe ratis, & gurgite in alto
Deprenſos nautas canibus laceraſſe marinis.
Sed neque Maeoniae haec patiuntur credere chartae,
Nec malus iſtorum dubiis erroribus auctor.
Namque alias alii vulgo finxere puellas,
65 Quae Colophóniaco Scyllae dicuntur Homero.
Ipſi ſeu Lamiae mater ſit, ſive Crataeis,

SCALIGERI.

Sive

48. UT QUONDAM EXTERRUIT AMPIS. Hic ἀνακόλουθον eſt. Et proculdubio aliquod magnum monſtrum alit haec lectio.

Impia prodigiis ut quondam exercita amoris.

Facile enim fuit ex *o* facere *p*, & ex *r*, *l. Prodigiis amoris*, hoc eſt amore prodigioſo. Ἓν διὰ δυοῖν. *Τετκτυδὶν ἐκμαγεῖον.*

57. SCYLLAEUM. Σκύλλαιον ait vocatum a Graecis monſtrum in ſaxum converſum. Dicitur & Σκυλάκαιον. -- *Navifragum Scylacaeum.* Σκύλλαν autem, & σκύλακας, & σκύμνους eadem origine de canino genere dicebant. Unde illum ſcopulum, quia latratus imitatur, Σκύλλαν vocarunt.

63. NEC MALUS. Latet mendum in *malus*. Niſi aliquem inſigniter ineptum μυθολόγον intelligi voluit. Ego putem legendum eſſe *Lamus*. Nae quum Laeſtrygonum rex fuerit, poteſt videri pater Scyllae.

66. IPSE CRATENEI. Sequemur veſtigia prodigioſae lectionis,

Sive Crataeis ei mater de ſemine Erechthei,
Seu Lamie monſtro genuit grandaeva biformi.

Nam alii dicunt Crataein matrem Scyllae. Homerus:

-- Βωστρεῖν δὲ Κραταΐιν
Μητέρα τῆς Σκύλλης, ἥ μιν τέκε πῆμα βροτοῖσι.

alii Perſean, alii Lamiam, alii Cretheida, alii Ecaten. Patrem vero pars Phorcyna monſtrum marinum, ut Acuſilaus apud Scholiaſten Apollonii, Ἀκουσίλαος Φόρκυνος, καὶ Ἑκάτης τὴν Σκύλλαν λέγει. Pars Crathin fluvium magnae Graeciae. Auctor Martianus Capella. Biforme monſtrum, διφυές. Eſt autem Phorcyn. Non me poenitet & lectionis, quam aliquando commentus ſum ita:

Sive

Sive illam monſtro genuit Perſaea biformi,
Sive eſt neutra parens: atque hoc in carmine toto
Inguinis eſt vitium, & Veneris deſcripta libido:
70 Sive etiam exactis ſpeciem mutata venenis
Infelix virgo. Quid enim commiſerat illa?
Ipſe pater timidam ſaeva complexus arena
Conjugium carae violaverat Amphitrites:
Attamen exegit longo poſt tempore poenas:
75 Ut cum cura ſui veheretur conjugis alto,
Ipſa trucem multo miſceret ſanguine pontum.
Seu vero, ut perhibent, forma cum vinceret omnis,
Et cupidos quaeſtu paſſim ſpoliaret amantes:
Piſcibus, & canibus rabidis vallata repente,
80 Horribiles circum vidit ſibi ſiſtere formas.
Heu quoties mirata novos expalluit artus!

Ipſa

SCALIGERI.

Sive Crateis ei mater, ſive & Cretheis
Sic illam monſtro genuit grandaeva biformi.

Qui vero alias, atque alias lectiones hic commenti ſunt, videntur mihi digna ipſa Scylla, hoc eſt, monſtroſa ſcribere. Mallem enim vulgatam lectionem tueri, quam ſic temere aliquid immutare. Nam etiam ſimpliciter per grandaevam poſſem intelligere Hecaten. Plautus Ciſtellaria:

Nam ſi quidem ita eris, ut volo, nunquam aetate Hecate fies.

Alioqui ſi ex libidine noſtra potius, quam ex veterum ſcriptis aliquid mutandum eſſet, libentius legerem:

Seu Luna hanc monſtro genuit grandaeva biformi.

Ut videatur Luna hanc genuiſſe monſtro biformi, hoc eſt *διφυῆ* & biformem. Omnia monſtra *ἔκτομα* & praeter naturam aut conſuetudinem, veteres e Luna demiſſa putabant, ut Leonem Nemeaeum. Lunam enim terram alteram putabant. Epimenides:

Καὶ γὰρ ἐγὼ μένος εἰμὶ σελήνης ἠϋκόμοιο,
Ἃ δεινὸν φρίξασ' ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
Ἐν Νεμέῃ, ἄγουσ' αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥραν.

Claudian.

—Taurus medio nam ſidere Lunae
Progenitus Dictaea Jovis poſſederat arva.

Idem de Dianae curru:

—currum ſubiere jugales,
Quos decus eſſe Deae primi ſub limine Caeli
Roſcida foecundis concepit Luna cavernis:

Haec opinio quamvis aſpernanda non eſt, tamen alii praeferenda mihi non videtur. Matrem enim Scyllae Lamiam fuiſſe auctor eſt Steſichorus.

69. INGUINIS EST. Quod a pube canis tota fuerit, hoc ſignificare ejus immoderatam libidinem, qualis eſt in canibus, qui *ἀναιδῶς* coram omnibus coeunt. Itaque ſaepe *κύων* propterea Elena dicta & Homero, & Lycophroni:

Ὅταν θρασεῖα θυιὰς οἰστρήσῃ κύων πρὸς λέκτρα.

70. EXACTIS SPECIEM. *Exacta venena* vocat, ut Medici *ἀκριβῆ πυρετόν*.

72. IPSE PATER. Neptunus. De qua re ita in Graecorum commentariis reperi: Ἦν δὲ, ὥς φασι, πρῶτον ἡ Σκύλλα γυνὴ εὐπρεπὴς, Ποσειδῶνι δὲ μιγεῖσα, Ἀμφιτρίτην ζηλοτυπησάσης, καὶ φάρμακα ἐμβαλούσης τῇ πηγῇ, ἐφ' ᾗ εἰώθει λούεσθαι ἀπεθηριώθη. Ovidius ait mutatam venenis Circes: ſed aliam cauſam aſſignat.

75. UT QUUM CURA. *Cura ſui conjugis:* Scylla amaſia Neptuni. More Graecorum, qui dicunt *τεὸν μέλημα*. Et in Diris:

Dum mea jucundas exponet cura querelas.

Propertius:

Lynceu, tune meam potuiſti tangere curam?

Sappho:

Γνα σε, τεὸν μέλημα, περιπτύξωμαι.

LINDENBRUCH.

72. IPSE PATER TIMIDAM. Alii, *nudam*.
78. SPOLIARET AMANTES. Alii, *popularet*.

Ipsa suos quoties heu pertimuit latratus!
Ausa quod est mulier numen fraudare Deorum,
Et dictam Veneri votorum vertere poenam:
85 Quam, mala multiplici juvenum quod septa caterva
Dixerat, atque animo meretrix agitata ferarum,
Infamem tali merito rumore fuisse,
Docta Palaephatia testatur voce papyrus.
Quidquid, & ut quisquis tali de clade locutus,
90 Omnia sint: potius liceat notescere Cirin:
Atque unam ex multis Scyllam non esse puellis:
Quare & quae cantus meditanti mittere certos,
Magna mihi cupido tribuistis praemia, Divae
Pierides: quarum castos altaria postes
95 Munere saepe meo inficiunt, foribusque hyacinthi
Deponunt flores: aut suave rubens narcissus,
Aut crocus alterna conjungens lilia caltha,

Spar-

SCALIGERI.

84. VERTERE POENAM. Ποινὴν more Graecorum debitam mercedem. An quod noluit persolvere decumas quaestus sui, quas voverat Veneri? sed tunc melius legeretur *avertere*. An, quod melius est, mercedem a juvenibus accipiebat, juvenes ipsos excludebat? Ovidius:

Hanc multi petiere proci. Quibus illa repulsis
Ad pelagi Nymphas, pelagi gratissima Nymphis
Ibat, & elusos juvenum narrabat amores.

86. ATQUE ANIMO MERETRIX JACTATA. *Animo ferarum jactata*: hoc est, plane θηριώδως ἐσμημένη.

87. MERITORUM MORE FUISSE. Melius tu Cujaci vir eruditissime:

Infamem tali merito rumore fuisse &c.

Vulgaris vero lectio vult his verbis, meritorum more, id est, quod ita se in juvenes gessisset, quod ita de eis promerita esset. Ita loquitur Attius Tereo:

Tereus indomito more, atque animo barbaro.

88. PALAEPHATIA. Vetustissimus scriptor Palaephatus. Extant & hodie Palaephati cujusdam μυθολογικά. Non tamen hujus nostri Palaephati esse puto. Hunc autem sequuti videntur Apollodorus, & Diodorus Siculus. Fuit & χρησμολόγος τις eo nomine, ut cognoscimus ex Christodori in eum Elogio.

Δαφνίδι μὲν πλοκαμῖδα Παλαίφατος ἱερὸς μάντις
Στεψάμενος, δόκεε δὲ χέειν μαντώδεα φωνήν.

Sane Palaephatus, qui scripsit μυθικά, Stoici nomine citatur a Grammaticis Graecis. PACHYNUS. Puto esse poema, seu opus μυθολογικὸν Palaephati. Et verisimile est in eo multa de Siciliae fabulosis contineri: cum & Pachynus promontorium sit Siciliae, & Scylla ipsa in Sicilia. Et nihil censeo mutandum. Nam alioqui *Papyrus*, quod hodie pro *Pachynus* legitur, est Jani Parrhasii commentum. *Papyrus* vero recte pro libro aut poematio, ut Catullo: *Velim Caecilio papyre dicas*.

90. OMNIA SINT POTIUS. Sic infra: *Omnia vel potius, quam te laesisse, putabo*. Ἐπιλωσμός.

Πάντα μᾶλλον, ἢ σὲ βλάπτειν ἐλομένη.

91. ET SCYLLAM. Et Scyllam non esse μίαν ἐκ τῶν πολλῶν, ut loquuntur Graeci, hoc est, non esse ignobilem. Quod saepe usurpatur a Seneca, *unus ex multis*. Puto tamen genuinam lectionem esse:

Atque unam ex multis Scyllam novisse puellis.

Quod nihil aliud est, quam, & nosse Scyllam puellam. Nam ita loquuntur Graeci. Theocritus in Epigrammatio:

Εἷς ἀπὸ τῶν πολλῶν εἰμὶ Συρακοσίων.

hoc est, εἰμὶ Συρακόσιος.

95. MUNERE SAEPE. Inficiunt, κνισῶσι. Κνισᾶν ἀγυιάς Poetis.

Sparſaque liminibus floret roſa. Nunc age, Divae,
Praecipue noſtro nunc adſpirate labori:
100 Atque novum aeterno praetexite honore volumen.
Sunt Pandioniis vicinae ſedibus urbes,
Actaeos inter collis, & candida Theſei
Purpureis late ridentia litora conchis:
Quarum non ulli fama concedere digna
105 Stat Megara, Actaei quondam munita labore
Alcathoi, Phoebique: Deus namque adfuit illi:
Unde etiam citharae voces imitantur acutas:
Saepe lapis recrepat Cyllenia munera pulſus,
Et veterem ſonitu Phoebi teſtatur honorem.
110 Hanc urbem, ante alios, qui tum florebat in armis,
Fecerat infeſtam populator remige Minos.
Hoſpitio quo ſe Niſi Polyidos avito,

Car-

SCALIGERI.

103. Ridentia littora. Non temere dixit. Nam totus ille tractus maris conchis abundat: ut inde etiam lapis conchites adveheretur. Pauſan. Μόνοις δὲ Ἑλλήνων Μεγαρεῦσιν ὁ κογχίτης αὐτόθι ἐστὶ, καὶ σφισι καὶ ἐν τῇ πόλει πεποίηται πολλὰ ἐξ αὐτοῦ. Ἔστι δὲ ἄγαν λευκὸς, καὶ ἄλλων λίθων μαλακώτερος. Κόγχοι δὲ αἱ θαλάσσιαι διὰ παντός ἐνεισιν οἱ &c.

106. Deus namque adfuit illi. Pauſanias: Τότε δὲ αὐτῷ (Ἀλκάθῳ) τειχίζοντι, ὡς φασιν οἱ Μεγαρεῖς, συνεργάζεταί γε Ἀπόλλων.

105. Actaei quondam munita labore Alcathoi, Phoebique. Theognis:

Φοῖβε ἄναξ, αὐτὸς μὲν ἐπύργωσας πόλιν ἄκρην
Ἀλκαθόῳ Πέλοπος παιδὶ χαριζόμενος.

108. Saepe lapis. Ovidius:

Regia turris erat ſublimibus edita muris.
In quibus auratam proles Latonia fertur
Depoſuiſſe lyram. Saxo ſonus ejus inhaeſit.

Pauſanias: Καὶ κιθάραν κατέθηκεν ἐπὶ τὸν λίθον. Ἢν δὲ τύχῃ βαλών τις ψηφῖδι, κατὰ ταὐτὰ οὕτως τε ἤχησε καὶ κιθάρα κρουσθεῖσα. Item Ovidius:

Saepe illuc ſolita eſt aſcendere filia Niſi,
Et petere exiguo reſonantia ſaxa lapillo.

Ibi vero *petere* eſt βάλλειν. *Malo me Galatea petit.* Item barbarus ſcriptor Martianus:

Megaris ſaxum ad ictum pulſus cujuſcumque fidicinat.

Et Epigramma Graecum:

Τάν με λίθον μέμνασο τὰν ἠχήεντα, παρῆρτον
Νισαίαν. ὅτε γὰρ τύρσιν ἐτειχοδόμει
Ἀλκάθοος, τότε Φοῖβος ἐπωμαδὸν ἦρε δοκαῖον
Λᾶαν· λυκωρείαν ἐνθέμενος κιθάραν.
Ἔνθεν ἐγὼ λυρόεις. Ὑποκρούσας δέ με λεπτῷ
Χερμάδι, τῷ κόμπου μαρτυρίην κόμισον.

112. Hospitioque seni. Hic additi ſunt tibicines ad fulciendum verſum hiantem. Sed fideliores ſane omnes antiquitus excuſi, qui habent:

Hoſpitioque ſenis hypolydoſa victo.

Ut ſane magno nobis adjumento fuerit ad veram lectionem indagandam:

Hoſpitio qua ſe Niſus Pelopeus avito
Carpathium fugiens, & flumina Curetea
Texerat.

Videtur Virgilius ſentire, Niſum fretum opibus ſuis ultro bellum intuliſſe Minoi, καὶ ἄρξαντι χειρῶν ἀδίκων. Quod ſane ſequentibus confirmatur:

— hunc bello repetens Gortynius heros &c.

repetens bello, a quo laceſſitus fuerat prius. Itaque victus Niſus coactus eſt caſtra movere, & propere vela dare in Atticam. Quocirca dixit,

Carpathium fugiens, & flumina Curetea.

Hoc eſt, Cretae flumina, in quae prius venerat laceſſens bello Minoa. Polydosa. Mendoſe pro *Pelopeos*. Puto primum librarium ſcripſiſſe *Pelodeus*: unde poſtea illud monſtrum lectionis conflatum eſt. *Pelopeum* autem, niſi me fallit augurium meum,

Carpathium fugiens, & flumina Cerataea
Texerat. Hunc bello repetens Gortynius Heros
115 Attica Cretaea sternebat rura sagitta.
Sed neque tunc cives, neque tunc Rex ipse veretur
Infesto ad muros volitantis agmine turmas
Ducere, & indomita virtute retundere mentis:
Responsum quoniam satis est meminisse Deorum.
120 Nam capite a summo Regis, mirabile dictu,
Candida caesaries, florebant tempora lauro,
Et roseus medio fulgebat vertice crinis:
Cujus quam servata diu natura fuisset,
Tam patriam incolumem Nisi regnumque futurum,
125 Concordes stabili firmarunt numine Parcae.
Ergo omnis caro residebat cura capillo:

Au-

SCALIGERI.

meum, vocat, quia Megara condita fuit ab Alcathoo Pelopis filio. Et quid impedit a Pelope genus ducere? Hominum fidem! quam nugaciter hic argutatur bonus Chalderinus. Lege, & videbis. VICTO. Jam monuimus ex *polydosa victo*, legendum -- *Pelopeus avito*.
Hospitium autem *avitum*, hoc est portio haereditaria Nisi, fuit Megara. Sophocles apud Strabonem:

> Πατὴρ δ' ἀπελθεῖν ὤρισ' εἰς ἀκτὴν ἐμοὶ
> Πρεσβεῖα νείμας τῆσδε γῆς. Τῷ δ' αὖ Λύκῳ
> Τὸν ἀντίπλευρον κῆπον Εὐβοίας νέμων.
> Νίσῳ δὲ τὴν ἀνείμενον ἐξαίρει χθόνα
> Σκείρωνος ἀκτῆς. τῆς δὲ γῆς τὸ πρὸς νότον
> Ὁ σκληρὸς οὗτος, καὶ γίγαντας ἐκτρέφων
> Εἴληχε Πάλλας. --

Qui versus hodie mendosi, & perturbati in vulgatis Strabonis codicibus circumferuntur.
113. CARPATHIUM. *Regnum Minois*, hoc est Creta insula, ab oriente Carpathium pelagus habebat. Eo autem tempore fere totius ejus tractus Minos ἐθαλασσοκράτει. Diodorus. ET FLUMINA CERATEA. Lego -- & *flumina Curetea*. Graece ad verbum: Καρπάθιον λείπων, καὶ νάματα Κυρήτεια. Κυρήτη prius dicebatur, quae postea per syncopen Κρήτη. Auctor Strabo. Domitius ait Ceratum flumen prope Cnosson. Id quidem ne nos quoque ignoramus. Sed scimus Κέρατον scribi. Quare ita vitiosus, & debilis esset versus. Suspicor tamen, neque aliter mihi persuadere possim, Virgilium scripsisse:

> *Carpathium pelagus fugiens, & flumina Caeratea:*

Nam ab Eustathio Καίρατος ponitur tam fluminis, quam urbis in Creta.
121. CANDIDA CAESARIES. Veteres editiones habebant:

> *Candida caesaries florebant tempora lauro.*

Ego lego.

> *Candida caesaries florebat tempore longo,*
> *Et roseus medio surgebat vertice crinis.*

122. FULGEBAT. Repono ex antiquioribus, *surgebat*: ut apex enim extabant ii crines. Infra:

> *Ecce repente velut patrios imitatus honores*
> *Purpuream concussit apex in vertice cristam.*

LINDENBRUCH.

118. INDOMITA VIRTUTE RETUNDERE MENTIS. *Indomitas virtute retundere mentes.*
122. ROSEUS FULGEBAT VERTICE CRINIS. Hunc infra *Purpureum crinem* vocavit, quomodo & Statius Silva IV. lib. III.

> *Hinc & purpurei cedat coma saucia Nisi.*

123. CUJUS QUAM SERVATA DIU. Ovidius lib. VIII. Metamorph.

> *--quam Nisus habet cui splendidus ostro*
> *Inter honoratos medio de vertice canos*
> *Crinis inhaerebat, magni fiducia regni.*

Hyginus Fabul. CXCVIII. *Nisus Martis filius, sive ut alii, Deionis* (malim *Pandionis*, ut apud Apollodorum lib. III.) *filius, rex Megarensium, in capite crinem purpureum habuisse dicitur. Cui responsum fuit, tamdiu eum regnaturum, quamdiu eum crinem custodisset.*

Aurea sollemni comtum quoque fibula ritu
Mopsopio tereti nectebat dente cicadae.
Nec vero haec vobis custodia vana fuisset,
130 Nec fuerat: nisi Scylla novo concepta furore,
Scylla patris miseri, patriaeque inventa sepulcrum.
O nimium cupidis si non inhiasset ocellis!
Sed malus ille puer, quem nec sua flectere mater
Iratum potuit, quem nec pater, atque avus idem
135 Jupiter. Ille etiam Poenos domitare leones,
Et validas docuit vires mansuescere tigris.
Ille etiam Divos, homines; sed dicere magnum est.
Idem tum superis acuebat parvulus iras
Junonis magnae, cujus perjuria Divae

Olim

SCALIGERI.

127. CORSELLAE. Lege *Cecropiae*. Cujus rei extant vestigia in veteribus editionibus. In illis enim disertim legitur *Corpselae*. Ergo ita lege:

Aurea solemni comptum quem fibula ritu
Cecropiae, tereti nectebat dente cicadae.

Nonnus lib. XIII.

Καὶ πολὺς ἀγγέλλων πατρίην αὐτόχθονα φύτλην
Χρύσεος ἀμφὶ ἐκτητι κόμαις ἐσφίγγετο τέττιξ.

Habes & in prooemio Thucydidis morem hunc Atheniensium τεττιγοφορούντων. Erat autem congestus capillorum in conum, qui mulieris Romanis vocabatur *Tutulus*. Eam crinium metam τεττίγων ἐνέρσει, ut ait Thucydides, comprehendebant, ut se αὐτόχθονας hoc argumento indicarent. Nam e terra volunt cicadas procreari. Ac in viris quidem vocabatur κρωβύλος, & κρωβύλη. In mulieribus κόρυμβος, καὶ κορύμβη. In pueris σκορπίος. Aristophanes Ἱππεῦσι, priscum Atheniensem τεττιγοφόρον vocat.

Ὅδ' ἐκεῖνος ὁρᾷν τεττιγοφόρος, ἀρχαίῳ σχήματι λαμπρός.

Legi etiam aliquando, *Tortilis*, & *tereti*. Fuit & cum legerem, *Cypseliae*. Sed neutrum verum. Priorem conjecturam veram puto.

129. NEC VERO HAEC VOBIS. Lege: *Nec vero haec votis custodia vana fuisset*. Hoc est: Nec vero haec frustra in animo conceperant, eam ita conservare, & custodire.

130. NOVO CONCEPTA FURORE. Aut legendum, -- *concepta*: aut -- *novos concepta furores*. Ut in Culice: *Foemineum concepta decus* -- qui est notus archaismus.

136. ET VALIDAS DOCUIT VIRES. Repone ex veteribus editionibus:

Et validas docuit victas mansuescere Tigres.

138. IDEM TUM SUPERIS. Idem parvulus Superorum iras exercebat in mortales, ut Junonis in Scyllam. Nam quum nescio quid perperam jurando, Junonis iram in se provocasset, non diu factum est, ut quodam die, Dea ita volente, inter aequales suas in lusu pilae, cum, ut fit, imprudens studio provecta longius processisset, ad ipsa usque urbis moenia perveniret: unde castra hostium prospiciens, Minoa conspicata est. Cujus amore deinde icta fuit. Quae ei ἀρχέκακος dies, & caussa, caputque malorum extitit. Id vult accidisse Virgilius Junonis providentia, cujus numen Scylla, pejerando in ejus templo, offenderat. Hyginus non Junone, sed Venere irata hoc Scyllae accidisse scribit.

139. JUNONIS MAGNAE. Hic est principium narrationis. Et ita, ne quid te fallat, distinguendum:

Junonis magnae (cujus perjuria, Divae,
Olim se meminisse diu perjura puellae
Non ulli liceat) violaverat inscia sedem,
Dum sacris &c.

Junonis magnae sedem inscia violaverat. Cujus puellae perjuria, o Musae, nemini fas meminisse. Dixit vero cujus puellae, ut intelligatur tunc, cum puella esset, ea perjuria commisisse. Nam multo ante tempore hoc accidisse innuit.

LINDENBRUCH.

128. MOSOPIO TERETI. Alii, *Corsellae*.

140 Olim ſe meminiſſe diu perjura puellae
Non ulli liceat: violaverat inſcia ſedem,
Dum ſacris operata Deae laſcivit, & extra
Procedit longe matrum comitumque catervam,
Suſpenſam gaudens in corpore ludere veſtem,
145 Et tumidos agitante ſinus Aquilone relaxans.
Necdum etiam caſtos agitaverat ignis honores,
Necdum ſollemni lympha perfuſa ſacerdos
Pallentis foliis caput exornarat olivae,
Cum labſa e manibus fugit pila, cumque relabſa
150 Procurrit virgo: quo utinam ne prodita ludo
Aurea tam gracili ſolviſſet corpora palla
Omnia, quae retinere gradum, curſumque morari
Poſſent: o tecum vellem tua ſemper haberes
Non unquam violata manu ſacraria Divae!
155 Jurando infelix nequidquam jura piaſſes.
Et ſi quis nocuiſſe tibi perjuria credat,
Cauſſa pia eſt: timuit fratri te oſtendere Juno.

At

SCALIGERI.

140. SE MEMINISSE. Ἀρχαϊσμός. Ut: *Omnes, qui ſeſe ſtudent caeteris praeſtare animantibus:* Salluſtius. Frequens Plauto, Catoni, Varroni, aliis. PERJURA. *Perjuria perjura*, duriuſculum. Forſan *peritura:* quia dixit nefas efferri, & divulgari. Sed & *perjuria perjura* dixerit, ut Plautus *precioſum precium*, in Epidico.

146. NEC DUM ETIAM CASTOS. An nondum initiatam ſacris Junonis intelligit, cujus ageretur ἀγὼν quidam λαμπαδοῦχος? an nondum ſacra ab antiſtita patrata, ut niſi patratis & confectis ſacris ei pila ludere fas fuerit, intelligat? an potius nondum nupſiſſe intelligit? Itaque pila ludentem facit: quod tantum puellarum erat, non nuptarum. Ut de Nauſicaa legitur apud Homerum. Nam mox nupturae pilas cum pupis, & ſtrophiolis ſuſpendebant Veneri. Varro Seſquiulyſſe: *Suſpendit Veneri marinas pilas, reticula, ac ſtrophia.* Quanquam & Varro de eo luſu intelligere potuit, de quo apud Ovidium:

Reticuloque pilae leves fundantur aperto.
Nec niſi quam tollas, ulla movenda pila eſt.

Marinas autem vocavit Varro, quae non fiebant Romae: ſed aliunde devehebantur. Sic *paſtinacam marinam* Celſum dixiſſe puto: hoc eſt peregrinam. Sic *paſſer marinus* Plauto in Perſa: & Auſonio, ὁ στρουθοκάμηλος. Alia ratione dixerunt *Roi marinus*, & *marinum mel*, κρόκος θαλάσσης in Gloſſario veteri. Transmarinas ergo intellige, vel, ut veteres loquebantur, permarinas.

151. AUREA TAM GRACILI. Diſcinxerat enim ſe, quo expeditius curreret ad excipiendam pilam. O utinam, inquit, tecum tua veſtimenta haberes, quae poterant gradum morari. Ita enim non malam rem tibi quaeſiviſſes. Nam ludendo, ut diximus, provecta eſt uſque ad moenia imprudens. Videtur itaque in phaenomeride manſiſſe. Quod Graeci vocant ἀνασύρεσθαι.

155. JURA PIASSES. Piaculum commiſiſſes. Piaculo te obſtrinxiſſes.

157. TIMUIT FRATRI. Et, ſi quis credat hoc tibi eveniſſe propter piaculum in perjurio commiſſum: maluit te hoc modo punire Juno, quam ſi te Jovi excruciandam tradidiſſet, qui ſolus perjuria hominum, praeſertim puellarum ulciſcitur. Propertius:

Non

At levis ille Deus, cui ſemper ad ulciſcendum
Quaeritur ex omni verborum injuria dicto,
160 Aurea fulgenti depromens tela pharetra,
Heu nimium tereti, nimium Tirynthia viſu,
Virginis in tenera defixerat omnia mente.
Quae ſimul ac venis hauſit ſitientibus ignem,
Et validum penitus concepit in oſſa furorem:
165 Saeva velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris,
Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe.
Non ſtorace Idaeo flagrantes picta capillos

Co-

SCALIGERI.

Non ſemper placidus perjuria ridet amantum
Juppiter, & ſurda negliget aure preces.
Vidiſtin' toto ſonitus percurrere caelo,
Fulminaque aetheria deſiliiſſe domo?
Non haec Pleiades faciunt, neque aquoſus Orion.
Nec ſic de nihilo fulminis ira cadit.
Perjuras tunc ille ſolet punire puellas.
Deceptus quoniam flevit & ipſe Deus.

159. EX OMNI INJURIA DICTO. Dictum hic accipitur, ut Homero ἔπος. Hoc eſt res. Sic Hebraei dicunt verbum pro facto. Sic Latinum RES. Nam a ῥῆσις. Et veteres dicebant *Reſes*. Quod decurtatum in *Res*, ut alia.

161. HEU NIMIUM TERETI. *Tela tereti viſu*, ut:
-- domus ſanie, dapibusque cruentis.
Tela ergo tereti viſu erunt ταχέα, vel στρογγύλα ἰδέσθαι. Sed in obſoletis editionibus legitur *Terei*, non *tereti*. Itaque poſſet legi,
Heu nimium Terei nimium Tirynthia viſa.
Terei, ut Orphei, Ὀρφεῖ. *Orphei Calliopea*. Quae tela non puerilia, tametſi puer eſt Cupido: ſed Herculea, ac nimium ſaeva expertus eſt Tereus: ut patet ex his graviſſimis Attii poetae verſibus:
Tereus indomito more, atque animo barbaro
Conſpexit in eam, amore vaecors, flammeus,
Depoſitus. Facinus peſſimum ex dementia
Confingit. --
Sed non poſſum facere, quin, ut vere legendum exiſtimo, huic chartae commendem. Puto igitur:
Heu nimium celeri nimium torrentia niſu.
Nam etiam in excuſis manifeſto legitur *niſu*. Quod Graece eſſet, ῥιπῇ, βολῇ. Sicut *torrentia*, ταχύτητι. Et ne quid diſſimulem, puto hanc veram lectionem eſſe.

163. QUAE SIMUL AC VENIS. Ex cultiſſimo Catulli poematio:
-- cuncto concepit pectore flammam
Funditus, atque imis exarſit tota medullis.
Inſignes enim locos ejus poematis expreſſit Virgilius.

166. ICTAVE BARBARICO. Nicander Alexipharmacis:
Ἠ' ὅτε κερνοφόρος ζάκορος βωμίστρια ῥείης
Εἰνάδι λαοφόροισιν ἐπιχρίμπτουσα κελεύθοις
Μακρὸν ἐπιμβοάᾳ γλώσσῃ θρόον. Οἱ δ' ἔτι πάντη
Ἰδαίης φρικτὸν ὅτ' εἰσαΐωσιν ὀλαγμόν.
Ὣς ὁ νόσῳ λύσσῃ ἐπιφλεγμένα βρυχανάται.
ANTISTITA. Cor. Severus: *Stabat ad antiquas Antiſtita numinis aras*. Hoc eſt apud Nicandrum, ζάκορος βωμίστρια, &c.

165. SAEVA VELUT. Ita legitur hic verſus in antiquitus excuſis:
Saeva velut gelidi Sithonum Biſtonis oris.
ubi ſane neceſſe eſt ſecundam *Sithonum* produci, quae aliter brevis erat. Quod Virgilium commiſiſſe non credo. Lego igitur:
Saeva velut gelidis Edonum Biſtonis oris.
Horat.
-- non ego mitius Bacchabor Edonis.
Eſt autem deſumptum ex eodem Catulli poemate:
Saxea ut effigies bacchantis proſpicit evoe.

168. NON STYRACE IDAEO. Tamen Idaeum, ſeu Creticum ſtoracem non probat Plinius. Eſt autem totus hic locus imitatus ex politiſſimo opere Catulliano:
Non tereti ſtrophio roſeas evincta papillas.

LINDENBRUCH.

149. CUMQUE RELABSA. Alii *relant*.
161. TIRYNTHIA VISU. Alii *niſu*.
162. VIRGINIS IN TENERA. Alii *interea*.

Cognita, non teneris pedibus Sicyonia servans,
170 Non niveo retinens bacchata monilia collo.
Multum illi incerto trepidant vestigia cursu.
Saepe redit patrios ascendere prodita muros:
Aëriasque facit caussam se visere turres.
Saepe etiam tristis volvens in nocte querelas,
175 Sedibus ex altis caeli speculatur amorem:
Castraque prospectat crebris lucentia flammis.
Nulla colum novit: carum nec respicit aurum.
Non arguta sonant tenui psalteria chorda:
Non Libyco molles plauduntur pectine telae.
180 Nullus in ore rubor. Ubi enim rubor, obstat amori.
Atque ubi nulla malis reperit solatia tantis:
Tabidulamque videt labi per viscera mortem:
Quo vocat ire dolor, subigunt quo tendere fata,
Fertur: & horribili praeceps impellitur oestro:
185 Ut patris, ah demens, crinem de vertice ferret
Furtim, atque arguto detonsum mitteret hosti.

Nam-

SCALIGERI.

169. COGNITA NON TENERIS. Hoc est consueta. Mallem tamen *condita*. Eodem modo, hoc est, figura Hypallage, dicuntur condita Sicyonia pedibus, quo Persius dixit

-- *inseris aures Fruge Cleanthea*.

Nam potius fruges inseruntur auribus, quam frugibus aures.

175. CAELI SPECULATUR AMOREM. Lego, *caeli speculator ad oram*. Id est, τὴν περάτην. Cum enim jam dixerit,

Saepe etiam tristes volvens in nocte querelas:

Consequens, ut illa diem optaret. Unde fiebat, ut crebro ad oram caeli spectaret, unde dies solet existere.

177. NULLA COLUM. Ἀργυρισμός. Terentius:

-- *nullus dixeris*. Plautus:

Nam mihi quem dixit, is nullus venit.

NOVIT. Etiam *nubit* legi poterat. Suspicor enim librarium scripsisse, *nuvit*. *Colum nubere* dicunt Graeci στέφειν. Et quae velamina, vel vellimina, ut vocat Varro, dicuntur in colu, ea στέμματα in Oreste Euripides vocat.

179. LIBYCO. Citreo, vel lotino. PLAUDUNTUR. Κροτεῖται, σπαθῶνται, ut σπαθηταὶ ἐσθῆτες Sophocli, hoc est crebrae. Ut contra Rallae. Apud Plinium lib. VIII. *Crebrae papaveratae*. Ubi forsan melius legeretur *paveratae*, hoc est σπαθηταί, ut sint eaedem, quae *Pavitentes* apud Isidorum. Quomodo *pavera frumenta*, multum trita, ut granum deglubatur. Sunt enim frumenta quaedam, quae vix e glumis suis evaginari possunt. *Pavera* autem a paviendo. *Pavire* παρὰ τὸ παίειν, ut

-- *palmisque misellam*

Depavit me. Lucill.

PLAUDUNTUR. Propter sonum. Tibull. -- *Et appulso tela sonant latere*.

180. -- UBI ENIM PUDOR. Ovidius:

Non bene conveniunt pudor atque amor. --

186. ARGUTO DETONSUM. *Argutum* vocat, quicquid habet συμμετρίαν τινὰ, & elegantiam: ut, *Argutumque caput, brevis alvus, obesaque terga*. Ubi sane negatur Servius. Plin. lib. XXXV. *Primus symmetriam picturae dedit: primus argutias vultus, elegantiam capilli*.

LINDENBRUCH.

172. SAEPE REDIT PATRIOS ASCENDERE PRODITA MUROS. Nobilissimus Dominus Janus Douza pater, *Perdita* legere mavult.

179. PLAUDUNTUR PECTINE. Alii *clauduntur*.

Namque haec conditio miſerae proponitur una.
Sive illa ignorans: quis non bonus omnia malit
Credere, quam tanto ſcelere damnare puellam?
190 Heu tamen infelix (quid enim imprudentia prodeſt?)
Niſe pater: cui direpta crudeliter urbe,
Vix erit una ſuper ſedes in turribus altis,
Feſſus ubi extructo poſſis conſidere nido.
Tu quoque avis moriere: dabit tibi filia poenas.
195 Gaudete o celeres ſubnixae nubibus altis,
Quae mare, quae virides ſilvas, lucoſque ſonantes
Incolitis: gaudete vagae, blandaeque volucres:
Voſque adeo humani mutatae corporis artus.
Vos o crudeli fatorum lege puellae
200 Dauliades (crudele) venit cariſſima vobis
Cognatos augens reges, numerumque ſuorum
Ciris, & ipſe pater: vos o pulcherrima quondam
Corpora, caeruleas praevertite in aethera nubes,
Qua novus ad ſuperum ſedes Chalcheïus, & qua
205 Candida conceſſos aſcendat Ciris honores.
Jamque adeo dulci devinctus lumina ſomno
Niſus erat: vigilumque procul cuſtodia primis.

Ex-

SCALIGERI.

187. Namque haec conditio. Nihil muto. Subolet tamen hanc lectionem commentitiam eſſe: cum in priſcis editionibus ita legatur:

Namque baec conditio raptori opponitur una.

Nam quae tanta diverſitas lectionis? Ego ſane putarim ita Virgilium ſcripſiſſe:

Namque baec conditio raptori opponitur una.

Nam alium modum condicendi hoſti non habet. Proprie proditorum eſt *condictum*. Nam iis, quibus arcem, aut urbem prodituri ſunt, proprie *condicere*, & *conſtituere* dicuntur.

200. Dauliades (crudele. Non dubium eſt, quin legendum ſit, *Dauliades gaudete* -- praeſertim quum toties hoc verbum antea, & poſt interjecerit. Quin apices ipſi literarum recte conveniunt.

204. Chalcheius. Ego, hoc monſtri quid ſit, plane ignoro. Nam Chalcis ſane non eſt. Quod ſi eſſet, at χαλκις, quae & κύμινδις Homero, inter nocturnas aves ponitur a Plinio. Quare non poſſet eſſe Falco noſter? Eum enim eſſe Niſum alibi demonſtrabo. Sed nulla controverſia legendum *Haliaeetus*. Hic enim etiam ipſi apices literarum congruunt.

206. Devinctus lumina. *Devinctus lumina*, ut Theocritus ὄμματα πεπεδημένα μαλακῷ δεσμῷ. Poſſet & legi *devictus*.

LINDENBRUCH.

189. Credere quam scelere. Alii *tanti ſceleris*.

207. Vigilumque procul custodia primis Excubias foribus. Abſque dubio rectum erit ſi legatur,

-- primas Excubias foribus ſtudio &c. Dividebantur enim Vigiliae in quatuor partes. Cenſorinus de die Natali cap. x. *Alii diem quadripartito, ſed & noctem ſimiliter dividebant; id ſimilitudo teſtatur militaris, ubi dicitur, Vigilia prima, item ſecunda, & tertia, & quarta*. Viſe Vegetium lib. de Re militari III.

cap.

Excubias foribus ſtudio jactabat inani:
Cum furtim tacito deſcendens Scylla cubili
210 Auribus arrectis nocturna ſilentia tentat:
Et preſſis tenuem ſingultibus aëra captat.
Tum ſuſpenſa levans digitis veſtigia primis
Egreditur: ferroque manus armata bidenti
Evolat: at demptae ſubita in formidine vires,
215 Caeruleas ſua furta prius teſtantur ad umbras.
Nam qua ſe ad patrium tendebat ſemita limen,
Veſtibulo in thalami paulum remoratur; & altum
Suſpicit ad culti nutantia ſidera mundi,
Non accepta piis promittens munera Divis.
220 Quam ſimul Ogygii Phoenicis filia Carme

Sur-

SCALIGERI.

214. AT DEMPTAE. Lege, *ut demptae*. Id eſt, Simulac illi demptae vires. *Caeruleas* autem *umbras* more Graecorum, *κυανέαν ὄρφνην*. Et Albinovanus ad Liviam, *caeruleam mortem*.

218. NUTANTIA SIDERA. Ut — *nutantem pondere mundum*. Potes & legere *nictantia*. Videntur enim connivere. Cujus rei cauſſam reddidit Ariſtoteles in Meteorologicis. Porro in veteribus non *culti*, ſed *caeli* excuſum eſt: ut ſuſpicer legendum eſſe, *Suſpicit ad celſi*.

219. NON ACCEPTA PIIS. Omnino, ſicut alia pleraque, deſumptum ex Catulli Ariadna:

Non ingrata tamen fruſtra munuſcula Divis
Promittens, tacito ſuſpendit vota labello.

220. QUAM SIMUL OGYGII. Filiam tamen Eubuli cujuſdam facit Pauſanias Corinthiacis: Ἐν Αἰγίνῃ δὲ, inquit, πρὸς τὸ ὄρος τοῦ Πανελληνίου Διὸς ἰοῦσιν ἔστιν Ἀφαίας ἱερόν, εἰς ἣν καὶ Πίνδαρος ᾆσμα Αἰγινήταις ἐποίησεν. Φασὶ δὲ Κρῆτες (τούτοις γάρ ἐστι τὰ εἰς αὐτὴν ἐπιχώρια) Καρμάνορος τοῦ καθήραντος Ἀπόλλωνα ἐπὶ φόνῳ τοῦ Πύθωνος παῖδα Εὔβουλον εἶναι. Διὸς δὲ καὶ Κάρμης τῆς Εὐβούλου Βριτόμαρτιν γενέσθαι.

LINDENBRUCH.

cap. VIII. Et ſervatur hic ordo non ſolum in militia, ſed etiam in principum domibus. Apulejus de Mundo: *Ante fores viri fortes, ſtipatoresque regalium laterum, tutela pervigili, cuſtodiam per vices fortium ſuſtinebant*. Nec minori cura hoc fiebat in navibus. Petronius Arbiter: *Illud miror, Encolpi, tibi non ſuccurriſſe unum nautam ſtationis perpetuae interdiu noctuque jacere in ſcapha, nec poſſe inde cuſtodem, niſi aut caede expelli, aut praecipitari viribus*. Quod & ex legum Navalium Rhodiorum verbis intelligitur, in quibus praefecti vigilum mentio fit, quem *βιγλεύων φρουρὸν* vocant, unde & *ἡμεροβίγλιον* apud Curopalatam *ἀπὸ τῆς βίγλης*, ex Latio, qui ejus ſaeculi mos erat, ſumto vocabulo. Verba legis haec ſunt: *Εἰ δὲ καὶ ὁ ἀρμενιστὴς ἀμελήσας, καὶ ὁ βιγλεύων φρουρὸς ἀποκοιμηθῇ εἰς ἔξω βραχεῖς ἀπόλετο ὁ ἀρμενίζων, καὶ ὃν κρίσῃ ἀζήμιος φυλαττέσθω*. Vocabantur hujuſmodi vigiles *Noctiani* antiquis. Gloſſarium Graeco-Latinum: Νυκτόφυλαξ, *Noctianus*, *Nocte cuſtos*, *Vigilis*. Hi autem, qui in navibus excubabant, etiam Ναυφύλακες & *Diaetarii* Ulpiano L. 1. §. 3. D. Nautae, caup. ſtab. Paulo lib. III. Tit. VII. *Zetarii*, (quomodo *Zabulon* pro Diabolon) vocantur, nimirum a Diaeta, quae erat cuſtodum non ſolum in navibus, verum & domibus. Planum hoc ex inſcriptione lapidis Tiburtini: AD ID SEPULCHRUM HORTUS QUI EST CINCTUS MACERIA, ET DIAETA ADJUNCTA JANUAE CUSTODIAE CAUSA SEPULCHRO CEDAT. Nam cuſtodes poſt januam locatos, paucos puto eſſe qui ignorent. Unde etiam *Janizari* apud Turcas. Chalcocondilas de eorum geſtis lib. I. *Othomannici generis principem ſatellites ſibi adhibuiſſe & allegiſſe, quos Janizaros, id eſt, januas regis ſeu principis appellaverit*.

212. SUSPENSA LEVANS DIGITIS VESTIGIA PRIMIS. Sic Apulejus Mileſiarum lib. III. *Suſpenſo & inſono veſtigio me perducit*. Maxim. Elegia III.

Fallere ſollicitis ſuſpenſos ponere greſſus,
Et tota nullo currere nocte ſono.

Seb

Surgere ſenſit anus (ſonitum nam fecerat illi
Marmorea aeratus ſtridens in limine cardo)
Corripit extemplo feſſam languore puellam:
Et ſimul, o nobis ſacrum caput, inquit, alumna:
225 Non tibi nequidquam viridis per viſcera pallor
Aegrotas tenui ſuffudit ſanguine venas.
Nec levis hanc faciem (neque enim pote) cura ſubegit:
Haud fallor, quod te potius Rhamnuſia fallit.
Nam qua te cauſſa nec dulcis pocula Bacchi,
230 Nec gravidos Cereris dicam contingere foetus?
Qua cauſſa ad patrium ſolam vigilare cubile:
Tempore quo feſſas mortalia pectora curas,
Quo rapidos etiam requieſcunt flumina curſus?
Dic age nunc miſerae ſaltem, quod ſaepe petenti
235 Jurabas nihil eſſe mihi, cum maeſta parentis
Formoſos circum virgo morerere capillos?
Hei mihi, ne furor ille tuos invaſerit artus,
Ille, Arabis Myrrhae quondam qui cepit ocellos,
Ut ſcelere infando, quod nec ſinit Adraſtia,
240 Laedere utrumque uno ſtudeas errore parentem.

SCALIGERI.

225. VIRIDIS PER VISCERA PALLOR. Sic indifferenter Latini pallorem, & virorem uſurpant, ut Graeci ὠχρόν, καὶ χλωρόν. Galenus.

227. NEC LEVIS HOC FACERET. Lege, *Nec levis hoc facere (neque enim pote) cura ſubegit.* Nec levis cura te ad hoc faciendum adegit, ut timeres. Elegans eſt hic uſus verbi *facere* more Graecorum. Porro ſimile neſcio quo modo videtur illud Sapphonis, ut citatur ab Ariſtotele in Rhetoricis:

> Αἰ δ' ἶχες ἐσλῶν ἵμερον ἢ καλῶν,
> Καὶ μηδ' τι εἰπῆν γλῶσσ' ἐκύκα κακόν·
> Αἰδώς κεν οὐχί σ' εἶχεν ὄμματ',
> Ἀλλ' ἔλεγες περὶ τῷ δικαίῳ.

228. HAUD FALLOR. Inconcinna ſane lectio, & tanto Poeta indigna. Sed nihil facilius, quam veterem aſſerere, quae plane ita habebat: *Haud fallor: quod te potius Rhamnuſia, fallar.* Id eſt, quod potius te precor Rhamnuſia, ut fallar. Sic *Te Neptune, pater*, eleganter ſubticetur, *precor*. De quo ſatis in Conjectaneis in Varronem.

230. NEC GRAVIDOS. *Gravidos foetus*, γεέμοντας. Ut:

> *Sed gravidae fruges, & Bacchi Maſſicus humor.*

Cicero *graviditates* τὰς κυήσεις vocat. *Ab eaque*, inquit, *Luna illuminata graviditates, & partus adferat, maturitateſque gignendi.*

236. MORERERE CAPILLOS. Vetus editio *remorere*. Quod non eſt deterius illo.

239. QUOD NEC SINIT ADRASTEA. *Sinit*, ſiverit. Etiam frequens Plauto, ut & *ſiris*. Sic Horatius *edit*, pro edat.

> *Edit cicutis allium nocentius.*

240. LAEDERE UTRUMQUE. Melius, meo judicio, *ludere*. Illud tritum Comicis, *ludos facere*. *Utrumque* autem *parentem*, me, & patrem. Nam *nutrix* etiam mater Plauto in Mercatore: & *obſtetrix* etiam mater. Idem Truculento.

LINDENBRUCH.

Sed optime Tibullus, ut me monuit Nobiliſſimus Douza Fil. *Veſtigia furtim*

> *Suſpenſo digitis fert taciturna gradu.*

Quod ſi alio quovis animo jactaris amore:
Nam te jactari, non eſt Amathuſia noſtri
Tam rudis, ut nullo poſſim cognoſcere ſigno:
Sin conceſſus amor noto te macerat igne,
245 Per tibi Dictynnae praeſentia numina juro,
Prima Deum quae te mihi dulcem donat alumnam,
Omnia me potius digna, atque indigna laborum
Millia viſuram, quam te tam triſtibus iſtis
Sordibus, & ſcoria patiar tabeſcere tali.
250 Haec loquitur: mollique ut ſe velavit amictu,
Frigidulam injecta circumdat veſte puellam,
Quae prius in tenui ſteterat ſuccincta corona.

SCALIGERI.

241. QUOD SI ALIO. Quod ſi quomodocumque aliter animata amas, & non propter has cauſſas, quas ſuſpicata ſum. Vel, ut veteres loquebantur, Quod ſi cum alio animo amas. Non male etiam legere poſſis:

Quod ſi alio quovis nimio jactaris amore.

Sed non dubito legere:

Quod ſi alio quovis animum jactaris amore.

vel: *Quod ſi alio quovis nimio jactaris amore.*

242. NAM TE JACTARI. Legendum *noſtra*, non *noſtri*, & *Amathuntia*, non *Amathuſia*, quanquam idem eſt. Catullus:

Nam mihi quam dederit duplex Amathuntia curam.

Non ita averſa mea Venere de amore judico. Comicus aliquis licenter compoſuiſſet: οὐχ οὕτως εἰμὶ ἀπειροχορίδιτος.

244. SIN CONCESSUS AMOR. Non eſt deterius, quod habent veteres editiones, *confeſſus amor*. Graecanicum eſt ὁμολογητόν, tam qui in confeſſo eſt, quam qui eſſe poteſt. Sic Petronius: *Quum ſe confeſſo vinxit amori Jupiter*. Ne dubita igitur reponere *confeſſus*. Eſt autem hic ἔκλειψις ἀττική. Nullum enim ἀνταποδοτικόν. Ut, ἐπεὶ μὲν ἦλθον, οἱ δὲ μή. &c. Ariſtophanes: -- εἰ μέν ἄν τις ἴσῃ, εἰ δὲ μή, ἡμεῖς αὐτοί γε, καὶ τὰ δυνάμεθα &c. Ea aliquando utitur & Plautus.

247. DIGNA ATQUE INDIGNA. Digna indigna, ut Terentius, *juſta injuſta me facturum*. Quae omnia παροιμιῶδη. Cujuſmodi proverbium non animadverſum apud interpretem Aeſchyli:

Δοῦλε δεσποτῶν ἀκούειν καὶ δίκαια, κἄδικα.

Quo Plautus Captivis alluſit:

Indigna digna habenda ſunt, herus quae facit.

249. ET SCORIA. Non puto Virgilium ſordida verba, &, ut Gellius loquitur, maculantia ex plebis faece huc inferſiſſe, ut tam culto, ac tam nitido poematio, tam ſordidam verbi labem inſpergeret. Praeterea quis credat Virgilium modulum primae ſyllabae, quae eſt in *ſcoria*, ignoraſſe? Sed profecto legendum, *ſcabre tabeſcere tali*. Varro: *Ager derelinqueretur, ac periret ſcabre, ſqualeque, inluvie, inculta vaſtitudine.* Quam ſcabrem intelligat, plane innuit illo, *Non ſtyrace Idaeo* &c. Significat ergo omnem neglectum munditiarum: quemadmodum & Graecis nomine ἀλουσίας idem concipitur. Euripides Oreſte:

Ὡς ἠγρίωσαι διὰ μακρᾶς ἀλουσίας. Quod expreſſit Lucillius ita: -- *hic cruciatur fame,*

Frigore, inluvie, imbalnitie, imperfundie, incuria

Imbalnitie, ἀλουσία.

252. TENUI SUCCINCTA CORONA. *Tenui corona*, στέφανος, Nam χορωνὶς, & quo cingebantur, & capitis corona. *Choronam* etiam veteres ſcribebant aſpirate, conſcii ſcilicet ſibi ejus etymi. Nam primum veteribus στέφανος, χορωνὸς vocabatur, παρὰ τὰς χορούς. Simonides:

Φοῖβος ἐπαγάλλεται τοῖς τωνδ' ἀγητῶν αὐδῆς,
Ἂν ἄμετροι τέττιγες ἀπημείψαντο χορωνῷ.

Sed videamus an ſatis Latinum ſit, *cincta in ſtrophio*, *in zona*. Minime ſane. Hoc ergo unum falſi lectionem convicerit. Et profecto ita eſt. Nam legendum,

Quae prius in tenui ſteterat ſuccincta Crocota.

Crocotam etiam hodie decurtato nomine *Cotam* vocamus in tota Gallia. Scyllam ergo, ita ut ſurrexerat e lecto, crocota tantum indutam ait. Cui metuens nutricula, ne ſcilicet algeret, *Frigidulam injecta circumdat veſte puellam*, quae prius tantum manſerat in tenui crocota. *Eſtoit demeuree en cotte*. Gallico idiotiſmo.

Dulcia deinde genis rorantibus oscula figens,
Persequitur miserae caussas exquirere talis.
255 Nec tamen ante ullas patitur sibi reddere voces,
Marmoreum tremebunda pedem quam rettulit intra.
Illa autem, Quid nunc me, inquit, nutricula, torques?
Quid tantum properas nostros novisse furores?
Non ego consueto mortalibus uror amore,
260 Nec mihi notorum deflectunt lumina vultus,
Nec genitor cordi est: ultro namque odimus omnis.
Nil amat hic animus, nutrix, quod oportet amari,
In quo falsa tamen lateat pietatis imago:
Sed media ex acie, mediis ex hostibus, heu heu,
265 Quod dicam? quove ipsa malum hoc exordiar ore?
Dicam equidem: quoniam quid tu tibi dicere nutrix
Non finis? extremum hoc munus morientis habeto:
Ille, vides, nostris qui moenibus adsidet hostis,
Quem pater ipse Deum sceptri donavit honore,
270 Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi:
Dicendum est, frustra circumvehor omnia verbis,
Illa mea, ille idem oppugnat praecordia Minos.
Quod te per Divum crebros obtestor amores,
Perque tuum memoris haustum mihi pectus alumnae,

SCALIGERI.

260. NEC MIHI NOTORUM. Ait se non amicorum amore tangi, sed, quod ἄπιστον, & vix credibile, hostium. Hostem enim Minoem amare. *Noti* sunt amici: ut in Epitaphio Puppii poetae Tragici:

Flebunt amici, & bene noti morte in mea.

Catullus: *Si tria notorum basia reppererit.*

DEFLECTUNT LUMINA. *Deflecti lumina* iis dicebant Veteres, qui alicujus rei subito cupidi fiebant. Varro: *Nam qui ad eam sunt ingressi integris oculis, omnes sunt strabi facti. Habet enim nescio quid ἑλκυστικὸν formosula provincialis uxor.* Ergo *strabum fieri*, & *deflecti oculos*, idem est. Quod Graeci non absimili allusione dicunt ἰλιγγιᾶν ποιεῖ.

270. CUI PARCAE. Restitue ex veteribus editionibus:

Cui Parcae tribuunt nullo quoque vulnere laedi.

An sentit Minoem in eo bello nullum vulnus unquam accepisse? An, quod verum est, ἰσοσχιῶς dixit? ut idem videatur concessum Minoi, quod Talo Cretensi. Qui, quod ἄτρωτος esset, propterea a Poetis totus aeneus perhibetur.

272. OPPUGNAT. Non de nihilo dixit, *oppugnat*. Nam & moenia quoque oppugnabat.

274. PERQUE TUUM MEMORIS. Lege *memori*. Mihi memori, & gratae. Aspiratio facit, ne sit hiatus. *Haurire pectus*, est quod *sugere mammam* Varro dixit: *& mammam lactis sugentem pascere puppum*. Unde *suctum lactis* idem dixit γνῶθι σεαυτόν.

-- Denique certe
Lac sultificum daret, & mansum:
Quo venarum sanguine rivos
Compleret puer: ut crementa

275 Ut me, si servare potes, ne perdere malis.
Sin autem optatae spes est incisa salutis;
Ne mihi, quam merui, invideas, nutricula, mortem.
Nam nisi te nobis malus, o malus, optima Carme,
Ante hunc conspectum casusve, Deusve tulisset:
280 Aut ferro hoc (aperit ferrum quod veste latebat)
Purpureum patris dempsissem vertice crinem,
Aut mihi praesenti peperissem volnere lethum.
Vix haec ediderat, cum clade exterrita tristi
Intonsos multo deturpat pulvere crinis,
285 Et graviter questu Carme complorat anili.
O mihi nunc iterum crudelis reddite Minos,
O iterum nostrae Minos inimice senectae
Semper: & aut olim nata o te propter eundem,
Aut amor insanae luctum portavit alumnae.
290 Tene ego tam longe capta atque avecta nequivi,
Tam grave servitium, tam duros passa labores,
Effugere, ut sistam exitium crudele meorum?

Jam

SCALIGERI.

Corpora fierent: ut majora
Parvo fuctu candida lactis.

Nos ita & correximus, & conjunximus.

275. UT ME SI SERVARE. Simile Ovidius in sua Medea dixerat:

Servare potui: perdere an possim, rogas?

279. ANTE HUNC CONSPECTUM. Aut dixit pro, *Ante expectatum:* aut sane legendum *Ante expectatum*. Παρὰ προσδοκίαν, ἀπροσδοκήτως. 111. Georgicon:

-- & hosti
Ante expectatum positis stat in agmine castris.

286. CRUDELIS REDDITE. Hoc est, o mihi nunc iterum effecte crudelis. Non tamen verum puto, sed *-- crudeliter addite Minos:* ut, *-- & Teucris addita Juno*. Poetae, ἐπιζεύξεις, ἐπεζευγμένως. Sed Servius cum ait esse verbum antiquorum, producitque Plauti testimonium, *Additus Ioni Argus:* vereor ne memoria lapsus sit, habueritque in mente locum ex Aularia:

Quos si Argus servet, qui totus oculeus fuit,
Quem quondam Joni Juno custodem addidit.

287. O ITERUM NOSTRAE. Ita lego hunc locum:

O iterum nostrae Minos inimice senectae:
Semper & ante olim natae te propter eundem,
Ab amor insanae luctum portabit alumnae.

Ut olim natae meae Britomarti luctum portavit amor propter te, sic & alumnae Scyllae nuper propter te eundem. Quanquam diversa ratione. Nam olim amans, nunc vero amatus luctum portat puellae. *Portare luctum* dixit, quod Graeci κῆδος φορεῖν. Britomartis matrem Carmen hanc fuisse superius ex Pausania docuimus, quod & apud Antoninum Liberalem invenies, quae in manus Nisi pervenit bello captiva, ut ipsamet infra profitetur:

Tene ego tam longe capta, atque evecta, nequivi &c.

292. OBSISTAM. Haec est veterum excusorum lectio, quam mirum quot modis cruciarint Correctores isti: cum alius *ut sistam*, alius *absistam*, alius alia monstra pro libidine configeret. Ego vero nulla pene licentia ita lego: *Effugere obses tam exitium crudele meorum*. An non satis constat de veritate lectionis? obsidem se vocat, quae esset αἰχμάλωτος.

Jam jam nec nobis ea, quae fenioribus, ullum
Copia vivendi vitae genus. Ut quid ego amens
295 Te erepta, o Britomarti, meae fpes una falutis,
Te, Britomarti, diem potui producere vitae?
Atque utinam Cereri, nec tantum grata Dianae
Venatus effes virgo fectata virorum,
Cnoffia neu Partho contendens fpicula cornu
300 Dictaeas ageres ad gramina nota capellas:
Nunquam tam obnixe fugiens Minois amores,
Praeceps aëreis fpecula de montibus iffes:
Unde alii fugiffe ferunt, & numina Phocae
Virginis affignant: alii, quo notior effes,

Di-

SCALIGERI.

293. JAM JAM NEC NOBIS. Nihilo fecius huic vulneri manus intulerunt, ut illi pejus effet: cum difertim excufum fit antiquitus:

Jam jam nec nobis ea, quae fenioribus, ullum
Copia vivendi vitae genus.

Jam nec nobis copia reftat vivendi ullum vitae genus, ne ea quidem, quae fenioribus fupereft. Nam quid eft tam defperatum, quam vita fenum, ut quae propior morti fit? At ea ne nobis quidem fupereft. Graecum eft: πᾶς βίος ἀβίωτος ἡμῖν.

295. MEAE SPES UNA SALUTIS. Ne huic quidem loco pepercerunt. Veteres habebant

-- *mei fpes una fepulcri.*

Dignum elegantia Virgiliana. Nam quae vitam feniorum mortem exiftimet, propterea maluit dicere fpes fepulcri, quam fpes falutis. Notum enim & fenes τυμβογέροντας vocari.

302. PRAECEPS AERIIS. Ἐν ἄκρᾳ θινῶν: *fpecula de montibus*, pro *fpecula montium*: fic in Moreto: *grumos fpargit fale?* Sed fine dubio legendum,

-- *aerii fpecula de montis abiffes.*

Sic in Bucolicis:

Praeceps aerii fpecula de montis in altum Deferar

303. UNDE ALII FUGISSE. An, unde alii, qui propter amoris impotentiam vellent fe praecipites dare, prae altitudine faltus deterriti funt, & abftinuerunt tali temeritate. Quapropter Statius vocat *temerariam* Sappho, quae non horruerit faltum Leucadis, quem non foeminae, fed viri, ex amoris infania falire confueverant, ut cognofcimus ex Menandro apud Strabonem, & Anacreonte ita canente:

Ἀρθεὶς δ' αὖτ' ἀπὸ Λευκάδος πέτρης
Ἐς πολιὸν κῦμα κολυμβῶ μεθύων ἔρωτι.

Nam fane de Sapphone intellexit Laevius poeta vetus:

Sefeque in alta maria praecipitem mifit
Inops, & aegra fanitatis Herois

Sed nimis alte repetita explicatio. Non dubium eft quin hic lateat hiftoriae reconditus fenfus, quae eft eruditio Virgilii. *Unde alii fugiffe ferunt:* hoc eft, unde ajunt te evafiffe, & inde Ἀφαίαν vocatam fuiffe, ἀπὸ τοῦ ἀφανισθῆναι. Nam Britomartis a Cretenfibus Dictynna vocata eft, ab Aeginetis Aphaea, ut ego interpretor, & ut manifefte hic canit Virgilius, quod effugerit Minois vim, ἀπὸ τοῦ ἀφανισθῆναι, ut jam dixi. Hefychius: Ἀφαία, Δίκτυννα, Ἄρτεμις. Paufanias de Britomarti: Χαίρειν δὲ αὐτὴν δρόμοις τε, καὶ θήραις, καὶ Ἀρτέμιδι μάλιστα φίλην εἶναι. Μίνω δὲ ἐρασθέντα φεύγουσα ἔρριψεν ἑαυτὴν ἐς δίκτυα ἀφειμένα ἐπ' ἰχθύων θήρᾳ. Ταύτην μὲν θεὸν ἐποίησεν Ἄρτεμις. Σέβουσι δὲ οὐ Κρῆτες μόνον, ἀλλὰ καὶ Αἰγινῆται, λέγοντες φαίνεσθαί σφισιν ἐν τῇ νήσῳ τὴν Βριτόμαρτιν. Ἐπίκλησις δὲ οἱ παρά τε Αἰγινήταις ἐστὶν Ἀφαία, καὶ Δίκτυννα ἐν Κρήτῃ. Idem Antoninus Liberalis. ET NUMINA PHOCAE. Lege, *& nomen Aphaeae.* Nam cum prius fcriptum effet, *Aphoeae* per *oe*, ut nullum inter *ae*, & *oe* difcrimen faciebant imperiti librarii, inde factum, ut ex *nomen Aphoeae* facile fecerint *numina phocae*. Eruditio Virgiliana hic plane elucet. Nam quum ait, *Unde alii fugiffe ferunt*, intelligit Aeginetas: quum vero *alii quo notior effes*, intelligit Cretenfes. Hi enim Dictynnam, illi vero Aphaeam vocabant.

LINDENBRUCH.

297. ATQUE UTINAM CERERI. Alii, *Cereri non.*

305 Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.
Sint haec vera velim: mihi certe gnata peristi.
Nunquam ego te summo volitantem in vertice montis
Hyrcanos inter comites, agmenque ferarum
Conspiciam, nec te redeuntem amplexa tenebo.
310 Verum haec tum nobis gravia, atque indigna fuere,
Tum, mea alumna, tui cum spes integra maneret:
Et vox ista meas nondum violaverat aures,
Tene etiam Fortuna mihi crudelis ademit?
Tene, o sola meae vivendi caussa senectae?
315 Saepe tuo dulci nequidquam capta sopore,
Cum premeret natura, mori me velle negavi,
Ut tibi Corycio glomerarem flammea luto.
Quo nunc me infelix, aut quae me Numina servant?
An nescis, qua lege patris de vertice summo
320 Edita candentis praetexat purpura canos?
Quae tenui patriae spes sit suspensa capillo?
Si nescis, aliquam possum sperare salutem:
Inscia quandoquidem scelus es conata nefandum.

SCALIGERI.

305. DICTYNNAM. Quod fugiens Minois amores εἰς δίκτυον inciderit. Cujus fabulae auctorem facit Strabo Callimachum. Ad eam allusit Aristoph.

Δικτυνν', ἐν κράτεσι ἐσί μοι τὸ δίκτυον
Ἡ δ' ἐμοὶ Δίκτυννα συγγνώμην ἔχοι τοῦ δικτύου.

Porro de Britomarti ita Solinus: *Cretes Dianam religiosissime venerantur, Βριτόμαρτιν gentiliter nominantes: quod sermone nostro sonat virginem dulcem. Aedem virginis, praeterquam nudus vestigia, nullus licito ingreditur.* Haec ille. Sane quod ait de etymo nominis, ego invenio in Glossario Hesychii, βριτὺ, τὸ γλυκὺ, εἰς Κρῆτες. Quod vero excalceati in ejus templum intrarent, puto ob id factum, quia nudis pedibus erat, quum fugeret Minoem. Etiam nescio quid tale notat Varro Pseudapolline περὶ θεῶν ἀνευρέσεως, ita: *Quod in ejus Dei templa calceati introeunt. Nam in oppido, in quo est aedes Apollinis, qui ibi ad Herculis introeunt, nemo se excalceatur.*

308. HIRCANOS. De Hircanis canibus consule Xenophontem, Gratium, Oppianum, & Olympium Nemesianum.

310. GRAVIA, ATQUE INDIGNA. *Indigna*, ἄφερτα. Ennius, *indignas turres*. Virgilius ipse: -- *indigno quum Gallus amore periret*. Ergo *indignum*, ἄφερτον. Nam *Dignum*, quod aestimari, ac monstrari poterat, παρὰ τὸ δεικνύειν. Sic Attici τὸ ἄξιον vocabant, quod facile aestimari poterat. Itaque saepe ἀντὶ τοῦ εὐώνου ponunt. Aristophanes Ἱππεῦσι:

Οὐπώποτ' ἀφύας εἶδον ἀξιωτέρας. Item:
Ἤσθετο τὰς ἀφύας παρ' ἡμῖν ἀξίας, i. εὐώνους.

318. QUO NUNC ME INFELIX. Τὸ *infelix* διὰ μέσου, ut loquuntur Grammatici, Graeci [illegible]. Sententia autem eadem apud Senecam Oedipode: -- *Cui reservamur malo?* Plinius videtur nomine proverbii simile retulisse: *Fortuna multis parcit in poenam*. Forsan Publii Mimi: *Fortuna multis parcere in poenam solet.* Quo allusum videtur:

Una salus miseris nullam sperare salutem.

321. QUAE TENUI PATRIAE. Malo, *Quam tenui patriae spes sit suspensa capillo.*

323. INSCIA. Hic *inscia*, λανθάνουσα. Ut -- *liquitque volatile ferrum Nescius* -- Plautus Captivis: *Si*

quid

Sin

Sin est, quod metuo: per me, mea alumna, tuumque
325 Expertum multis miserae mihi rebus amorem,
Per me, & sacra precor per flumina Ilithyiae,
Ne tantum in facinus tam nulla mente sequaris.
Non ego te incepto, fieri quod non pote, conor
Flectere, Amor: neque sit cum DIs contendere nostrum:
330 Sed patris incolumi potius te nubere regno,
Atque aliquos tamen esse velis tibi, alumna, penates:
Hoc unum exitio docta, atque experta monebo.
Quod si non alia poteris ratione parentem
Flectere: sed poteris (quid enim non unica possis?)
335 Tunc potius tamen ipsa, pio cum jure licebit,
Cum facti caussam, tempusque doloris habebis:
Tunc potius conata tua, atque incepta referto.
Meque, Deosque tibi comites, mea alumna, futuros,
Polliceor: nihil est quod texas ordine longum.
340 His ubi sollicitos animi relevaverat aestus
Vocibus, & blanda pectus spe vicerat aegrum:
Paullatim tremebunda genis obducere vestem
Virginis, & placidam tenebris captare quietem,
In-

SCALIGERI.

quid nescivi, id nescium tradam tibi. Gellius lib. XIX. cap. I. *Aut repentinus nescius periculi nuncius*.

324. PER ME MEA. Legendum: *-- te per mea alumna*.

326. PER ME ET SACRA. Lege, *Per te sacra precor*. Cujus nostrae correctionis vestigia apparent in veteribus editionibus, *Perdere sacra*. Notissimum est semper interponi casum personae in obtestationibus: ut apud Euripidem: -- Πρός σε τῆς γενειάδος.
Hic tamen est obtestatio πρὸς τῆς Φωσφόρου. PER FLUMINA. Lego *per lumina*. Videtur enim juramentum Creticum, ναὶ τὴν Φωσφόρον. Etiam Atticis mulieribus familiare. Sic enim illa apud Aristophanem:

Πανύχιος οἱ ναὶ τὴν Ἑκάτην τὴν φωσφόρον.

Tamen non male legeretur, *Per te sacra precor perluminis Ilithyiae*. Ut *perluminis* eo modo dictum, & formatum sit, quo *pernoctis*. Nihil vero mutandum censeo.

327. NE TANTUM IN FACINUS. Puto legendum esse:

Ne tantum in facinus tam molli mente feraris.

Nam veteres editiones habent *tam molli*, non, *tam nulla*.

329. FLECTERE AMOR. Sententia est Sophoclis:

Ἔρωτι μὲν γὰρ ὅστις ἀντανίσταται
Πύκτης ὅπως εἰς χεῖρας, οὐ καλῶς φρονεῖ.

338. MEQUE DEOSQUE TIBI COMITES. Vult dicere, quod expressius Graeci: ὡς ἐμοῦ καὶ θεοῖς συλληψομένοις σοι, ἔπι ποίει.

339. NIHIL EST, QUOD TEXAS. Quod sit ἀθημοσύνη. Quo nomine extat liber Hippocratis. Xenophon Oeconomico: Ἔστι γὰρ οὐδὲν ἔτι ἄχρηστον, ἔτι καλὸν ἀνθρώποις, ὡς ἡ τάξις.

LINDENBRUCH.

326. PER ME ET SACRA. Alii, *per te*.

Inverſo bibulum reſtinguens lumen olivo,
345 Incipit ad crebros inſani pectoris ictus
Ferre manum, aſſiduis mulcens praecordia palmis.
Noctem illam ſic maeſta ſuper morientis alumnae
Frigidulos cubito ſubnixa pependit ocellos.
Poſtera lux ubi laeta diem mortalibus almum,
350 Et gelido veniens mani quatiebat ab Oeta,
Quem pavidae alternis fugitant, optantque puellae:
Heſperium vitant, optant ardeſcere Solem:
Praeceptis paret virgo nutricis, & omnis
Undique conquirit nubendi ſedula cauſſas.
355 Tentantur patriae ſummiſſis vocibus aures,
Laudanturque bonae pacis bona: multus ineptae
Virginis inſolito ſermo novus errat in ore.
Nunc tremere inſtantis belli certamina dicit,
Communemque timere Deum: nunc Regis amicos,
360 (Namque ipſo verita eſt orbari maeſta parente)
Cum Jove communis qui quondam habuere nepotes.
Nunc etiam conficta dolo mendacia turpi
Invenit, & Divum terret formidine civis:
Nunc alia ex aliis, nec deſunt, omina quaerit:
365 Quin etiam caſtos auſa eſt corrumpere vates:

Ut,

SCALIGERI.

344. INVERSO BIBULUM. Superſtitio veterum, qui lucernam non extinguebant, ſed per ſe ſinebant langueſcere. Plutarchus. Hic vero obruitur olivo, ne viderentur ut hominem interficere, ſi tantum extinguerent, ſed ut ſaturitate opprimere. Etiam vinum invergebant, quum langueret lumen, & ex crepitantis flammae, quam mero tangebant, ſonitu, omina captabant. Propertius. *Seu metuit tangi parca lucerna mero.* In epiſtola Heronis ad Leandrum:

Interea lumen (poſito nam ſcribimus illo)
Sternuit, & nobis proſpera ſigna dedit.
Ecce merum nutrix fauſtos inſtillat in ignes.
Cras erimus plures, inquit, & ipſa bibit.

345. INCIPIT AD CREBROS. Melius veteres editiones:

Incipit: & crebros inſani pectoris ictus
Ferre manu. Hic *ferre manu*, eſt χεῖρα ἀνίχειν.

Et quod Plaut. Caſina, *Contine pectus: face ventulum amabo.*

350. ET GELIDO. Lege *Egelido*. *Egelido veniens mani quatiebat ob Oeta.*

352. HESPERIUM. *Heſperium diem* pro Heſpero, quomodo Cicero *brumalem diem* pro bruma. Eum ait odiſſe puellas, ut & ipſum inſectantur illae apud Catullum:

Heſpere, qui caelo lucet crudelior ignis?

360. NAMQUE IPSO VERITA EST. Μιμνάσι ὀρφανική.

364. NUNC ALIA EX ALIIS. Lege *Nunc alia ex aliis (nec deſunt) omina quaerit.*

LINDENBRUCH.

350. MANI QUATIEBAT. Alii, *mane*.

Ut, cum caesa pio cecidisset victima ferro,
Essent, qui generum Minoa auctoribus extis
Jungere, & ancipites suaderent tollere pugnas.
At nutrix patula componens sulfura testa,
370 Narcissum, casiamque, herbas incendit olentis:
Terque novena ligat triplici diversa colore
Fila: ter in gremium mecum, inquit, despue virgo,
Despue ter, virgo: numero Deus impare gaudet.
Inde Jovi geminat magno Stygialia sacra,

Sa-

SCALIGERI.

369. COMPONENS SULFURA TESTA. Testam ad eam rem adhiberi novimus ex Aeschylo, & ejus interprete. In ea enim suffimenta componebant piatrices mulieres. In veteribus Glossis ita reperio: *Tegularia, maleficia: eo quod supra tegulas sacrificent.* Nam maleficiorum nomine, sortilegia.

374. HIC MAGNO. Satis male habuerunt hunc locum in omnibus editionibus. Sed minimum omnium recedunt veteres excusi codices, qui habent:

Hinc magno generata Jovi frigidula sacra:

Prodigiosa sane oratio, sed quae facilem viam sternat nobis ad veritatem indagandam. Nam ita docet legendum esse:

Hinc magico venerata Jovi Stygialia sacra.

Stygialia sacra sunt, quae Sagae faciebant ad pelliciendum in amorem sui quoscumque vellent. Talia sunt illa, quae Dido praetexit in quarto se facere velle, ut in amorem sui animum Aeneae intractabilem pelliciat. Stygialia vero ideo vocantur, quia Jovi Stygio fiebant, ut ibidem legimus:

Sacra Jovi Stygio quae rite incepta paravi.

De iis & Porphyrio interpres Horatii: *Cocytia*, inquit, *sacrum Cupidinis esse dicit: quia maleficia haec, quae per inferna fiunt, ad amorem pertinere vult intelligi.* *Magicum* ergo *Jovem*, & *Stygium* eundem intelligo: & *Stygialia* eadem cum *Cocytiis*. In iis autem sacris aut effigies cereo similis ei, quem devovebant, ponebatur, ut exponendum est in illo: *Effigiemque toro locat haud ignara futuri*; contra opinionem Servii: aut laminae in ejusdem similitudinem effictae, quae *ipsullices*, ut puto, vocantur Festo. *Ipsullices*, inquit, *bracteae in virilem muliebremque speciem expressae*. Sed *Ipsiplices* puto legendum. Nam in veteri Glossario *Ipsiplices*, αὐτόπτυκτα φύλλα recte exponuntur. Easdem *Auriplices* puto dictas. Et ita legendum in versibus Laevii poetae antiquissimi apud L. Apuleium:

Philtra omnia undique eruunt.
Antipathes illud quaeritur.
Trochili, iunges, taeniae,
Radiculae, herbae, surculi,
Auriplices bitortilae,
Hinnientium dulcedines.

Ubi *iunges* ἴυγγες dicuntur. Ab illis simulatis laminis, ut ego censeo, *simulatrices* illae sagae nominabantur. Earum meminit Festus. Idcirco dixit Statius:

Colchis, & Aeaeo simulatrix litore Circe.

Nisi potius ita vocari, quod homines in feras transformaret: ut eo nomine dicatur μορφώτρια a Lycophrone. Quam vero *Simulatricem* vocat Festus, eandem & *Fictricem* Tertullianus de Carn. resurrect. *Et tamen*, inquit, *calicem non dico venenarium, in quem mors aliqua ructaret: sed fictricis, vel archigalli, vel gladiatoris, aut carnificis spiritu infectum.* Non solum autem laminis & bracteis in devotionibus, & defictionibus utebantur Sagae: sed etiam illas pro amuletis, & proebiis adhibebant. Arnobius: *Adversus ictus noxios, & venenatos colubrarum morsus remedia saepe conquirimus, & protegimus nos laminis, Psyllis, Marsis vendentibus, aliisque institoribus, atque planis.* Invenio quoque easdem piatrices mulieres etiam *Veratrices* vocatas. Apulejus: *Magnaque cura requisitam veratricem quandam foeminam; quae devotionibus, ac maleficiis quidvis efficere credebatur, multis exorat precibus.* Vocabantur autem *veratrices*, nisi fallor, quia profitebantur se vera dicturas. Unde *verare* est verbum vatum. Ennius:

--Satin vates verant aetate in agunda.

Et quia veratores, & veratrices pro insanis habebantur, ab eo Elleborum *Veratrum*, quod eo insani purgabantur. Apud Suetonium in Vitellio pro *vernaculis*, *veraculis* puto reponendum. Verba ejus: *Nullis tamen infensior, quam vernaculis, & mathematicis.* Posset &, quod verius puto, *vericolis*. Ut *vericolae* dicantur, quod verum profiteantur. Ut Judaei apud Imperatorem dicuntur *Caelicoli*, vel

Cae-

375 Sacra nec Idaeis senibus, nec cognita Grajis.
Pergit Amyclaeo spargens altaria thallo,

Re-

SCALIGERI.

Caelicolae, quia, ut ait Juvenalis, *Nil praeter nubes, & caeli numen adorant*. Eodem modo in Italia, & in Aquitania vulgo *Faticolae*, & *Faticolariae* mulieres Sagae vocautur. In Apulejo tamen poteſt legi *veteratricem*: quod malo.

375. NEC IDAEIS GENIBUS. Omnes antiquitus excuſi *Idaeis avibus*. De re valde tecta, & incognita proverbialiter dicebant, *ne avibus quidem notam* eſſe. Nam quid non latebuot, ſi aves latuerint? Siquidem proverbium Graecum eſt, οὐδεί με θεωρεῖ πλὴν ὁ παραπτάμενος ὄρνις. Et, οὐδείς γε οἶδε, πλὴν εἴ τις ὄρνις. Tamen, ne nimium ougemur, omnino ceoſeo legendum, *Idaeis anibus*: hoc eſt, Sagis.

376. THALLO. Θαλλὸς termes olivae. In expiationibus, & devotionibus χύτλα, quae vocaot Graeci, ſpargebaotur ramo olivae: Theocritus ἡρῴδῳ:

-- Καθαρῷ δὲ πυρώσατε δῶμα θεείῳ
Πρῶτον, ἔπειτα δ' ἅλεσσι μεμιγμένον, ὡς νενόμισται,
Θαλλῷ ἐπιῤῥαίνειν ἐστεμμένον ἀβλαβὲς ὕδωρ.

Heſychius: Χύτλοισι, ὑγροῖς. Χύτλος δὲ κρατὸς ἐκόσ' ἄγχιος παρὰ ἐστεμμένοις εἰκῇ, καὶ ἐκ σίτου ξεμένοις. Corrige ita: Χύτλοισι, ὑγροῖς. Χύτλος δὲ κρατὸς ὄσχος ἄσικιος παρῆν. Χυμένοις, ἐστεμμένοις, &c. Hic vides in illo Jambico Senario ὄσχος κρατὸς nihil aliud eſſe, quam termitem olivae, ex quo fiebant & coronae, quem is poeta, quiſquis eſt, χύτλος vocarit. In quarto Aeneidis:

Sparſerat & latices ſimulatos fontis Averni.

Conſeotaneum eſt ſpargi ramo olivae. Nihil enim ſunt latices illi, quam χύτλα, ut etiam docemur ex Orphei Argonauticis. Sed & alibi mentionem fecit rami olivae:

Idem ter ſocios pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivae.

Amycleum vocat; quia olivarum proventus magnus in Laconia. Argumento fuerit & ſtudium palaeſtrae, & Statius, qui Eurotan *oliviferum* vocat.

LINDENBRUCH.

371. TERQUE NOVENA LIGAT. Multi hujus rei meminerunt. Horatius Sat. VIII. lib. I.

-- *Herbas atque incantata lacertis*
Vincula cum magno riſuque jocoque videres.

Nemeſianus Ecloga IIII.

Haec eadem nobis varieque coloria fila
Et mille ignotas Mycale circumtulit herbas.

Io quibus verſibus maximum poetam imitat eſt in Pharmaceutria:

Terna tibi haec primum triplici diverſa colore
Licia circumdo. -- De venefica quoque ita ſcripſit Petronius Arbiter: *Illa de ſinu licium protulit varii coloris filis intortum, cervicemque vinxit meam.* Polyaeoi ſcilicet, cujus, ut ipſe loquitur, inguinum vires funeratae erant. Morbos enim venefici ligamentis ſanabant. Marius Victorinus io Ciceronem: *Medici officium curare eſt, ſed quia multi & incantatione & ligaturis curant, curare, inquit, ſed appoſite ad ſanitatem.* Sed praecipue morbos inguinum: quod & Plinius lib. XXVIII. cap. IIII. *Inguinibus medentur aliqui, licium telae detractum alligantes novenis ſeptenisve nodis, ad ſingulos nominantes viduam aliquam, atque ita inguina adligantes licio.* Cornelius Celſus: *Imponendum licium ex vino, aut amurca cocta cum eodem.*

372. TER IN GREMIUM MECUM, INQUIT DESPUE. Eſt & hoc ex arte venefica. Theocritus Εἰδ. ζ.

Γραία τε παρείη
Ἅτις ἐπιφθύσδοισα τὰ μὴ, καλὰ νόσφιν ἐρύκοι.

Ubi vetus ejus Scholiaſtes: εἰώθασι δὲ αἱ γραῖαι ὅταν ἐπᾴδωσιν ἐπιπτύειν. Erat autem iogens veterum in hac re ſuperſtitio. Nam & caedes dolo malo perpetratae expuendo expiabaotur. Scholiaſtes Apollonii lib. IIII. ſect. XXXIII. Οἱ δολοφονοῦντες ἀρχαίως ἀκρωτηριάσματά τινα ἐκ τοῦ φονευμένου ταῦτα λαβόντες ἐξήρτων τοῦ τραχήλου αὐτῶν. Ἔπειτα τοῦ αἵματος αὐτοῦ λαβόντες, τρὶς εἰς τὸ στόμα ἔπτυον. Ad faſcinum quoque arcendum in ſinum ſpuebant. Probus commentator Juvenalis ad illum Satyrae VII. verſum: *Conſpuiturque ſinus. Propter faſcinum*, inquit, *verborum ter ſibi in ſinum ſpuunt, & videntur faſcinum arcere*. Theocritus: Ὡς μὴ βασκανθῶ δὲ, τρὶς εἰς ἐμὸν ἔπτυσα κόλπον. Viſe Tibull. lib. I. Eleg. II. Io medicina quoque ſolebant deſpuere. Plinius lib. XXVIII. cap. IV. *Veniam a deis ſpei alicujus audacioris petimus in ſinum ſpuendo. Etiam eadem ratione terna deſpuere deprecatione in omni medicina mos eſt*. Quod & apud Petronium Arbitrum anus illa obſervat. *Mox turbatum ſputo pulverem medio ſuſtulit digito, frontemque repugnantis ſignavit. Hoc peracto carmine ter me juſſit expuere*. Ubi & de ſputo addit quo frontem notabant. Cujus etiam ſic meminit Perſius Satyra II.

-- *Frontemque atque uda labella*
Infami digito, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat.

Viſe Propertium lib. IV. Elegia VII.

374. HINC MAGNO. Alii, *Inde Jovi geminat magno frigidula ſacra*.

Regis Iolciacis animum defigere votis.
Verum, ubi uulla movet ſtabilem fallacia Niſum,
Nec poſſunt homines, nec poſſunt flectere Divi:
380 (Tanta eſt in parvo fiducia crine cavendi:)
Rurſus ad inceptum ſociam ſe adjungit alumnae,
Purpureumque parat rurſus tondere capillum,
Cum longo quod jam captat ſuccurrere amori:
Non minus illa tamen revehi, quod moenia creſcant,
385 Gaudeat: & cineri patriae eſt jucunda ſepulto.
Ergo metu capiti Scylla eſt inimica paterno.
Tum coma Sidonio florens ſucciditur oſtro:
Tum capitur Megara, & Divum reſponſa probantur:
Tum ſuſpenſa novo ritu de navibus altis,

Per

SCALIGERI.

377. DEFIGERE VOTIS. Dictum, ut *defigere diris*. In veteri Gloſſario, *Defictiones*, νεκυομαντεῖαι, κατάδεσμοι. Ut intelligere poſſis καταδέσμους eſſe:

Veneris, dic, vincula necto.

378. STABILEM FALLACIA. Veteres editiones conſtanter habent, *ſtabilis fallacia*. Quod non auſim mutare. Eadem enim ratione active *ſtabilis*, qua & *tolerabilis* in Culice. Vide locum.

383. CUM LONGO QUOD. Lege: *Tum longo quod captet ſuccurrere amori. Non minus illa tamen*. Ita ſaepe loquitur Plautus: *Quod ille gallinam, aut columbam ſe ſectari, aut ſimiam Dicat, diſperiiſtis*. — τὸ *quod* uſum vide ſupra.

384. NON MINUS. Corruptus locus. Scribe:

Non minus illa tamen revehi quoque moenia Cretes
Gaudet. At ei &c.

Quanquam ſtudet ſuccurrere inſaniae puellae: tamen ſi eveniat id fruſtra tentare, gaudet, quod ſibi iterum in Cretam revertendum ſit. In qua, ut ſupra diximus, educata fuerat, & ibi Britomartim pepererat. Sed bello capta inde Megaram avecta eſt.

385. ET CINERI. Ego ſum jucundus illi rei, pro, illa re laetor, nullus veterum dixit. Ne nos quoque hanc injuriam faciamus ſummo poetae, ut credamus eum ita locutum eſſe, quomodo nemo tum loquebatur. Nam ita potius ſcripſiſſe mihi perſuadeo: *Gaudet; at ei cinis eſt patriae jucunda ſepultae*. Huic placet, inquit, ruina patriae ſuae. Utrique cauſſa eſt, quod gaudeant: illi, quod iterum in Cretam reverti ſperat: huic vero, quod de caſu patriae certa ſit. *Cinis* in feminino genere veteribus uſurpabatur. Calvus:

— *Cum tu fulva cinis fueris*. Catullus:
Troja virum, ac virtutum omnium acerba cinis.

389. TUM SUSPENSA. Non hoc finxit: ſed in Graecorum commentariis idem legimus: Ἀνῃρέθη ὑπὸ τοῦ Μίνωος, ᾧ καὶ προὔδωκε τὸν πατέρα, κρεμασθεῖσα τῆς νηός. Propertius de eadem:

Pendet Cretea tracta puella rate. Et infra:
Vincta tot aſſiduas pendebo ex ordine luces.

LINDENBRUCH.

386. CAPITI SCYLLA EST INIMICA PATERNO. Ovidius Metamorph. lib. VIII.

— *Thalamos taciturna parentis*
Intrat, & (heu facinus) fatali nata parentem
Crine ſuum ſpoliat. Hyginus Fabula CXCVIII. *Niſum Minos Jovis filius oppugnatum cum veniſſet, a Scylla Niſi filia, Veneris impulſu, eſt amatus, quem ut victorem faceret, patri dormienti fatalem crinem praecidit.*

389. TUM SUSPENSA NOVO RITU DE NAVIBUS ALTIS. Euſtathius in Dionyſium Alexandrinum ad temonem ſuſpenſam fuiſſe, ait: Μίνως λαβὼν τὰ Μέγαρα διὰ Σκύλλης τῆς Νίσου θυγατρὸς ἐρασθείσης αὐτοῦ, καὶ ἀποτεμούσης τὸν τοῦ πατρὸς κεφαλῆς, ἀπεσείσατο ὅτι ἡ τὸν πατέρα προδοῦσα, οὐδενὸς ἂν ῥᾳδίως φείσοιτο, καὶ διὰ τοῦτο προσδήσας τῷ πηδαλίῳ νηὸς τὴν πατροδότιν καὶ πατροφόντιν, ἀφῆκε σύρεσθαι διὰ θαλάσσης καὶ αὐτὴ μετὰ εἰς ὄρνεον μετεβλήθη. Neutrum agnoſcit Hyginus, qui ita ſcribit: *Illa ſe in mare praecipitavit, ne perſequeretur.*

390 Per mare caeruleum trahitur Niſeïa virgo.
Complures illam Nymphae mirantur in undis:
Miratur pater Oceanus, & candida Thetis,
Et cupidas ſecum rapiens Galatea ſorores:
Illa etiam, junctis magnum quae piſcibus aequor,
395 Et glauco bipedum curru metitur equorum,
Leucothoë, parvuſque Dea cum matre Palaemon.
Illi etiam alternas ſortiti vivere luces,
Cara Jovis ſoboles, magnum Jovis incrementum,
Tyndaridae niveos mirantur virginis artus.
400 Has adeo voces, atque haec lamenta per auras
Fluctibus in mediis queſtu volvebat inani,
Ad caelum infelix ardentia lumina tollens,
Lumina: nam teneras arcebant vincula palmas.
Supprimite o paullum turbati flamina venti,
405 Dum queror: & Divos, quamquam nil teſtibus illis
Profeci, extrema moriens tamen adloquor hora.
Vos ego, vos adeo, venti, teſtabor, & aurae:
Vos matutina ſi qui de gente venitis,
Cernitis. Illa ego ſum cognato ſanguine vobis
410 Scylla, quod, ah, ſalva liceat te dicere Procne.

Illa

SCALIGERI.

408. Vos NUMANTINA. De Numanto Hiſpaniae, nugae. Quis ſanus putarit Scyllam de ea ſentire? Sed interpolata eſt lectio ex priſca, quae habebat: *Vos o Mantina*. Nos jamdudum etiam ante, quam illam videremus, legendum cenſebamus: *vos o Mantinea*. Nam Mantineam videbat, quum Megaris ſolvens Peloponneſum praeterlegeret. *Mantineam gentem* dixit, ut Horatius, *Stertinium acumen*, *Rhenum flumen*, & fortaſſis eodem modo dixerit *Phlegra tellus* in Culice. Intelligit vero Peloponneſum, a parte totum videlicet, cui imperabat Pallas, Niſi frater, Scyllae patruus. Propterea ait ſe junctam illis cognato ſanguine. Sed quum manifeſto Scylla videatur alloqui aves, ſuſpicor me ſine ulla vi poſſe legere:

Vos matutina ſi qui de gentem venitis.

Ut eleganter *matutinam gente* volucres vocet, quae mane integrant cantus ſuos. Propertius:

Et matutinis obſtrepit alitibus.

Ego ſane ita puto Virgilium ſcripſiſſe. Nam quin aves alloquatur, & ſequens verſiculus convicerit. Itaque nullum dubium, qui *matutina* legendum ſit.

410. -- QUOD AH SALVA. Lego -- *quod ab ſalva liceat mihi dicere Procne*. Quod pace Procnes mihi cognatae dicere liceat. Procne enim Pandionis filia, ſoror Niſi, patris Scyllae. Vel:

-- *quod ab ſalva liceat te dicere*, *Procne*:

Ut & habent quaedam editiones. Ἀφοσιοῦται autem facinus Procnes. Hoc enim neceſſe fuit, cum & aves, & inter eas cognatam alloquatur.

LINDENBRUCH.

398. CARA JOVIS SOBOLES. Verſus totus ex IV. Virgilii Ecloga: niſi quod ibi pro *Jovis* legatur *Deum*. CARA JOVIS SOBOLES. Alii, *ſuboles*.

402. LUMINA TOLLENS. Alii, *tendens*.

408. VOS MATUTINA. Alii, *vos o Mantina*.

Illa ego ſum Niſi pollentis filia quondam:
Certatim ex omni petiit quam Graecia regno,
Qua curvus terras amplectitur Helleſpontus:
Illa ego ſum, Minos, ſacrato foedere conjunx
415 Dicta tibi: tamen haec, & ſi non accipis, audis.
Vinctane tam magni tranabo gurgitis undas?
Vincta tot aſſiduas pendebo ex ordine luces?
Non equidem me alio poſſum contendere dignam
Supplicio: quod ſic patriam caroſque penates
420 Hoſtibus, inmitique addixi ignara tyranno.
Verum eſto. Haec, Minos, illos ſcelerata putavi,
Si noſtra ante aliquis nudaſſet foedera caſus,
Facturos: quorum direptis moenibus urbis,
O ego crudelis, flamma delubra petivi:
425 Te vero victore prius vel ſidera curſus
Mutatura ſuos, quam te mihi talia captae
Facturum metui. Jam jam ſcelus omnia vincit.
Ten' ego plus patrio dilexi perdita regno?
Ten' ego? nec mirum, vultu decepta puella
430 Ut vidi, ut perii! ut me malus abſtulit error!
Non equidem ex iſto ſperavi corpore poſſe
Tale malum naſci: forma, vel ſidere fallor.
Non me deliciis commovit regia dives,
Coralio fragili, ac electro lacrymoſo,
435 Me non florentes aequali corpore Nymphae,

SCALIGERI.

415. ET SI NON ACCIPIS, AUDIS. Scribe, ex veteribus editionibus: *tamen haec, etſi non accipis, audi*. Tamen haec audi, quamquam non tibi placent. Ea nimirum ſunt, quae ſequuntur: *Vinctane tam magni* &c.

420. ADDIXI IGNARA TYRANNO. Scribo, *gnara*. Ita enim ſententia poſtulat.

421. VERUM EST HAEC. Lego; *Verum eſto. Haec Minos*, &c. A[illegible]. Nimis inepta fui, fateor, o Minos, quae putarim Deos haec mihi facturos, hoc eſt, in hoc ſcelere opem mihi laturos, quorum delubra ego hoſtibus diripienda, & incendenda tradidi. Te vero, cujus amore perdita, patrem, patriam, atque adeo ipſos Deos patrios deſerui, quis putaret talem gratiam relaturum?

434. CORALIO. Inverſus eſt verſiculus: quem ita retexes:

Coralio fragili, ac electro lacrymoſo.

Apage anadiploſes, quas hic quidam comminiſcuntur.

435. AEQUALI CORPORE. Ὁμήλικες κόραι.

LINDENBRUCH.

421. VERUM EST HOC. Alii, *eſto hoc*.

Non metus incensam potuit retinere Deorum.
OMNIA vincit amor: quid enim non vinceret ille?
Nec mihi jam pingui sudabunt tempora myrrha,
Pronuba nec castos accendet pinus odores,
440 Nec Libys Assyrio sternetur lectulus ostro.
Magna queror. Nec & illa quidem communis alumna
Omnibus injecta tellus tumulabit arena.
Mene inter comites, ancillarumque catervas,
Mene alias inter famularum munere fungi,
445 Conjugis atque tuae, quaecumque erit illa, beatae
Non licuit gravidos penso devolvere fusos?
At belli saltem captivam lege necasses.
Jam fessae tandem fugiunt de corpore vires,
Et caput inflexa lentum cervice recumbit.
450 Marmorea adductis labascunt brachia nodis.
Aequoreae pestes, inmania corpora Ponti,
Undique conveniunt, & glauco in gurgite circum
Verbere caudarum, atque oris minitantur hiatu.
Jam tandem casus hominum, jam respice, Minos.
455 Sit satis hoc, tantum solam vidisse malorum:

SCALIGERI.

439. NEC LYBIS. *Lybis lectus*, Citrinus. Persius: -- *non quidquid denique lectis Scribitur in citreis* -- Sic dixit *Libyco pectine*, citreo, vel lotino.

440. COMMUNIS ALUMMA. Si vera esset haec lectio, non frustra dixisset Nonius, *Alumnam* etiam [illegible] usurpari a veteribus. Quod tamen ex illis testimoniis, quae ille produxit, confirmari non posset. Sed suspicor emendatius lectum iri:

-- *Nec & illa quidem communis alumnis*
Omnibus -- Tamen nihil temere affirmamus.

441. INJECTA TELLUS. Totus hic locus, ut & alia pleraque, desumptus ex cultissimo poematico Catulli in Ariadnes conquestione:

-- *nec injecta tumulabor mortua terra*.

442. MENE INTER COMITES. Etiam totus hic locus ex eodem opera adumbratus: quum ait eadem Ariadna:

Si tibi non cordi fuerant connubia nostra,
Saeva quod horrebat prisci praecepta parentis:
Attamen in vestras potuisti ducere sedes,
Quae tibi jucundo famularer serva labore,
Candida permulcens liquidis vestigia limfis,
Purpureave tuum consternens veste cubile.

443. MENE ALIAS. Veteres editiones *Maenalias*. Quod fieri potest, ut verum sit. Nam & Arcadiam, & reliquam Peloponnesum bello vicerat Minos. Ex ea & captivas abduxisse, verisimile est. Nihil tamen mutamus. *Belli lege* dixit, ut Greci ἐν χειρῶν νόμῳ.

450. AEQUOREI PISCES. Repone ex veteribus, *Aequoreae pestes*. Horatius *fraudes* vocat, -- *mediasque fraudes Palluit audax*. Praecedentes vero versus ita sunt legendi ex eisdem:

Et caput inflexa lentum cervice recumbit
Marmorea, adductisque labascunt brachia nodis.

LINDENBRUCH.

442. TELLUS TUMULAVIT ARENA. Malim *Tumulabit*.

451. AEQUOREI PISCES. Alii, *Aequoreae pestes*.

Vel

Vel fato fuerit nobis haec debita pestis,
Vel casu incepto, merita vel denique culpa.
Omnia nam potius, quam te laesisse putabo.
Labitur interea revoluta ab litore classis,
460 Magna repentino sinuantur lintea Coro,
Flectitur in viridi remus sale, languida fessae
Virginis in cursu moritur querimonia longo.
Deserit angustis inclusum faucibus Isthmon,
Cypselidae magni florentia regna Corinthi,
465 Praeterit abruptas Scironis protinus arcis,
Infestumque suis dirae testudinis exit
Spelaeum, multoque cruentas hospite cautes.
Jamque adeo tutum longe Pireeïa cernit,
Et notas secum, heu frustra, respectat Athenas.
470 Jam procul e fluctu Minoïa respicit arva,
Florentisque videt jam Cycladas, hinc Strophadasque:
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermiona.

Lin-

SCALIGERI.

456. VEL CASU INCEPTO. Scribe, *Vel casu incerto*. Vocat casum incertum, quod Graeci ταὐτόματον. Porro similis conceptio in simili querela Danae ex Simonide: Μεταιβουλία δέ τις φανείη, Ζεῦ πάτερ, ἐκ σέο, ὅτι δὴ θαρσαλέον ἔπος εὔχομαι τεκνόφι δίκας μοι.

463. CYPSELIDAE, Cypselidarum familiam imperasse Corinthi, auctores Herodotus lib. v. Pausanias Corinthiacis, item Eusebius, & alii.

465. INFESTUMQUE SUIS DIRAE TESTUDINIS. Non est quod diutius in his nugis immoremur. Tu meo periculo lege:

Infestumque Suis dirae Thereidis exit
Spelaeum – Nota historia de Crommyonia sue, quae, cum praetereuntes omnes interceptos in via occideret, ipsa tandem Theseo poenas dedit, & ab eo interfecta est. Plutarchus de Theseo: Ἡ δὲ Κρομμυωνία ὗς, ἣν Φαιὰν προσωνόμαζον, οὐ φαῦλον ἦν θηρίον, οὐδὲ μάχιμον, καὶ χαλεπὸν κρατηθῆναι. Ταύτην ὁδοῦ πάρεργον, ὡς μὴ δοκοίη πάντα πρὸς ἀναγκὴν πονεῖν, ὑποστὰς ἀνεῖλε. Et post, Ἔνιοι δέ φασι τὴν Φαιὰν λῃστρίδα γενέσθαι γυναῖκα φονικὴν, καὶ ἀκόλαστον αὐτόθι κατοικοῦσαν ἐν Κρομμυῶνι, σῦν δὲ ἐπονομασθεῖσαν διὰ τὸ ἦθος, καὶ τὸν βίον, εἶτα ὑπὸ Θησέως ἀποθανεῖν. Ergo qui correxerat *testudinis antrum*, habebat in animo testudineatum, aut fornicatum opus, Virgiliumque de eo sentire existimavit.

467. JAMQUE ADEO TUTUM. *Tutum Piraeea*, ὀχυρὸν Πειραιᾶ ἐρυμνόν.

468. ET NOTAS SECUM. *Notas secum*, Ἀρχαϊσμός: ut *nupta tecum*, *nupta mecum*. Terent. RESPECTAT ATHENAS. III. Georgicon:

Et stabula aspectans regnis excessit avitis.

Cicero de Catilina: *Retorquet oculos profecto saepe ad hanc urbem, quam e suis manibus ereptam saepe luget.*

470. FLORENTESQUE VIDET JAM. Lego:

Florentesque videt hinc Cycladas, hinc Strophadasque
Hinc sinus, hinc statio contra patet Hermionea.

LINDENBRUCH.

462. DESERIT ANGUSTIS INCLUSUM FAUCIBUS ISTHMON. Plane ita haec conjungit Statius Thebaid. I.

Praeterit hinc arte scopuloso in limite pendens
Infames Scyrone petras, Scyllaeaque rura
Purpureo regnata seni, mitemque Corinthon
Linquit, & in mediis audit duo littora campis.

490 Ac velut in niveo tenerae cum primitus ovo
Effigies animantis, & internodia membris
Inperfecta novo fluitant concreta calore:
Sic liquido Scyllae circumfusum aequore corpus
Semiferi incertis etiam nunc partibus artus
495 Undique mutabant, atque undique mutabantur.
Oris honos primum, & multis optata labella,
Et patulae frontis species concrescere in unum
Coepere, & gracili mentum producere rostro.
Tum, qua se medium capitis discrimen agebat,
500 Ecce repente, velut patrios imitatus honores,
Purpuream concussit apex in vertice cristam.
At mollis varios intexens pluma colores
Marmoreum volucri vestivit tegmine corpus,
Lentaque perpetuas fuderunt brachia pennas:
505 Inde alias partis, minioque infecta rubenti
Crura nova macies obduxit squalida pellis,
Et pedibus teneris ungues confixit acutos.
Et tamen hoc demum miserae succurrere pacto
Vix fuerat placida Neptuni conjuge dignum.
510 Nunquam illam posthac oculi videre suorum
Purpureas flavo retinentem vertice vittas:

Non

SCALIGERI.

490. AC VELUT IN NIVEO. Reponendum ex veteribus editionibus:

Ac velut in niveo tenerae quum primitus ovo
Effigies animantur, & internodia &c.

Concinnius sane.

496. CONCRESCERE IN UNUM. Elegantissime rostrum circumloquutus est. Quod Graeci uno verbo νάσον dicunt. Oppianus de Echeneide:

-- Ὀξὺ δὲ οἱ κεφαλῆς στόμα νέρθε νένευκε.

Et ῥύγχος quadrupedum, quod in acumen productum est, νάσον vocant. Galen. lib. III. de alim. Facult. de Leucisco fluviatili: Ἔστι δὲ τὰ μὲν ἄλλα ὅμοιον ταύτῃ τὸ ζῶον τῷ ζώῳ, λευκότερον δὲ βραχὺ, καὶ τὴν κεφαλὴν μικροτέραν, καὶ τὴν γένυν ὀξυτέραν. Scribe, καὶ τὴν νάσον, non γένυν. Nam hactenus ibi interpretes hallucinati sunt. Athenaeus de Galeo vulpe: Ὁ δὲ ἀλωπεκίας ὅμοιός ἐστι τῇ γάσει τῷ χερσαίῳ ζώῳ. Διὸ καὶ τοῦ ὀνόματος ἔτυχε. Idem error. Nam & hic quoque νάσει, non γάσει legendum est. Interpres vero nugatur.

505. CRURA NOVAMQUE. Scribe:

Inde alias partes, minioque infecta rubenti
Crura, nova macies obduxit squallida pelli.

LINDENBRUCH.

506. ET PEDIBUS TENERIS UNGUES SUFFIXIT ACUTOS. Similiter Apulejus libro Miles. III. De muliere maga, quae sese in bubonem plumabat: *Membra tremulo succussu quatit. Quis leniter fluctuantibus, promicant molles plumulae, crescunt fortes pinnulae, duratur nasus incurvus, coguntur ungues adunci; fit bubo Pamphile.*

Non thalamus Tyrio fragrans accepit amomo,
Nullae illam sedes. Quid jam cum sedibus illi?
Quae simul ut sese cano de gurgite velox
515 Cum sonitu ad caelum stridentibus extulit alis,
Et multum late dispersit in aequore rorem?
Infelix virgo nequidquam morte recepta
Incultum solis in rupibus exigit aevum,
Rupibus, & scopulis, & litoribus desertis.
520 Nec tamen hoc iterum poena sine: namque Deum Rex,
Omnia qui imperio terrarum millia versat,
Commotus talem ad Superos volitare puellam,
Cum pater extinctus caeca sub nocte lateret;
Illi pro pietate sua (nam saepe tepenti
525 Sanguine taurorum supplex resperserat aras:
Saepe Deum largo decorarat munere sedes)
Reddidit optatam mutato corpore vitam,
Fecit & in terris Haliaeetus ales ut esset.

SCALIGERI.

Quip-

523. Illi pro pietate sua. Ex veterum jactatione superstitiosa: Catull.

O Dii, reddite mi hoc pro pietate mea.

Nam saepe tepenti. Vereor ut haec satis vera sit lectio. Valde enim refragantur veteres editiones, quarum aliae *videntur*, aliae *nitentum* plane excusum habent. Ego sane ausim dejerare legendum esse: *—nam saepe bidentum Sanguine taurorum*. Nam librarius inepte videtur scripsisse *videntum*, ut eorum erat prava consuetudo. Hoc & in Varrone commissum fuisse olim in Conjectaneis nostris ostendimus. *Bidentes tauros*, ut & *bidentes oves*, & *bidentes verres* dici posse cognoscimus ex Gellio.

527. Haliaeetus. Haliaeetum eandem, & Nisum facit. Fere omnes invasit opinio *Cirin* esse *Alaudam* nostram, uno cristae argumento: Nisum vero Accipitrem. Quin & veteribus persuasum video. Nam in pervetusto Glossario inveni: *Circum* ἱέρακα· Ἔστι δὲ ὄρνεον, μεταβληθεῖσα ἡ Σκύλλα ἡ Νίσου Μεγαρέως. Frustra. Nam & Accipiter non est e genere Aquilarum, ut Haliaeetus. Et Haliaeetus, ut ipsum nomen indicat, marinas, & palustres aves venatur. At Alauda non est marina avis. Tametsi audio nescio quas marinas alaudas in Aremoricis inveniri. Esto: non convenit alauda cum descriptione Ciris nostrae. Deinde quis nescit Alaudam κορυδαλλίδα esse? Quid ergo opus est κεῖριν vocari? Non est ergo Alauda nostra. Itaque nec Haliaeetus Accipiter. Quare cum parente meo puto Cirim eam esse, quam Egrettam vulgo vocamus. Neque obstet plumarum varietas, quae hic ei attribuitur; non magis sane, quam Cycno, quem ποικιλόπτερον vocavit Pratinas Phliasius. Egrettam venatur Falco, nam accipitris congressus impar. Ergo Haliaeetus Virgilii est Falco noster. Nam alius est Aristoteli. Ut alia Echeneis est Aristoteli, & Plinio, alia Oppiano. Egrettarum cum sint duo genera, alterum cum apice in capite, alterum careat: hoc quod caret, est Aristotelis λευκερωδιὸς; alterum, κεῖρις. Apud Plautum:

I nunc, venare leporem, nunc Cirim tenes:

manifesto ostenditur (ut autem allusum ex apologo quodam) eum, qui Cirim venari potest, posse & leporem. Quod sane non faceret Accipiter. At Falco & leporem, & Agrettam, seu Egrettam capit. Quanquam posset quis reniti, & Falconem negare ex genere Aquilarum esse, & potius in genere accipitrum censere. Plerique ex nobilitate Gallica etiam Falcones ad leporis capturam instituunt. Quod

sane

Quippe aquilis ſemper gaudet Deus ille coruſcus.
530 Huic vero miſerae, quoniam damnata Deorum
Judicio gnatique & conjugis ante fuiſſet,
Infeſti adpoſuitque odium crudele parentis.
Namque ut in aetherio ſignorum munere praeſtans,
Unum quem duplici ſtellarum ſidere vidi,
535 Scorpius alternis clarum fugit Oriona:
Sic inter ſeſe triſtis Haliaeetus iras,
Et Ciris, memori ſervant ad ſaecula fato.
Quacumque illa levem fugiens ſecat aethera pennis,
Ecce inimicus atrox magno ſtridore per auras
540 Inſequitur Niſus: qua ſe fert Niſus ad auras,
Illa levem fugiens raptim ſecat aethera pennis.

SCALIGERI.

ſane genus aucupii nidi videtur veteribus ſatis leviter notum, hodie vero apud noſtratem nobilitatem ad ſummum gradum perfectionis perveniſſe. Ut enim alia, ita & hoc ex parvis admodum initiis ad hanc, quam hodie obtinet, ſummam artem progreſſum eſt. Non enim veteribus illis Graecis notum fuiſſe, ſatis patet ex verbis Ariſtotelis in Hiſtoria animalium, Περὶ τὴν Θρᾴκην, inquit, τὴν ὑπὲρ Ἀμφιπόλεως φασὶ γίνεσθαι τι τερατῶδες, καὶ ἄπιστον τοῖς μὴ τεθεαμένοις. Ἐξιόντες γὰρ οἱ παῖδες ἐκ τῶν κωμῶν, καὶ τῶν ἐγγὺς χωρίων ἐπὶ θήραν τῶν ὀρνιθαρίων, συνθηρεύειν παραλαμβάνουσι καὶ τοὺς ἱέρακας. Καὶ τοῦτο ποιοῦσιν οὕτω· Ἐπειδὰν προσέλθωσιν εἰς τόπον ἐπιτήδειον, καλοῦσι τοὺς ἱέρακας ὀνομαστὶ κεκραγότες. Οἱ δ᾽ ὅταν ἀκούσωσι τῶν παίδων τὴν φωνὴν, παραγινόμενοι παρασοβοῦσιν εἰς τοὺς θάμνους, ὥστε αὐτοὺς οἱ παῖδες ξύλοις τύπτοντες λαμβάνουσιν. Ὃ δὲ πάντων ἂν μάλιστα θαυμάσειεν· οἱ μὲν γὰρ ἱέρακες, ὅταν αὐτοὶ λάβωσί τινα τῶν ὀρνίθων, καταβάλλουσι τοῖς θηρεύουσιν, οἱ δὲ παῖδες ἁπάντων τῶν ἁλόντων μέρος τι τοῖς ἱέραξιν ἀποδόντες, ἀπέρχονται. Eadem verba repetuntur in Admirandis. Et Oppianus:

Ἀλλ᾽ αὐτοῖς ἐπὶ θυμὰ συνίστορα ἕσπετο κίρκος.

Et Martialis:

Praedo fuit volucrum: famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non ſibi moeret aves.

Ex quibus cognoſcimus tum apud veteres Graecos hoc genus aucupii ignotum fuiſſe, cum id in Barbaris admiretur Ariſtoteles: tum accipitrem potius illicis avis locum tenuiſſe, quam praedatricis. In illis tamen videmus quaſi incunabula ejus aucupii. Nam aetate Sidonii Apollinaris videtur majore in cultu, ac cura fuiſſe: ut omnia ſolent ex parvis, & minimis augeri. Ita enim ſcribit ille in Panegyrico ad Auguſtum Avitum:

Quid volucrum ſtudium, dat quos natura rapaces
In vulgus prope cognatum? quis doctior iſto
Inſtituit varias per nubila jungere lites?
Alite vincit aves: celerique per avia plauſu
Hoc nulli melius pugnator militat unguis.

Quae omnino induſtriam noſtram repraeſentant, qua hodie utimur, in venandis avibus. Nam, ut jam dixi, pro illice utebantur Accipitre. Eſt autem *illex avis*, quae Ariſtoteli παλεύτρια. Plautus:

Eſca eſt meretrix, lectus illex, aſt amatores aves.

530. QUONIAM DAMNATA. Quoniam damnata eſt omnium Deorum judicio, in quos impia fuit, quum patrios Deos hoſtibus prodiderit, tum etiam omnium filiorum, quod pro peſſima filia in patrem ſe geſſerit: tum omnium conjugum: quod ruina patris & patriae conjugium ſibi quaeſiverit, propterea infeſtum odium parentis ei Dii oppoſuerunt. Itaque ſic lego:

Infeſti oppoſuit odium crudele parentis.

Non, *appoſuitque*, ut habent omnes editiones. Vel ſic: quoniam damnata fuit judicio Apollinis, Jovis filii, qui cum Alcathoo Megaram condidit: vel Minois, qui Jovis filius fuit: item Junonis conjugis: quia, ut ſupra demonſtravimus,

Junonis magnae violaverat inſcia ſedem.

534. UNUM QUEM DUPLICI. *Duplex ſtellarum lumen*, ut *duplex ſpina*, & *duplex ficus*, hoc eſt magna. Nonnihil & in hoc & praecedente verſiculo depravatum eſt. Quod ego ſanare non potui.

P. VIRGILII MARONIS CATALECTA.

DELIA, Tucca, tibi venit, ſed ſaepe videre
Non licet, occulitur limine clauſa viri.
Delia ſaepe tibi, non venit adhuc mihi: namque
Si occulitur, longe eſt, tangere quod nequeas.
Venerit aut tibi, ſed jam jam mihi nuntius iſte
Quid prodeſt? illi dicito, quae rediit.

*

Corinthiorum amator iſte verborum,

Iſte

SCALIGERI.

HINC potius incipiunt Catalecta Maronis, quum tria ſuperiora Epigrammata, inter Priapeia, ut dixi, cenſenda ſint. Quae qui collegit, κατάλεκτα vocavit, quae putavit citra controverſiam Virgilii eſſe, a delectu ſcilicet. Nam eſt vox caſtrenſis κατάλογος, & καταλέγειν. Sic & opuſculum panegyricum Lucani ad Piſonem, in veteri codice manu ſcripto, Catalecton Lucani inſcribitur.

DE QUA TUCCA. Corruptiſſimum Epigramma. Quod ita nobis legendum videtur.

Delia ſaepe tibi venit, ſed, Tucca, videre
Non licet. Occulitur limine clauſa viri.
Delia ſaepe tibi venit, neque adhuc mihi. Namque
Si occulitur, longe eſt, tangere quod nequeas.
Venerit aut jam jam tibi: ſed mihi nuncius iſte
Quid prodeſt? illi dicito, quae rediit.

Salſiſſimum, & argutiſſimum epigrammatium. Nam quam non videbat, utpote quae dura mariti cuſtodia aſſervaretur, fruſtra eam veniſſe dicebat, tanquam rem factam haberet, & jamjam complexibus ejus fruiturus eſſet. Venit quidem, quantum tu dicis: ſed non ego credulus: nam longe eſt, quod tangere non potes. Eſto, venerit. Credo. At quid mihi prodeſt haec ſcire, ipſi potius Deliae gratulare praeſenti ob reditum. Hoc eſt totum ſal Epigrammatis. Nam ſi exagitat eum, quod, quam rediſſe gaudebat, eam videre non poterat, quomodo remittit ad eam, quam non videbat? Quaſi dicat inſultans: I nunc, alloquere eam. Importune ſane, quae diligenter a marito aſſervaretur.

CORINTHIORUM. Non ſolum Virgilii eſſe hoc Epigramma, ſed & in Tullium Cimbrum Rhetorem factum eſſe, auctor Fab. Quiotilianus. Iſte Cimber fratrem veneno ſuſtulit. Unde ſalſus jocus Ciceronis: *Cimber Germanum occidit*. Deque ea nece hic intelligitur in hoc Epigrammate multis mendis deformato. Quod noo prius aſſequeris, quam ab iiſdem mendis purgatum fuerit. Primum tam io antiquitus excuſis Catalectis, quam in omnibus Quintiliani exemplaribus illud *Corinthiorum* non habetur. Sed in Catalectis quidem *Hermetiorum* legitur, io Quintiliani vero libris, *Etbormetiorum*. Ex quibus depravatiſſimis verbis duas lectiones eruimus. Quarum priori non confido. Alteram, quam apponam ſuo loco, puto veram eſſe. Prior igitur:

Rhetor metrorum amator iſte verborum,
Iſte iſte Rhetor. ..

Iſte, inquit, eſt, eſt Rhetor ille, qui poetica verba in ſuis Declamationibus tam avide conſectatur. Nam eo citaſſe hoc Epigramma Quintilianum, facile locum legenti patere poteſt. Ubi ait non affectanda eſſe ea verba, quae magis poetica ſunt, quam forenſia. Quae quia affectabat Cimber iſte, eo nomine a Virgilio deridetur. *Metra verba*, ut *pallium periſtroma* Ulpiano, *arvus ager*, *laniena taberna* Varroni apud Nonium, *ancile ſcutum*, *rete jaculum*, *lapidem ſilicem*, *tibicini modi* apud Cicerooem, *poena mulcta*, apud eundem. *Phlegra tellus* in Culice, *fidicinae fides* apud Plautum, *ventus turbo* apud eundem, *manubia machaera* eidem, Truculento:

Niſi ſi te mea manubia machaera, & hunc vis emori.

Ita enim legendum io Plauto. *Manubia machaera*, vel ex manubiis comparata: vel potius fulminatrix,

Iſte iſte rhetor. Namque quatenus totus
Thucydides tyrannus Atticae febris,
Tau Gallicum ſpinae ipſemet male illiſit,

SCALIGERI. Iſta

trix, a manubiis Jovis. Altera conjectura propius a vero abeſſe mihi videtur. Ea haec eſt:

Rhetor meiorum amator iſte verborum.

Meiorum, eſt μειόνων. Μείουρα verba vocat decurtata. *Al*, *tau*, *min*. Pro *allio*, *tauro*, *minio*. Quod ex ſequentibus patebit. Primam in μείουρα corripuit etiam Maurus Terentiauus. Ut in *chiragra* fecerunt Perſius, & Martialis: & in *Phidia* Auſonius, Φιδίας. Et in Soloeciſmo. Dixit euim Soliciſmum, noo Soloeciſmum.

Dic rectum caſum, jam Soliciſmus eris.

Σολικισμὸς inquam, non σολοικισμός.

THUCYDIDES TYRANNUS. In Quiotiliano legitur, *Thucydides Britannus*. Ergo Britannum, aut Gallum eum fuiſſe neceſſe eſt. Poterat & legi *Thucydidis tyrannus*. Ut vocet eum ita, quod dum ineptus Thucydidis imitator eſt, ipſum totum στρεβλοῖ, & membratim diſcindere videtur. Eadem figura *Atticae febrim* vocat, quod ψυχρὸς ἀττικιστὴς eſſet. Sed melius *Thucydides Britannus*. Nam *totus Thucydides*, eſt totus in Thucydidis imitatione.

ATTICAE FEBRIS. Quod, ut jam monuimus, frigidus ἀττικιστὴς eſſet. Ita Theognin quendam poetam *frigidum*, χιόνα cognominabant vulgo Athenienſes. In cujus frigiditatem ita ludit Ariſtophan. Ἀχαρνεῦσι.

Εἰ μὴ κατένιψε χιόνι τὴν Θρᾴκην ὅλην,
Καὶ τοὺς ποταμοὺς ἔπηξ' ὑπ' αὐτὸν τὸν χρόνον,
Ὅτ' ἐνθάδε Θέογνις ἠγωνίζετο.

Cui conſentaneum & illud Horatii in Furium & ipſum etiam frigidum poetam.

Furius hibernas cana nive conſpuit Alpes.

Quod παρῳδεῖσθαι ex ipſo Furio. *Juppiter hibernas* &c. Nam leviſſima mutatione mos eſt παρῳδιάζειν.

TAU GALLICUM. In veteribus excuſis ita conceptus eſt hic verſiculus, etiam in Fabii codicibus:

Tau Gallicum minae ipſemet male illiſit.

Sequemur apices illius corruptae editionis, & a veſtigiis minimum diſcedemus:

Tau Gallicum, min ipſum, & al ei illiſit.

Quod Auſonio duce inveſtigavimus. Qui ita Grammaticum interrogat in Monoſyllabis ſuis, iogenioſiſſimo opuſculo:

Dic, quid ſignificent Catalecta Maronis in his, al,
Et quod Celtarum poſuit non lucidius tau,
Et quod Germano miſtum male letiferum min?

Ita enim & legendus ex correctione noſtra, & ſupplendus ex veteri libro Auſonius noſtras, poeta poſt tempora Domitiani omnium eruditiſſimus, & in cujus lectione nemo operam ſuam luſerit. Vides, ut Auſooius diſertim in animo hunc locum habuerit, ut quaſi manu ad ipſum fontem nos ducat? Sed quod ipſe ignorat, aut, quod verius puto, ſciſcitabundus quaerit, taoquam aenigma proponens, non tanquam aenigmatis ignarus, illud nos explicemus. Quatenus, inquit, ille magous Rhetoricorum verborum volutator, verba, quae more gentis ſuae decurtata pronunciat, quaſi illidit Rhetoricae, quemadmodum & in Gallia vulgo ludimus in ſermone communi de eo, qui ſoloeciſmos committit, eum nempe rhapiſmate & alapa ferire Priſcianum: quatenus, inquam, illis truncis verbis tanquam talitro quodam ferit Atticam, hoc eſt Graecos Rhetoras: quod inepte & more gentis ſuae, ut dixi, declamans verba ipſa decurtaret, ut pro allio, *al:* pro tauro, *tau:* pro minio, *min:* quia in argumentis Scholaſticorum de veneno trito ſaepe tractatur: illa, inquam, omnia venena, quae in illis Declamationibus quotidie jactat, miſcuit fratri, & eum potione ſuſtulit. *Tau Gallicum* dixit, quia Gallus dimidiatas tantum voculas proferebat (quamvis non Gallus, ſed Britannus, ut ſupra dixi, fuerit, ſed propter utriusque gentis vicinitatem ita vocat, ut Perſam pro Medo, & contra.) Sic hodieque omnes, qui veterem linguam Gallicam matricem, aut ejus dialectorum propagines loquuntur, Britaoni, Germani, & Flandri, ita ſolent verba decurtare, ut Germani quidem, & Britanni multa non ſolum ſuae linguae monoſyllaba habeant, ſed & quae a Latinis acceperunt, & aliis linguis, monoſyllaba faciant, quamvis non omnia: &, quae ſaepe in vocalem terminant, ſcribendo, ſine ea proferaot. Britanoi vero ridiculi, quos, quum Latina pronunciant, non Latio, ſed Britanoica loqui putes, *aqs*, *pups:* pro *aquas*, & *puppis*. Quum igitur Cimber iſte in ſcholis declamaret de morte Themiſtoclis, qui epoto taurino ſanguioe extinctus eſt, pro tauro dicebat *tau*. Quum tractaret argumentum de illo, qui, quum patri in mortario alliatum tereret, a noverca mioium injectum imprudens trivit, ut venefici mox accuſaretur a noverca, aut neſcio quid tale, pro allio, *al:* pro minio, *min* dicebat. Minium enim, ut & Aſclepiadae ſciunt, praeſentaneum venenum. Sane non mediocriter gaudeo me tam eleganti Epigrammati lucem tuliſſe, pulſis iis, quas librariorum incuria offuderat, tenebris.

Ista omnia, ista verba miscuit fratri.

*

Socer beate, nec tibi, nec alteri,
Generque Noctuine, putidum caput,
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? Hei mihi
Ut ille versus usquequaque pertinet.
Gener, socerque, perdidistis omnia.

*

Superbe Noctuine, putidum caput,
Datur tibi puella, quam petis, datur,
Datur, superbe Noctuine, quam petis.
Sed, o superbe Noctuine, non vides
Duas habere filias Atilium,
Duas, & hanc, & alteram tibi dari.
Adeste nunc, adeste, ducit, ut decet,
Superbus, ecce, Noctuinus herneam.

SCALIGERI.

Ja-

TUQUE NUNC. Lege:
Tuone nunc puella talis, heu tuo
Stupore pressa rus abibit? hei mihi,
Ut ille versus usquequaque convenit.
Stuporem vocat Noctuinum, ut & Catullus ipse:
Talis hic meus stupor, nil videt, nihil audit.
Sic *stolonem* pro stolido dixit Ausonius. Unde *stolidus* & *stolitus*, qui postea *stoltus*, *stultus*.

RUS ABIBIT. Quia aere alieno obruti. Idcirco illud Catullianum subjunxit:
Gener, socerque perdidistis omnia.
Significat Noctuinum inquilinum cogi emigrare rus ex aedibus conductitiis, quod, unde pro pensione solveret, non haberet. Quae migratio fiebat Cal. Quintilib. quia is erat conductionum dies. Martialis:
O Juliarum dedecus Calendarum.
Vidi, Vacerra, sarcinas tuas, vidi.
Quas non retentas pensione pro bima
Portabat uxor --

GENER, SOCERQUE. Notissimus versiculus Catullianus:
*Ecne nomine Urbis **
Gener, socerque, perdidistis omnia?

HIRNEAM. Non solum hic, sed & in multis aliorum auctorum manuscriptis exemplaribus ita exaratum perperam pro *hernia* vidi. Lascivia quadam *herniae* nomen ἀπὸ τοῦ ἔρνος formarunt, ut & *Ramicis*. Utrumque enim, quod cum intestinum incipit in scrotum decidere, videtur ramum facere. Dicitur autem in hoc Jambo duas habere filias Atillius: nempe filiam, sponsam Noctuini, & herniam. Ergo uterque alendus Noctuino, socer herniosus, & filia, uxor ipsius Noctuini. Et videtur tritum in communi sermonis lascivia fuisse. Nam & Atellana Pomponii inscripta fuit, *Hernia sponsa Pappi*. Si retines *hirneam*, ut vulgo excusum est, intellige de ebriosa filia Atillii: quae, ut est simile in Epigrammate Graeco, nunquam a se amphoram semovebat, adeo ut ipsam sororem suam vocaret. Ergo duae filiae, ipsa, & ejus soror, *hirnea*. Est autem *hirnea*, vel potius *Irnea*, ut apud Plautum, Amphitruone, genus vasis vinarii. Antiquitus *Erneum*, unde & ita genus libi ei simile, aut ad ejus formam fictum, vocabatur: ἀπὸ τοῦ ὄρνεον, quod avis figuram haberet; ut quod Musculi formam, μυόβαρβον. Unde *Myobarbum* Ausonii. Nam βάρβος, vasis genus. Sic, quod scarabaeo similis, κάνθαρος, & similia. *Erneum* potius, quam *Orneum* dixisse non mirabitur, qui meminerit & *Apellinem*, *elera*, *hemonem* quoque usurpasse.

Jacere me, quod alta non possim, putas,
Ut ante vectari freta:
Nec ferre durum frigus, aut aestum pati;
Neque arma victoris sequi.
Valent, valent mihi ira, & antiquus furor,
Et lingua, qua adsim tibi,
Et prostitutae turpe contubernium
Sororis. O quid me incitas?
Quid, impudice, & improbande Caesari?
Sed furta dicantur tua,
Et heluato sera patrimonio
In fratre parsimonia:
Vel acta puero cum viris convivia,
Udaeque per somnum nates.
Et inscio repente clamatum super,
Thalassio, Thalassio.
Quid palluisti femina? an joci dolent?
An facta cognoscis tua?

Non

SCALIGERI.

JACERE ME. In Lucium quendam cinaedum scribitur hoc poematium, maledicentiae, & probrorum plenissimum. Quod non ausim Virgilio attribuere, licet elegans, & eruditum. Videtur enim secundum aetatem Augusti scriptum fuisse.

JACERE. Eadem mente, qua & in Epigrammatio Petronii:

Rebus in adversis quae jacuere, juvant.

Et nescio quis dixit *jacentem gustum*. Et Gellius: *oppido quam jacere, ac fordere incipiunt, quae Latina sunt*. Est, quod Graeci, ἀτονεῖν.

ET LINGUA QUA. Lego, *Et lingua, qua sat sim tibi*. Hoc est, qua tibi sufficiam, qua tibi supersim.

ET HELLUATO. Allusum ad Hesiodum:

-- δειλὴ δ' ἐνὶ πυθμένι φειδώ.

ET INSCIO REPENTE. Ut de liberto impuro impuri Neronis, quem in foeminae naturam mutare volebat herus: & Epithalamium accini jussit. Forsan ille versus Anacreontis apud Ammonium de talibus nuptiis accipiendus est: ἐ θαλάμῳ, οἱ φῂ κεῖνος, οὐκ ἔγημεν, ἀλλ' ἐγήματο. Nisi sensit Anacreon de uxorio homine. Nam qui sub uxoris imperio vivebant, eos *nubere* dicebant. Pomponius Atellanus:

Herus meus nupsit queidam vetulae varicosae, Afrae.

THALASSIO. Hic bis repetitum est, ut in quodam Epigrammate jambico ter repetisse Virgilium auctor Marius Victorinus: *Thalassio, Thalassio, Thalassio.*

PULCHRA PER COTYTTIA. Corintho Romam invecta haec: Eisque solae foeminae intererant, adeo ut conqueratur Canidia Horatium ea in vulgus extulisse.

Inultus ut tu riseris Cotyttia
Vulgata, sacrum liberi Cupidinis.

Eorum praeses erat *Cotytto*, Dea impudicitiae. Cujus & non absimilis alia, nomine *Cicinnia*, quae in veteri Glossario exponitur θεὰ κιναίδων. Ab eo, puto, quia cinaedi cincinnati. Unde proverbium: οὐδεὶς κομήτης, ὅστις οὐ ψιλίζεται. Apud Horatium tamen vetus interpres Porphyrio legit *Cocytia*, accipitque pro infernis sacris, quae solebant facere maleficae mulieres ad amorem conciliandum. Quae nos in Ciri *Stygialia* dici annotamus.

LINDENBRUCH.

QUID PALLUISTI FOEMINA? AN JOCI DOLENT. Janus Douza, Dominus Nordovici, hoc modo legendum censet: *Quid palluisti? foeminane an loci dolent?*

Non me vocabis pulcra per Cotyttia
　Ad feriatos fascinos.
Nec dein movere lumbos in crocotulam
　Prensis videbo altaribus,
Flavum probe Thybrim & olentis nauticum
　Vocare: ubi appulsae rates
Stant in vadis coeno retentae sordido,
　Macraque luctantes aqua.
Neque in culinam, & uncta compitalia,
　Dapesque ducis sordidas:

SCALIGERI.

AD FERIATOS. Etiam vetustioribus temporibus Romae Mutuno Titinio inequitabant foeminae. Vide Festum, Arnobium, Augustinum: quorum sane me pudet, pigetque.

NEC DEIN MOVERE. Transposita, & corrupta. Puto ita:

Movere lumbos nec dein, crocotulae
Prensis videbo alaribus.

Alaria vestis exemplo Graecorum, πτερύγια: quae & *alae* dicuntur. Sane qui talarem vestem haberet, in saltando ei subducenda erat, ut expeditius moveret corpus. Notat eum θηλυδρίαν, & κατωπύγωνα, qui veste muliebri, hoc est, crocota saltaret. Et satis morbum notavit, cum ait:

Quid palluisti foemina? --

FLAVUM PROPE. Desperatus locus, cui opem ferre non possum. An potest: *Flavumque ripae Tibrim olentis nauticum Vocare. -- Tibrim flavum ripae olentis nauticum:* quae olet nauticum: ut litora portuum, & ostia fluviorum, quae olent picem, sentinam, & nauteam: vel, ut ludit Aristophanes, ὄζοντ᾽ ὄζει πισσοκωνίου. Nec videbo te vocare me ad Tibrim flavum ripae olentis, ad festum Fortis Fortunae, aut ad diem Annae Perannae: ubi pleraque licentia ἀσελγῶς vagabatur. Vide Ovid. in Fastis. An vero?

Fallum ad Priapi turbulenti neutiquam
Vocare? --

Turbulenti: explicat Juvenalis de eadem re:

-- Cum tibi lumbos
Incitat, & cornu pariter vinoque feruntur
Attonitae, crinemque rotant ululante Priapo.

Non amplius te videbo haec & haec facere? neque vocaris amplius ad Phallum, hoc est ad feriatos fascinos Priapi? Haec mihi inter scribendum exciderunt. Nam melius comminisci non potui.

NEQUE IN CULINAM. Quem in sensum accipienda sit culina hoc loco, docet Sex Pompejus: *Culina*, inquit, *vocatur locus, in quo epulae in funere comburuntur*. Aggenus Urbicus de Agrorum controversiis: *Culinae vocantur in suburbiis loca inopum funeribus destinata*. Unde *inquilini*. Eae, nisi fallor, sunt, quas ἐσχάρας Aristophanes Ἑκάτης vocat. Puto & κνισέας ab Artemidoro dici: Γυναιξὶ δὲ ἑταίραις τοῖς ἐπὶ κνισέαις ἑστῶσι μίγνυσθαι, μικρὰς αἰσχύνας, καὶ βραχὺ ἀνάλωμα σημαίνει. Nimirum sentit Artemidorus eas, quas Catullus ait in sepulcretis, aut in ustrinis ipso rapere e rogo caenam. Nihil autem intelligitur per culinam, quam ἑστία. Erant & in aediculis Herculis culinae, ad quas peregre profecturi sacrificabant, ut patet hac inscriptione:

HERCULI SAXANO SACRUM SER. SULPITIUS TROPHIMUS AEDEM, ZOTHECAM, CULINAM PECUNIA SUA A SOLO RESTITUIT. IDEMQ. DEDICAVIT K. DECEM. L. TURPILIO DEXTRO M. MAECIO RUFO COSS. EUTUCHIUS SER. PEREGRINANTIBUS CURAVIT.

Certum est enim peregre profecturos Herculi sacrificare solitos: quod dicebant *propter viam sacrificare*: hoc est, quod Graecis Historicis subinde dicitur, τὰ ἐξιτήρια θύειν. Et inde jocus Catonis apud Macrobium, de eo, qui, postquam bona comederat, domum suam incenderat. Nam in culinis Herculis quidquid ex pollucta dape reliquum erat, igne absumebatur.

ET UNCTA COMPITALIA. In Compitalibus enim culinae illae erant, ad quas epulum Laribus ponebatur, quod a pauperibus diripiebatur. Talis Ἑκάτης δεῖπνα apud Graecos.

LINDENBRUCH.

FLAVUMQUE PROPTER THYBRIM. Idem Douza legit.

Flavumque propter Tybrim olentes nauticum.

id est, nautas ipsos Tyberinos nauteam olentes.

Quibus repletus ut salivosis aquis
  Obesam ad uxorem redis,
Et aestuantes docte solvis pantices,
  Os usque lambis saviis.
Nunc laede, nunc lacesse, si quidquam vales:
  Et nomen adscribo tuum.
Cinaede Luci, an te reliquerunt opes?
  Fameque genuini crepant?

SCALIGERI.

QUIBUS REPLETUS. Dimeter, qui sequitur, alieno loco irrepsit. Sequenti enim subjiciendus; ut sequens huic ita:

Quibus repletus ut salivosis aquis
Os usque lambis saviis.

Salivosas aquas dicit, ut *Salivatum* apud Columellam, quidquid χυμευτὸν, hoc est, quidquid gustum reficit. *Salivam movere* dixit Seneca, hoc est gustum facere. Unde etiam Persius:

-- turdorum nosse salivam.

Facete *os usque lambis saviis*, tanquam si aliqua adjiciali caena acceptus esses, *os lambis saviis*, hoc est, more canum, qui aliquid ligurierunt, labra etiamnum lambis. Hoc enim canes facere, cum sapidum aliquid gustarunt, videmus. *Savia* enim sunt labra, ut Plauto:

.. valgis ductant saviis. *Valga savia*, labra distorta. Ita enim labris conformatis, ridebant militem. Nam ibi *savia*, labra, Nc, si oscula interpretaris, fit, quod Graeci στόματι φίλημα vocant. Hesych. στόματι, φίλημα τι μικρὸν παιδικόν.

ET AESTUANTES. Jam admonuimus praecedentem dimetrum huic trimetro subjiciendum; sed & trimeter ipse mendis non caret, quae ita tolli possunt:

Et aestuantes nocte solvi pantices
Obesam ad uxorem redis.

Et redis ad obesam uxorem solvi aestuantes pantices. Ut solvas pantices. Figura Horatio familiaris. *Pantices* sunt, quod vulgo vocamus *farcin*, corrupte a farcimine. Nam ita vocat Vegetius. Plautus Pseudolo:

-- impletae vino modo cupidae estis.
Et vos, vestrosque pantices madefacitis.

Et Martialis:

Qui cum panticibus laxis, & cum pede grandi
Et rubro pulmone vetus. --

Ubi pulmonum φθίσει hominem laborantem intelligere, nihil vetat. Sed ego puto *pulmonem* ibi, & *pantices* idem esse, quemadmodum & *pulmunculum* apud Vegetium de re Veterinaria. Quod pantices pulmonum ruborem referant. Itaque sic locus Plauti in Epidico accipiendus est:

-- pedibus pulmoneis
Qui perbibetur, prius venisset, quam tu advenisti mihi.

Ut pedes pulmoneos intelligat, qui panticibus ulcerosi sunt. Nisi referatur ad proverbium πνεύμων, de stupido. Vel potius dixerit pedes pulmoneos, tumidos. Sicuti Plinius pulmonea quaedam poma vocata ait, id est, ut ipse interpretatur, stolide tumentia. In veteri Glossario *Pantices* ἔλυτρα ἐπὶ τραχήλου τῶν κτηνῶν exponuntur.

NUNC LAEDE. Manifesto haec ostendunt superiora per insultationem dicta esse, quasi ab exprobrante, & per interrogationem efferenda esse ita:

Non me vocabis pulchra per Cotyttia
  Ad feriatos fascinos?
Movere lumbos nec dein, crocotulae
  Prensis videbo alaribus?
Fallum ad Priapi turbulenti neutiquam
  Vocare, ubi adpulsae rates
Stant in vadis caeno retentae sordido,
  Macraque luctantes aqua?
Neque in culinam, & uncta compitalia
  Dapesque ducis sordidas?

ET NOMEN ADSCRIBO. Legendum sine ulla controversia:

Et nomen adscribo tuum.

Improbe enim appellavit, cum cinaedum dixit.

FAMEQUE GENUINI. Ut famelicis canibus crepare solent. Plautus Milite:

Venter creat omnes has aerumnas: auribus
Peraudienda sunt, ne dentes dentiant.

Graeci id dicunt μυλιᾷν. Ut Hesiodus: δεινὸν μυλιόωντες. In eadem significatione *dentire* Varroni οὐκ ποτὶ τῶν ὀδόντων, ut & Plauto:

Teges ruina, ne jacentem sub Deo
Ambesset algus dentientem frigore.

Hipponax, βαμβαλίζειν.

Δὸς χλαῖναν Ἱππώνακτι. Κάρτα γὰρ ῥιγῶ,

Καὶ

Videria.

Videbo habentem praeter ignavos nihil
Fratres, & iratum Jovem,
Sciſſumque ventrem, & hernioſi patrui
Pedes inedia turgidos.

AD VENEREM.

Si mihi ſuſceptum fuerit decurrere munus,
O Paphon, o ſedes quae colis Idalias:
Troïus Aeneas Romana per oppida digno
Jam tandem ut tecum carmine vectus eat:
Non ego thure modo, aut picta tua templa tabella
Ornabo, & puris ſerta feram manibus.
Corniger hos aries humilis, & maxima taurus
Victima ſacratos tinget honore focos.

Mar-

SCALIGERI.

Καὶ βαμβακίζω. --

Ad quos verſus Hipponactis alluſit Ariſtoph. Ορνισι.

Οὗτος, σὺ μὲν τοι σπολάδα, καὶ χιτῶν᾽ ἔχεις.
Ἀπόδυθι, καὶ δὸς τῷ ποιητῇ τῷ σοφῷ.
Ἔχε δὲ σπολάδα. Πάντως δέ μοι ῥιγῶν δοκεῖς.

Quod tamen Scholiaſtes aſſequutus non eſt.

SCISSUMQUE VENTREM. *Scindere ventrem* ἐπ᾽ αἰσχρῷ dictum eſt. Laberius:

Puero noſtro billas caedit.

Idem intellexit Plautus Caſina:

Effodere hic volt, credo, veſicam villico.

Sic accipiendus jocus Martialis:

Alvum dixit habere ſe ſolutam.

In quem enim ſenſum Martialis dixit *alvum ſolutam*, in eundem noſter poeta *ſciſſum ventrem*.

HIRNEOSI. Repone *hernioſi*. Idem error, qui ſupra.

PEDES INEDIA. Cur inferiores partes famelicis tumeant, vide Ariſtotelem Problematis. Heſiodus Fragmento μεγάλων ποδῶν per γενοπαχῆ idem αἰνιγματικῶς intelligit.

Πὰρ δ᾽ Ἀχλὺς εἱστήκει ἐπισμυγερή τε, καὶ αἰνή,
Χλωρή, αὐσταλέη, λιμῷ καταπεπτηυῖα,
Γουνοπαχής. --

eodem aenigmate:

-- *λεπτῇ δὲ παχὺν πόδα χειρὶ πιέζοις.*

Hoc eſt, ne fame pereas. Sed τὸ γουνοπαχὲς in fame eleganter Ovidius deſcribit:

-- *genuumque tumebat*
Orbis, & immodico prodibant tubere tali.

SI MIHI SUSCEPTUM. Votum Maronis pro ſuſcepto Aeneidis opere ſuſpenſum pro templo Veneris Surrentinae. Eſt autem elegantiſſimum poemation & Virgilio digniſſimum.

ET MAXIMA TAURUS. Idem ἀκροτελεύτιον invenitur & in Georgicis:

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus.

Victima. --

Vides doctiſſimum poetam, *victimam* de magnis dixiſſe, certus veteribus illis, qui pure loquebantur, ita obſervatum fuiſſe. Quod verum eſſe, manifeſto Plautus docet in Pſeudolo, ex verbis lenonis.

Nolo victimas: minimis med᾽ extis placari volo.

Nam *minima exta* oppoſuit *victimis*. Sed luſit Comice in voce *minimis*, reſpiciens ad minas viginti, quibus ſibi litari volebat. Adoleſcens voce jocum non percipiens, jubet arceſſi agnos. Quia eae ſunt minimae hoſtiae, & quae vere victimae dici non poſſunt, quum ait:

Propera: quid ſtas? arceſſe agnos. Audin᾽, quid ait Juppiter?

Itaque apud Plautum male hodie legitur *agninis extis*; quum pleraeque calamo exaratae membranae habeant *minimis extis*. Ubi ſane vere Plautinus latet jocus. At non ita vulgata lectione.

TINGET HONORE. Scio *inſtaurare aris honores* dictum a Virgilio, ſed παλινδρομικῶς. Itaque hic lego, *tanget odore*. Graeci δεύειν τῇ κνίσσῃ. *Tanget*, ut Varro, *tangere tectorio*.

Marmoreusque tibi, Dea, versicoloribus alis,
In morem picta stabit amor pharetra.
Adsis, o Cytherea: tuus te Caesar Olympo,
Et Surrentini litoris ora vocat.

*

Ite hinc inanes rhetorum manipli,
Inflata rore non Achaico verba,
Et vos, Sile, Albuti, Arquitique, Varroque,
Scholasticorum natio madens pingui:
Ite hinc inanes cymbalon juventutis.
Tuque, o mearum cura Sexte curarum,
Vale Sabine: jam valete formosi.
Nos ad beatos vela mittimus portus,

Magni

SCALIGERI.

MARMOREUSQUE. Lego:

Marmoreusque tibi diversicoloribus alis &c.

Alas Amori attribuere recentiores poetae, ut ajunt Graeci, quum vetustissimi nihil tale de eo prodiderint. At fuit, quum non solum alatum, sed etiam barbatum pinxerunt: quod minus vulgare est. Ita enim eum de se loquentem inducit Theocritus: aut quisquis is poeta fuit, qui scripsit πτερύγιον.

Μὰ δ' τρίτης, αἰ τυτὸς ἂν δέτεια βέβρεϑα λάχνα γίνεια.

Ita enim legendum in Theocrito. Ubi τυτὸς Dorice pro τυτϑός. Sed malo legere hic in nostro Epigrammate:

Marmoreusque tibi, Diva, ignicoloribus alis &c.

ITE HINC INANES. Transposita sunt:

Ite hinc inanes Rhetorum manipli, ite hinc.

Scripsit hoc Epigramma, quum Athenas proficisceretur, ut Philosophiae Epicuri operam daret. Quod alibi notamus.

INFLATA. Lego: *Inflata rore non Achaico turba.* Sic enim olim adolescentes emendabamus. Significat loquaces, quales sunt cicadae, quae rore victitant. Proverbium, τέττιγος λαλίστερος. Etiam rore victitare dicebatur in macilentos. Callimachus:

Ὥς κεῖνο κατεαὶ τοῦ πρῶτον ἔρωτος τεσσοῖσαι
Ἐνδυκέως αἰεὶ πτάμενοι αὖδαρ ἔδων.

Ita correximus elegantissimum distichum.

ET VOS. Potest legi:

Et vos Stilo Aeli, Tarquitique, Varreque.

Sed aliter excusus est antiquitus versiculus iste:

Et vos seliquir, arquitique. An,

Et vos Seli, Curi, Arquitique, Varroque?

An potius?

Et vos Seli, Irri, Tarquitique &c.

Tarquitius est ille, qui scripsit Ostentarium librum, hoc est τερατοσκοπικόν. Ut nuper docuit eruditissimus P. Pithoeus noster. Valde placet prior conjectura, *Stilo Aeli*. De quo Grammatico vide Suetonium.

MADENS PINGUI. *Madens* hic, non tinctus, sed penitus imbutus. Martialis:

Jure madens, varioque togae limatus in usu.

Δευσοποιός. Graeci item dicunt purpuram bene imbutam, περιαλουργόν. Metaphorice dixit Aristophanes περιαλουργοῖς κακοῖς, ut hic dicitur *madens pingui*. Sic Cicero poetas Cordubenses aetatis suae pingue nescio quid redolere dixit.

CYMBALUM. Videtur proverbialiter tritum. Nam & Tiberius Caesar Cymbalum mundi vocavit Appionem Grammaticum. Apud Gellium, ubi bis Appion polyhistor appellatur, in manu scripta membrana *Appion plistonices* exaratum est.

NOS AD BEATOS. Vel portus dixit simpliciter Athenas ipsas, quas petebat Philosophiae Epicureae discendae studio, vel potius ἐκ τῶν ταραχῶν e fluctibus vitae, & Reipublicae, & religionis, se ad id studium tanquam ad portum recipi, ubi ab omnibus vitae tempestatibus aeterna quies est. Propterea subjicit ἐπεξηγηματικῶς, *vitamque ab omni vindicavimus cura*. Nihil enim, nisi ἀμέριμνον βίον, καὶ ἡδυπάθειαν promittit Epicurus.

LINDENBRUCH.

ET VOS SILE, ALBUTI. *Alii*, Seli, Cati.

Magni petentes docta dicta Scironis,
Vitamque ab omni vindicabimus cura.
Ite hinc Camenae : vos quoque limite ſaevae, *
Dulces Camenae : nam fatebimur verum,
Dulces fuiſtis : & tamen meas chartas
Reviſitote : ſed pudenter, & raro.

DE SABINO PARODIA CATULLIANA.

Sabinus ille, quem videtis hoſpites,
Ait fuiſſe mulio celerrimus:
Neque ullius volantis impetum ciſi
Nequiſſe praeterire : ſive Mantuam
Opus foret volare, ſive Brixiam.
Neque hoc negat Triphonis aemuli domus

Nega-

SCALIGERI.

ITE HINC CAMOENAE. Olim legebamus:
Ite hinc Camoenae vos quoque, ite laſcivae.
Neque ejus me conjecturae poenitet. Sed propius ad veſtigia veterum excuſorum accedit:
Ite hinc Camoenae vos quoque, ite Miſenae
Dulces Camoenae --
Ut Miſenas Camoenas intelligat, propter ſeceſſum Neapolitanum, & Surrentinum.

DULCES CAMOENAE. In veteribus editionibus excuſum fuit:
Dulces Camoenae. Animum fatebimur verum.
Lego ſane:
Dulces Camoenae, (an inſitebimur verum?
Dulces fuiſtis) --

SABINUS ILLE. Parodia eſt, ex Phaſelo Catulli, quem nos olim adoleſcentes totidem Jambis puris Graece vertimus. Veterum ludicra exercitatio fuit παρῳδία, ut Archeſtrati verſus ex Homero: & innominati auctoris ex Bucolicis Virgilii:
Tityre, ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?
Item:
Dic mihi Damoeta, cujum pecus? amne Latinum?
Non: verum Aegonis. Noſtri ſic rure loquuntur?
Quod quia ex vita Virgilii deſumptum eſt, & nihil nocet de tanto auctore ſcire, imo neceſſe eſt ſcire, corrigam locum inſigniter depravatum ex depravata tamen manu ſcripta lectione, ſed quae propius abſit a veritate. Igitur ita lego: *Obtrectatores Virgilio nunquam defuerunt. Nec mirum. Nam nec Homero quidem. Prolatis Bucolicis, innominatus quidam reſcripſit Antibucolica, duas modo Eclogas, ſed inſulſiſſime παρῳδήσας. Quarum prioris initium eſt.*
Tityre ſi toga calda tibi eſt, quo tegmine fagi?
ſequentis:
Dic mihi Damoeta &c.
In quibus nullum vulgatae lectionis veſtigium agnoſcas. Adeo omnia perturbata ſunt. Ut etiam *Paro* quidam pro poeta (ſi diis placet) acceptus ſit. Conferant ergo noſtram ex veteri manu ſcripta correctam cum vulgata lectione: ac quantum interſit, videbunt. Scripta eſt haec feſtiviſſima parodia in Ventidium Baſſum: qui ex mulione poſt aliquot ſtipendia, Praetor, mox Conſul factus eſt, ut haec in illum famoſa oſtendunt:
Concurrite omnes Augures, Aruſpices.
Portentum inuſitatum conflatum eſt recens.
Nam mulos qui fricabat, Conſul factus eſt.
Et contumelioſe dixit Plancus ad Ciceronem: *Ventidii mulionis caſtra proſpicio.* Sed amplius de eo Gellius, Val. Maximus, & Plinius.

NEQUE HOC NEGAT. Lege: *Et hoc negat*, ut in Catullo.

LINDENBRUCH.

LIMITE SAEVAE. *Forte*, hinc Letcos ite.

Negare nobilem, insulamve caeruli:
Ubi iste post Sabinus, ante Quinctio
Bidente dicit attondisse forcipe
Comata colla, ne qua sordidum jugo
Premente dura vulnus ederet juba.

Cre-

SCALIGERI.

INSULAMVE CAERULI. An per Caerulum intelligit Benacum, qui assurgit fluctu marino? per insulam vero, Sirmionem ejus lacus peninsulam venustissimam, quoniam Catulli poetae, & aliquando etiam, dum fata manebant, SCALIGERORUM PRINCIPUM amoenissimum secessum? An vero est id, quod narrat Strabo lib. VI.? Fuisse quendam Tryphonem cognomine *Διόδοτον*, qui Apameam nobilem Seleuciae Syriae urbem occupavit, seseque regem totius Pieriae declaravit. Qui postea cum duabus legionibus Romanis a Basso quodam obsessus, tamen in deditionem venire coactus est. Haec omnia conveniunt Basso nostro, qui & ad illas partes Syriae, & ad Parthos, & Euphraten saepius missus fuit ab Antonio. Ac insulae formam habuisse Apameam urbem, auctor idem Strabo. De Tryphone vero ex praecedentibus satis convenit. Sed non potest esse. Nam quid faciemus illa voce *Caeruli*? Deinde istum Bassum non *Οὐεντίδιον*, sed *Κεκίλιον* vocat Strabo. An *insula Caeruli* erit Britannia magna? Nam seu mare interius, sive Oceanus, *Caerulum κατ᾽ ἐξοχὴν* vocatur. Varro Marcipore:

Propontis unda, quam liquante caerulo
Aqua natantem nempe perfundat, cape.

Ad insulam vero Britanniam secutus est Caesarem Bassus. Nam & Gellius ait ad ultimas usque Gallias cum Caesare venisse eum etiam tum, quum mulio esset. *Domus ergo Tryphonis* erit, domus Mamurrae. Mamurra enim habuit praedium nobilissimum in agro Firmiano, ut ait Catullus. Bassus vero fuit ex eo agro, hoc est Picentinus. Auctor Gellius. Quare in eo verisimile est mulioniam exercuisse Bassum. Fuit enim illi natale solum. Jam *Tryphonis* nomen meruisse Mamurram, quem hic noluit nominare Virgilius, quod Cajo Caesari amicus fuerit, non mirabitur, quisquis ejus luxum cognoscet ex Catullo. Sic Ptolemaeus, unus ex Regibus Aegypti, propter luxum *Τρύφων* vulgo cognominatus. Auctor Aelianus. Quare hic intelligeretur, Ventidium & in Galliis, & in natalibus Picentinis exercuisse mulioniam. An superiora illa omnia falsa sunt; illud vero, quod sequetur, certissimum? Tryphonem pro nomine mulionis accipiendum: quem idcirco aemulum Ventidii dicit, hoc est, ejusdem quaestus exercitorem. Sicut & *Caerulum* nomen proprium esse, Latinum quidem illud, sed non Romanarum gentium. Est enim nomen servi insularii, hoc est, custodis insulae cujuspiam in urbe. Ergo *insulam Caeruli*, cujus Caerulus custos fuit. *Insularium* vocat Ulpianus servum insulae custodem. Salse ergo hominem notat: utpote quem dicat notum fuisse Tryphoni mulioni, & Caerulo insulario: ac cum eis quaestum de mulionia fecisse. Haec sine ullo dubio firmissima est conjectura.

QUINCTO. Mulas Quinctii mulionis ait totondisse: cujus Bassus fuerit submulio: aut cujus perpetuarium mulum conduxerit. Itaque propterea vocavit eum Cicero *Subfarraneum mulionem*, ut est apud Plinium. Nam Quinctius, ut & alii servi, ab hero far, & demensum suum accipiebat, a quo rursus & Bassus acciperet, tanquam ejus submulio. Ut omnino Quinctius fuerit ordinarius mulio; Ventidius vicarius. Sic in Factionibus *Succonditor* appellabatur, qui Conditori parebat. Siquidem *Conditor ἀλείπτης ἵππων* optimus Glossarius exponit. De quo & ita in veteribus inscriptionibus. M. VISPANIO QUARTIN. SUCCONDITORI. Quanquam ego puto conditores factionum esse eos, qui factionem ederent, & missus suppeditarent. Ut Factionum dicerentur Conditores, quemadmodum munerum, hoc est gladiatorum editores in vita D. Antonini Pii. Legendumque in optimo Glossario, *Conditor ἀλείπτης πίσσῃ*. Vel, *ἀλείπτης, πιττῶν*. Qui pice illinit cados, quos postea condat, & infodiat terrae. Horat.

-- Graeca quod ego ipse testa
Conditum levi -- Sed ad Ventidium, hoc est, ad rem. Fuit igitur subfarraneus, & submulio Quinctii: & forsan quartarius: quod trientem caperet de toto asse quaestus, & dodrantem redderet Quinctio, a quo mulas conducebat.

BIDENTE DICIT. Claudicat versus. Fortasse legendum:

Bidente dicit, attodisse forcipe.

ut sit *attodisse*, ut *attigo*, *pago*. Nisi sit,

Ait bidente tonsitasse forcipe.

COMATA COLLA. Jubata. *Recutita colla mulae* contra Martiali, [illegible].

VULNUS EDERET. Hoc nos *Panticem* vocari invenimus in illo optimo Glossario toties a nobis

Cremona frigida, & lutoſa Gallia
Tibi haec fuiſſe, & eſſe cognitiſſima
Ait Sabinus. Ultima ex origine
Tua ſtetiſſe dicit in voragine,
Tua in palude depoſuiſſe ſarcinas,
Et inde tot per orbitoſa millia
Jugum tuliſſe: laeva, ſive, dextera
* Stringere mulas, ſive utrumque coeperat.
Neque ulla vota ſemitalibus Deis

Sibi

SCALIGERI.

laudato, ut ſupra admonuimus. In eo enim ita ſcriptum fuit: *Pantex*, ἐγκοιλία τραχήλου κτηνῶν.

IN VORAGINE. Et Catullus: *Ferream ut ſoleam tenaci in voragine mula*. *Vorago* igitur τὸ τέναγος.

DEPOSUISSE SARCINAS. Ἀρχαϊκῶς legendum, *depoſiſſe*. Integrum *depoſuiſſe*. Catullus: *Quam mater prope Deliam Depoſivit olivam*.

STRIGERE MULAS. Haec non ſunt unius aſſis. Lego: *Strigare mula*. *Laeva*, *dextera mula*, ut in quadrigis, *laevus*, *dexter equus*. *Strigare* dicuntur equi quoties interquieſcunt. Dictum a *Striga*, quod erat μεταίχμιον, & ſpatium turmarum, in quo equi ſtringebantur, a quo nomen habet, ut docet Cariſius. Hinc factum, ut, quoties interquieſcunt equi, & jumenta, dicantur *ſtrigare*. Sicut in vulgari ſermone Thuſco, & Germanico *ſtallare* equos dicunt perorigae, quum ad urinam emittendam quieſcunt. Quia quum recenter veniunt in ſtabulum, quod nunc *ſtallam* vocant, tunc fere urinam ſolent emittere. Ergo *ſtrigare* a *ſtriga*: quod eſt caſtrenſe vocabulum. Nam etiam Ruſtici *ſtrigam* vocant in arando ſulcum, qui uno ductu prorſus peragitur in longitudinem. Atque ut *ſtrigare* equi dicuntur in actu intermittendo: ſic cum continuant actum, hoc dicitur *protelo ducere*. Lucillius:

Quem neque Lucanis oriundi montibu' tauri
Ducere protelo validis cervicibu' poſſent.

Protelum enim eſt continuatio, & tenor. Lucret.

Undique protelo telorum continuato.

In vetere illo Gloſſario: *Protelum*, ἔκλειμμα. Lego, ζεύγλαμμα, vel ἔξαμμα. Hoc eſt, ζεύγλης ἐξάμμα. *Cobum* vocari ait Feſtus. Et quod Lucilius dicit *protelo ducere*, eſt ἐξαμπεύειν Ariſtophani Lyſiſtrata. Sed omittendum non eſt eodem modo *ſtrigoſum* dictum a Lucillio, non ἰσχνόν, ut vulgo accipimus, ſed in hanc ſignificationem, hoc eſt, morabundum, & tergiverſatorem. Poſtea vero jumenta macilenta ita dicta: quaſi ſtrigare cogantur prae macie, & quia male curata. Ejus verba ſunt:

Hice ſtrigoſu' bovinatorque, ore improbu' duro.

Bovinator enim ibi eſt tergiverſator: ut interpretatur ille apud Gellium: nimirum a bubus, qui in medio actu ſtrigare ſolent, neque uno protelo continuare. Atque haec de verbo Strigare. Porro & *ſtriga* in veteri Gloſſario exponitur ἡ κιμωλία, hoc eſt, creta. Ab eo, puto, quod ſtringuntur ea veſtimenta apud Fullonem. In eodem Gloſſario *Striga*, λαμυρός, & γυνὴ φαρμακίς. Etiam hodie in multis locis Italiae *ſtriglam* vocant veneficam mulierem, a Strigibus avibus. Quas Plinius ait in diris, & imprecationibus Graecorum eſſe: intelligens, puto, verſus, quibus eas devovebant. Στρίγγ' * ἀποπέμπειν νυκτιβόαν, τὰν στρίγγ' ἀπ' ἐλαύνειν ὄρνιν ἀνώνυμον ὠκυπόρους ἐπὶ νῆας. Et ita verba Heſychii depravata reſtitue: Στρίγγες, τὰ νυκτικόραξ, νυκτιφοῖται. Καλεῖται δὲ καὶ νυκτιβόα. Οἱ δὲ καὶ νυκτικόρακα. Quod Strigas νυκτιφοῖτες vocari ſolitas ait, propterea etiam Latini volaticas vocabant: In Gloſſis Iſidori: *Harpyiae*, *virgines volaticae*. Quod non intelligit, quia eis eſſent alae, ſed ab ea ſignificatione.

SEMITALIBUS DEIS. Ἐνοδίοις, καὶ Ἐνοδίαις. Hoc eſt, Ἑρμῇ, & Ἑκάτῃ. Julianus ὁ παραβάτης in Epiſtolis: Ἄξει δέ σε ὁ δημόσιος δρόμος ὀχήματι χρώμενον ἑνί, & παρίππῳ. Εἰ δὲ χρή τι καὶ εὐδέξασθαι τῶν Ἐνοδίων θεῶν σοι, καὶ τὸ Ἐνόδιον παρακεκλήκαμεν. Sed & alii Dii peculiares ſemitales: quos *Lares Viales* vocat Plautus. Eſt & *Bivia Dea* Arnobio. Nam in ambiviis, & triviis olim carri, & ciſia conducebantur. Varro Marcipore: *Hic in ambivio navim conſcendimus paluſtrem: quam nautici equiſones per viam qnum ducerent*, *loco*. Hinc igitur *Semitales Dii*. Sed & *Dii Vii* poſſunt intelligi, ad quos decumae lucri omnes deferebantur, ut patet ex Epigrammate Fortunae Praeneſtinae: ubi de mercatore decumas Fortunae perſolvente, haec & de Deo Vio habentur:

Omnibus hic annis votorum more ſuorum.

Com-

Sibi esse facta, propter hoc novissimum
Paterna lora, proximumque pectinem.
Sed haec prius fuere, nunc eburnea
Sedetque sede, seque dedicat tibi
Gemelle Castor, & Gemelle Castoris.

AD VARIUM.

Scilicet hoc sine fraude, Vari dulcissime, dicam:
Dispeream, nisi me perdidit iste putus.

Sin

SCALIGERI.

Centenas adicit numero crescente coronas,
Fortunae simulacra colent, & Apollinis aras,
Arcanumque Vii. --

Servius commento VII. Aeneidos, de Praeneste loquens: *Ibi*, inquit, *erant Pontifices, & Dii indigetes, sicut etiam Roma*. Lege, *Dii Vii*. Apud Solinum quoque perperam legitur *fratrum Digitiorum*. Lege, *Fratrum Indigetum Viorum*. In duobus tamen Solini calamo exaratis codicibus, qui sunt penes Pithoeum nostrum, eandem scripturam corruptam vidi.

PATERNA LORA. *Lora* τὰ ἡνία. quae vocat Homerus. PATERNA, ut ostendat Bassum πατρόθεν, καὶ ἀνέκαθεν a mulionibus genus ducere. Subintelligendum autem, *dedicat*; ut in illo, *Aeneas haec de Danais victoribus arma*. Semper enim fere in eum sensum reticetur verbum. In quo creberrimi sunt poetae Graeci. Adponam etiam Epigramma, quod Romae aliquando in pervetusto, ac pene corroso marmore vix me legere posse memini: in aedibus Maffeorum:

Φλαβιανοῦ ἡμιονευτῆς Δώρης τόδε σῆμα
Ἐξ ἐπὶ τοῖς δέκ' ἔτι μοῦνα βιωσαμένου.
Μοῦνα γὰρ Ἀγγελίδου πατρὸς εὐκλεᾶ θῆκε Μυρίνη
Θρέψε τε, καὶ μοῦνος ἀνέθηκε, κ.τ.λ.

Reticetur enim verbum ἔπεσεν, aut ἀνέθετο. Et in hoc genere, ut dixi, frequentissimi Graeci.

PROXIMUMQUE PECTINEM. Quid pectine mulioni opus, cujus mularum colla recutita, ut est apud Martialem: manni vero detonsi, ut apud Propertium:

Huc mea detonsis avecta est Cynthia mannis.

Puto *pectinem* hic non κτένα, sed τὴν μάστιγα esse. Cui simile plectrum Citharoedorum. Ut- & *pectine pulsat eburno*. In veteri Glossario, *Pecten*, πλῆκτρον. Lucanus -- *eburno verbere*: -- & *Pectere verberibus* Plauto. Posset & legi *ploximum*, non *proximum*. Nam *Ploximum*, ait Festus, quo usus Catullus, Capsum in Cisio, hoc est vulgo, *Tumberellum*. Estque transpadanum vocabulum. Iste vero Bassus & Cisia duxit, & a transpadano poeta incessitur. *Cisium* vero proprium fuit Galliae Cisalpinae: ut *petoritum* Oscorum. Quod ita dictum, quod quatuor rotas haberet. Nam πέτορα pro τέσσαρα Tarentini dicebant. *Pilentum* vero Thuscorum. Apud Nonium dictione *Carrum*, ita legito: *Varro* καὶ λιβύης: *Gallica petorita, carros, adcerras, Tusca pilenta*. Gallorum etiam fuit *Reda*: sicut Britannorum *Covinnus*. Vetus Glossarium: *Covinus*, κάρρον καθεδρωτόν. Belgarum vero *Benna*, qua etiamdum hodie utuntur. Festus ait, qui una in eo curru veherentur, *Combennones* dictos. Etiam in eodem Lexico Latinograeco scriptum fuit: *Convennit*, συμβασάζει. Perperam, pro *Combennit*. In eodem: *Bennarius*, σκηνάρχης.

NUNC EBURNEA. Nam Praetor, & postea Consul fuit.

PERDIDIT ISTE POTUS. Ait se amore incensum pueri, quem nequiuscule volebat appellare, sed legibus carminis prohiberi. Nam ad nequitiam intererat *potum*, non *puerum* appellare. Siquidem *potus*, seu *putus*, ὑποκόρισμα nutricum. In veteri Glossario: *Putus*, μικρός. *Puti*, μικροί. Etiam puerum hodie ita vocant in Italia, & Galli pusillum vocant, *petitum*, detorta voce a *putito*. Lascivia inest, ut in usu vocis, ita & in etymo. *Puta* enim πόσθη. Argumento *praeputium*, quasi προπόσθιον, non a praeputando. Nam & syllabae modulus refragatur, & prius ei parti id nomen imposuerunt Romani, quam scirent a Judaeis eam praesecari solitam. Sed sigma inde extritum est, ut a πυστός, *putus* prima correpta: *aurum putum*. Πύθεσθαι enim seu πεύθεσθαι est aurum explorare.

--Χρυσὸν πεύθονται ἀμοιβαί. Theocritus. Ergo πόσθη *puta*, προπόσθιον *praeputium*, ut, πυστὸς *putus*. *Putum aurum*. Ergo lascivia in Graecis nutricibus ἀπὸ τῆς πόσθης pueros ποσθίωνας vocare, eadem & in Romanis a *puta putos*, seu *potos*.

Sin autem praecepta vetant me dicere: ſane,
Non dicam. Sed me perdidit iſte puer.

AD VILAM SCIRONIS.

Villula, quae Scironis eras, & pauper agelle,
Ve-

SCALIGERI.

potor. Unde & hodie pars in muliere, quae honeſte nominari non poteſt, vulgo in Italia eo nomine nota eſt. Sic ὑποκόρισμα nutricum imitatus eſt Catullus, cum Calvum *ſalaputium* vocarit. Plus eſt enim, quam ſi puſillum, aut puerum. Erat enim brevis ſtaturae. Cum igitur omnia tam Catulli antiquitus, quam etiam Senecae excuſa exemplaria fideliter retineant *ſalaputium*, multum negotii exhibuit primae hujus temporis notae Grammaticis. Sed Seneca ipſe manifeſto demonſtrat nihil quam in ejus ſtaturam exiguam alluſum fuiſſe: non autem, quod Cippum aſcendiſſet. Sicut & Auguſtus, ut ait Suetonius, Horatium inter alia blandimenta *puriſſimum penem* vocat, hoc eſt, ut ipſemet interpretatur, *homuncionem lepidiſſimum*. Quod Graece nihil aliud eſſet, quam πόσθων. Ergo ſimiliter Catullus Calvum *ſalaputium*, hoc eſt πόσθωνα, ficto a *puta*, hoc eſt, πόσθη, & ſalacitate nomine. Apud Plautum quoque, Aſinaria, blandimenta mulierum ſunt. -- *dic me tuam*

Hirundinem, monedulam, paſſerculum, putillum. *Putillus* ποσθάκων, πόσθων. Non *puſillum*, ut perperam immutarunt. Apud Horatium vetus lectio aſſerenda eſt:

Putam, & putillam appellet. --

Nam *puta*, & *putilla*, ὑποκόρισμα in puellas. A parte ſcilicet, qua puellae foeminae ſunt: quae, ut dixi, ab Italis ita hodieque vocatur. *Putillam* Graecae nutrices dicebant χοιρίον. Nam χοῖρος ea pars in puellis, de qua jam dixi, & annotaverat M. Varro. Ariſtophanes:

Ἐγώ σ' ἐπιδὰν ἀμάδι ὡς ἀπτο[illegible]
Λυσάμενος ἔξω πταλακίω, ὦ χοιρίον.

χοιρίον putilla. Non igitur mirum, ſi Catullus, quem exiguum voluit vocare, eum ſalaputii nomine inſigniat, more nutricum, ſalſe nimis, & nequiter: quaſi nondum ἥβης, ſed παιδίσκον eſſet. Non enim (pace doctiſſimorum virorum dixerim) *ſalicippium*, neque καλλίπυγον, ſed *ſalaputium*, ut habent vetera exemplaria, legendum. Quanquam *ſalicippium* eſſet, ut *Crucisalus* Plauto Bacchidibus. Sed quia multis eruditis viris extorqueri non poteſt, quin Catullus alluſerit in cippum, quem aſcenderat Calvus, non in brevem ejus modulum corporis, audi verba Senecae: *Erat parvulus ſtatura: propter quod etiam Catullus in Hendecaſyllabis vocat eum ſalaputium diſertum*. Vides nullam alluſionem ad cippum. Sed melius Catulli verba fidem facient:

Di magni, ſalaputium diſertum.
Othonis caput oppido puſillum.
Etri ruſtica ſemipleta crura.
Subtile, & leve peditum Lybonis.

Nam eum Othonis cujuſdam inſigniter exigui caput habere dixit, crura vero brevia, ſed obeſiuſcula (hoc enim eſt *ſemipleta*) Etrii cujuſdam, tum ob ſurarum craſſitiem vulgo notiſſimi: vocem vero ſimilem ei ſono, quem edebat a poſtica parte Libo, qui eo vitio facile laborabat. Quare *ſalaputium*, quae germana eſt lectio, iterum in ſedes ſuas vindicandum eſt. Quod, ut dixi, more nutricum luſum eſt, a *ſalaputa*, quae caudam ſalacem (honor ſit auribus) ſignificat. Aliud vero eſt *ſalapitta* in veteri Gloſſario: *Salapitta*, ῥάπισμα. Quam vocem ego in Arnobio offendi, ſed valde diſſimulatam. Ejus haec verba ex lib. VII. cum loquitur de Mimis: *Delectantur (Dii) ut res eſt, ſtupidorum capitibus raſis: ſalpictarum ſonitu, atque plauſu: factis, & dictis turpibus: faſcinorum ingentium rubore*. Non enim ibi σαλπικτῶν intelligendum eſt, ſed *ſalapittarum*, hoc eſt, ῥαπισμάτων. Nam ad excitandum riſum Hiſtriones ſibi os percidi, & batui alapis patiebantur. Martialis:

Os tibi perciſum eſt, quanto non ipſe Latinus
Vilia Panniculi percutit ora ſono. Idem:
O quam dignus eras alapis, Mariane, Latini.
Te ſucceſſurum credo ego Panniculo.

Tertullianus libro de Spectaculis: *Inſuper contumeliis alaparum ſic os objicit, quaſi de praecepto Domini ludat*. Cyprianus item de Spectaculis idem innuit: *Ictibus infelix facies locatur*. Inde fluxit proverbialis loquendi mos, *os praebere alicui*: hoc eſt morigerum eſſe, Terentio, & Livio. Hoc igitur ἐν παρέργῳ monuimus, ne *ſalaputa* & *ſalapitta* idem crederes. Quod vocabulum utrumque nos nunc primum e tenebris eruimus.

VILLULA. Puto hoc Epigramma ſcripſiſſe, quum ex agro Mantuano propter aſſignationem agrorum ſecederet Romam. Non dubitandum autem eundem Scironem eſſe, cujus mentio aliquando fit apud Ciceronem.

LINDENBRUCH.

SCILICET HOC. *Alii*, Si licet hoc.

Verum illi domino tu quoque divitiae:
Me tibi, & hos una mecum, quos ſemper amavi,
Si quid de patria triſtius audiero,
Commendo, in primiſque patrem. Tu nunc eris illi,
Mantua quod fuerat, quodque Cremona prius.

*

Pauca mihi, niveo ſed non incognita Phoebo,
Pauca mihi doctae, dicite, Pegaſides.
Victor adeſt magni magnum decus ecce triumphi.
Victor qua terrae, quaque patent maria:
Horrida Barbaricae portans inſignia pugnae,
Magnus ut Oenides, utque ſuperbus Eryx.
Nec minus idcirco noſtros expromere cantus
Maximus, & ſanctos dignus inire choros:
Hoc itaque inſuetis jactor magis, optime, curis:
Quid de te poſſim ſcribere, quidve tibi.
Namque, fatebor enim, quae maxima deterrendi
Debuit, hortandi maxima cauſſa fuit.

SCALIGERI.

PAUCA MIHI. Scribit hoc elegans poematium ad Val. Meſſalam, virum toga, & ſago clariſſimum. Eum celebrat ob res geſtas. Praeterea & quaedam de ejus ſive amaſia, ſive ſperata. Hoc enim neſcimus. Quod Virgilii ſit haec elegia, facile probatur iſtis.

Moeris paſtores & Melibceus erant. Item:
Qualia Trinacriae doctus amat juvenis.

Nam Theocritum ſtudioſe imitatus eſt. Praeterea:

Non noſtrum eſt, inquam, tantas attingere laudes; eſt effictum ex illo:

Non noſtrum inter vos tantas componere lites.

VICTOR ADEST. Innuit, ut puto, de triumpho Gallico Meſſalae. De quo haec extat vetus inſcriptio:

M. VALERIUS M.F.M. N. MESSALA A. DCCXXVI.
CORVINUS PROCOS. EX GALLIA VII. K. APR.

De eodem Tibullus:

Hunc cecinere diem Parcae fatalia nentes
Stamina non ulli diſſoluenda Deo:
Hunc fore, Aquitanas poſſet qui fundere gentes:
Quem tremeret forti milite victus Atax.
Evenere. Novos pubes Romana triumfos
Vidit, & evinctos brachia capta Duces.
At te victrices Lauros, Meſſala, gerentem
Portabit nitidis currus eburnus equis.
Non ſine me eſt tibi partus honos. Tarbella Pyrene
Teſtis, & Oceani litora Santonici.
Teſtis Arar, Rodanuſque celer, magnuſque Garumna,
Carnuti & flavi caerula limfa Liger.

In quibus verſibus correximus *Tarbella Pyrene*, pro, *tua bella Pyrene*. Ait Tibullus non ſine ſe partum honorem Meſſalae, ut qui eo bello Aquitanico militaverit, & donatus ſit a Meſſala militaribus donis: ut in ejus vita manu ſcripta me legere memini.

HORRIDA BARBARICAE. *Barbaricos* vocat Cantabros, de quibus ipſe triumfavit. Poterat & legi, *Horrida Cantabricae*. Ac fortaſſe non inanis eſt ea conjectura.

MAGNUS UT AENEIDES. Lege, *Oenides*. Diomedes. Non enim ἐκ τῶ Αἰνεία fit Αἰνειάδης, ſed Αἰνεάδης.

MAXIMUS. *Maximi* enim in gente Valeria. Primus Maximus vocatus fuit in ea gente L. Val. Potitus, qui de Volſcis triumfavit. Ex eadem videtur fuiſſe Val. Maximus hiſtoricus, ineptus affectator ſententiarum, quamquam non inutilis propter exempla.

Pauca

Pauca tua in noſtras venerunt carmina chartas,
Carmina cum lingua, tum ſale Cecropio.
Carmina, quae Pylium ſaeclis accepta futuris,
Carmina, quae Pylium vincere digna ſenem.
Molliter hic viridi patulae ſub tegmine quercus
Moeris paſtores & Meliboeus erant.
Dulcia jactantes alterno carmina verſu,
Qualia Trinacriae doctus amat juvenis.
Certatim ornabant omnes Heroida Divae:
Certatim Divae munere quaeque ſuo.
Felicem ante alias tanto ſcriptore puellam:
Alter non famam dixerit ipſe prior.
Non illa, Heſperidum ni munere capta fuiſſet,
Quae volucrem curſu vicerat Hippomenem:
Candida cycneo non edita Tyndaris ovo,
Non ſupero fulgens Caſſiopea polo.
Non defenſa diu volucrum certamine equorum,
Optabant Grajae quam ſibi quaeque manus.
Saepe animam generi pro qua pater impius hauſit:
Saepe rubro Eleis ſanguine fluxit humus.

Re-

SCALIGERI.

CARMINA CUM LINGUA. *Carmina ſale Cecropio* dixit, ut:

-- domus ſanie, dapibuſque cruentis.

MOLLITER HIC VIRIDI. Ergo & Bucolica ſcripſit Meſſala.

QUALIA TRINACRIAE. Ἀμοιβαίοις enim delectatur Theocritus:

-- amant alterna Camoenae.

Juvenem eum vocat Virgilius, at Statius ſenem:

-- quantumque pios ditarit agreſtes
Aſcraeus, Siculuſque ſenex. --

Sed de his non eſt putanda ratio cum poetis.

HEROIDA. Amaſiam Meſſalae. Cujus tamen nomen ad nos non pervenit: niſi, quod facile credo, fuerit Sulpitia Servii filia. Eam enim deperiit Meſſala. Id quod ex appendice Tibulli colligitur. Ubi illa ita amantem Meſſalam alloquitur:

Jam nimium Meſſala mei ſtudioſe quieſcas,
Non tempeſtivae ſaepe propinque viae.
Hic animum ſenſuſque meos abducta relinquo,
Arbitrio quamvis non ſinis eſſe meo.

De ea poematia ſcripſiſſe Meſſalam innuit eo verſu:

Foelicem ante alias tanto ſcriptore puellam.

ALTER NON. Lego:

Altera non fama, dixerit ipſe, prior.

Ut praecedens verſus Meliboeo dictus ſit, huic autem ἀμοιβαίως ſuccinuerit Moeris. Ipſe Moeris dixerit: Non ulla alia famae celebritate, aut nomine prior eſt. Quin ita loquitur Propertius:

Saepe imprudenti Fortuna occurrit amanti
Crudelis Minyis dixerit Aſcanius.

Ita enim legimus, non: *dux erit*. Quod eſt ineptiſſimum. Aſcanius crudelis Minyis teſtis eſſe poterit hujus ſententiae. Quaenam illa eſt?

Saepe imprudenti Fortuna occurrit amanti, vel ſaepe Fortuna crudelis occurrit amanti, ut teſtis Minyis eſſe poteſt Aſcanius.

Regia non Semele, non Inachis Acrisione,
Immitti exspectant fulmine, & imbre Jovem.
Cujus & ob raptum pulsi liquere Penates
Tarquinii patrios, filius, atque pater.
Illo, quo primum dominatus Roma superbos
Mutavit placidis tempore Consulibus.
Multa neque inmeritis donavit praemia alumnis,
Praemia Messalis maxima Poplicolis.
Nam quid ego inmensi memorem studia ista laboris?
Horrida quid durae tempora militiae?
Castra foro solitos, ubi praeponere castra,
Tam procul hoc nato, tam procul hac patria?
Inmoderata pati nunc frigora, nuncque calores?
Stertere vel dura posse super silice?
Saepe trucem adverso perlabi sidere Pontum?
Saepe audendo mare vincere, saepe hiemem?
Saepe etiam densos inmittere corpus in hostes:
Communem belli nec timuisse Deum?
Nunc celeres Afros, perituraque millia gentis.
Aurea nunc rapidi flumina adire Tagi?
Nunc aliam ex alia bellando quaerere gentem?
Vincere & Oceani finibus ulterius?
Non nostrum est, inquam, tantas attingere laudes.
Quin ausim hoc etiam dicere, vix hominum est.

SCALIGERI.

INMITTI EXPECTANT. Lege:

Inmitti expertae fulmine & imbre Jovem.

Hoc est,

Ὀμβρῳ, καὶ βροντῇ τὸν Δία δεξάμεναι.

DONAVIT PRAEMIA. Veteres excusi, *donavit mater*. Hoc est Roma. Et ita reponendum.

TAM PROCUL HOC NATO. Lego, *nator*. Hoc scilicet *solo*. Quamquam & legi posset, *Tam procul hinc*, fortasse melius.

NUNC FRIGORA. Repone ex veteribus, *jam sidera, jamque calores*.

NON NOSTRUM EST. Tibullus idem ad eundem Messalam:

Non ego sim satis ad tantae praeconia laudis.

LINDEBRUCH.

INMODERATA PATI NUNC FRIGORA. Unice cum his conveniunt elegantissimi poetae Claudiani versus, Paneg. de tertio consulatu Honorii Augusti:

Frigora saeva pati, gravibus non cedere nimbis,
Aestivum tolerare jubar, transnare sonoras
Torrentum furias.

COMMUNEM BELLI DEUM. Sic Virgilius in Ciri: *Communemque timere Deum.* Auctor Paneg. Maximiano Aug. dicti: *Nec vereri dubia bellorum, nec Martem, ut dicitur, putare communem.*

Ipſa, haec ipſa ferent rerum monumenta per orbem:
 Ipſa ſibi egregium facta decus parient.
Nos ea, quae tecum finxerunt carmina Divi,
 Cynthius, & Muſae, Bacchus, & Aglaïe.
Si laudes adſpirem, humili ſed adire Camena:
 Si patrio Grajos carmine adire ſales
Poſſumus: optatis plus jam procedimus ipſis.
 Hoc ſatis eſt, pingui nil mihi cum populo.

*

Adſpice, quem valido ſubnixum gloria regno
 Altius & caeli ſedibus extulerat.
Terrarum hic bello magnum concuſſerat orbem:
 Hic Reges Aſiae fregerat, & populos.
Hic grave ſervitium tibi, jam tibi, Roma, ferebat:
 Cetera namque viri cuſpide conciderant:
Cum ſubito in medio rerum certamine praeceps
 Corruit, e patria pulſus in exilium.

Fal-

SCALIGERI.

SI LAUDES ASPIREM. Deſperavi omnino me huic loco remedium afferre poſſe. Quin & omnem prorſus ſpem ſanandi tollit monſtroſa lectio antiquitus excuſa:

Si laudem aſpirem humilis ſed adire ſirenas.

Fortaſſe.

Si laudem Aſcraeo humilis, ſi Doridas ervinas.

Optima ſane ſententia. Nam qui non auſit geſta heroica tractare, unum optat, poſſe imitari Heſiodum Aſcraeum, & ejus poema, Doridas Heroinas, hoc eſt μεγάλας ἠοίας· cujus hodie fragmentum extat argumento Clipei Herculis. Et hoc opus ſibi proponit, ut, quemadmodum Heſiodus exemplis omnibus praeſtantiſſimarum Graeciae Heroidum undique hiſtoriarum conquiſitis Dominam ſuam celebravit: ita etiam Virgilius deſideret ejus operis imitatione dominam Meſſalae ornare: Et ſane μεγάλας ἠοίας imitatur, cum ait: *Non illa, Heſperidum* &c. *non edita Tyndaris* &c. *Non ſupero fulgens* &c. *Non defenſa diu* &c. *Regia non Semele* &c. Heſiodus vero ſemper exempla ſua incipiebat, ἢ οἵη· ut & noſter Auratus docuit; unde ἠοῖαι vocatur illud poema. Quod vero praecedit, *Nos ea* &c. ſubintelligitur, *tantum conabimur*. Tantum ea, quae tu in Heroida tuam luſiſti, conabimur.

ASPICE, QUEM VALIDO. An de Pompejo dictum? de quo & Petronius:

Ille tremor Ponti: ſaevi quoque terror Hidaſpis,
Et piratarum ſcopulus: modo quem ter ovantem
Juppiter horruerat, quem fracto gurgite Pontus,
Et veneratus erat ſubmiſſa Boſphoru unda,
Pro pudor, imperii deſerto nomine fugit,
Ut Fortuna levis Magni quoque terga videret.

Item & Pedo Albinovanus rerum Romanarum lib. I.

Ille, cui ternis Capitolia celſa triumphis
Sponte Deum patuere: cui freta nulla repoſtos
Abſcondere ſinus: non tutae moenibus urbes.

An haec non conveniunt Pompejo, quum ipſe Romam ſervitio opprimere nunquam voluerit, & potius de Mithridate haec accipienda? Sane non video, cui magis haec accommodem.

TALE DEAE NUMEN. Et Ennius VIII. Annali:

— multa dies in bello conficit unus,
Et rurſus multae fortunae forte recumbunt.
Haudquaquam quenquam ſemper Fortuna ſecuta eſt.
Quin & mortalem ſummum Fortuna repente

Red.

Fallax momento temporis hora dedit.

*

Quocumque ire ferunt variae nos tempora vitae,
Tangere quas terras, quosque videre homines:
Dispeream, si te fuerit mihi carior alter.
Alter enim quis te dulcior esse potest?
Cui Venus ante alios, Divi, Divumque sorores,
Cuncta neque indigno, Musa, dedere bona:
Cuncta quibus gaudet Phoebus, chorus ipseque Phoebi:
Doctior o quis te, Musa, fuisse potest?
O quis te in terris loquitur jucundior uno?
Clio nam certe candida non loquitur.
Quare illud satis est, si te permittis amari,
Non contra ut sit amor mutuus inde mihi.

*

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an, quae Di-

SCALIGERI.

Reddidit, e summo ut regno famul optumus essit.

Est autem *essit*, pro *sit*. ut in lege XII. Tab. *Si morbus, aevitasve vitium essit.*

QUOCUMQUE IRE. Ad Antonium Musam medicum Augusti scribit hoc epistolium. Fuisse autem elegantissimi, & politissimi ingenii tum his versibus ostenditur:

Cui Venus ante alias, Divi, Divumque sorores
Cuncta neque indigno, Musa, dedere bona.

Tum etiam cognomen ipsum *Musa*: quod ob elegantiam ingenii patronus ei imposuisse videtur. Hoc enim nomen quibusdam libertis impositum fuisse fidem facit illa inscriptio Romae ante portam Latinam:

MUSA HOSPITIS LICINIANI XIV. ANN. XXXV.

Ita etiam Palamedem vocavit Euripides, ob solers & politum ingenium: ut in hac monodia chorus ex Nauplio Tragoedia canit:

Ἐκάνετ' ἐκάνετε
Τὰν πάνσοφον, ὦ Δαναοί,
Τὰν οὐδὲν ἀλγύνουσαν
Ἀηδόνα Μουσᾶν.

Meminere Antonii Musae Horatius, Plinius, Dio:

CUNCTA QUIBUS. Concinnius puto sic:

Cuncta quibus gaudet Phoebi chorus, ipseque Phoebus.

O QUIS TE IN TERRIS LOQUITUR. Propterea & Musam, non tantum ob solers ingenium, vocatum putem. Nam & Xenophon, ἀττικὴ μοῦσα.

QUIS DEUS, OCTAVI. Inversum est hoc Epigramma; & ita, ni fallor, ordini suo restituendum:

Quis Deus, Octavi, te nobis abstulit? an quae
Dicunt, ab nimio pocula dura mero?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, & te
Raptum, & Romanam flebimus historiam.
Sed tu nullus eris. Perversi dicite Manes,
Hunc superesse patri quod fuit invidia
Vobis: si culpa est bilis, sua quemque sequantur
Fata. Quid immeriti crimen habent cyathi?

Age, perversi Manes, si invidistis Octavio superesse patri suo, & ita amicum vobis fuit, ut bile inter pocula illi spiritus interceptus fuerit, sane quemque sequantur sua fata: hoc est, non querimur mortuum esse, sed hoc tantum immeritis cyathis adscribi. Nam quid illi, qui in usum laetitiae nati sunt, meruere, ut tanto crimine male audiant? Apparet hunc Octavium inter pocula subito excanduisse: unde expiraverit. Hoc nonnulli in deterius interpretati sunt, & non bile, sed nimio vini haustu periisse jactitabant. Quare non injuria hic poeta quaerit, vel potius dubitat, merone, an bile extinctus fuerit. τὸ QUOD usum supra in Cirin explicavimus.

Dicunt, ah nimio pocula dura mero?
Vobis ſi culpa eſt bilis: ſua quemque ſequuntur
Fata: quod immeriti crimen habent cyathi?
Scripta quidem tua nos multum mirabimur, & te
Raptum, & Romanam flebimus hiſtoriam.
Sed tu nullus eris. Perverſi dicite Manes,
Hunc ſupereſſe patri quae fuit invidia?

SCALIGERI.

SED TU NULLUS ERIS. Perſius.
— *jam fies fabula, Manes.*
Et *nullus eſt*, mortuus eſt. Plautus:
Anima eſt amica amanti: ſi abeſt, nullus eſt.
Et illa tritiſſima in Comoediis, *Nullus ſum.*

P. Virgilii Fragmenta ex Epiſtola, quam ad Auguſtum Caeſarem ſuper Aeneide ſua ſcripſit:

EGO VERO FREQUENTES A TE LITERAS ACCIPIO. *Et infra:* DE AENEA QUIDEM MEO, SI MEHERCULES JAM DIGNUM AURIBUS HABEREM TUIS LIBENTER MITTTEREM. SED TANTUM INCHOATA RES EST; UT PAENE VITIO MENTIS TANTUM OPUS INGRESSUS MIHI VIDEAR: CUM PRAESERTIM, UT SCIS, ALIA QUOQUE STUDIA AD ID OPUS, MULTOQUE POTIORA INPERTIAR.

INDEX

INDEX ABSOLUTISSIMUS
IN
MAURI SERVII HONORATI
COMMENTARIOS IN VIRGILIUM.

A.

cacc 8 R

INDEX IN SERVIUM.

Aegi-

Dddddddd ad

INDEX IN SERVIUM.

AER

Altaria,

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

plu

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

Ar-

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

cor-

Boe,

C.

INDEX IN SERVIUM.

ros

D.

 fere-

E.

INDEX IN SERVIUM.

ma,

Fu-

G.

perituris

INDEX IN SERVIUM.

Hospi-

I.

cum

Impera-

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

Infor-

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

L.

INDEX IN SERVIUM.

quid

Liberum,

INDEX IN SERVIUM.

Juga

Liberum,

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

ad

M.

quid

ad

M.

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

Mundus.

INDEX IN SERVIUM.

Ni-

Index in Servium.

O.

Obes.

abi

P.

Par-

ner-

Pest

Pia-

INDEX IN SERVIUM.

INDEX IN SERVIUM.

Plu

Por

Prae-

INDEX IN SERVIUM.

Yy yyy yy yy 2 liga-

ad

Q.

R.

INDEX IN SERVIUM.

pera

Sphae-

Stati-

 passe-

TA-

INDEX IN SERVIUM.

T.

INDEX IN SERVIUM.

Tra-

INDEX IN SERVIUM.

Tusciae

Tyr-

Vert-

Vir-

INDEX IN SERVIUM.

lagus

X.

INDEX AUCTORUM

IN

SERVII COMMENTARIIS

CITATORUM.

A.

B.

C.

D.

I.

L.

M.

N.

Com-

INDEX AUCTORUM.

T.

V.

in

INDEX AUCTORUM.

FINIS.